VIII/4

Conventus Crainobrodensis Sn Ord Prad.

CURRUS ISRAEL

ET

AURIGA EJUS,

Ducens hominem Christianum per vias rectas, & in Sacra Scriptura fundatas in Cœlum.

Opus, omnibus quidem Christianis, sed præsertim Sacerdotibus, & animarum curas gerentibus, ac religiosis mentibus ad meditandum & prædicandum, ad plures annos perutile & accommodum.

PARS PRIMA

PRO DOMINICIS PER ANNUM

Auctore

R. D. ANTONIO GINTHER, SS. Theologiæ Lic.

Decano ac Parocho ad SS. Crucem in Biberbach.

Editio Septima correctior



Accessit Index Concionatorius tum Rerum memorabilium, tum Figurarum ac Conceptuum plurimorum.

Cum facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VIND. ET HERBIPOLI,

Sumptibus MARTINI VEITH Bibliopolæ.

Anno MDCCL.

CHRISTUS Salvator Mundi
ad Discobolos Judæos. *Jo.* 5. 39.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me &c.

8. Hieronymus *Lib.* 1. *super Isaiam pag.* 3. *tom.* 5.

Ignoratio Scripturarum, Ignoratio Christi est.

AD CHRISTUM JESUM CRUCIFIXUM, DEI, HOMINIS QUE FILIUM,

Humilis Supplicatio Auctoris, & demississima DEDICATIO.

UMbram quæro, sub qua inter tot rerum discrimina tutus possum vivere, & securè mori. Adam post prævaricationem suam, ne à divina Nemesi ad instar impiissimi Luciferi ad inferni præcipitaretur barathrum, sempiternas ibidem daturus pœnas, fine mora, ubi oculi ejus fuerunt aperti, sub arboris vitæ umbram, velut ad tutissimum & ultimum calamitatis suæ asylum confugit: *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini DEI in medio ligni paradysi &c.* Supra quod antiquissimus Origenes: *Impulsu quodam primos parentes ad arborem, tanquam ad asylum se contulisse putandum est, ut significaretur jam tunc unicum perfugium peccatorum in arbore crucis esse constitutum.* Gen. 3. v. 8.

Ad hanc salutiferam Dominicæ Crucis umbram & ego peccatorum miserrimus, imitatus protoparentem meum, in vita & morte confugio, nulla enim hâc tutior umbra est. Elias Propheta, cùm ad necem quæreretur, sub umbra Jupiteri salutem invenit: *Projecit se, & obdormivit in umbra Juniperi &c.* Agar in deserto ab omnibus deserta, *abjecit puerum subter unam arborum, &c.* & sub illius umbra optatum à cœlo obtinuit auxilium. Arbor illa grandis Danielis omnis generis animalia sub 3. Reg. 19. 5. Gen. 21. 15

Dan. 4. 7. ũmbra ſua protexit: *Subter eam habitabant animalia &c.* Et quid dico? Etiam umbra S. Petri Apoſtolorum Principis miran-
Act. 5. 12. dos patravit effectus: Ita *ut in plateas ejicerent infirmos. Et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* O pientiſſime JESU! & Redemptor animæ meæ pretioſiſſime! quid non poſſumus ſperare ſub umbra alarum tuarum, in cruce pro ſalute univerſorum expanſarum? Nunquid
Thren. 4. 20. *ſub umbra tua vivemus?* O quàm bene Sanctus Auguſtinus tuus: *Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio.* Proinde

Non invideo Jonæ Prophetæ ſuam umbram, dum contra urentis ſolis radios ſibi in monte conſtruxit umbraculum, ex quo
Jonæ. 4. 5. Ninive civitatis poterat ſecurus ſpectare interitum: *Et fecit ſibimet umbraculum, & ſedebat ſubter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati.* Sed mox hæc Jonæ umbra evanuit, nam *paravit DEUS vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hæderam, & exaruit.* Sic nimirum ſunt omnes hujus mundi immundi umbræ, ſub quibus nulla vera ſalus, nulla animæ quies, nullúmque firmum eſt ſperandum perfugium; ſola gitur ſacratiſſima Crux tua, ô Amor crucifixe! eſt nobis ſecuriſſima umbra, ſub qua tuti contra omnes adverſantium inſultus ſtamus, & dimicamus intrepidi.

Idcircò ad te, ô mitiſſime JESU! in arbore Crucis pro me & univerſo mundo diriſſimis ſuffixe clavis me penitùs converto; ad te, tanquam ad Patrem meum amantiſſimum, revertor filius prodigus, ſervus inutiſis, & peccatorum miſerrimus; Te, inquam, tuámque Sanctiſſimam Crucem, per quam redemiſti mundum, humiliter adoro, & ambobus amplector brachiis,
Pſal. 56. 2. cum Regio Pſalte demiſſiſſimo decantans animo: *Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* O gratiſſima umbra! ô quies deſiderata, poſſe cum dilectiſſima illa Sponſa

ſub

sub umbra Crucifixi JESU & sanguinum Sponsi commorari, illiúsque dulcissimos passionis participare fructus: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo &c.* Cant. 2. 3.

Accipe igitur, ô benignissime JESU! ô Amor crucifixe! hunc meum qualem qualem laborem, ac tenuissimum hoc Opusculum meum, imò totum ex asse tuum. Et sicut olim abjectum quoque passerculum dono tibi oblatum non recusasti; nec duo vilissima minuta ab indigentissima Vidua in templo Solimæo præsentata aspernatus es; imò nec vilissimos caprarum pilos in lege veteri tibi oblatos à tua benignissima facie rejecisti: sic quoque hoc minimum donum, & laborem meum, ob tui Sanctissimi Nominis gloriam & proximi salutem hactenùs impensum non respuas, obsecro; sed potiùs hoc modicum sinapis granum ita crescere sinas, ut in cordibus audientium, ac legentium optatos animæ fructus in tempore ferat, & in æternitate. Ita animitùs peroptat, & impensissimè precatur, in terra coram te humiliter prostratus, servorum tuorum minimus, ac peccatorum maximus

Levit. 14. 4

Luc. 21. 2.

Exod. 25. 4

Matth. 13. 31.

Indignissimus Auctor

ANTONIUS GINTER,

Decanus & Parochus ad SS. Crucem in Biberbach.

Censura Ordinarii.

CUm mentis elucubrationes etiam plurrimum auctoritatis sumant ab ipsomet Auctore, hinc in præsenti opere considerationum moralium in Dominicas & Festa totius Anni dispositio nec ullum dubium occurrit mihi infrà scripto, quin eæ tam ratione fidei inculpatæ, quâm morum integerrimorum, inoffenso pede decurri possint, ac ad laudem operis & commendationem præli satis sit, quòd eas notissimus inter omnes Diœcesis nostræ operarios, plurimùm Reverendus, Nob ac perdoctus Dominus ANTONIUS GINTHER, SS. Theol. Licent. Parochus & Decanus ad S. Crucem in Biberbach, zelo pietatis, & scientiæ laude nulli secundus, composuerit. Augustæ Vindelicorum 19. Julii 1717.

Imprimatur H. S.
Ex Vicariatu Augustæ die
19. Julii 1717.
Joannes Jacobus
Episcopus Pergamensis,
Suffraganeus, Vic. Gener. mppr.

Jo. Mich. Sembler,
SS. Theol. D. C. C. Librorum Censor.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Ecce, venio tertiò ad te, Lector amice; Præsentavi tibi non abs longè Tractatum de SS. Corde JESU, alterum de Dolorosa Matre ejus, & nunc tibi tertium offero, hoc est: *Currum Israël & Aurigam ejus.* Currum Israël dico, quia currus vehit, & Auriga regit; utrumque habes in præsenti Opusculo, qui te regit, & qui te vehit cum Elia in cœlum, si salutaria illa monita, quæ hic liber continet, observaveris. Si meditari lubet, ecce materiam de Via Purgativa, Illuminativa & Unitiva copiosissimam. Si concionari oportet, en Conceptus rarissimos ac plurimos ex ipso Sacræ Scripturæ fonte hausios, & in plures annos subministratos; poteris enim ex qualibet Consideratione facili conatu tres, vel quatuor formare Conciones. Quod concernit modum & stylum, planus is est & facilis, & propriè ex Scripturæ thesauro petitus. Et quid, obsecro, melius ad movendos hominum animos quàm Sacra Scriptura, si bene applicatur, & cum auctoritate SS. Patrum explanatur? Quærant ergo alii quæ sua sunt, quæramus nos, Lector amice, quæ sunt JESU Christi, & quomodo vocationi nostræ congruè respondeamus: *Ne fortè,* prout monet Apostolus, *cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (1. Cor. 9. 27.) Vive Deo, Tibi & proximo, & dum aliorum saluti vacas, vide, ut tuam non negligas. Vale.

Historia præmittitur de antiquissima & Thaumaturgâ Imagine Salvatoris nostri Crucifixi, in Biberbach, ex cujus occasione huic libro præfixus est titulus:

Currus Israël & Auriga ejus.

BIberbachium celebris quædam Dynastia est, sub ditione Illustrissimorum & Excellentissimorum S. R. I. Comitum D. D. Fuggerorum sita, quæ Augustam Vindelicorum inter, & civitatem Donavverdam in finibus Sueviæ non procul à Lyco flumine, tanquam pars media interjacet, continens sub se insigne quoddam castellum, Illustrissimi Dynastæ sedem, & sex pagos circumjacentes. Olim hic locus ob bonam aëris temperiem subinde Regum, subinde Principum in æstate sedes extitit. Ita præter alios Exegesi rerum Sueco-Augustanarum affirmante, quòd ipsa Sereniſſima Sueciæ Regina anno post reparatam à Christo Orbis melioris salutem 1632. in autumno hîc loci cum numerosa aula sedem suam fixerit. Placet hîc propria ejusdem Exegeseos verba in medium afferre: *Ipsa*, inquit, *Reginæ muliebri curiositate mota, Regem ex Suecia in Germaniam & Sueviam usque secuta fuit. Venit illa Biberbachium usque ad arcem Fuggaricæ Familiæ nobilissimam, duabus circiter leucis Augustâ distantem, quam si fortuna constans mansisset, Regina sibi sedem legerat. Exspectabatur Augustæ cum magao civium desiderio & apparatu sed Rege vetante, nescio quo consilio, Augustam nnnquam pervenit. Ducebat secum animi gratiâ simiam Capucini habitu vestitam. Regem in Franconiam, quo eum fata ducebant, iterum moventem secuta fuit; mortuum vidit, & in Sueciam rediens, cladis ejus nuntia & testis esse potuit.*

Exegesis Rerum Sueco-Augustanarum apud me fol. 26.

Hactenùs ex dicta Exegesi Augustana. Ex quibus facilè rerum consideranti patet, qualis jam illo temporum intervallo hîc loci rerum facies fuerit. Ab hoc verò tempore hæc toparchia Biberbacensis ob SS. antiquissimam & thaumaturgam Crucifixi Effigiem, ac celeberrimam in Diœcesi Augustana Peregrinationem, ad quam ex omni Germaniæ parte fideles Christi confluunt, longè sereniorem faciem induit, cujus Relationis historicæ Synopsin hîc paucis accipe.

§. I. Thau-

Relatio de SS. Crucifixo in Biberbach.

§. I.

Thaumaturga Imago SS. Crucifixi nunc Biberbacensis in tumultu bellico ex Wirtenbergia finibus per Aurigam in curru Biberbachium transfertur.

ANno post Christum natum 1525. teste Joanne Cochlæo, & passim aliis, Germania nostra omnium miseriarum, hæresium, rebellionum & bellorum theatrum extitit. Tunc enim temporis exortum est exitiosum illud & cruentissimum Rusticorum bellum, in quo ultra centum hominum millia miserè perierunt. Ibi nulla ampliùs vigebat pietas, religio neutra, aut nulla; unde passim templa & sacra oratoria erant profanata, monasteria eversa, leges conculcatæ, & sacræ imagines Christi & Sanctorum ejus aut igni cedebant in prædam, aut à sacrilegis Sectariorum manibus in frusta concidebantur, aut certè extra Ecclesiam, prout plures Novatorum fecerunt urbes & pagi, projiciebantur. Unum ex sexcentis in apricum proferamus exemplum, quod in historica Relatione de ortu & progressu hæresum in Germania, simplici quidem, sed fideli calamo exaratum invenimus, cujus tenor hîc prudenti lectori subjicitur: *Basilææ*, inquit libri illius Auctor, *magnum lignum Crucifixi fuit, ubi Oppidani ejusdem urbis ascenderunt, & imaginem Salvatoris nostri de ligno Crucis deposuerunt, & exinde lictorem vocaverunt, qui jussu illorum imaginem Salvatoris ad caudam equi innectat, & sic confusibiliter, quemadmodum Latronem extra urbem eduxit in quadragesima &c.* Taceo hîc consulto plurium aliorum locorum iconoclastias, ubi novi Sectarii, hortatore maximè & promotore Carolostadio, in sacras Crucifixi, Sanctorúmque imagines debacchati sunt.

Joh. Cochlæus apud me fol. 220.

Hist. de Ortu & Progressu hæres. fol. 54.

In hac ergo calamitosa & rerum & temporum facie aderat quidam (uti per fidelem relationem, etiam juramento & testimonio majorum confirmatam habemus) pius quidam & Catholicus Auriga, qui veniens in Wirtembergiam, vini comparandi causâ, in illius finibus hanc devotam, antiquissimam & Thaumaturgam Crucifixi effigiem ab iconomastygis extra templum eliminatam, & asseri affixam, atque grosso fune circa tempora loco coronæ spineæ ligatam & cinctam invenit, quam plaustro suo vinario imposuit, & ut potuit, sub velo candido desuper in curru prægrandi extenso occultavit; sicque feliciter Biberbachium usque penetravit, ubi divinæ Bonitati placuit in hac rejecta, eliminata & conculcata Unigeniti ac Crucifixi Filii sui statua sedem figere, & antiqua brachii sui operari miracula; nam quod olim cum Arca DEI contigit dum à Philistinorum satrapis currui imposita in terra Israël ultrò in agro Josue Bethsamitæ cum vaccis eam trahentibus stetit: *Et plaustrum*

Ex Relatione Germanica An. 1683. typis impressa, & approbata.

1. Reg. 6. 14.

ſtrum venit in agrum Joſuæ Bethſamitæ, & ſtetit ibi &c. Cui interim pro lemmate inſcribimus: *Immota in motu.* Hoc ferè idem cum hac noſtra myſtica Arca, hoc eſt: cum SS. antiquiſſima & miraculoſa Crucifixi imagine nunc Biberbacenſi accidit, dum in publica via in agro Fugarico (nunc Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi D. D. Joſephi Mariæ Fugger, S. R. I. Comitis de Kirchberg & Weiſſenhorn, Domini in Waſſerburg, Wöllenburg, Biberbach, Welden, Gablingen, & Rheinhartshauſen, Hypothecarii in Wald, &c. propè Eccleſiam Parochialem S. Jacobi Ap. Majoris ultrò cum equis tam diu ſtetit immobilis, donec hoc ſacrum pignus de plauſtro vinario depoſitum prædictæ Eccleſiæ Biberbacenſi inferretur; ubi in columna in medio ſacræ domûs affixa, & in eodem aſſere, in quo reperta & huc transvecta eſt, publicæ fidelium venerationi expoſita eſt, jam tunc multis beneficiis & prodigiis illuſtris.

§ II.

Thaumaturga Imago SS. Crucifixi Biberbacenſis à Suecis militibus capitur, diripitur, proculcatur, & de novo extra Eccleſiam projicitur.

DE Arca DEI recenſent ulteriùs Regum libri, quòd in bello ab Iſraëlitis infeliciter geſto, à Philiſthæis hoſtibus infenſiſſimis capta, & in Azotum ab illis aſportata fuerit: Et *Arca Dei capta eſt;* cui pro lemmate affigimus: *Captam non capiunt.* Et ita factum eſt, dum dicti Philiſtæi mox propter hanc Arcam graviſſimè à DEO fuerunt caſtigati: *Aggravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos*: Captam non capiunt. 1. Reg. 4. 11.

Anno à partu Virgineo 1632. Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex advocatus à Sectariis Germaniam intrat, & inter plures alias urbes Donavverdam expugnat ac diripit, indè que ad Lycum cum univerſo properat exercitu, & deditione Auguſtam Vindelicorum recipit. Interim Regina Suecorum Biberbachii adventat, & ſedem ſuam in eadem arce Fuggarica collocat. Sed mox illius Aulicis, Officialibus ac militibus, præſertim verò regio Præconi lapis offenſionis, & petra ſcandali fuit memorata antiquiſſima & miraculoſa Crucifixi imago multis diadematibus, cereis, aliisque fidelium donis votivis circumcincta, quam ſine mora velut idolum quoddam (ita hanc SS. Crucifixi iconem ſex pedibus & dimidio longam vocabant) de columna, ad quam in medio templo pendebat, deturbarunt, & extra ſacras ædes magno cum riſu, cachinnis & blaſphemiis in agrum, velut aliquem Priapum, ut avibus terrorem incuteret, eduxerunt, utroque Crucifixi brachio & omnibus illius digitis decuſſatis, ac ſiniſtro pede à reliquo corpore diſſoluto.

Hæc inter R. D. Udalricus Zuſemſchneider digniſſimus Biberbacenſium Parochus, qui non Mercenarii, ſed fideliſſimi Paſtoris poſt ſe reliqui

quit exemplum, sub tectum Ecclesiæ in obscurissimum angulum cum aliquot suorum parochianorum se recepit, in obscuris illis latebris calamitati suæ quærens remedium, sed à vertagis proditus, & à Suecis captus, varieque vexatus, tandem petulantis equi caudæ alligatus est, à quo per mediam horam miserrimè super terram raptatus propè sacellum B. V. Mariæ in Eggelhoven, ubi nunc tres cruces sunt erectæ, in odium orthodoxæ fidei à Suecis militibus sclopetorum glandibus occisus est, cæteris parochianis, percusso hoc suo Pastore, aut fugâ dilapsis, aut hausto Suecico, ut vocant, usque ad necem vexatis, aut omnino in arbore & proximo stipite suspensis.

Recordor hîc illius vaticinii Davidici, dum Rex ille superiore illustratus Spiritu Christum patientem & Crucifixum noctuæ assimilare non dubitavit: *Factus sum sicut nocticorax in domicilio.* Et quare hoc? Observa: Ps. 101. 37. sicut noctua vel nocticorax sedens in aliqua oblonga pertica à cæteris avibus illudi, vellicari, & rostro pungi ac deplumari assolet, quæ tamen garrulæ volucres sibi potiùs ipsis quàm noctuæ illudunt, dum interim ab aucupe capiuntur visco, unde lemma Aresii: Illudit illudentes.

Ita quoque sacrilegi illi iconomastigæ, ubi diu huic antiquissimo Crucifixo insultârunt, ac demum illum in fimum projecerunt, temeritatis suæ pœnas dederunt, dum paulo post de nocte intempesta Croatæ, gens ad bellum nata, Lycum trajicientes, Biberbachium venerunt, qui in quatuor pagi angulis ubi media nocte silentium tenebant omnia, quatuor tubicines, quasi Hannibal ad portas staret, ad terrorem Suecorum collocârunt, ad quorum tremendum & insperatum sonitum Sueci de somno excitati, dum vix caligis & indusiis induti fugam tremuli arripiunt, à Croatis capti, funibus ligati, pars gladio membratim secti, pars in proximis arboribus suspensi, sacrilegæ impietatis suæ justissimas solverunt pœnas. *Ita nimirum* Eccl. 5. 5. *Altissimus est patiens redditor; & sicut feci*, dicebat quondam impius Adonibezec, cùm ipsi summitates manuum ac pedum justo DEI judiciô Judic. 1. 7. imputarentur, *ita reddidit mihi DEUS.* O miseri mortales! Nolite er- Gal. 6. 7. rare? *Deus non irridetur:* honor enim, aut vituperium imaginis non in lignum aut materiam, sed in ipsum suum resultat prototypum.

§. III.

Effigies Christi Crucifixi Biberbacensis sub tectum parochialis Ecclesiæ à Parochianis rejicitur, & occultatur, donec suo tempore fulmine manifestetur.

DE Arca Domini occurrit ulteriùs, quòd in bello & captivitate Babylonica à Jeremia Propheta in monte Nebo in aliqua spelunca abscondita fuerit, ne de novo in discrimen hostiúmque manus veniret:

2.Mach. 2. 5. *Et veniens ibi Jeremias invenit locum spelunca & tabernaculum & arcam & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit.*

Non absimili modo hæc sacra miraculosi Crucifixi arca à parochianis Biberbacensibus abscondita fuit, qui de noctè è nemoribus in quibus hactenus durante hoc bello Suecico ob timorem militum sese occultaverant, prorepentes, illam prodigiosam Salvatoris statuam cum decussatis membris repertam sub obscurum Ecclesiæ tectum traxerunt, ubi in angulo aranearum telis obducto ab anno 1632. usque ad annum 1655. ab omnibus deserta delituit. Sic scilicet *translata est gloria ab Israël, eò quod capta esset arca DEI &c.*

1. Reg. 4. 11.

Hic iterum adimpleta fuit Regii Vatis prophetia, qui pretiosissimum Redemptorem nostrum in cruce suffixum solitario passeri in tecto commoranti assimilavit: *Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto,* cui lemma adjicimus: *Solus in solitudine.* Passer, ait le Blanc, avis est contemptibilis & penè odiosa, vocem querulam & gemitum habens, ac ferè continuò in recto clamans &c. Talis passer solitarius & Christus crucifixus in hac sua statua in tecto & sub tecto Ecclesiæ Biberbacensis extitit, verè contemptibilis, neglectus & penè odiosus, sed tandem valido clamore suo, ac trino in Ecclesiam immisso fulmine (prout mox dicetur) negligentiores parochianos & non paucos in peccatis immersos ad seriam excitavit pœnitentiam.

Ps. 101. 8.

Ita est: Severè quondam justissimus DEUS incautos Bethsamitas ob contemptam arcam suam castigavit: *Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis; luxitque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plagâ magnâ.* Causam hujus percussionis assignant SS. Patres, quòd Bethsamitæ arcam Domini ex Philistæa redeuntem, velamentis coopertam nudaverint, & irreverenter aspexerint. Tanta nimirum fuit arcæ religio, quia quasi sedes & solium ipsius Dei æstimabatur. Nec minori pœnâ Oza affectus est, qui cùm præsumptuosè & sine ulla reverentia arcam DEI tetigisset, in eodem loco pœna mortis à divina Nemesi mulctatus est: *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam; & percussit eum super temeritate, qui mortuus est juxta arcam DEI.* Unde lemma: *Noli me tangere. Amice lector!* Hactenus Thaumaturgam S. Crucifixi Biberbacensis effigiem arcæ fœderis comparavimus, ita S. Damianus S. Crucem appellat: *Arcam, per quam à vitiis liberabimur &c.* Quod ergo illic in figura, hìc in figurato accidit. Cùm enim recentiores Parochiani Biberbacenses, finito bello Suecico, præteriti eventûs aut obliti, aut ignari idem antiquissimum & devotissimum Christi Crucifixi simulacrum pluribus annis, sub memorato tecto ignominiosè sinerent delitescere, & successu temporis pueri petulantiores sub tectum Ecclesiæ ascendentes, eundem miraculosum Crucifixum, velut equum Trojanum adhiberent, in quo

1. Reg. 6. 19.

2. Reg. 6. 7.

S. Damian. Opusc. 60.

equi-

equitare, variasque cum eo lusus solebant instituere; placuit tandem divinæ potentiæ circa Festum S. Jacobi Ap. Majoris, primarii hujus Ecclesiæ Patroni horrendum de cœlo fulmen in prætactam sacram domum unâ & alterâ vice immittere, quod tamen fulmen sine gravi Ecclesiæ nocumento mox in auras dilapsum est. Nimirum monstrare hîc se voluit S. Jacobus Ap. & Zebedæi filius, quòd non frustra hoc nomen *Boanerges, quod est filius tonitrui*, à Christo Domino acceperit &c. Marc. 3. 17.

Nec minore terrore S. Laurentius Martyr & hujus Ecclesiæ Biberbacensis Patronus secundarius in negligentes Parochianos animadvertit, qui anno Christi 1655. in natali sibi sacro tempore Vesperarum de novo ignem de cœlo, & ardentes carbones suos vehementiùs succendit, fulmènque horrificum in turrim, combustis ibidem ac confractis aliquibus ligneis trabibus, & post hæc in Ecclesiam injecit, tribus à mortifero illo fulmine exanimatis personis. Hîc adimpletum fuit illud Vatis Regii: *Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Ps. 17. 14. 15.

§. IV.

Crucifixus Thaumaturgus Biberbacensis in obscuro tecti angulo quæritur invenitur, & de novo in Ecclesia Parochiali fidelium veneration exponitur.

ÆTernæ Veritatis effatum est, quòd nemo lucernam accendere, eámque sub obscuro modio collocare soleat, sed potiùs ejusmodi accensam lucernam super candelabrum ponit, ut omnes, qui in domo sunt lumen videant, & ad illius splendorem laborent ac operentur: *Neque*, ait Veritas, *accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, &c.* Matth. 5. 15.

Per hanc lucernam Magnus Augustinus Christum JEsum, & hunc Crucifixum intelligit, qui priùs in privata vita sua quasi sub obscuro modio absconditus fuit; at postquam tandem crucem ascendit, publicè super candelabrum collocatus est, ut ibi pendens etiam in mediis tenebris toti terrarum orbi, quasi lucerna lucidissima, licèt moribunda præluceret: *Dominus* inquit, *totus est mundus: lucernæ accensio Verbi est incarnatio, candelabrum autem crucis est lignum, lucerna in candelabro lucens Christus in cruce &c.* Unde lemma: *Non sub modio.* S. August. serm. 29. de diversis.

Quid hîc exspectas, optime Lector? En benignissimus Redemptor tuus in hac sacra & prodigiosa effigie sua à tempore belli Suecici usque ad nostra tempora, quasi sub obscuro modio absconditus latebat. Aft tandem ipse lucernam accendere voluit, dum trino fulmine Ecclesiam & turrim concussit, & iterato grandine hanc dynastiam Fuggaricam castigavit, donec à parochianis damno suo edoctis jussu Illustrissimi &

Excel-

Excellentissimi Dynastæ Maximiliani Fuggeri Senioris, tunc temporum intervallo Viennæ in Austria in Aula Cæsarea commorantis, de tecto fuerit deposita, & in tabulato ac summitate parietis Ecclesiæ Parochialis S. Jacobi & Laurentii ad latus dexterum versùs meridiem ad venerationem exposita, quam primò passeres aliæque aviculæ cantu suo salutârunt, & inviserunt, dum in concava dorsi illius parte sibi nidum invenerunt, in quo
Ps. 103. 4. pullos suos solebant fovere: *Et passer invenit sibi, ubi ponat pullos suos.*

Non suffecit quondam Moysi candelabrum aureum in tabernaculo in Australi parte erexisse, sed & illud cum lucernis suis in partem Borealem oppositam collocavit, ut mensam auream, in qua panes propositionis erant,
Num. 8. 1. undequaque suo illustraret fulgore: *Candelabrum in Australi parte erigatur. Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra Boream è regione respiciant ad mensam panum propositionis.* Cui candelabro aureo omnibus in mensa Domini lucem abundantissimam subministranti lemna adjicio: *Ut luceat omnibus.*

Christus crucifixus, prout diximus, lucerna ardens, & crux candelabrum
Theoph. Antioch. l. 1. Comment. in Evang. est. Ita Theophilus Patriarcha Antiochenus: *Candelabrum*, inquit, *Crux Christi est, quæ totum mundum fulgore sui luminis illustravit &c.* Diù hoc nostrum mysticum candelabrum, S. Crucifixus Biberbacensis, postquam de tecto repositus est in summo Ecclesiæ tabulato, hoc est: Ab anno 1655. usque ad annum Christi 1681. extra hominum conspectum pependit, sed demum divinæ Bonitati placuit, hoc candelabrum supra ipsam mensam Domini, in qua quotidie non panes propositionis, sed & ipse Panis vivus, qui de cœlo descendit, offertur, cum honore collocare.

In hunc finem ad honorem Crucifixi JEsu novum quoddam sacellum, & in eo recens altare erectum est, in quo anno 681. in festo S. Andreæ Ap. prima vice ad honorem Crucifixi Redemptoris nostri plura sacra fuerunt oblata, & cum tanto, quod mirabile est, rerum successu, ut sub idem tempus septuaginta personæ comparuerint, quæ sub juramento coram testibus ad hunc actum requisitis & præsentibus, fideliter deposuerunt, se per merita & fidem firmam in Christum JEsum & hunc Crucifixum à periculosis corporum rupturis, dolorosis calculis, arenis & lapidibus, morbisque gravissimis, sine adhibito alio medicamine humano, sanitati ex integro fuisse restitutas. Quæ res ubi ad Reverendissimum ac Celsissimum S. R. I. Principem ac Dominum, Dominum Joannem Christophorum Episcopum Augustanum &c. &c. delata fuit, sua Celsitudo clementissimè mandavit, ut legitimum & authenticum instrumentum hac de re conficeretur, & totus actus cum aliis exhibitis beneficiis legitimè cum testibus & juratò examinatis, à Reverendissimo Officio Augustano revideretur, & pro majori robore propria Reve-

ren-

rendissimi D. D. Vicarii sui Generalis manu confirmaretur, quod & factum, revisum & approbatum est.

Hæc & similia altè præfatum Reverendissimum ac Celsissimum S. R. I. Principem & Episcopum Augustanum permoverunt, ut ipse sæpiùs huc Biberbachium veniret, & Crucifixum Redemptorem suum in hac antiquissima & miraculosa statua devotissimè veneraretur, qui miram semper animi consulationem in contemplanda hujus S. Crucifixi facie, quia singularem spirat devotionem & amorem, haurire visus est. Unde etiam clementissimè ordinavit, ut desuper pretiosum Baldachinum, seu thronus principalis ex villosa purpura, aureis ornamentis intertextus, proprio ære conficeretur, sub quo incruentum DEO T. O M. sacrificium ipse sæpiùs hîc obtulit, & quòad vixit, devotionem & honorem S. Crucifixi & verbo, & exemplo in sua amplissima Diœcesi promovit. Illustrissimus verò & & Excellentissimus S. R. I. Comes, ac Dominus, Dominus Antonius Josephus Fuggerus, Comes in Kirchberg & Weissenhorn, Dominus in Wasserburg, Biberbach, Wöllenburg, Gablingen, Welden, Röttenbach, Gottenau, Reinhartshausen, Wald &c. S. C. M. Camerarius, non tantùm huic loco insignem S. Crucis Dominicæ particulam in igne quondam illæsam cum Monstrantia dono reliquit, sed & in honorem Crucifixi JEsu pretiosam arcam fieri curavit, & insuper hanc Ecclesiam candelabris argenteis, aliisque donis locupletavit. Atque hi duo fuerunt ille David & Obededom, *qui reduxerunt arcam DEI cum Benedictione.* 2. Reg. 6.

§. V.

S. Crucifixus miraculosus in Biberbach olim abjectus, nunc honoratus de die in diem majora miseris mortalibus exhibet beneficia.

RECtè Vates regius S. Crucem ligno fructifero juxta fluenta aquarum plantato comparavit: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs de cursus aquarum, quod fructum dabit suum in tempore suo.* Tale vitæ lignum est Crucifixus thaumaturgus Biberbacensis secundùm nomen & omen, dum juxta decursus aquarum plantatum in tempore oportuno dedit fructum suum, dum videlicet annis sequentibus, ubi honor illius augeri cœpit, miris tum spiritualibus tum corporalibus beneficiis incepit clarescere. Sic nimirum *DEus nos visitat, prout illum collimus;* quamdiù enim hic antiquissimus Crucifixus contemptus, neglectus & ignobilis permansit, nullum mortalibus miseris beneficium præstitit. Verùm cùm populus Christianus ad hanc salutis arcam copiosior confluere cœpit, & pientissimum Redemptorem suum in hac effigie sua majori cum devotione venerari, mirum dictu! quàm beneficum ac liberalem mi- Ps. 1. 3. S. Th. Aq. in hym. de S. Sacr.

tissimus Salvator ab hoc tempore in elargiendis beneficiis hîc se se exhibuit, & etiamnum exhibet.

Venerunt comprimis quamplurimi parvuli, & adhuc veniunt juxta Christi monitum: *Sinite parvulos venire ad me,* à parentibus & manu & curru ad hunc cœlestem Medicum adducti, ut in periculosis corporum rupturis, ramicibus, falcinationibus, aliísque necessitatibus optatam medelam invenîrent. Et ecce vix parentes votum suum ad pedes Crucifixi persolverunt: *Sanati sunt pueri in illa hora.* Dic in veritate adimpletum fuit illud Davidis: *Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem.*

Marc. 12. 14.

Matt. 8. 13.

Psal. 8. 3.

Venerunt, & adhuc veniunt juvenes & virgines, viri & mulieres ex omni Germaniæ parte ad hunc divinum Medicum confluentes, qui simili corporis onere, vel cæcitate, epilepsia, paralysi, surditate aurium, linquæ impedimento, aut aliis corporis laborabant infirmitatibus: & ecce dum vota sua Crucifixo Servatori suo solvebant, auxiliatricem Dei manum mirabiliter experti sunt: *Et Dominus sanavit eos.*

Ps. 106. 20.

Venerunt, & adhuc veniunt senes ac longævi ad hunc salutiferum gratiarum fontem, qui pluribus annis graviſſimis illuc rupturis, diuturnis calculis & arenis, aliísque intestinis cruciatibus, morbis, lepra, hydropysi, Philtris, incantationibus, & maleficiis subjecti erant; & ecce, dum per veram exomologesin mentem suam à peccatis exonerant, fidémque vivam in Crucifixum JEsum excitant, subitò *sanabantur à languoribus suis.*

Luc. 6. 18.

Venerunt quoque Nobiles, & dignaribus primariis, tum Ecclesiasticis, dum sæcularibus fulgentes, qui pluribus annis erant Enterocelici, vel intolerabilibus calculi doloribus subjecti, aut aliis intestinis vexati infirmitatibus &c. Et ecce, *virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

Luc. 6. 19.

Job. 5. 3.

Venit denique ad hanc salutiferam gratiarum piscinam *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.* Et ecce, Angelus ille magni Consilii, qui descendit de cœlo, ut salvum faceret genus humanum, dum movit hanc medentem & probaticam piscinam, infirmus, *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.*

Luc. 19. 40.

Et quid multis? *Et si homines tacuerint, lapides clamabunt,* dum templum recens ædificatum, & omnes parietes ejus pleni sunt votivis tabulis, diversis historiis ac beneficiis, inter quæ anathemata & multa ex argento elaborata in choro spectantur; quæ beneficia (NB. non vocamus miracula) adeò nunc hîc in genere tantùm perstringimus, quia illa jam paucis abhinc annis ex Superiorum permissu in idiomate Germanico legitimè examinata, censa & approbata in typo cum emblematis evulgavimus.

Et quid dubitas, amice Lector, de virtute hujus SS. & Thaumaturgi Crucifixi? An non olim unicus attactus fimbriæ vestimenti Christi mulier-

mulierculam à sanguinis fluxu, quo duodecim laborabat annis, uno sanavit momento: *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero?* An non sudaria & semicinctia S. Pauli quoscunque sanabant ægros, & ab obsessis malignos ejiciebant spititus: *Ita, ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur?* An non umbra S. Petri (& quid vilius?) quoscunque infirmos restituebat sanitati? An non pallium Eliæ aquas Jordanis bis divisit, & Prophetis viam siccam per undas stravit? *Tulitque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem; & transierunt ambo per siccum?* An non Moyses per virgam suam, tantorum prodigiorum operatricem, viam universo populo Israëlitico per mare rubrum in Palæstinam stravit, & eâdem virgâ aquas ex durissima petra sitienti populo produxit: *Percussit petram & fluxerunt aquæ?* An non Eliseus puero suo Giezi baculum suum commisit, quem super mortuum filium Sunamitidis poneret, & sic illum ad vitam revocaret: *Et pones baculum meum super faciem pueri &c.* An non denique ossa arida Elisei jam pridem defuncti alium mortuum in sepulchro per solum attactum ad vitam revocârunt: *Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisei, quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.*

Matth. 9. 21. Act. 19. 12. Act. 5. 12. 4. Reg. 4. 8. Exod. 14. 16. Psal. 77. 29. 4. Reg. 4. 29. 4. Reg. 13. 21.

Si hæc & tanta potuerunt efficere ossa arida Prophetæ, virga Moysis, baculus Elisei, pallium Eliæ, umbra Petri, sudaria Pauli, & fimbria vestimenti Christi &c. Quid, obsecro virtutis non habebit SS. Crux Christi JESU, proprio illius purpurata & sanctificata sanguine? De qua Ecclesia. *In qua salus mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum?* Igitur & tu, qui hæc legis, cum fiducia magna ad Christum JESUM, & hunc Crucifixum accede & experieris, si qua corporis aut animæ necessitate laboras, ab hoc Crucifixo Amore tuo in tempore auxilium oportunum; non enim impossibile est apud DEUM omne verbum, si tu verè es dispositus.

§. VI.

Quodnam Beneficium sit omnium maximum, quod Christus Crucifixus thaumaturgus Biberbachii operari dignatur.

MUlta quidem Christus olim in monte Golgothæo coram ingenti hominum multitudine pendens in cruce patravit miracula, e quibus sacri Scriptores aliqua enumerant: Quòd tenebræ factæ sint super terram, velum templi scissum, terra insolito motu concussa, petræ disruptæ, monimenta mortuorum aperta &c. Hæc & similia prodigia multa facta sunt in morte Christi. Sed quæres, quodnam inter tot ac tanta miracula sit omnium maximum?

R. S. Chryſoſtomus: *Quòd latronis mentem perverſam voluerit commutare*, & hunc jam fumantem inferni titionem per veram peccatorum confeſſionem ac contritionem ab interitu revocare, & ſalvare: *Majus*, inquit S. Auguſtinus, *opus eſt, ex impio juſtum facere, quàm creare cœlum & terram*, & S. Gregorius Magnus: *Majus eſt miraculum peccatorem convertere, quàm carne mortuum ſuſcitare.*

S. Chryſoſt. hom. de latrone
S. Auguſt. tract. 32. in Joan.
S. Greg. l. 3. Mer. c. 17.

Nunc, ſi lubet, amice Lector! ad thaumaturgum noſtrum Crucifixum Biberbacenſem redeamus; de quo dico, quòd inter omnia beneficia, quæ hactenus Deus hîc miſeris & ægris mortalibus exhibuit, omnium ſummum, ac longè maximum ſit, quòd tot hominum millia ex unico pio ac devoto aſpectu hujus miraculoſi Crucifixi, ſingularem amorem & pietatem erga omnes ſpirantis, tam benignè, uti ſperamus, à peccatorum cœno ad meliorem frugem reduxerit, & ad ſe converterit, qui omnes & ſinguli unanimi ore & voce deprædicant, quàm benignum atque præſtabilem Deus & Homo Chriſtus & hic Crucifixus, in hoc Sancto templo ſuo ſe peccatoribus pœnitentiam verè agentibus exhibere ſoleat. Accedit, quòd peregrini hîc adventantes quotidie plenarias poſſint lucrari indulgentias; prout nuper Clemens XI. PontMax. novâ bullâ hanc gratiam confirmavit.

Habac. 1. 14.

Cæterùm videntur hîc mihi devoti Peregrini ſicut piſces maris: *Facies hominis quaſi piſces maris*, qui facili modo de nocte intempeſta ad accenſam in navi capiuntur lucernam, dum de latebris ſuis turmatim & coacervatim ad lumen exeuntes, piſcatoribus vigilantibus cedunt in prædam, unde lemma: *Veniunt ad lucem.* Lucerna, prout diximus, Chriſtus Crucifixus eſt, ad quam mundi lucem in candelabro crucis Biberbachii expoſitam, turmatim quoque homines in tenebris peccatorum & latebris, velut piſces maris latentes, confluere aſſolent, ut non tam lucem videant, quàm & gratiam ac miſericordiam à Deo conſequantur.

Sic ad Davidem quondam, cùm in ſpelunca Odolla moraretur, plurimi afflicti, & in auguſtiis conſtituti convenerunt, ut ab illo in ſuis miſeriis optatum ſolamen & opem reciperent oportunam: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtiâ conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum Princeps.* An genuinum typum Chriſti JEſu Crucifixi, ad quem afflicti & amaro corde, & qui ære alieno delictorum preſſi ſunt, coacervatim huc properant, ut ab hoc Filio Davidis, qui *benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ & præſtabilis ſuper malitia*, in amaritudine animæ ſuæ optatum ſolatium & debitorum obtineant remiſſionem.

1. Reg. 22. 2.
Joël. 2. 13.

O quàm multos vidimus in primo ingreſſu in hoc templum intra ſe ſuſpirantes, ac dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monimenti?* Et ecce, vix devoto & contrito animo hanc thaumaturgam Crucifixi

Marc. 16. 3.

Salva-

Salvatoris sui aspexerunt,& contemplati sunt effigiem, ubi mox in alios ac meliores commutati sunt, quibus accidit, quod Petro quondam in atrio summi Sacerdotis in simili rerè causa evenit: *Et conversus Dominus respexit Petrum,& egressus foras, flevit amarè*;unde lemma: *Ut aspexit,erexit.* Luc.22.61

In hunc finem ad excolendam hanc laboriosissimam vineam à Superioribus ordinati sunt sex Sacerdotes sæculares: *Homines, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri JEsu Christi,* & qui pro gloria & exaltatione Crucifixi JEsu, ac salute animarum promovenda nulli parcunt labori, qui Venerandi Domini Petrini â Reverendissimo D.D.Ordinario omnes hac potestate donati sunt, ut pœnitentes etiam à reservatis possint casibus absolvere;ubi per anni spatium numerus confitentium & communicantiũ Peregrinorũ supra quinquaginta & plura hominum millia ordinariè solet excurrere. Actio.15. 26.

Ex quibus prudenti rerum æstimatori [*quia stultus non intelligit hæc*] facilè patet, quanto labore & studio hîc locorum in cura animarum administranda sit desudandum; quibus Venerandis D. D. Sacerdotibus & Crucifixi servis pro solatio dico, quod quondam S. Dionysius de animarum Curatoribus enuntiavit: *Omnium divinarum divinissima extat perfectio, Dei cooperatores esse in salute animarum ad suum Creatorem,* eundem enim finem & scopum talis Sacerdos pius, doctus ac zelosus cum Unigenito Dei Filio habet, qui non ob aliam causam in mundum venit, quàm *quærere, & salvum facere, quod perierat.* Audi pro solatio S. Joannem Climacum: *Nullum,* inquit, *Deo munus à nobis gratius offerri potest, atque cùm animas illi ad pœnitentiam deductas consecramus: non enim est tanti totus mundus, quàm pretium unius animæ, ille transit, hæc immortalis est & æterna.* Ps. 91. 7. S Dionys. de Cœl. Hierarchia. Luc. 19.10 S. Joan. Clim. ep. ad Pastores; circa finem.

§. VII.

Ad honorem Crucifixi Redemptoris nostri Biberbachii magnificum templum exstruitur.

DAvid Rex pro futura domo Dei ædificanda maximam & planè immensam auri vim præparavit, quam filio suo Salomoni, ut hanc Domum ædificaret,in morte reliquit: *Ecce ego*, ait,*in paupertate mea præparavi impensas domûs Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris verò & ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine &c.* Pretiosa hæc erat paupertas, quam Rex David filio suo Salomoni successori pro exstruendo templo Jerosolymitano reliquit, quæ omnia faciunt bis mille & quadringentos milliones aureorum, cui ingenti thesauro Salomon quoque de suo non minorem summam addidit; sic opus hoc feliciter cœptum, & intra septem annos ad optatum finem perductum est. 1. Par. 22.

Verùm quid dico de templo Biberbachii ad honorem ſummi Dei & Crucifixi JEſu præparando, dum hîc locorum ab initio, dum fundamentum erat locandum, vix aliqui floreni aderant? Quid igitur conſilii? Audi bone Vir, & admirare ſtupendam Dei providentiam. De apibus narrat *Cæſarius*, quòd ad honorem SS. Euchariſtiæ à fœmina in alveare projectæ, mirando quodam artificio elegans ſacellum cum oſtio, turri, tintinnabulis, feneſtris, cruce & altari ex cera conſtruxerint &c. En typum in erigenda Eccleſia SS. Crucifixi in Biberbach expletum; quod enim illic laborioſæ apes ad honorem Sacræ Euchariſtiæ fecerunt, hîc ad honorem Crucifixi Domini ſui devoti Peregrini & plerumque pauperes, ad hanc celeberrimam peregrinationem undique confluentes, explerunt, qui ære ſuo minuto cum paupercula illa Vidua in gazophylacium miſſo, majori ex parte hanc inſignem Eccleſiam quodammodò à fundamentis erexerunt.

Cæſar. lib. 9. cap. 8.

Marc. 12. 42.

Primum lapidem in hac Baſilica poſuit die 16. Maji anno Chriſti 1684. Ipſe Reverendiſſimus ac Celſiſſimus S. R. I. Princeps ac Dominus, Dominus Joannes Chriſtophorus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Auguſtanus, cum Reverendiſſimo & Sereniſſimo Coadjutore ſuo D. D. Alexandro Sigismundo, Comite Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Eliviæ & Montium Duce &c. &c. Et Illuſtriſſimus ac excellentiſſimus S. R. I. Comes, ac Dominus Dominus Antonius Joſephus Fuggerus, hujus loci Dominus ac Patronus temporalis, qui hunc pium conatum ſua liberalitate egregiè adjuvit. Supereſt modò, ut hanc myſticam noſtram arcam (SS. Crucifixum thaumaturgum) de humili ſacello in novum templum, & in Sanctum Sanctorum transferamus.

Cùm Salomon Rex ſapientiſſimus magnificentiſſimum templum ſuum compleſſet, & omnia neceſſaria ad ſolemniſſimam translationem Arcæ Fœderis præparâſſet, ut per manus Sacerdotum à Tabernaculo in monte Sion ædificato, in novum templum & in Sanctum Sanctorum cum ſolemni pompa transportaretur, ſic priùs eandem Dei Arcam jam in procinctu ſtantem allocutus eſt: *Nunc igitur conſurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ, &c.* Quo ſermone completo, Sacerdotes Domini Arcam læti in humeros ſuſceperunt, illámque de civitate David maximo cum jubilo & totius populi lætitia in Sanctum Sanctorum intulerunt, ubi tandem ſedem ſtabilem invenit, quæ priùs ſub pellibus, tentoriis & papillonibus in deſerto, in bello & in omni itinere populi Iſraëlitici habitare debuit, juxta quam & urna aurea cum Manna collocata eſt.

2. Par. 6. 41.

Ad te nunc me verto, pientiſſime JEſu, quem in hac devotiſſima & miraculoſa Imagine humiliter veneror & adoro: *Honor enim imaginis in ſuum refertur prototypon*; Ad te, inquam, me verto, ô Amor Crucifixe!

& iisdem te verbis alloquor, quibus olim Salomon Arcam ſuam affatus eſt: *Nunc igitur conſurge, Domine Deus, in requiem tuam, & tu arca fortitudinis tuæ &c.* Surge, inquam, mi Domine, de humili ſacello tuo & vili habitatione, hactenus cum Arca habitàſti in tentoriis & tabernaculis, imò ſub nudo cœlo, in agro, in horreo, in ſtabulo, in fimo, & denique ſub obſcuriſſimo tecto, ab heterodoxis illuſus, ab inconomaſtygis rejectus, è regione expulſus, proſcriptus, proculcatus, & vix non omninò contritus, à pueris immorigeris, ut olim Eliſæus: *Aſcende calve*, ſub tecto ludibrio habitus, & ab omnibus quadraginta annis, & quid ultra derelictus: Nunc, nunc tempus eſt, mi Domine Deus! qui alias abjecta & infirma mundi ſoles eligere, ut & tu aliquando in hac tua ſacra effigie ſuperiùs aſcendas: *Amice, aſcende ſuperiùs*, & quò magis hactenus in hac ſtatua tua per varios caſus humiliatus es, eò nunc majori tibi erit gloriæ præterita humilitatio, ut videat Orbis univerſus, quod Ezechiel Prophe-ta de SS. Cruce exaltanda vaticinatus eſt, hîc quoque Biberbachii ad literam & amuſſim eſſe adimpletum: *Quia ego Dominus exaltavi lignum aridum.*

4. Reg. 2. 23.

Luc. 14. 10.

Ezech. 17. 24.

Ita, ita, pie Lector! in veritate cum hoc humili ligno, hoc eſt, cum SS. & Miraculoſo Crucifixo factum eſt. Aſcendit tandem hæc Arca Domini Anno 1694. in feſto S. Andreæ Apoſtoli ab humili loco & ſacello ſuo in requiem ſuam, ubi à Sacerdotum corona cum jubilo ſpirituali & Eccleſiæ hymno: *Vexilla Regis prodeunt; Fulget crucis myſterium &c.* in Sanctum Sanctorum, hoc eſt: in principaliſſimum Eccleſiæ locum ſub cupulam in ſuperiori choro deauratam, & in hunc finem eleganter per varia Emblemata adornatam, translata eſt; ubi nunc ſub pretioſo throno ex villoſa purpura aureis ornamentis intertexto, in conſpectu totius populi reſidet, qui priùs ne quidem in abjecto angulo ſecuram ſedem ac quietem poterat invenire: *Sic nimirum honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare.* Et ſicut quondam juxta Arcam Fœderis Domini aurea urna cum Manna collocata fuit, ita ad hanc myſticam Arcam SS. Crucifixum thaumaturgum cœleſte Manna, id eſt: SS. Euchariſtia in aurea urna & in ſplendido tabernaculo, ut à populo Chriſtiano adoretur, repoſita eſt cum hac epigrapha: *Hîc Deum adora.*

Eſth. 6. 9.

§. VIII.

De Solemni Conſecratione Templi SS. Crucis in Biberbach, & de Translatione SS. Quinque Martyrum Romanorum, Valentini, Ludovici, Fortunati, Laureati & Candidæ V. & M.

POſtquàm Rex Salomon Arcam Fœderis Domini, prout dictum eſt, in Sanctum Sanctorum intulit, & altare æneum ædificavit, in quo pacifica & holocauſta Deo offerret, ad ipſam denique magnificentiſſimi templi

templi ſui inaugurationem deſcendit, quod plurimis mactatis & oblatis victimis Deo ſuo conſecravit, de qua dedicatione ita textus habet: *Mactavit igitur Rex Salamon hoſtias boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia, & dedicavit domum Dei Rex & univerſus populus.* Quis hic non miretur, quòd Rex ille ſapientiſſimus, juxta ac opulentiſſimus recens ædificatum templum ſuum non alio modo, quàm copioſo mundorum animalium ſanguine Deo ſupremo rerum omnium Domino voluerit eſſe dedicatum: Et quid tantus cruor ad hanc templi conſecrationem?

2. Par. 7. 5.

Reſpondet ad quæſtionem S Auguſtinus, quòd templum Salomonis figura fuerit veræ Eccleſiæ Dei, ſuper montem Sion, qui Chriſtus eſt, ædificatæ, quam Eccleſiam ſuam Deus non ſolùm per ſanguinem unigeniti Filii ſui, tanquam Agni immaculati, ſed & per copioſum SS. Martyrum cruorem voluit conſecrari.

S. Auguſt. ſerm. de dedicat.

Si parva licet componere magnis; Pari ferè modo & hæc Baſilica SS. Crucifixi in Biberbach Deo T. O. M. conſecrata & dedicata eſt, dum anno 1697. die verò 15. Septembris non duntaxat à Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. D. Euſtachio Egolpho Epiſcopo Dioclenſi, libero Barone à Weſternach, Reverendiſſimi ac Sereniſſimi Ducis & Epiſcopi Auguſtani in Pontificalibus Suffraganeo, & Cathed. Eccleſiæ Auguſtanæ ſummo Præpoſito &c. in præſentia Venerabilis Cleri & Capituli Weſtendorffenſis, ac populi numeroſiſſimi in honorem SS. Crucifixi JESUS conſecrata, ſed & pretioſo SS. Martyrum ſanguine irrigata & ſanctificata eſt, dum videlicet quinque corpora Sanctorum Chriſti Martyrum Valentini & Ludovici cum proprio nomine, item SS. Fortunati, Laureati & Candidæ V. ac Martyris cum proprio illorum ſanguine pro Chriſto quondam effuſo, & adhuc in præſentem diem rubicundo & congelato, cum aliis inſignibus viginti trium SS. Martyrum reliquiis ſolemni ritu & pompâ fuerunt illata, & in recens conſecratis marmoreis & deauratis altaribus (quorum picturas artificioſo penicillo elaboravit celeberrimus pictor D. Joannes Andreas Wolff Monacenſis) publicæ fidelium venerationi expoſita: quibus SS. Martyribus ipſe Rex Martyrum Chriſtus, & hic Crucifixus in principe altari ſub ſplendido pretioſo & throno præſidet cum inſcripto aureo titulo: Dominus regnavit à ligno.

Cæterum mihi videtur hîc Crucifixus Redemptor noſter, nunc poſt tam varios caſus in templo ſuo Biberbacenſi in throno purpureo exaltatus, ut quondam Rex Salomon in ſuo regio lectulo quieſcens, de quo Sponſa: *Ecce lectulum ſexaginta Salomonis fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi. &c.* Per lectulum Sponſi Divus Auguſtinus S. Crucem intelligit, in qua Chriſtus quieſcit, & regnat in terris:

Cant. 3. 7. S. Auguſt. in Pſ. 118.

Dicite

Dicitur in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno. Sic hunc Psalmum legunt 70. Interpretes, D. Augustinus, & cum eo ferè omnes SS. Patres, ubi perfidi Judæi has voculas: *A ligno*, nequissimè eraserunt. Per sexaginta fortes, qui hujus divini Salomonis purpureum crucis lectulum ambiunt, SS. Angelos, qui in hac Ecclesia Biberbacensi magno numero cum instrumentis passionis Dominicæ videntur, & cum scutis, in quibus diversa adumbrata sunt Emblemata, intellige; per cæteros verò fortissimos milites omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimos, prætactos SS. Martyres adumbramus, qui omnes in vestitu deaurato, gemmisque ornato, cum palmis in manibus eorum Regi Regum JEsu Christo, & huic Crucifixo, velut custodiæ regiæ inserviunt, & latus ejus stipant. Sic nimirum, qui olim socii erant passionum, hîc facti sunt & socii consolationum & honorum. Juvat hîc rursus audire S Augustinum ad propositum nostrum aptissimè loquentem: *Principaliter*, inquit, *gratias agamus Domino Deo nostro, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum; & ejus bonitatem totâ cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis, fidelium suorum visitavit animum, excitavit affectum, surrogavit auxilium, inspiravit nec dum volentibus, ut vellent; adjuvit bonæ voluntatis conatus, ut facerent: ac per hoc Deus, qui operatur in suis & velle & perficere pro bona voluntate, hæc omnia ipse fecit, ipse perfecit: & quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inania, fidelibus suis, quibus operantibus præbuit virtutis suæ favorem, tribuit dignam pro tanta operatione mercedem. Adhuc amplius agendæ sunt gratiæ Deo nostro; hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam Sanctorum Martyrum reliquiis amplius bonorari, &c.*

Joan. Pf. 95. 10.

Vide Tirinum & alios hîc.

S. Augusti. serm. 256. de Temp.

Hususque S. Augustinus, in omnibus ad nostrum propositum, qui si nunc temporum vixisset, nihil aptius unquam de Ecclesia Biberbacensi SS. Crucifixo sacrâ potuisset afferre in medium, & luculentius de illius ædificatione dare testimonium, utpote quæ propriè ab ipso Deo ex eleemosyna piorum fidelium cœpta, ædificata & perfecta est, unde meritò pro inscriptione illi debetur hæc Davidis: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Pf. 117. 23.

§. IX.

Ad honorem SS. Crucifixi miraculosi in Biberbach celebris Congregatio instituitur, quam Innocentius XI. Pontif. Max. perpetuis indulgentiarum thesauris condecoravit.

NOn immeritò in sacris litteris Christus JEsus & hic Crucifixus, fonti publico comparatur: *In illa die erit fons patens Domui David & habitantibus in Jerusalem.* Sicut enim fons non sibi, sed aliis fluit in commodum;

Zach. 13. 1.

modum: Sic & Crucifixus Dominus noſter, velut fons publicus, non ſibi, ſed toti orbi in bonum ex SS. Vulnerum canalibus ſaluberrimas gratiarum undas ſubminiſtrat, unde lemma: *Patet omnibus.*

Talis quoque fons publicus & patens omnibus eſt SS. Crucifixus Miraculoſus in Biberbach, cujus ſacra effigies, cùm ſanctiſſimo Domino noſtro divinâ providentiâ Papæ Innocentio XI. à ſervo quodam Crucifixi indigniſſimo ſummâ cum ſubmiſſione anno Chriſti 1685. menſe Aprili offerretur, non tantùm ſua Sanctitas hunc ſacrum Crucifixum ſpeciali privilegiato altari pro fidelibus in Chriſto defunctis feriâ 6. cujuslibet hebdomadis condecoravit, ſed & prænominata quinque SS. Martyrum corpora liberalitate verè paternâ & prorsùs inſigni ultro illi cum literis authenticis conceſſit, & inſuper Congregationem ſub titulo SS. Crucifixi inſtitui voluit, quam multis ac perpetuis indulgentiarum theſauris locupletavit. In quibus obtinendis gratiis Apoſtolicis prædictum Crucifixi indigniſſimum & inutilem ſervum ſingulariter in illa Aula Pontificia principali auctoritate ſua adjuvit altè præfatus Reverendiſſimus & Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Alexand. Sigismundus tunc Romæ præſens (Tit.) quem Deus T. O. M. in multos conſervet annos incolumem, & beatum eum faciat in terra & in cœlo, &c.

Eſt autem hæc Congregatio ſub titulo SS. Crucifixi Salvatoris noſtri in ſubſtantia non alia, quàm quæ ante annos non multos in Belgio, & hactenus in aliis Chriſtiani Orbis provinciis erecta, ac magno animarum cum fructu & ſpirituali emolumento inſtituta fuit, ubi pii ac devoti Viri inter ſe hoc inierunt pactum, quòd ad impetrandam felicem mortem & ſortem has inter ſe velint conſervare pacti conditiones.

Prima eſt, ut qui particeps eſſe deſiderat ſpiritualium gratiarum, quotidie ſemiquadranguli ſpatium, ſeu per octavam horæ partem aliquod punctum & myſterium de Chriſto patiente aut Crucifixo meditetur, quo peracto, Deum enixè roget: ut Confœderatorum nomina in ſuis vulneribus deſcripta legere, atque protegere dignetur; in quem finem poſt conſiderationem precatiunculam illam mox ſequentem ex S. Auguſtino ſubjungat: *Manus tuæ Domine fecerunt nos &c.*

Secunda conditio eſt, ut, quos commodè poteſt, ad hujus piiſſimi ac verè fraterni pacti ſocietatem invitet. Et præter has conditiones NB. nulla alia eſt neceſſaria. Nec requiritur expreſſa admiſſio, aut nominis inſcriptio, Pſ. 76. 11. ſufficit tua ſeria voluntas: VOLO. O amantiſſime Lector, quid moraris? quid dubitas? Dic cum Vate Regio: *Dixi, nunc cæpi*; & ſic eris particeps omnium bonorum Confœderatorum Chriſtum Crucifixum ſincerè amantium, colentium & pro poſſibili imitantium: *Hoc igitur fac, & vives.* Luc. 10. 28.

ORA

ORATIO PACTI
Ex S. Auguſtini Soliloquiis.

Manus tuæ, Domine, fecerunt nos: Manus, inquam, illæ, quæ affixæ clavis ſunt pro nobis: Opera manuum tuarum ne deſpicias: Vulnera manuum tuarum, precor, ut aſpicias. Ecce, in manibus tuis deſcripſiſti nos, Domine JESU, lege ipſam ſcripturam, & ſalva nos. O bone JESU exaudi nos. Intra vulnera tua abſconde nos: ne permittas nos unquam à te ſeparari. In hora mortis voca nos, ut cum Sanctis tuis miſericordias tuas in æternum cantare poſſimus. Amen.

SI verò laicus, & inaſſuetus, ut ejusmodi breves meditationes de Chriſti paſſione facias, loco hujus pacti Quinque Pater & Ave in honorem Quinque SS. Vulnerum Chriſti quotidie (ſi commodè fieri poteſt, aut ſaltem in hebdomade ſemel feriâ 6.) pro felici morte obtinendâ recita, & inſuper piam quandam Crucifixi Redemptoris tui imaginem, tanquam publicum ſpeculum, in quod de die tu ſubinde, & domeſtici tui inſpiciant, in loco honorato in ædibus tuis colloca, ut ſic Crucifixus ſemper ante oculos corporis & mentis tuæ ad amandum, colendum & imitandum verſetur. En ſic iterum particeps factus es omnium Confœderatorum Chriſtum Crucifixum timentium: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Pſ. 118. 63

Ad hanc ergo Confraternitatem, quisquis es, pie Lector, te humiliter & impensè invito, quæ dignitate & antiquitate cæteris omnibus longè præſtantior eſt, quia ab illa omnes reliquæ Congregationes, tanquam ab inexhauſto gratiarum & meritorum fonte ſuam originem trahunt, dum ab ipſo pientiſſimo JESU in Calvariæ monte fundata & proprio ſanguine ſubſcripta ac confirmata eſt, cum hac infallibili promiſſione, quam Redemptor tuus per os Iſaiæ Prophetæ edixit: *Nunquid obliviſci poteſt Mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui; ecce, in manibus meis deſcripſi te.* Iſa. 49. 15. Atramentum, quo nomen tuum in libro vitæ hujus SS. Confraternitatis Deus tuus & Homo Chriſtus conſignavit, divinus cruor, & calamus ferrei fuerunt clavi ac lancea, quibus te in ligno pendens Salvator in manibus ſuis, imò & in corde inſcripſit, ut ſemper ante oculos ſuos tui haberet memoriam.

Prima, quæ huic SS. Confraternitati ſub titulo Crucifixi JESU nomen dedit, doloroſiſſima Virgo & Mater fuit: *Stabat autem juxta crucem* Joan. 19.

18. Lignum amarum aquas amaras indulcorans cum lemmate: *A ligno dulcescit amarum.* Exod. 15. 26.

19. Virga Aaronis sicca & florens cum lemmate: *Germinans germinabit.* Num. 17. 7.

20. Moyses expansis & elevatis manibus victoriam obtinet cum lemmate: *Elevat, & dissipat.* Exod. 17. 8.

21. Botrus à duobus viris in vecte portatus cum lemmate: *Dulce pondus sustinet.* Num. 13. 24.

22. Petra à Moyse percussa, & abundantes submini strans aquas cum lemmate: *Dives in omnes.* Num. 20. 11.

23. Serpens æneus in palo exaltatus cum lemmate: *Aspicientes vivent.* Num. 21. 8

24. Scutum Josue in pertica exaltatum, cum lemmate: *In hoc gloria & victoria.* Josue 8. 26.

25. Funiculus coccineus Rahab de fenestra suspensus cum lemmate: *In c ccc una salus.* Josue 2. 21.

26. Samson leonem dilacerans cum lemmate: *Rugientem exanimat.* Jud. 14. 5.

27. Samson duas æreas portas de Gaza asportans in montem cum lemmate: *Infernum spoliat.* Judic. 16. 13.

28. Samson duas columnas super humeros in modum crucis portans cum lemmate: *Portantem portat.* Judic. 16. 29.

29. Samson inter duas columnas mortuus cum lemmate: *Moriendo triumphat.* Judic. 16. 30.

30. David Deo victimas pacificas in bello & tempore pestis offerens cum lemmate: *Hæc victima placat.* 2. Reg. 24. 25.

31. Mulier Sarepthana duo ligna colligens cum lemmate: *Afflictis spes unica rebus.* 3. Reg. 17. 10.

32. Elias sub junipero quiescens securè, cum lemmate: *Hæc mihi sola quies.* 3. Reg. 19. 4.

33. Job toto corpore percussus ulcere pessimo cum lemmate: *Saucias & sanat.* Job. 16. 15.

34. Viator Jerichuntinus, cui Samaritanus vino & oleo medetur cum lemmate: *Vulnus vulnere curat.* Luc. 10. 34.

35. Arbor Danielis diversa sub umbra sua protegens animalia cum lemmate: *Non est hac tutior umbra.* Dan. 4. 7.

36. Ezechias ægrotans, & in solario Achaz solem ad gradum X. retrogredientem spectans cum lemmate. *In hoc signo salus & vita.* 4. Reg. 20. 11.

37. Jonas in mare missus, ne alii perirent cum lemmate: *Peream, dum vivant.* Jonæ 1. 14.

38. Fons Zachariæ patens omnibus cum lemmate: *Satis omnibus unus.* Zach. 13. 1.

39. Arca fœderis ab Oza temerè attacta cum lemmate: *Ne tange, peribis.* 2. Reg. 6. 7.

40. Cervus cæteris junioribus in undis prænatans cum lemmate: *In exemplum.* Joan. 13. 15.

41. Pelicanus enectos pullos suo proprio sanguine vivificans cum lemmate: *Ut vitam habeant.* Joan. 10. 10.

42. Gallina pullos suos sub alis fovens, & à milvo protegens cum lemmate: *Fovet, atque tuetur.* Matth. 23. 37.

43. Aquila cæteris per aëra prævolans cum lemmate: *Provocat ad volandum.* Deut. 32. 11.

44. Elephas, cui botrus expressus exhibetur cum lemmate: *Sanguis robur adauget.* 2. Mach. 6. 34.

45. Palma gravi molari depressa, & resurgens cum lemmate: *Inclinata resurgo.* Psal. 91. 13.

46. Sol altissimus in meridie ad se trahens atomos cum lemmate: *Exaltatus trabam.* Joan. 12. 32.

47. Piscina probatica quinque habens porticus, &c. cum lemmate: *Omnibus una salus.* Joan. 5. 2.

48. Oves arietem per aquas sequentes cum lemmate: *Mens omnibus una sequendi.* Joan. 10. 4.

49. Malus granata arbor cum apertis quinque pomis & lemmate: *Sub arbore malo suscitavi te.* Cant. 8. 5.

50. Solarium extra templum, in quo pictus est Christus Crucifixus splendore circumdatus, de cujus corde proëminet cuspis ferrea, monstrans diei horas cum lemmate Ecclesiæ: *Fulget crucis mysterium.* Ita est: Fulget mysterium; quia *hoc signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Quid ergo consilii? Nunc maturè fuge ad crucem, ut tandem possis venire ad lucem.

PARÆ-

PARÆNESIS
Ad
Christianum Lectorem, SS. Scripturæ & piorum librorum cultorem.

Scrutamini Scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Joan. 5. 39.

I.

NIhil in hac terra Unigenitus DEI Filius & homo Christus aut egit, aut passus est, quod prius in veteri testamento per umbras figurarum, aut vaticinia Prophetarum non voluit præsignari, ubi rerum ponderanti mira sanè, ac stupenda utriusque testamenti patebit concordia, dum utrumque de Christo agit, & luculentum de illo perhibet testimonium, illud quidem de Christo VELATO, hoc autem de REVELATO; unde S. Petrus: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Quam Scripturarum veritatem ac concordiam & ipse melioris Orbis Reparator Christus in prima sua concione, quam Nazarethi in patria sua concivibus in Synagoga habuit, miro ardore proposuit, dum publicè ab eis Sacram Scripturam petiit: *Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: Propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde; prædicare captivis remissionem, & cæcis risum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum; Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.*

Act. 10. 43.
Luc. 4. 17.
Isa. 61. 1.

Hoc & mitissimus Dominus Discipulis, in villam Emaunthicam secum ambulantibus, insinuavit, & quia Scripturæ testimoniis de Christo præsagientibus non plenâ fide credideranr, eos duriùs etiam ad doctrinam nostram increpare statuit: *O stulti, & tardo corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Quod & in alio loco Judæis incredulis & discobolis ostendit: *Scrutamini Scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Quibus verbis Æterna Veritas sine dubio nos

Luc. 24. 25.
Joan. 5. 39.

ad

ad sedulam SS. Scripturæ lectionem, ejusdémque prædicationem adhortari voluit, lucerna enim est illa ardens, quæ non sub modio, sed super candelabrum collocata universæ præfulgere debet Ecclesiæ: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Matth. 5. 33.

2. Olim ante tabernaculi fores expositum erat lucidissimum quoddam speculum, in quo Sacerdotes ingredientes non tam maculas suas coram intueri, quàm & emendare poterant: *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis.* Exod. 38. 8. Speculum hoc nulli fallax sacra Scriptura est, ita D. Gregorius Magnus: *Scriptura sacra,* inquit, *mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna facies nostra in ipsa videatur, ibi fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus.* S. Greg. lib. 2. Mor. c. 1. In hoc pellucidum speculum cùm S. Augustinus, tum temporis adhuc Manichæus, vel semel oculos conjecit, & casu, in illa Apostoli verba incidit: *Non in commessationibus & ebrietatibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum JESUM Christum &c.* Rom. 13. 13. repentè à vitiis, hæresi & cœno carnis extractus, ac in virum optimum juxta ac sanctissimum mutatus est. Tantum potuit unica sacræ Scripturæ sententia bene animo considerata.

Hæc sacra Scriptura est turris illa David, quæ ex insuperabilibus propugnaculis supra firmam petram est ædificata: *Et mille clypei pendent ex ea,* Cant. 4. 4. quibus scutis Ecclesia Dei contra omnes suos hostes, puta Gentiles, Paganos, Hæreticos & omnis generis Sectarios sese pro omni tempore defendit. Imò & ipse Dominus, ait Justus Episcopus in Cantica, cùm in deserto tentaretur, ex hac turri arma produxit, cùm diabolum prolatis ex sacra Scriptura testimoniis usquequaque devicit: *Scriptum est: non tentabis Dominum DEUM tuum &c.* Matth. 4. 7.

Hæc sacra Scriptura est thesaurus ille absconditus in agro Ecclesiæ, pro quo omnia sunt exponenda; unde SS. Martyres in primitiva Ecclesia potiùs vitam, sanguinémque voluerunt exponere, quàm ut SS. Scripturam gentibus ad comburendum traderent, ita attestante Romano Martyrologio secundo die anuarii: *Romæ,* inquit, *commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo Sacri Codices tradi jubebantur, potiùs corpora carnificibus, quàm sancta dare canibus maluerunt.* Unde etiam in Ecclesia primitiva hic sanctissimus Codex statim juxta latus SS. Eucharistiæ asservabatur, ad demonstrandum, quanto in honore divinus ille liber à Christianis haberi debeat. Matth. 13. 44. Martyro. Rom. 2. Jan.

3. Hæc S. Scriptura est epistola digito Dei ad nos exarata, de qua cùm Aod Regi Eglon mentionem fecisset: *Verbum Dei habeo ad te:* mox hic, licèt impius & crudelis tyrannus de throno suo venerabundus surrexit, ut condignâ reverentiâ & honore hoc verbum Domini exc pe-

S. Gregor. lib. 4. ep. 84. ad Theodor.

ret; audi rurſus S. Gregorium Magnum: *Imperator cæli*, ait; *Dominus Angelorum & hominum pro vita tua tibi epiſtolas ſuas transmittit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid enim eſt Sacra Scriptura, niſi quædam epiſtola omnipotentis* DEI *ad ſuam creaturam?*

Hæc inſuper Sacra Scriptura quid aliud eſt, quam pharmacopolium abundans diverſis & optimis medicamentis, ac alexipharmacis pro quibusvis animæ morbis ac vulneribus curandis? Fons eſt, ex quo omnia cætera, & SS. Patrum volumina, ceu rivuli ſuam traxerunt originem. Aurifodina eſt pretioſiſſima pluribúsque auri venis inſtructa, ex quibus puriſſimum perfectionis Chriſtianæ aurum eruitur. Armamentarium denique eſt, in quo *omnis amatura fortium.* Juvat hîc audire S. Joannem Chryſoſtomum: *Magna*, inquit, *adversùs peccatum munitio eſt Scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, eo res vitam corruptam invexit, hoc ſurſum, deorſum miſcuit omnia: Omnium ſanè medicinarum theſaurus divinæ Scripturæ ſunt.* O quàm benè hîc S. Chryſoſtomus! rem, ut opinior, acu tetigit. Loquatur, ut mittam alias orbis provincias ac regiones, ſolùm noſtra inclyta Germania, quare in tot, ac tam diverſas abierit ſectas, & è gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ prioribus infauſtis duobus ſæculis magna ex parte ſeſe ſubtraxerit? Si prædicto S. Chryſoſtomo & propriæ credimus experientiæ, non alia hujus ac tanti præcipitii cauſa fuit, quàm *Scripturarum ignoratio: ea res vitam corruptam invexit, hoc ſurſum, deorum miſcuit omnia.* Hinc factum eſt, prout olim incuriis Iſraëlitis accidit: *Ut, cùm veniſſent dies prælii, non fuerit inventus enſis & lancea &c.* O tempora verè miſera!

Cant. 4. 4. S. Chryſoſt. conc. 3. de Lazaro.

1. Reg. 13. 22.

4. Audite hoc, quæſo, ô Clerici! ô Sacerdotes Dei, & verbi divini Prædicatores. Audite, inquam, & conſiderate, quomodo hic pernitioſus S. Scripturæ neglectus non minima cauſa fuerit tot hæreſium & ſectarum, quæ adhuc hodie ſanguineis non ſatis poſſunt defleri lachrymis. Et quid, obſecro, etiamnum hoc ævo hæretici magis clamitant quàm *Scriptura, Scriptura?* quaſi nonnullos Catholicorum paſtores per hoc velint inſigniter confundere, traducere, ac ſugillare, quòd aliqui rariùs in ſacris ſuis diſcurſibus Scripturâ, utpote omnium ſcientiarum Regina, utantur: *O Paſtor, & idolum!* quid juvat talis prædicatio Evangelii ſine Evangelio? quid concio ſine Scriptura? *Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat*, ſubintrat hîc iterum S. Gregorius Magnus, *neceſſe eſt, ut cauſarum origines à ſacris paginis ſumat, ut omne quod loquitur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmet*, ſecùs fruſtra & incaſſum laborabit, quidquid extra S. Scripturam. aut genuinum ejus ſenſum in medium protulerit; concio enim ſine Sacra Scriptura, quantumvis docta, nervoſa & ad omnes eloquentiæ leges

Zach. 11. 17.

S. Gregor. l. 18. Mor. c. 14.

elabo-

elaborata, quid aliud est, quàm palea sine grano, cordex sine nucleo, lampas sine oleo, flos sine fructu & corpus sine anima? Aures duntaxat ejusmodi titillat oratio, cor autem non movet. Igitur *scrutamini Scripturas*, ait Veritas Christus, *& illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Joan. 5. 39.

Olim mandavit Deus, ut Sacerdos in pectore pretiosum rationale, gemmis auróque distinctum gestaret: *Rationale quoque judicii facies opere polymito, hyacintho & purpurâ coccóque bis tincto & byssoretorta.* Ex. 28. 15. In quem finem, dices, hoc rationale in pectore Sacerdotis? R. S. Hieronymus: *Idcirco*, inquit, *in Sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut discamus, Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis, potentem exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* S. Hier. in Malach. Quæ omnia sine singulari studio & sedula Scripturæ lectione & connotatione, quidquid digni in figuris, historiis, prophetiis & sententiis illic occurrere potest, Sacerdos torpens, & sæcularibus curis implicatus vix aut nunquam efficiet: non enim illi hîc cura de bobus & ovibus, de servis & ancillis, de agro & frumento præscribitur, sed ut ex ore ejus scientia sacra, vera & solida possit requiri: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Malach. 2. 7. Proinde talis Sacerdos, qui in hoc summo negotio iners est, meritò timere debet illud fulmen: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi, &c.* Oseæ 4. 6.

5. Mirabilem quæstionem Deus olim Job dilecto servo suo proposuit solvendam, quisnam videlicet gallo gallinaceo tribuerit intellectum: *Quis dedit gallo intelligentiam?* Et nunquid, mi Domine! tu ipse hanc gallo indidisti intelligentiam, ut optimè cursum temporis agnosceret, & justâ ac determinatâ horâ de nocte intempesta nunc fortiùs, nunc submissiùs clamaret, atque in vigilia ultima noctis ad instar horologii domesticos à somno excitaret, proinde canit Ecclesia: *Gallus jacentes excitat, & somnolentos increpat; gallus negantes arguit, gallo canente spes redit; & salus ægris refunditur?* Job. 38. 36. R. S. Gregorius M. quòd per gallum clamantem verbi Dei prædicator intelligi debeat, hic, ut peccatores inveteratos à periculoso delictorum somno excitet, non solùm fortiter cum Apostolo clamare debet: *Hora est, jam nos de somno surgere*, sed & insuper intellectum habere debet; hoc est, oportet illum esse in S. Scriptura versatum, quæ sola, quia à Spiritu Sancto dictata, intellectum illi acuit, & idoneum reddit verbi divini præconem, hinc Psaltes ait: *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est anima mea: declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Ps. 118. Imò nec intellectum tantummodò tribuit, sed & spem firmam ægris ac miseris mortalibus ad æternam ac beatam obtinendam vitam mirè accendit: *In sacra Scriptura*, ait Hugo, *quidquid docetur, veritas; quidquid præcipitur, bonitas: quidquid promittitur, felicitas est: Nam DEUS veritas est sine fallacia, bonitas sine malitia, felicitas sine miseria.* S. Greg. 3. p. Post. c. 5. Rom. 13. 11. Hugo lib. 2. de anima.

Interroga quæſtorem illum barbarum ac gentilem à Candace Æthiopum Regina Hieroſolymam ablegatum, quid ipſi profuerit lectio & meditatio ſacræ Scripturæ, & invenies in Actis, quòd unica ſententia bene animo ponderata illi lumen fidei & æternam procurarit animæ ſalutem. Act. 8. 32. Legerat autem ille Quæſtor ex Propheta Iſaia: *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt; & ſicut agnus coram tondente ſe; ſine voce, ſic non aperuit os ſuum.* Et ecce, dum attentiore mente hanc ſecum in curru revolvit ſententiam, interim meruit à Deo illuminari, qui ei S. Philippum per mirabilem raptum ſubmiſit, à quo in myſteriis fidei inſtructus ſacrum baptiſma ſuſcepit. En mirandam virtutem, quæ ex ſeria ac ſedula Scripturæ lectione promanat: *In hac*, ait S. Chryſoſtomus, *ignorans invenit, quid diſcat; contumax, quid timeat, laborans præmia; qui autem vulneratus eſt à diabolo, invenit ibi cibos medicinales & ſalutem per pœnitentiam.* Chryſoſt. ſup. Matth. c. 24.

6. De Zacharia Propheta perhibetur, quòd aliquando volumen, ſeu librum convolubilem (in quo ſceleratorum peccata æquè ac ſupplicia illis pro merito infligenda erant conſcripta) in aëre, quaſi avem grandem volantem conſpexerit: *Et ecce volumen volans.* Et cùm rogaretur ab Angelo, quidnam videret, reſpondit Vates ille divinus: *ego video volumen volans.* Et quid, obſecro, hoc volumen volans? R. S. Gregorius: *Quid eſt volumen volans, niſi Scriptura Sacra, quæ, dum de cæleſtibus loquitur, ad ſuperiora mentis noſtræ levat intentionem.* Cui ſanctiſſimo Pontifici conſentit & Rupertus Abbas, per eundem librum volantem ſacram Scripturam ſubaudiens, in qua DEI conſcriptæ ſunt leges, & minæ ac pœnæ prævaricantibus legem Dei imminentes. Juvat hîc quoque audire Chriſtophorum à Caſtro: Volumen, ait, volans dicitur, eò quòd ſupplicium ſemper immineat capiti ſceleratorum, ſemperque in aëre pendeat, Dei tantùm præſtolans annutum, ut ſibi peccatores timeant, & caveant flagellum acerrimi vindicis. Hinc meritò docet Magnus ille Aurelius Auguſtinus, quòd ille Chriſtianus, qui Sacram aſpernatur Scripturam, ipſum quoque Chriſtum contemnat, ac crucifigat: *Contempſit*, ait, *Judæus in ligno pendentem, contemnis tu in cœlo ſedentem; reſiſtis, quando divina ejus eloquia contemnis & ſic de novo illum crucifigis.* Fatetúrque de ſe candidè prædictus Eccleſiæ Doctor, ſe millies in hoc ſæculo facturum fuiſſe animæ naufragium, niſi ex lectione SS. librorum ab interitu fuiſſet ſalvatus. Quod idem de ſe ait Pſaltes regius: *Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt; in æternum non obliviſcar juſtificationes tuas, quia in ipſis vivificâſti me.* Zach. 5. 1. S. Cregor. l. 15. moral. c. 6. Chriſtoph. à Caſtro S. J. in 12. Prophet. min. S. Auguſt. conc. 1. in Pſal. 48. Pſal. 118. 92.

Vis plura ejusmodi exempla? Antonium M. tibi propono. Veneratis fortè tunc adoleſcens quindecim annorum in templum, ubi ex ſacro Codice deci-

decimum nonum capitulum ex S. Matthæo à Diacono populo Chriſtiano prælegebatur; & cùm veniſſet legens, ad illa verba: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*, quaſi cœleſti oraculo hoc ſibi dictum eſſet, ſtans ibidem ſuperiori lumine illuſtratus decrevit, ſe, quamprimùm liceret, mundum, divitias, ſæculi voluptates, résque omnes caducas deſerturum, unde domum reverſus ſine mora opes pauperibus diſtribuit, vitámque ſanctiſſimam usque ad provectam ætatem in eremo ducens, theſaurum illum, de quo audierat, in cœlo invenit. Matth. 19. 21. Vita S. Ant. à S. Athanaſio conſcriptæ.

Simeon Stylita, cùm ex divina Scriptura hanc Chriſti audiret prælegi ſententiam: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, tanto mox Evangelicæ paupertatis amore ſuccenſus eſt, ut è veſtigio bonis omnibus ſeſe exuerit, & in alta columna octoginta annos aſſiduos eodem pede conſiſtens perdius & pernox ſacræ meditationi & orationi vacaverit, ut propter incredibilem ciborum & ſomni abſtinentiam angelus & non homo, imò & portentum Orbis diceretur. Tantùm profuit Antonio & Stylitæ unicam S. Scripturæ ſententiam bene animo ponderâſſe. Et nos quid facimus? Matth. 5. 3. Vita S. Sim. Styl. &c.

De Guerico famoſiſſimo, juxta ac pientiſſimo Doctore Pariſienſi recenſent Annales ſacri Ordinis Prædicatorum, quòd cùm aliquando in Eccleſia legi audiret quintum Geneſeos capitulum, in quo S. Scriptura liberos & poſteros Adami enumerat, & poſt ſingulos addit. *Et mortuus eſt*; *Et mortuus eſt*: adeò commotus ſit animo, ut eodem momento mundo valedixerit, & Deo pro viribus per reliquum vitæ curriculum inſervierit, altùm ſibi imprimens illud Sapientis: *Hoc eſt teſtamentum hujus mundi: Morte morietur.* O chariſſime lector! obſervemus & nos hanc lectionem; hoc, inquam, & de me & de te brevi dicetur: *Vixit tot annos, & ecce, nunc mortuus eſt.* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Annal. Præd. p. 1. l. 2. c. 69. Eccl. 14. 12.

7. Et dic, quæſo, ſodes, quale ſolatium olim habuerint inter tot calamitatum fluctus fortiſſimi illli Machabæi, dum invictâ virtute cunctis ſe hoſtibus tanquam validiſſimum oppoſuerunt murum? Audi ipſos loquentes: *Nos, cùm nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris &c.* Ecce liber Moyſis & Prophetarum in rebus arctiſſimis, ac ferè deſperatis viris illis generoſiſſimis ſummo ſemper erant ſolatio, imò & auxilio, ut in omni tempore tum pacis, tum belli DEO T. O. M. fideliſſimè inſervirent, mandata ejus exactè obſervarent, & alios homines auxiliatores non quærerent; proinde in cunctis tentationibus, perſecutionibus ac tribulationibus perſtiterunt impenetrabiles, fortiſſimum SS. Martytibus, in novo teſtamento ſecuturis, præbentes exemplum, qualiter & ipſi pro fide, pro Chriſto & Sacræ Scriptu- 1. Mach. 12. 9.

tæ veritate deberent pugnare, Lege Martyrologium Romanum, & pluribus in locis reperies, quomodo SS. Martyres mille potiùs voluerint ſubire neces, quàm ut Sanctas Scripturas gentilibus traderent diſcerpendas; ita die 11. Februarii: *In Numidia commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui in eadem perſecutione* (Diocletiani) *comprehenſi, cùm juxta Imperatoris edictum divinas Scripturas tradere noluiſſent, graviſſimis excruciati ſuppliciis occiſi ſunt.*

Martyrol. Rom. 11. Febr.

Eja igitur, Sacerdotes Catholici, macti eſtote hoc ſtudio: An non videtis, quòd Sectariorum noſtrorum omnis in hoc deſudet labor ac induſtria, ut in ſuis concionibus & diſcurſibus non niſi crepent Scripturas, quas tamen mille erroribus habent depravatas? Pudeat ergo Concionatorem Orthodoxum & paſtorem animarum, cæteroquin fervidum & zeloſum, ſi in hac ſcientia ſcientiarum minùs, quàm oportet, ſit verſatus, ut poſſit eorum blaſphema ex mutilis & corruptis Scripturæ textibus detegere deliria. Sed magnum, dices: hoc opus eſt & labor ingens, ſemper ex ſacro Scripturarum fonte ſua depromere argumenta; imò verò hoc viro ſtudioſo opus leve eſt ac perjucundum; quid enim dulcius quàm meditari in mandatis Dominì? Audi Pſalten: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel orimeo, &c.*

Pſal. 118. 103.

S. Dominicus inclyti Ord. Prædicatorum Inſtitutor digniſſimus pretioſius nihil in vita habuit quàm divinam Scripturam, cujus vetus & novum teſtamentum aſſiduo v.rſabat, & publicè Romæ interpretatus eſt; hinc meritò primus ſacri Palatii Magiſter denominatus fuit, quæ dignitas in hodiernum usque diem S. Prædicatorum Ordini adhæſit. S. Vincentius Ferrerius, qui peragrans plures Europæ provincias plùs, quàm centum hominum millia ad Deum convertit, in omni hac peregrinatione ſua non alium circumferebat librum, quàm ſola Biblia, ex quibus ſuas formabat conciones, & Breviarium, ex quo orabat ad Deum. S. Carolus Borromæus quotidie unum capitulum ex S. Scriptura flexis genibus & detecto capite legere, ac meditari ſolitus erat, ex quo factum eſt, ut in tantum evaderet virum, cujus merita & ſanctitatem omnis nunc terra veneratur.

Cornel. in Encomio S. Script. in Pent. fol. 15.

8. S. Paulus, ubi diſſeminando verbum Dei magnam Orbis partem peragraſſet, & nunc Romæ ſub Nerone Imperatore morti vicinus in carcere detineretur, nonniſi in ſtudio S. Scripturæ immori voluit, unde ad chariſſimum Timotheum ſuum ſcripſit, ut ſibi pallium, quo ſe honeſtè tegeret, & veteris teſtamenti libros, ac membranas ſuas, ſeu libros recentiores à ſe conſcriptos transmitteret: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* Ex quibus collige, quomodo S. Paulus etiam in carcere otium fugerit, & quàm impensè ſacrarum litterarum ſtudio fuerit deditus; unde & Timotheum ſummoperè commendavit, quòd pari ardore ad ſtudia divinarum litterarum

2. Tim. 4. 13.

terarum incumberet: *Et quia*, inquit, *ab infantia Sacras litteras, nôſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto JESU: Omnis Scriptura divinitùs inſpirato; utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia;* quaſi diceret Paulus, ſubintrat hîc Cornelius: Ego jam morior, & ad martyrium tendo, non ampliùs, me Doctorem audies ô Timothee! dolebis me ſublato, perinde ut doluit Eliſæus ſublato in cœlum Elia magiſtro; Sed age, animos reſume, vice mei ſacras Scripturas tibi relinquo, quaſi doctorem & conſultorem, ut in eis Deum loquentem & docentem audiat: *Cùm enim oramus*, ait D. Auguſtinus, *cum Deo loquimur; quando verò legimus Divinas Scripturas, DEUS loquitur nobiscum.* Obſerva hoc, quisquis es, ô mi Lector! & ſi legis Scripturam, dic cum Samuele: *Loquere, Domine quia audit ſervus tuus.*

2. Tim. 3. 15.

Cornel. hîc.

S. Auguſt. ſerm. 112 de Temp. tom. 10.

1. Reg. 3. 10.

Sed dices mihi, Scriptura ſubinde valde obſcura & difficilis intellectu eſt, quod & S. Petrus ingenuè fatetur, quædam in ea captu eſſe difficilia, quæ indocti & iuſtabiles depravant ad ſuam ipſorum perditionem. Sed neque hæc difficultas te à lectione & prædicatione S. Scripturæ deterreat, invoca gratiam Spiritûs Sancti, & dum lectionem auſpicaris, mentem ad Deum eleva, & dic cum Pſalte: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua;* & aderit ſine dubio benignus Deus & Homo Chriſtus, *qui aperuit Apoſtolis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*, ut vel per ſeipſum, vel per interpretes, vel per Eccleſiam, quam in tanto negotio ſemper oportet conſulere, te abundè inſtruat; hinc nullo modo ſpiritui tuo privato confide, ſed ſemper authoritati & ſenſui Eccleſiæ te in omnibus ſubmitte.

2. Petr. 3. 16.

Pſ. 118. 18

Luc. 24. 45.

Et hæc ſunt, prudens Lector, quæ te in hac Paræneſi præmonere volui, ut majori cum guſtu hunc *Currum Iſraël & Aurigam ejus* pervolvas, quem potiſſimùm ex S. Scriptura pro tuo commodo & animarum promovenda ſalute collegi, & compoſui, rogans impenſiſſimè benigniſſimum Deum, ut & tibi, & aliis fiat verus *Currus Iſraël & Auriga ejus*, qui te ducat & vehat ad cœleſtem & æternam patriam, in qua miſericordias Domini in æternum decantabimus.

INDEX CONSIDERATIONUM.

CONSIDERATIO I.

DE Fine hominis, ad quem creatus eſt. Pag. 1.

CONSIDERATIO II.

De Brevitate & inconſtantia vitæ humanæ. 8.

CONSIDERATIO III.

De Tempore ſalutis bene & rectè impendendo. 14.

CON-

CONSIDERATIO IV.
De non differenda seria ad DEUM Conversione. 21
CONSIDERATIO V.
Inter misericordiam & justitiam Dei ambulandum. 28
CONSIDERATIO VI.
De Gratia Dei anxiè à nobis quærenda. 35
CONSIDERATIO VII.
De certa mensura à Deo peccatoribus definita. 42
CONSIDERATIO VIII.
De peccato mortali considerato in suis effectibus. 50
CONSIDERATIO IX.
De peccato veniali in se, suisque effectibus considerato. 57
CONSIDERATIO X.
De tepiditate & somnolentia mentis & corporis excutienda. 64
CONSIDERATIO XI.
Dæmon hominem paulatim ad majora peccata inducit. 71
CONSIDERATIO XII.
Emendatio vitæ procrastinata in fine periculosa. 79
CONSIDERATIO XIII.
Conscientia remordens ad pœnitentiam nos stimulat. 87
CONSIDERATIO XIV.
De Cœcitate mundanorum & peccatorum. 94
CONSIDERATIO XV.
De morte peccatorum pessima. 101
CONSIDERATIO XVI.
De judicio particulari animæ. 107
CONSIDERATIO XVII.
De sempiternis inferni suppliciis. 114
CONSIDERATIO XVIII.
De exiguo salvandorum & Electorum numero. 121
CONSIDERATIO XIX.
De reditu animæ ad DEUM per Pœnitentiam & Confessionem. 127
CONSIDERATIO XX.
De debita præparatione ad SS. Communionem. 134
CONSIDERATIO XXI.
De resurrectione Domini, & nostra spirituali. 142
CONSIDERATIO XXII.
De cavendo relapsu in pristina delicta. 149
CONSIDERATIO XXIII.
De præparatione animi contra tentationes. 157

CONSIDERATIO XXIV.
De occasione peccandi pro possibili vitanda. 165
CONSIDERATIO XXV.
De bono Exemplo Pastoris, & subditorum sequela. 173
CONSIDERATIO XXVI.
Consilium à Deo & Viro prudente petendum. 181
CONSIDERATIO XXVII.
De paterna & fraterna correctione proximi. 188
CONSIDERATIO XXVIII.
De Oratione Deo grata, & nobis summè necessaria. 196
CONSIDERATIO XXIX.
De ascensu in cœlum, per crucem ad lucem. 204
CONSIDERATIO XXX.
De vitando mendacio, & dicenda veritate in omnibus. 212
CONSIDERATIO XXXI.
Cur Spiritus Sanctus in figura ignis apparuerit. 221
CONSIDERATIO XXXII.
De fide vera à Christiano operibus demonstranda. 229
CONSIDERATIO XXXIII.
Exemplo Christi magnæ nobis curæ sit zelus animarum. 237
CONSIDERATIO XXXIV.
De Deo trino & uno summè colendo, & amando. 245
CONSIDERATIO XXXV.
De reverentia, quam debemus SS. Evchariſtiæ Sacramento. 254
CONSIDERATIO XXXVI.
In via virtutis non proficere, est deficere. 262
CONSIDERATIO XXXVII.
De verbo Dei audiendo, & opere exequendo. 269
CONSIDERATIO XXXVIII
De dignitate & fructu SS. Missæ Sacrificii. 277
CONSIDERAITIO XXXIX.
De virtute patientiæ & tolerantiæ. 285
CONSIDERATIO XL.
De vitanda hypocrisi, & falsa mundi politia. 293
CONSIDERATIO XLI.
De cavenda detractione & indiscreto judicio. 301
CONSIDERATIO XLII.
De reverentia, quam Deo in templo debemus. 310
CONSIDERATIO XLIII.
Cur preces nostræ sæpè à Deo non exaudiantur. 318

)(((((

CON-

CONSIDERATIO XLIV.
De recta intentione operibus noſtris præfigenda. 327
CONSIDERATIO XLIV.
De vitanda malorum & perverſorum ſocietate. 335
CONSIDERATIO XLVI.
De gratitudine, quam Deo debemus. 343
CONSIDERATIO XLVII.
Major habenda cura animæ, quàm corporis. 351
CONSIDRATIO XLVIII.
Memoria mortis ſæpiùs nobis ingerenda. 359
CONSIDERATIO XLIX.
De humilitate animi, & ſui ipſius contemptu. 367
CONSIDERATIO L.
De diligendo Deo, & proximo propter Deum. 375
CONSIDERATIO LI.
De timore Dei ad ſalutem obtinendam neceſſario. 384
CONSIDERATIO LII.
Spera in Deum, ſi vis ſalvari. 392
CONSIDERATIO LIII.
Adverſa, quæ nos premunt, ad DEum ire compellunt. 400
CONSIDERATIO LIV.
De remittendis injuriis, & diligendis inimicis. 408
CONSIDERATIO LV.
Chriſtum imitari debet Chriſtianus, ſi vult eſſe Chriſtianus. 415
CONSIDERATIO LVIII.
De perſeverantia, quæ ſola in cœptis coronatur. 422
CONSIDERATIO LVII.
Judicii finalis memoria omnibus ſuadetur Chriſtianis. 429

CONSIDERATIO I.

De Fine hominis, ad quem creatus est.

Pro Dominica 1. Adventûs.

Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat Redemptio vestra. Luc. 21. 28.

1

NOn possum capere, quare sapientissimus Ecclesiastes ita seriò nos admonere soleat, ut oculos nostros in capite geramus: *Sapientis*, inquit, *oculi in capite ejus.* Et quis unquam mortalium, ô Regum prudentissime! oculos suos in manibus aut pedibus, in ventre, vel calcaneo habuit? Adverte anima Christiana, non loquitur hîc Sapiens de oculis corporeis, & de capite corporali, cùm abundè constet, etiam hominem stultum suos in capite gestare oculos, sed loquitur hîc Ecclesiastes, utpote superiore lumine & spiritu illustratus, de oculis cognitionis, quos vir prudens & salutis suæ amans jugiter in capite suo, hoc est in Deo, & salvatore suo Christo JESU habeat, tanquam in ultimo suo fine, ad quem creatus est: *omnis*, inquit Lactantius, *sapientia hominis in uno est, ut Deum cognoscat, & colat; hoc Christianorum dogma; hæc sententia est.* Et hoc est, quod in sacro Evangelio nobis hodie insinuat ipsa Veritas Christus, dum inter alia monet, ut respiciamus, & levemus capita nostra in cœlum, atque ibidem Regnantem, velut ultimum nostrum finem, ad quem creati sumus, mentis attentiore oculo intueamur: *Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Et in alio loco monet eadem veritas: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.* O Christiani! *Usquequò claudicabitis in duas partes? si Dominus est DEUS, quare non sequimini eum?* plura de hac veritate, ex qua omnium æterna pendet salus, in præsenti occurrunt tractanda: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

Eccl. 2. 12.

Lact. Fir. lib. de falsa Sapientia c. 30.

Luc. 21. 28.

Joan. 17. 3

3. Reg. 18. 21.

Joan. 8. 47.

Hebr. 13. 14. 2. Rectè Apostolus: *Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Exul, quamdiu in exilio vivit, votis assiduis ad dulces patriæ lares aspirat. Israëlitas consule; in exilio quondam, & in captivitate Babylonica per septuaginta annos sedentes, ac miseram sortem suam quotidie amaris deplorantes lacrymis: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Et quare nos exules filii Evæ in hac lacrymarum valle non pari affectu ad Deum, & cœlestem illam Sion suspiramus, quam nobis Crucifixus JESUS immenso Sanguinis sui pretio reparavit? heu nos miseros, quare in hoc mundo, ô quàm immundo! cum filio prodigo ventrem ac mentem inanibus replemus siliquis: *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat?* Deus, Deus est finis noster, & quid plura requiris? Audi S. Ignatium Societatis JESU Fundatorem glorioſissimum, juxta ac dignissimum, quale fundamentum omni Christiano exercitanti posuerit: *Creatus*, inquit, *est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.* O quàm sublimis, quàm nobilis, quàm pretiosus est ille finis! & nunquid infernus *paratus est Diabolo & Angelis ejus?* sed pro te, ô homo Christiane! à Deo paratum est cœlum, nisi tu ipse tibi voluntariè pares infernum. O immensa bonitas Divina! quis talem ac tantum Dominum non æstimet? non diligat, non omnibus viribus illi inserviat?

Pſ. 136. 1

Luc. 15. 16.

S. Ignat. in princip. S. Exercitior Matth. 25. 41.

Lev. 1. 1. 3. Diversas quondam victimas de mundis animalibus sibi Deus in Lege immolari voluit, boves & oves, hædos & vitulos, capras & columbas, passeres & turtures, sed noluit mitissimus Dominus, ut sibi ab aliquo gallus gallinaceus, seu gallus domesticus in victimam & sacrificium litaretur. Et quare hoc, mi Domine? an non ipse in disputatione contra Elihu miram galli operationem commendâsti: *Quis dedit gallo intelligentiam*, ut perinde, ac si intellectu præditus foret, horas noctis distinguat? an non gallus jacentes excitat, & somnolentos increpat? Petrum consule ad galli cantum respicientem, & admissum delictum amaris deplorantem lacrymis?

Job. 38. 36.

Respondet Joannes à S Geminiano, ideo gallum à sacrificio rejectum, quia Symbolum esse solet hominis duplici corde præditi, qui Deo & Diabolo, Christo & Belial, cœlo & mundo servire discupit, & finem suum non in solo Deo ponit: *Gallus* inquit, *unum oculum inferiùs deprimit, & alterum in aëra dirigit.* Apage cum ejusmodi gallo, non enim Deo possumus servire & Mammonæ: *Unicum Regnum*, ait Stephanus Barrad. *est in corde nostro, unum tantummodo Dominum habeat, unum Monarchum Deum*, ad quem, tanquam ad ultimum & unicum finem nostrum creati sumus: *Ego sum A & O, principium & finis, dicit Dominus*, extra quem non est alius Deus, nec alius finis.

Joan. à S. Gem. l. 4. 53.

Matth. 6. 24.

Steph. Barrad. l. 7. c. 27. f. 8. 38.

Apoc. 1. 8.

4. Ad

4. Ad hunc ultimum & unicum finem ſuum etiam in mediis Aulæ deliciis peculiariter reſpexit pientiſſima Regina Eſther, quæ in hac mortali vita nihil aliud reſpiciebat, imò nil aliud inquirebat, quàm in ſolo Deo ſuo vivere, & lætari; *Tu ſcis Domine, neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ: quod eſt ſuper caput meum---Et nunquam lætata ſit ancilla tua, ex quo huc translata ſum usque in præſentem diem, niſi in te.* Hæreo attonitus, dum talem ac tantam virtutem in muliere fragili ac labili conſidero, dum jam tunc in umbra legali agnovit DEUM omnium bonorum eſſe Oceanum, & finem univerſorum, ad quem omnia referantur neceſſe eſt. Et nunquid conſiderâſti, aut vidiſti aliquando providum, rerumque expertum Navarchum, qui priusquam in littore maris carinæ ſolvit vincula, nunc in peregrinas, ac remotiſſimas abiturus oras, relictis cæteris omnibus ſæculi negotiis, ſibi finem ac portum ſecurum ſtatuit, in quo tandem inter tot ventorum tempeſtatumque injurias navim ſecurus poſſit appellere, alioquin velut cœcus & inſanus in pelagi ſemita quaqua verſum oberrabit, & in varios ſcopulos, voragines, vorticoſos gurgites, certumque impinget, & incidet naufragium: *Non enim*, ait S. Auguſtinus, *rectè curritur, ſi quò currendum eſt, neſciatur.* Eſth. 14. 16.

Audis hoc, quisquis es, ô homo Chriſtiane! ſi in hoc mundo rectè vivere, ac tandem beatè mori deſideras, ante omnia neceſſe eſt, ut *à cognitione finis*, ad quem creatus es, initium ſumas; nolis, velis, *per mare magnum & ſpacioſum manibus* hujus mundi ambulandum tibi eſt; ne ergo in varias tentationum Charybdes, Syrtes & Scyllas, ac tandem in ipſum æternæ damnationis barathrum incidas, pari ratione neceſſe tibi eſt, ut ſecurum portum, finemque tutum tibi præfigas, ad quem omnia ſtudia, conatus, labores, & opera dirigas; ſed hic finis ultimus, ac unicus ſalutis tuæ portus, alius non eſt, niſi ſolus Deus, ſiquidem *Univerſa propter ſemet ipſum operatus eſt Dominus.* Juvat hîc audire Alvarez de Paz. S. J. quàm profunda, ac ſapida contemplatione hanc veritatem explicet: *Tu Domine*, inquit, *es civitas, in quam tendimus; portus, in quem navigamus; lectus, in quo quieſcimus; baculus, quo ſuſtentamur; hædra arborem, qua ſuſtentatur, & in altum erigitur, mille ramis quaſi brachiis adſtringit, quia ſuam ab illa perfectionem & erectionem accipit. Ego igitur omni amore, quo poſſum, te amplecti volo, quoniam ſine te nec ad momentum ſubſiſto. Cùm igitur te meum ultimum finem poſſedero, tunc beatus ero.* O felix illa anima, quæ omnibus viribus eò allaborat, ut ad hunc finem tendat. Sed pergamus ulteriùs. Pſal. 103. 25. Prov. 16. 4. Alvarez de Paz I. 3. part 3. decad 9. contemplat. 80.

5. Ad hunc feliciſſimum obtinendum finem mandavit Deus & Homo Chriſtus quædam, ut fierent, alia autem, ne fierent, ſeverè prohibuit; imperavit cumprimis, ut mandata DEI exactè cuſtodiremus; unde illi adoleſcenti de ultimo hoc fine ſuo roganti: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam* Matth. 19. 18.

Joan. 8. *habeam vitam æternam?* Respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*
34. Econtrariò prohibuit omne peccatum, quod solùm hominem ab hoc felicissi-
Gal. 5. 22. mo fine excludit: *Amen, dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum servus est peccati, servus autem non manet in domo in æternum,* sed cum canibus & impudicis ejicietur foras: *Quoniam: qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Hîc, quisquis es, ô Viator! attende, ac delibera, quam imposterum viam velis tenere, necessariò enim tibi unum eligendum est, ut vel sub optimi Regis ac Ducis tui Christi JESU Crucifixi, vel sub irati & justissimi tuorum scelerum vindicis imperio vivas; & si amor, atque infinita illa gloria, quæ te exspectat, non te ad serviendum Deo trahit, trahat te saltem metus æternæ damnationis; justus enim est Deus, qui etiam dilectissimos amicos, si rebelles & rei læsæ Divinæ Majestatis fiant, sine omni controversia damnabit. Agi-
Luc. 21. te igitur, ô mortales omnes: *Respicite, & levate capita vestra, quoniam ap-*
28. *propinquat redemptio vestra;* aut Deo serviendum, aut æternum erit ardendum. Eligite, dum tempus est.

6. Et ut hanc veritatem, ex qua pendet una salus nostra, magis animo valeamus imprimere, ad id, quæso attendamus, quod nunc enarro: *In principio,* ait Moyses, NB. (non æternitatis, sed temporis, hoc est primo
Gen. 1. 1. die) *creavit Deus cœlum & terram;* & quid inde? Secundo die ex nihilo sui produxit firmamentum; tertio mare & aridam cum herbis ac plantis; quarto solem & lunam, stellas ac planetas; quinto pisces maris & volucres pennatas; sexto jumenta, reptilia, bestias, ac tandem ipsum hominem, ubi
Gen. 1. 31 Scriptura subjungit: *Vidit que Deus cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde.* Et quomodo bona, ha ad immeritò subjunges, cùm solus Deus sit bonus?

S. Hieron. in Psalm. 148. 3. Respondet ad propositum D. Hieronymus: *In eo, quòd à suo officio & servitio non recedunt; servitium illorum laus Dei est,* ideo creaturæ istæ bonæ dicuntur, quoniam omnia serviunt Deo, faciuntque verbum ejus, atque ad finem suum, ad quem à Deo creatæ sunt, magno impetu tendunt, & anhelant.

Eccl. 1. 6. Solem, sereniſſimum astrorum principem, si lubet, attende, de quo Ecclesiastes: *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur* &c. ubi pro *Tò revertitur* textus legit Hebraicus: *Anhelat,* hoc est, summa aviditate, concitatione rapidissima, & ardentissimo desiderio fertur in illum finem, ad quem à Deo creatus est; aliàs non sol, sed monstrum esset naturæ, si alium finem inquireret. Perpende luminare minus, seu lunam, quæ nunquam in suo cursu quiescit, aut ferias agit, sed distribuit annos & menses, & illum finem, ad quem à Deo producta est, exactissimè adimplet. Intuere, & numera
Baruch. 3. stellas, si potes, tum errantes, tum fixas, de quibus Baruch: *Stellæ autem*
34. *dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixe-*
runt:

runt: Adsumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas &c. En quomodo finem suum adimpleant orbes cœlestes omnes.

Contemplare insuper omnia elementa: *Ignem*, quanto impetu evolet ad sphæram suam: *Aërem*, quàm mirâ agitatione à quatuor mundi plagis orbem perflet universum: *Terram*, ad sustendandum hominem, & pecora universa enutrienda suos desideratos progerminantem fructus; *Aquam* denique, quomodo omnia flumina à mari, ceu ex fonte suo promanare soleant, ac denuò illuc, tanquam ad finem suum revertantur: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Eccl. 1. 7.

Ecce anima Christiana, omnia obediunt, omnia serviunt Deo, omnia exactè faciunt verbum & voluntatem ejus, finemque attendunt, ad quem creata sunt; & solus homo Deo, ac Redemptori suo Crucifixo fiat rebellis? *Incrassatus est dilectus*, ait Moyses, *& recalcitravit, ingrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Deut. 32. 15. O impudentiam! ô ingratitudinem intolerabilem! Ad quid, obsecro, ô mortalis homo! dedit tibi Deus memoriam, nisi ut tantorum, quæ ab eo recepisti, recordareris beneficiorum? Ad quid intellectum, nisi ut illum cognosceres, quis, qualis, ac quantus sit DEUS, & quàm dignus omni amore ac honore? Ad quid voluntatem, nisi ut eum amares, ac pro viribus ipsi inservires? Ad quid creavit te ad imaginem & similitudinem suam, nisi ut eam in te exprimeres? Ad quid tibi hactenus tot præstitit beneficia, nisi ut te tanto benefactori exhiberes gratum? Ah quoties peccanti tibi pepercit, quoties ex inferni periculis eripuit, quoties te à toto cœlo errantem in viam salutis reduxit? Tantumne ergo benefactorem adhuc peccatis tuis offendes? ô execrandum ingratitudinis portentum! Vis iterum, si fortè curtæ es memoriæ, ut aures tibi vellicem: *Creatus es*, inquit S. Ignatius, *ad hunc finem, ut Dominum Deum tuum laudes, ac reverearis, eique serviens tandem salvus fias*; si hoc non facis, actum est de te. S. Ignat. in Exercit. spir. ab initio.

7. Miror, quare pretiosissimus orbis Salvator Christus legem suam Evangelicam non ab alia re, aut materia, quàm ab æterna beatitudine inchoaverit: *Videns autem JESUS turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset accesserunt ad eum discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum* &c. Et quare non inchoavit Christus prædicationem suam, ac legem Evangelicam de necessaria morum reformatione, peccatorum gravitate, pœnitentia non differenda, de morte & judicio, inferno & æternitate? &c. &c. Matt. 5. 1.

Ad hanc quæstionem doctissimè respondet doctissimus Cajetanus, aliàs vocatus Thomas de Vio, patria Cajetanus, S R. E. Cardinalis: *In actionibus, inuit, primum principium est finis qnia, finis est agendi ratio, & ex fine* Cajetan. in c. 5. Matt.

actionis ratio sumitur; & propterea JESUS legem Evangelicam inchoat à beatitudine, quam constat actionum & laborum nostrorum omnium finem esse. O anima **Christiana!** vide ex his, atque considera, qualis sit finis tuus, ad quem creata es, ut nimirum DEO tuo nunc in tempore pro viribus inservias, ac tandem æternam consequaris salutem & beatitudinem. O quàm sanctus, quàm pretiosus, quàm insignis est iste finis! *Ad hoc*, subintrat hîc S. Laurentius Justinianus, *plasmatus est homo, ut proprium agnoscat Authorem; agnoscendo diligat, atque diligendo sic vivat, ut quandoque illo fruatur ipsiusque ineffabili fruitione beatus existat* O si mortales omnes hunc attenderent, & considerarent finem, quàm pauci æternum perirent. Sed eheu quàm multi etiamnum sunt Christiani (ne dicam Orthodoxi) qui ab hoc suo fine longissimè declinant, de quibus Vates Regius jam olim vaticinatus: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est, qui faciat bonum.* Causam subjungit idem Propheta Regius: *Non proposuerunt DEUM ante conspectum suum.* Ecce hîc rerum cardo volvitur, dum enim finem ultimum, ad quem creati sumus, non agnoscimus, sed in rebus vilissimis, ac transitoriis hujus mundi collocamus, à Deo deficiamus necesse est: *Genitus es*, ait S. Gregorius Nissenus, *ut Deum videas, non ut pecudum voluptates consecteris, sed ut vitam cælestem agas.* Audis hoc?

S.Laurent. Just. l. de contempt. mundi c. 1.

Ps. 52. 2.

S. Gregor. Niss. or. 2. in hom. procr.

8. Cæterum videntur mihi plures etiamnum mundani, ut quondam, filii illi Prophetarum, qui aliquando lamentabili ploratu, & ejulatu auras, & aures Elisæi replebant: *Heu heu heu Domine mi!* Et quid vobis accidit triste filioli mei? An fortâsse totius orbis instat interitus? Non, reponunt, sed *accidit, ut caderet ferrum securis in aquam.* En miseriam ac insaniam hominum planè ridendam? & quid dico ridendam? corrigo me, planè lugendam, imò nec sanguineis satis deplorandam lacrymis; ah nos miseros! stulta, modica, transitoria, futilia ac puerilia plangimus, & finem animæ non inquirimus, ad quem à Deo creata est. O insaniam! heu quot miseris mortalibus etiamnum hodie accidit, ut olim viatori Jerichuntino, qui descendens ab Hierusalem in Jericho, incidit in latrones. Quoties *videtur homini via justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem?* Et nunquid *via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ?* Homo Christiane: *Duc in altum*; creatus es ad cœlestem Jerusalem; & tu declinas in Jericho? Dedit tibi Deus animam nobilissimam, & tu hanc gemmam omnibus mundi thesauris pretiosiorem projicis ante porcos? Paulò minùs minoratus es ab Angelis, & tu fieri vis similis bestiis ac jumentis insipientibus? factus es, ut DEUM contempleris, & cum eo in æternum in cœlo regnes, & tu repis humi? *Quis alius*, ait S. Augustinus, *noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis?* & tu vanissimos alios tibi ponis fines voluptatum, honorum, divitiarum, commoditatum,

4. Reg 6, 5.

Luc. 10. 30.

Prov. 14. 12.

Eccl. 21. 11.

Luc. 5. 4.

S. August. de Civit. l. 22. c. 3.

stulti-

ſtultitiarum? quare non quæris illud bonum, quod eſt omne BONUM? *Ego oſtendam omne bonum tibi*, quod ſolum poterit explere deſiderium tuum. O quàm bene citatus S. Antiſtes Hipponenſis: *Feciſti*, inquit, *nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* &c. Exod. 33. 19. S. Augſt. Confeſſio. 1. c. 1.

9. Age igitur homo Chriſtiane, quicunque tandem es, dives aut pauper, Sacerdos, aut laicus, illuſtris, vel ignobilis, age, inquam, & mente attenta conſidera, quod pro coronide hujus Conſiderationis hîc tibi ſubjungo. Unus eſt DEUS tuus, qui te creavit, & hactenus conſervavit, ſi huic non inſervis, hoc ipſo Diaboli mancipium es. Unus eſt Redemptor tuus, DEUS & Homo CHRISTUS, & hic pro te crucifixus, ſi hunc non amas, non colis, non revereris, actum eſt de te; ô quàm flebiliter ridebit in interitu tuo, ſi Divinus ille Sanguis hujus mitiſſimi Agni toties pro te effuſus deſcenderit in corruptionem. Unus eſt Judex tuus, & quidem juſtiſſimus, *qui, cùm accederit tempus, etiam juſtitias judicabit*, quantò magìs tua delicta? & ſi apud hunc Judicem cauſâ tuâ excideris, quò ibis miſer? ad quod judicium appellabis? Una eſt anima tua, & ſi hanc perdideris, quid tibi proderit in die ultionis, etſi univerſum mundum lucratus fueris? Una eſt mors tua, & ſi hæc mala fuerit, quia *mors peccatorum peſſima*, vah quanta clamitatum vorago te opprimet? Unum eſt cœlum, ac beatitudo æterna, quæ à Boëtio definitur: *Status bonorum omnium aggregatione perfectus ſine admixtione ullius mali*, à quo ſi excluſus fueris, ubi erit habitatio tua in æternum? Una erit ſententia, ſi non illa: *Venite benedicti*, tunc certò audienda erit (ô tremendum fulmen) *ite maledicti*. Una denique erit æternitas, aut felix, aut eheu nimium infelix; penès te nunc eſt, qualem velis eligere: Ecce, *appoſuit tibi DEUS ignem & aquam, ut ad quodcunque volueris, porrigas manum.* Ad quid moraris, anime mi? dic cum Pſalte: *Vias tuas Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas doce me*; & in alio loco: *Dixi, nunc cæpi* &c. Pſ. 74. 2. Matth. 16. 26. Pſ. 33. 22. Matth. 25. 34. Eccl. 15. 17. Pſ. 24. 4. Pſ. 76. 12.

O bone JESU! ita fiat, ita fiat ob gloriam Sacroſancti Nominis tui: da mihi gratiam tuam; & ecce paratum cor meum: Dixi; nunc incipiam, aut non ampliùs vivam.

CON-

CONSIDERATIO II.

De Brevitate & Inçonſtantia Vitæ humanæ.

Pro Dominica 2. Adventûs.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem ventô agitatam? Matth. 11. 7.

I.

DIc homo Chriſtiane, quid eſt vita tua? Reſpondet Sapiens: *Gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram;* heu quid vilius? Quid eſt vita tua? Reſp. S. Jacobus in Epiſtola Catholica: *Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Quid eſt vita tua? Reſp. Jonathas: Paululum mellis felle miſti. *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ paululum mellis, & ecce morior.* Quid eſt vita tua? Reſp. Job patiens: *Tela aranearum*, quæ, ubi magna ſolicitudine ac labore ab aranea contexta eſt, unius ancillæ ſcopâ momentò disrumpitur, & annihilatur. Quid eſt vita tua? Reſp. Ezechias Rex: Filum, quod citò præſcinditur: *Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* Quid eſt vita tua? Reſp. Jonas Propheta: Hædera citò quidem creſcens, ſed mox decidens & areſcens: *Et lætatus eſt Jonas ſuper hæderâ lætitiâ magnâ; & paravit Deus vermem, & percuſſit hæderam & exaruit.* Quid eſt vita tua? Reſp. Iſaias Prophetarum Princeps: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Quid denique eſt vita tua? Reſpondet hodie ipſa Veritas Chriſtus: Arundo inſtabilis & labilis: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem ventô agitatam?* Supra quod Paulus de Palatio: *Omnes mortales*, inquit, *qui ex Adam naſcimur, arundines ſumus, & ut Dei verbis utar, ſumus calamus quaſſatus &c.* O miſeram hominum ſortem! hodie homo eſt, & cras non comparet; ſic nimirum tranſeunt dies ſalutis, & non eſt, qui recogitat corde; infantia tranſit inter crepundia, juventus inter levitates, & utinam non inter libidines, reliqua ætas inter vaniſſimas rerum curas. O mortales omnes attendite: Ecce: *venit nox, quando nemo poterit operari*, & quid tum temporis intervallô operabimur, quando cum tota æternitate nobis erit colluctandum? *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum, quia horâ, quâ non putatis,*

Sap. 11. 23
Jac. 4. 15.
1. Reg. 14. 43.
Job. 8. 14
Iſa. 38. 12.
Jonæ. 4. 16
Iſa. 40. 6.
Matt. 11. 7.
Iſa. 42. 3.
Joa. 9. 4.
Gal. 6. 10.
Luc 12. 40

putatis, Filius hominis veniet. Plura de hac veritate, ex qua nobis æterna salus pendet, in præsenti dilucidabimus. Aderit Deus ut congruenter loquar.

2. Vox prima recens nati infantis, non risus, sed ploratus est, ita Regum Sapientissimus: *Et ego*, inquit, *natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Sap. 7. 3. Et cur plorans nascitur infans? si Lyrano &aliis, imò&experientiis credimus, solent masculi in nativitate sua vagitum abA. &fœmellæ abE. auspicari: *Clamant E. vel A. quotquot nascuntur ab Eva?* Resp. S. Augustinus, quia talis infans jam tunc in ortu suo præsentit, ac prævidet, sibique, licet nesciens, prophetat, quàm breves ac vani sint dies hominis, qualésque ærumnæ imposterum in mundo sibi sint perferendæ; proinde non risu, sed fletu hanc lucem salutat, ut sic mortalitati demonstret humanæ, quàm miserandus ac verè deplorandus sit hominum status: *O curæ hominum! quantum est in rebus inane?* S. Aug. lib. 21. de Civit. c. 14. Vis probam? Christum pientissimum Redemptorem tuum considera, in amaras quondam lachrymas effusum, cum Lazarum amicum suum nunc discuperet à morte revocare ad vitam: *Turbavit seipsum, & lachrymatus est JEsus.* Joan. 11. 33. Econtra insolito gaudio affusus est, quando inaudîit, Lazarum esse hac mortali vitâ functum: *Lazarus mortuus est, & ego gaudeo.* Quid hoc est, mitissime JESU, quare gaudes in morte Lazari amici tui & doles in ejus resuscitatione? ô quàm paradoxa sunt ista! Resp. Rupertus Abbas, quòd Christus Dominus in resuscitatione Lazari rectè fleverit, eò quòd hunc amicum suum è limbo, hoc est, à portu & statu quietis, ad salvandos alios paucos ipsum oportuerit denuò revocare ad vitam, & quidem vitam tam miseram, tot animæ periculis, corporis infirmitatibus, ac millenis ærumnis, fallaciis, curis, loboribus repletam. Econtrariò gavisus est JEsus de Lazari morte, quia per hanc feliciter ad æternæ salutis portum appulit, ubi deinceps nullum ampliùs ipsi erat pertimescendum animæ naufragium: *Flevit JEsus*, subintrat hîc Dionysius Carthusianus, *Lazarum, non quia mortuus fuit, sed quia ad hujus vitæ ærumnas, quæ sine peccatis non agitur, fuerat revocandus.* Quis ergo amet hanc vitam fragilem, miseram, fugacem, fallacem & evanidam? *Quid tantopere*, ait S. Ambrosius, *vitam istam desideramus, in quo quantò diutiùs quis fuerit, tanta majore oneratur sarcina peccatorum.*

Rup. Abb. lib. 10. in Joan.

Dyon. Carthus. in hunc loc.

S. Ambros. de bona mort. c. 2.

3. Miror(candidè fateor)quoties *Pater noster* dico, dum quartam petitionem in hac oratione Dominica considero: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* quid ais, ô Domine! *Da nobis hodie?* nunquid etiam crastino die indigemus pane? nunquid etiam post mensem & annum? cur non addis in oratione: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & omni tempore vitæ?* Luc. 11. 3.

Respondet ad propositum pulcherrimè Franciscus Costerus, ideo factum, ut sic Christus brevitatem vitæ nostræ, ejusdémque inconstantiam ac vanitatem ob oculos poneret, *hodie* enim petimus, quia cras fortè hac petitione non erit

Franc. Cost. S. J. in Exp. hujus loci.

erit opus. Et dic, obsecro, sodes! quid de tempore vitæ tuæ jam præteritæ tibi adhuc supereſt, repones: *Nihil*, quia non est ampliùs, sed fuit. Quid de tempore futuro speras? nec annum, nec mensem, nec septimanam, nec diem, nec horam, imò nec unicum tibi quadrantem, & momentum poteris
Eccl. 5. 18. polliceri. Ergo unicum tantùm instans, quo nunc vivis tuum est, hoc si negligis, non ampliùs per omnem æternitatem redibit. Vide ergo, *ne impiè agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*; hoc est, prout exponit à Lapide: *Sine gratia Dei. &c.*

4. Progrediamur ulteriùs. David Israëlitarum Rex & Propheta, ubi
Ps. 39. 3. aliquando attentiore mente hanc brevem & instabilem mortalium vitam, ac incertum exitum considerâsset, hanc orbi quæstionem proposuit: *Usquequò peccatores gloriabuntur?* Et post nonnulla interposita sibi ipsi his Vates Regius respondet: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Ita est, hic finis mundanorum est & simul interitus.

Esth. 3. 2. Dicite, usquequò superbi, & fastu turgidi cum Amano gloriabuntur: *Cunctique servi Regis flectebant genua, & adorabant Aman?* & respondeo: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Usquequò potentes hujus sæculi ambulabunt in mirabilibus super se & usquequò in Majestate & Gloria potentiæ suæ gloriabun-
Dan. 5. 15. tur cum Nabuchodonosore: *Quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?* Et respondet Psaltes: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Usquequò blasphemi & per-
2. Mach. 15. 5. juri cum impiissimo Nicanore in cœlum ponent os suum: *Et ego potens sum super terram &c.?* Audi responsum? *Donec fodiatur peccatori fovea.* Usquequò avari & injusti supriment pauperem, ut quondam fecit Rex Achab cum
3. Reg. 21 22. innocentissimo Naboth: *Da mihi vineam tuam &c.* in promptu adest responsio: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Usquequò ebriosi gurgites, & helluones
Luc. 16. 19. cum divite Epulone ventri ac gulæ vacabunt: *Et epulabuntur quotidie splendidè?* Redde responsum: *Donec fodiatur peccatori fovea.* Usquequò mundani inhiabunt pecuniis, prædiis, frugibus, novis ædificandis domibus, horreis, cum illo divite Evangelico: *Hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam?* O miseri! quantùm à verò salutis tramite aberratis? audite, quid in utramque vobis aurem occinat Vates Jessæus; *Donec fodiatur peccatori fovea*; & si nondũ
Isa. 3. 16. huic Prophetæ plenam habetis fidem, audite ipsam Veritatem: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parâsti, cujus erunt?* Usquequò mulierculæ, & filiæ Sion, ut cum Isaia Propheta loquar, elevatæ erunt, & ambulabunt extento collo, & nutibus oculorum ibunt instar gruum & cygnorum, imò & basilicorum, ut suo libidinoso aspectu & nutibus incautos interficiant vi-
4. Reg. 9. 30. ros, ut quondam fecit impia Jezabel depingendo oculos suos stibio, & ornando caput suum, & respiciendo per fenestras &c. Resp. *Donec fodiatur peccatori fovea.* Ite nunc mundani & mollicelli, qui *ducunt in bonis dies suos;* & quid
Job. 21. 13. sequitur: *Et in puncto ad inferna descendunt.* Ite nunc libidinosi de grege porci,

ei, & cum prodigo *vivendo luxuriosè* in turpissimo voluptatum cæno inatate, ac substantiam vestram dissipate. Ite invidi canes, irati leones, feroces tigres, pigri aselli; ite, ite *genimina viperarum*, gentes adulteræ; ite delicatuli, ite comptuli, ite peccatores omnes, & vitia vitiis sine rubore, sine dolore accumulate; sed usquequò gloriabimini in iniquitatibus vestris; usquequò in Deum insanietis? Ecce lata est sententia: *Donec fodiatur peccatori fovea*, hîc peccatorum finis est, & postea infernus; O momentaneum, quod delectat! O æternum, quod cruciat! *Omnis consumationis vidi finem.* Luc. 15. 13. Luc. 3. 7. Ps. 118.

5. De Jordane Palæstinæ celeberrimo flumine recensent Sacræ Paginæ, quòd ad adventum arcæ fœderis in suo cursu, licèt aliàs rapidissimo attonitus & quietus steterit, ubi ex una parte ad instar montis intumescens liberum populo permisit transitum, ex altera verò parte aquæ illius festino cursu decurrentes in mare mortuum effundebantur: *Quæ autem inferiores erant, in mare solitudinis (quod nunc vocatur mare mortuum) descenderunt, usquequò omnino deficerent.* Josue. 3. 16.

En hîc cursum mortalium, finem & exitum hominum omnium; tandem, quid dico tandem? brevi; adhuc minùs, ô deplorandam nostram sortem! in ictu oculi venitur ad *mare mortuum*, quod omnes devorat, omnes consumit, nullum reliquit: *Omnes morimur*, objectabat mulier illa sapiens Regi Davidi in faciem: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* Audite in hanc rem Divum Gregorium, Magnum illum ac Moralem Ecclesiæ Doctorem, ita de hac veritate differentem: *Ubi est*, inquit, *potentia Assueri, qui regnavit super centum viginti septem provincias? Ubi victoriæ & triumphi Alexandri Magni? Ubi divitiæ Cræsi, vel Salomonis? ubi lascivia Cleopatræ, vel Amnon? ubi fortitudo Herculis, vel Hectoris? ubi pulchritudo Helenæ, vel Absolonis? ubi gloria & magnificentia Julii Cæsaris, vel Augusti? ubi fama sapientiæ Aristotelis, Pythagoræ, Socratis, Platonis? ubi eloquentia Demosthenis, vel Titi Livii, Tullii, & Maronis?* Tandem post pauca interjecta idem sanctissimus Ecclesiæ Pastor & Doctor tremendam illam subjungit sententiam, quam olim Baruch Propheta in ejusmodi vanos & mundanos fulminavit prævaricatores: *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alii locô eorum surrexerunt.* Ite nunc peccatores terræ, & Deum, justissimum vestrum, juxta ac districtissimum Judicem de novo peccatis vestris ad vindictam provocate: *Et scitote, quod pro omnibus bis adducet vos Deus in judicium.* S. Gregor. M. lib. 14. Moral. 2. Reg. 14. 14. Baruch. 3. 19. Eccl. 12. 9

6. O si hanc veritatem agnoscerent mortales omnes, absque mora cum superbo pavone, visa pedum deformitate, stellatam caudam demitterent. Vide, & considera formosam Reginam Esther, quomodo perspectâ hac veritate caput suum cum pretioso unguento & pulvere odorifero, sed cineribus & luto, velut optimis aromatibus perfundat: *Pro unguentis variis cinere, & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis.* Et quid nostræ modernæ domicellæ? O! O! Vide, & intuere Juditham viduam longè speciosissimam, quomodo Esth. 14. 2.

Judith. 9. 1. modo locô stybii, ceruſſæ & purpuræ cineres & cilicium adhibeat. *Judith ingreſſa eſt oratorium ſuum, & induens ſe ciciliô poſuit cinerem ſuper caput ſuum, & proſternens ſe Domino, clamabat ad Dominum &c.*

Vide, ac perpende Sionidas illas, ante hac in croceis ac pretioſis dapibus enutritas, quomodo nunc tempore transmigrationis Babylonicæ nimbo cinereo ſeſe perfundant, atque humilient: *Conſperſerunt cinere capita ſua &c.* Thren. 2. 10.

Vide, & contemplare Regem Achab modo prorsùs inſolito ſeſe humiliantem: *Scidit veſtimenta ſua & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavítque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite &c.* 3. Reg. 21.

Vide, & attende Regem Iſraël per murum civitatis in obſidione Samariæ tranſeuntem, quomodo præ animi amaritudine & vehementi cordis dolore ſua Regia ſcindat, ac dilaceret veſtimenta: *Vidítque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecùs &c.* 4. Reg. 6. 30.

Vide tandem, & animadverte, quomodo Philiſthæi arcam captivam cum votivis donariis per urbes circumducant, ac publica ſupplicatione & veneratione honorent: *Circumducatur arca Dei Iſraël &c.* Et quare hæc omnia? 1. Reg. 5. 8.

Reſpondet Scriptura. *Fiebat enim pavor mortis in ſingulis urbibus.* Ecce quomodo brevitas vitæ, & imminens mortis periculum homines philoſophare faciat. Davidem conſule, *qui cinerem tanquam panem manducabat*, & quare hoc? Ut jugem, inquit Hugo, infirmitatis ſuæ, ac mortis brevi inſtantis, aut forte ex improviſo irruentis memoriam ante oculos haberet. Pſal. 101. 10.

De Moyſe Scriptura commemorat, quòd vitulum illum aureum à populo prius in deſerto adoratum, in minutum pulverem contriverit, & ſic contritum in aquam ſpargi juſſerit, quam aquam exinde, hoc pretioſo miſſam pulvere, populo potum præbuit: *Dedítque ex eo potum filiis Iſraël &c.* Exod. 32. 20.

Cur? Ut vel ex hoc, ait Angelus Pacciochellius, diſcerent ſapere, ac noviſſima providere, quòd homo, cum ſit pulvis & cinis, non contra Deum factorem ſuum recalcitrare debeat. O miſeri vanique mortales! ut quid fugacibus inhiatis bonis, deliciis, voluptatibus, honoribus, ſtultitiis? quænam, obſecro, eſt hæc dementia, tanto ardore & affectu inhærere terrenis & mox perituris rebus? *Quid cunctamur*, ſubintrat hîc S. Auguſtinus, *relictâ ſpe ſæculi conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam?* S. Auguſt. Conf. l. 6. c. 16.

7. Pro confirmatione dictorum revocemus in memoriam, quomodo Deus primum hominem creaverit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Et cur (haut immeritò rogabis) Deus primum hominem ex luto, & non ex auro, argento, gemmis, balſamo, & aromatibus, aut ex alia nobiliore materia formavit? ad quid inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ? Reſp. Mellifluus, Procopius, & alii, ideo factum eſſe, ut homo hominem ſe eſſe meminiſſet, id eſt, de humo ſumptum, & paulò poſt in terram, & ſepulchrum reverſurum. *Quia pulvis es, & in* Gen. 2. 7. Gen. 3. 9.

in pulverem reverteris. Quod autem in faciem hominis Deus inspiraverit spiraculum vitæ, subjungit in hunc locum Procopius: *Spiraculum exiguo viget tempore, & deinde abit.* O vita humana planè misera & instabilis! cujus principium mortis initium est, neque prius incipit augeri ætas nostra, quàm minui: *Hæc vita*, ait memoratus Mellifluus, *quâ vivimus, magis mors est, quàm vita, nec simpliciter vita, sed vita mortalis.* Et Divus Hieronymus: *Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se esse moriturum.* S. Bern. serm. 17. f. 89. S. Hieron. ad Paulin.

8. Et hæc causa est, quòd Deus Jeremiam Prophetam in domum figuli amandaverit: *Surge, & descende in domum figuli*, ut ibidem & suam & omnium mortalium originem, vitæ finem, & mundi vanitatem præsens intueretur. Et ecce dum figulus ille vas primum confregisset, subjunxit DEUS: *Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel?* in Ep. Jer. 18. 2.

Hoc tibi applica, quisquis es, ô homo Christiane! sicut enim figulus iste vasi à se formato non fecit injuriam, dum illud confregit dissipavit, & in ignem misit, ita nec DEUS tibi ullam potest facere injuriam, etiamsi te deserat, gratiam suam subtrahat, confringat, dissipet, aut omnino, tanquam vas inutile in gehennalem fornacem mittat; humiliare igitur sub potenti manu Dei, & *time eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Ita dico, hunc time. Matth. 10. 28.

9. Recordor hîc illius cæci nati, quem quondam pientissimus orbis Reparator Christus meditante luto illuminavit: *Expuit in terram, & fecit lutum super oculos ejus.* Ad quid, obsecro, ad illuminandum hunc cæcum mitissimus JEsus lutum adhibuit? An non lutum naturâ suâ potiùs obcœcat, quam illuminat hominem? Et quid magis contrarium oculis, quàm lutum, terra & pulvis? si unica arenula oculum hominis perturbat, quid ejusmodi luteum emplastrum? Lysimachus strenuissimus Belli Dux ubi quondam in conspectu Alexandri Magni cum leone in arenam descendit, pugno terrenum pulverem collectum in oculos leonis injecit, & sic facili conatu optatam ab hoc obcæcato, licèt fortissimo bestiarum Rege victoriam reportavit. Sic corvus, & aquila pulvere ex alis excusso cervi oculos obcæcare assolent, quem exinde in præceps ruentem facilè in prædam trahunt. His non obstantibus Christus lutum adhibere voluit, ut cæco nato visum restitueret, & quare lutum? Joan. 9. 6.

Observa anime mi cum pientissimo Hussæo Principe: *Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Ex luto, inquam, formatus es: *Memento*; sed & lutum hoc, si consideras, visum tibi mentis debet restituere, ideo subintrat hîc Os aureum, ad restituendum cæco visum Christus luto uti voluit, ut non solùm visum corporis, sed & animæ daret: *Ut per lutum cernens omnia ejusmodi bona luta esse existimaret.* Juvat hîc audire & glossam interlinearem. *Ecce Collyrium*, inquit, *quo ungitur genus humanum, scilicet cogitatio suæ vilitatis, quòd ex luto factũ sit, ut per eam superbiæ, quæ illud* Job. 10. 9. S. Chrysost. hom. 89. in Joan.

excæcavit, curetur, juxta illud: Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Quid ergo superbia terra & cinis? hodie es in figura, cras in sepultura; hodie cum Holoferne in deliciis, cras cum illo in suppliciis; hodie cum Rege Antiocho in gloria, cras pariter cum illo in gehenna; hodie cum Balthasare in epulis, cras cum illo in pœnis sempiternis. O brevis voluptas! ô longa æternitas! Cogitanti hæc vilescunt omnia; & utinam seriò apud te, ô anime mi!

10. Finem huic considerationi imponant Israëlitæ, cum quibus Philisthæi victores, ut eos sub jugo suo, ne rebellare possent, diutiùs continerent, hoc quondam pactum inîre, ut nullus Hebræorum in Regione sua arma cude-
1. Reg. 13. 19. ret, aut gladium, vel ensem, aut hastam pararet: *Caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Et tandem successu temporis, & novi ingruentis belli quid accidit? *Cùmque venissent dies prælii, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi.*

O anima Christiana! imminet & tibi prælium, heu periculosum nimis, ex quo æterna tua pendet salus; prælianda tibi erit, nolis, velis! cum morte, diabolo, peccato, inferno, imò cum tota æternitate! non poteris hîc
Hebr. 9. 27. effugere: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Quid ergo consilii in re tanti momenti? nunc ergo cùm tempus est, de armis spiritualibus tibi provide, & quænam illa? Fac Exercitia Ignatiana, si prudens es, & salutem tuam amas, & illa sufficientia tibi subministrabunt arma, utere sæpiùs SS. Sacramentis, ora & labora &c. &c. homini prudenti scribo.

CONSIDERATIO III.

De Tempore Salutis benè, & rectè impendendo.

Pro Dominica 3. Adventûs

Dirigite viam Domini &c. Joan. 1. 19.

1.

Eccl. 4. 23. RECte Siracides: *Fili conserva tempus, & devita à malo;* ubi alii legunt: *Fili observa tempus,* tanquam cymelium & gemmam omnium pretiosissimam, quam perditam per omnem æternitatem non ampliùs recupe-
Ephes. 5. 15. rabis: *Videte fratres,* monet Prædicator orbis, *quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* O quid darent damnati, si unicam adhuc horam (quemadmodum tu, ô mi Lector) ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus haberent; ô quàm alacri, & lubenti

lubenti animo omnia gehennæ usque ad finem mundi subirent supplicia. Et tu, ò anime mi! quàm malè subinde applicas, & impendis tuæ salutis tempus? nunc, nunc dum tempus est, *thesauriza tibi thesauros in cælo* stabiles, æternos & inamissibiles, qui nunquam veteraſcunt: *Quid patimur*, scribit ad hoc nostrum propositum Justus Lipsius, *elabi tempus? ô thesaurum non ultra reperiendum! fluit assiduè, & nobis affluit, quod unum avariter habere debemus, & nulla merce, aut prætio permutare. Illic otio, illic aleâ, illic convivio perdimus, & quantum in valetudine aut somno?* Matth. 6. 20. Lipſ. Physiolog. Stoica diſſert. ult.

Audiamus hodie & magnum illum pientissimi Servatoris nostri Præcursorem, & verbo & exemplo nobis præeuntem, qui ut tempus salutis, ac vocationis suæ bene impenderet, non in virili aut perfecta vitæ ætate, sed jam à primis teneræ vitæ suæ annis antra deserti petiit, ut ab hominum consortio remotus eò liberiùs ac securiùs Deo T. O. M. inserviret, proinde Legatos Hierosolymitanos hodie ad se submissos paternè monuit: *Dirigite viam Domini &c.* quasi diceret: Saluti vestræ, dum adhuc tempus gratiarum & remissionis est, maturè consulite, quia venit tempus, in quo non ampliùs poteritis operari. Agite & vos, quicunque tandem estis mortales, agite, inquam: Dirigite & vos viam Domini, & rectas facite semitas ejus, *quia omnes dies*, ait Beda, *velut ultimus tractandus est.* Joan. 1. 19. Beda in suis proverbiis ſ. 149.

2. Miror sanè, quare olim Deus populo suo electo tot sacrificia, tot leges, tot ceremonias præscripserit? lege Pentateuchum, & plura, quàm sexcenta ejusmodi legalia, ac moralia invenies præcepta. Ad quid, obsecro, tantum ac tam grave jugum, de quo S. Petrus: *Quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* Adverte Anima Christiana; populus ille Israëliticus, dum ejusmodi à Deo recepit mandata, sacrificia ac ceremonias legales observandas, erat tunc temporum intervallô in deserto, atque in via ad terram desiderabilem lacte, & melle manantem, quæ terra insignis nobis erat typus cælestis illius patriæ ac terræ promissæ, quam Christus suo labore & Sanguine nobis comparavit, & ad quam ardentissimo nos oportet aspirare desiderio. Voluit itaque clementissimus Deus per hoc demonstrare, ut populus ille non tempus pretiosum otio ac lusu in deserto per quadraginta illos annos consumeret, sed semper pro viribus Deo vacaret, atque tempus salutis suæ benè & fructuosè impenderet; ita doctissimus Abulensis: *Ut per occupationes variorum sacrificiorum, & ceremonialium observationum otiositas tolleretur, quæ multis malis incrementum tribuit & fomentum.* Audis hoc homo Christiane? laborandum nunc est pro cœlo, & tempus salutis bene locandum: *Sic currite*, inquit Apostolus, *ut comprehendatis*, sistere enim hîc in stadio virtutis, & non currere, est deficere & regredi: *Delicatus es miles*, subintrat hîc Orator Aureus, *si putas, te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exsere vires; fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, mili-* Act. 15. 10. Abulenſ. in Levit. 1. Cor. 9. 24. S. Chryſoſt. ſerm. de Martyr. to. 3.

quid considerâsti aliquàndo amantissimum Redemptorem tuum in amaras
Luc. 19. 41. solutum lachrymas, dum urbem Solymæam in Monte Olivario de longè aspexit: *Videns civitatem flevit super illam?* Et quare, mitissimè JEsu, tam largas profudisti lachrymas, dum Hierosolymam contemplatus es? Causam ipse subjungit: *Eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ*: Erant nimirum ingrati illi Hebræi jam per triennium, & quid ampliùs à Christo in via salutis exculti, cernebant, ac stupebant, quæ patraverat ibidem miracula, sed quia noluerunt tempus visitationis, & salutis suæ cognoscere, ideo justè cum ficulnea infructuosa à Deo deserti, ab hoste capti, vastati, occisi & eversi sunt. En typum tepide Christiane! tui finis & exitûs, si tempus, quod ad salutem tuam
Jer. 8. 7. tibi benignitas Dei indulget, pariter cum Judæis sine fructu perdis: *Milvus*, ait Jeremias, *in cœlo cognovit tempus suum; turtur & hirundo, & ciconia custodiunt tempus adventûs; sui populus autem meus non cognovit judicium*
Ps. 94. 8. *Domini.* Et nunquid & tu, ô mi Lector! unus ex illis eris? Absit à te, absit: *Hodie si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum. Hodie*, inquam, quia fortàsse crastinum diem non ampliùs videbis: *Hodie;* dum adhuc tempus meriti, & misericordiæ est, forsitan cras expirabit. *Hodie*, dum pulsat ad ostium cordis tui sanctissimis suis inspirationibus divina miseratio, fortè cras haud ampliùs redibit. *Hodie*, dum sanus es, fortâsse cras tibi infirmo, juxta mentem S. Augustini, & infirma, hoc est, nulla erit pœnitentia. *Hodie*, quia cras tempus fortè non erit ampliùs, sed æternitas. O longa, longissima æternitas! & quàm pauci sunt mortalium, qui seriò te considerant; sic transeunt dies salutis, & quis est, qui recogitat corde?

6. Hanc veritatem ô quàm innumeri sunt experti, & etiamnum proh do-
Rom. 2. 5 lor! quotidie perpetuo animæ cum damno experiuntur incauti mortales, qui tempus salutis suæ de die in diem differentes. Tandem *secundum duritiam & impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Pharaonem Ægyptiorum Regem consule, hominem induratum, & nec verbis, nec prodigiis flexum, qui, cùm nunc cum universo exercitu suo in mediis maris involveretur fluctibus, serio nimis jacturam temporis & Deum,
Ex. 14. 25. tanquam justissimum scelerum ultorem agnovit: *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Ecce nunc tandem Deum Dominum vo-
Exod. 5. 2. cavit, quem toties priùs per Moysem monentem contempserat: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.*

Talis fuit & Balthasar Rex Persarum, qui cùm tempus, edendo, potando, saltando, jocando & luxuriando consumit, interim in pariete contra can-
Dan. 2. 25. delabrum divinam manum conspicatur supremam sibi mortis, & interitûs scribentem sententiam: *Mane, Thecel, Phares*, ubi per *Tò Mane* ipsi mors per *Thecel* judicium, & per *Phares* infernus erat præsignatûs, in quem eadem

ad-

adhuc nocte præcipitatus est. O provundam foveam! cave ô peccator & procrastinator, ne & tu pariter in illam incidas.

Et quid dico de Jezabel Regina? speculatur ista se ipsam in speculo insigni illusionis Magistro, ornat se stibio & purpurissâ, nunc capillos aureos disponit in circinum, nunc dèpingit genas minio, nunc oculos inungit stibio, nunc aptat monilia & armillas, in aures & gemmas, annulos & mitras, nunc currit ad venestram, ut videat, & videatur à prætereuntibus; interim adventat Jehu Regni Israëlitici æmulus cum armata manu, ex cujus jussu maledicta illa per eandem fenestram in subjectam præcipitatur plateam equorum ungulis conculcanda, & à canibus devoranda: *Et præcipitaverunt eam, asperssusque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam.* En! finem comptulorum & mundanorum, qui pretiosissimum salutis tempus ejusmodi stolidis consumunt vanitatibus; ubi nunc est illa Jezabel? Itane fortuna suas mutat vices? priùs hæc erat in summæ gloriæ fastigio, nunc in infimo sordet sterquilinio. Priùs Urbis decus, & pulchritudo, nunc squallor & fætor. Priùs Regni Domina, nunc canum esca. priùs à Regni Proceribus adorata, nunc equorum ungulis conculcata. Prius terror Eliæ & Prophetarum, nunc ludibrium universæ terræ: Ah! *siccine separat amara mors?* Nunc de illa verificatur illud Apocalipseos: *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum.* Et visne tu sequi, anima peccatrix, quæ sine fræno mundi diligis vanitates? Ah misera, revertere ad te ipsam: *Ut quid diligis vanitatem, & quæris mendacium?* Ecce nunc tempus acceptabile: Ecce nunc dies salutis: *Ostium Pœnitentiæ*, inquit S. Ephrem, *apertum est, festina peccator, antequam occludatur*, ne tibi aliquando contingat, quemadmodum illis fatuis Virginibus: *Clausa est janua.* Ubi subintrat S. Leo: *Non enim dormientibus provenit Regnum Cœlorum, sed in mandatis Dei vigilantibus.*

4. Reg. 9. 33.

1. Reg. 15 32.

Apoc 18. 7.

Ps. 4. 3.

S. Ephrem. hom. de pœn.

Matth. 25. 10.

S. Leo ser. 2. Epiph.

7. Mirabilem quondam visionem Jeremias Propheta habuit, dum ad munus Prophetiæ à Deo destinatus est. Vidit is virgam in cælo vigilantem, hoc est, minitantem, & ad percutiendum paratam: *Virgam vigilantem ego video.* Paulò post vidit & ollam succensam, ac ferventem, ex qua ebuliit furor, & flatus indignationis Domini: *Ollam succensam ego video.* Ad quid, obsecro, ista virga vigilans & minans? Et quid sibi voluit olla illa igne succensa?

Jer. 1. 11.

Adverte Anime mi: Virga ista vigilans celerem DEI significat ultionem, DEUS enim non illuditur, sed ad peccata tua diligentissimè excubat, ac vigilat, ut ea tandem severè plectat, & puniat, si tempus salutis tuæ ab eo tibi præfixum nunc in via negligas, scriptum est enim: *Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te.* Per ollam succensam mox post virgam Jeremiæ apparentem rectè insinuatur ignis gehennalis, & inextinguibilis, in quem peccatores tempus salutis suæ inutiliter terentes, ac negligentes infal-

2. Cor. 6. 2.

Corn. hìc in Jer. Deut. 32. 22. libiliter mittentur, æternas ibidem Pænas daturi; ita S. Ambrosius, Rupertus Abb. & Origines, quos citat, & sequitur Cornelius: *priùs*, inquit, *Deus hîc pœnitentibus exhibet virgam correctionis, quam si nolint, impœnitentibus reservat ollam gehennæ*, quam veritatem & ipse Deus per Moysen confirmavit: *Ignis succensus est furore meo, & ardebit usque ad* inferni *novissima.*

Ite nunc, qui tempus ad inserviendum Deo destinatum, & ad beatam acquirendam æternitatem concessum in jocis & lusibus, in comœdiis & scurrilitatibus, in otiis, voluptatibus, in stultiloquiis & corporis recreationibus, in tripudiis, & inordinatis desideriis, in odiis & litibus, in cubilibus & impudicitiis, in crapulis & ebrietatibus prodigè consumitis; ite, ite, & quid aliquando respondebitis ad illud districtissimi Judicis vestri: *venient dies, quando desiderabitis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis*? Et nunquid *quæ seminaverit homo, hæc & metet*? si ergo nunc in vita mera seminatis zizania, quando in vitæ termino metetis triticum, quod solum in horreum magni illius Patrisfamilias congregatur? *in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.*

Luc. 7. 22. Gal. 6. 8. Matth. 13. 30.

8. Ad confirmandam hanc veritatem venit hîc mihi in mentem laboriosissimus Jacob, qui, ubi apud Labanum socerum quatuordecim annos servitutis, quibus se pro formosa Rachele & Lia obligavit, explevit, maturiore intellectu & judicio crescente, & experientia magìs edoctus ita secum rationari cœpit: Et quid est, si per omnem vitæ cursum Labano inserviero, & interim meæ obliviscar familiæ? uxores habeo, proles mihi sunt numerosæ, quas ut pater oportet sustentare: *Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ;* in quem finem rogo te, ô Labane, ut cum pace me dimittas reverti in patriam meam, & meæ saluti & rei domesticæ, ac familiæ provideam: *Justum est igitur, ut provideam etiam domui meæ.*

Gen. 30. 30.

Intellexisti hoc, Lector prudens? ita & tu tecum rationare: *Justum est igitur, ut provideam domui meæ*, imò & animæ meæ, hactenus inservii mundo, & quid mercedis recepi? non aliam, quàm Jacob, hoc est, lippientem Liam; & quid imposterûm remunerationis ab ingrato mundo sperare potero? nil nisi miseriam, contemptum, infirmitates, mortem, interitum, & tandem ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Vade igitur, & vale, ô munde immunde: *Tempus est, ut saluti animæ provideam*, quia temporis jactura irreparabilis est; quæram igitur Dominum meum, dum adhuc inveniri potest; invocabo eum, dum propè est; & quia securis jam ad radicem arboris posita est, ut ab hoc mundo exscindar, tempus vitæ modicum, quod divina indulget miseratio, pro honore Dei mei, Summi Boni, infiniti Boni, & pro animarum promovenda æterna salute pro viribus impendam, quia *Regnum*

Isa. 55. 6. Matth. 3. 10.

gnum Dei, atteſtante Mellifluo, *non dabitur otioſis, ſed in ſervitute Dei ſtudioſis; Regnum Dei non dabitur vagantibus, ſed pro Deo dignè laborantibus; Qui in bonis operibus ſunt pigri & tepidi, non habebunt locum in Regno Dei.* Audis hoc, anime mi? Et quid facis, & hoc in puncto te reſolvis? quid? S. Bern. ſerm 5. de modo benè viven-do.

CONSIDERATIO IV.

De nòn differenda ſeria ad DEUM Converſione.

Pro Dominicâ 4. Adventûs.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Luc. 3. 4.

1.

SOlent orbis Monarchæ, cùm in magnificam aliquam urbem ingreſſum parent, priùs præcurſorem præmittere, qui Magiſtratui, & civibus non tam Regis adventum annuntiet, quàm & neceſſaria, ac tanto Principe digna diſponat, ne exinde in loco illo inveniat, quod Regiæ Majeſtatis oculos poſſit offendere. Anima Chriſtiana! Septimana hac ad te *veniet deſideratus cunctis gentibus*, imò ipſe Rex Regum, & Dominus univerſorum, in quem finem hodierna luce ablegavit Præcurſorem ſuum S. Joannem Baptiſtam Zachariæ filium, *ut pararet viam Domini, & rectas faceret ſemitas ejus.* Sed quam viam? Audi Evangelium: *Venit in omnem Regionem Jordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Et hæc erat via, quam Præcurſor ille Domini omnibus aperuit hominibus: *Venit Joannes Baptiſta, prædicans in deſerto Judææ: pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum.* Homo Chriſtiane: penes te nunc ſtat ſalus tua, vita & mors, paradiſus, aut infernus; Age, ſi non cum Sodoma & Gomorra, *quæ facta ſunt in exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes*, æternùm vis ardere, omninò neceſſe eſt, ut maturè ac ſeriò ad Deum te convertas, dignósque pœnitentiæ fructus facias. Audi verbum Domini: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* O ſententiam cunctis mortalibus non tam formidandam, quàm & ſtylo ferreo intimis pectoris medullis inſcribendam, ad cujus auditum tinniant ambæ aures noſtræ; neminem hîc excipit, neminem excuſat veritas: *Aut pœnitendum, aut ardendum.* Plura de hac veritate in Agg. 2. 3. Luc. 3. 4. Luc. 3. 3. Matth. 3. 12. Jud. v. 5. Luc. 13. 3. S. Th. Vil. præ-

ferm. 1. de Judicio. præsenti dilucidabimus; si salutem vestram amatis, attendite; aderit Deus, ut benè & congruenter loquar.

2. Miror, quoties perpendo, quòd justissimus omnium arbiter Deus, Gen. 7. 12. Cajet. hic. cùm orbem peccatis immersum per universalem cataclysmum delere statuit, eum non uno momento, aut in ictu oculi, sed sensim subverterit: *facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Ad quid tanta & tam longa mora? R. Cajetanus & alii, quòd benignissimus Deus per istam moram, & inducias miseris mortalibus spatium adhuc dare voluerit faciendæ pœnitentiæ, verùm quia indurati isti semper adhuc aliquam sperabant cœli serenitatem: *Cras, cras* cœlum serenum erit: *Cras, cras* cessabunt pluviæ: *Cras, cras* Sol mundi oculus mitiorem induet faciem? *Cras, cras* inundantes in Oceanum decurrent aquæ: *Cras, cras* iratum Numen rursus terræ fiet placabile &c. Sic miseri isti, inani spe se ipsos fallentes, tandem agglomeratis & intumescentibus undarum fluctibus, imò & ipsis cœli cataractis apertis, miserandum in modum periêrunt, & extincti sunt: *Consumpta est omnis caro.* Ite nunc peccatores inveterati, quorum Deus conversionem non 40. diebus, sed 40. & ampliùs fortâsse annis jam exspectavit; ite stolidi procrastinatores; ite recidivi; ite comptuli & mollicelli, & cum corvis vestrum *cras cras* ulteriùs croeitate: *Cras, cras* me ad Deum convertam, *cras, cras* seriam & efficacem agam pœnitentiam; *cras, cras* me ab hoc, aut illo expediam seculari negotio, ut ab eo liberiùs Deo meo possim inservire &c. Credat hoc Judæus Appella, ego non credo, quia *per multum cras, cras, tandem dilabitur ætas.* Ite tandem peccatores omnes, & pudita istorum hominum cadavera post tam luctuosam catastrophem in unam massam, & cumulum colligite, quibus hanc epigraphen ab ore Veritatis mutuatam magis affigo ca- Luc. 13. 3. racteribus: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis,

3. A diluvio ad Pharaonem Ægyptiorum Regem transeamus, qui, cùm variis, horrendisque plagis à Deo justissimo malorum vindice ob cordis duritiam castigaretur, & nunc tota regio à ranis innumeris, & magnitudine deformibus, & fœtore deterrimis devastaretur, eoúsque compulsus est, ut Moysen & Aaronem impensè deprecaretur, quatenus ab hac universali plaga Exod. 8. 8. Regnum per preces suas liberarent: *Orate Dominum, ut auferat ranas à me & populo meo, & dimittam populum, ut sacrificet Domino*; ad quem Moyses, *Constitue*, inquit, *mihi, quando deprecer pro te*? Qui reposuit: *Cras*, O insanjam, quare non *hodie*? Cruciabant ranæ istæ, juxta Cornelium & alios, omnes hominis sensus: *Visum* sua de formitate: *Auditum* molestissima coaxatione: *Gustum*, quia omnem Ægyptiorum cibum & potum conspurcabant: *Odoratum* intolerabili fœtore, & *Tactum*, quia non in mensas duntaxat & sedilia, lecticas & culinas, sed & in ora comedentium prosiliebant; his tamen non obstan-

obstantibus voluit Rex induratus, ut Moyses non statim *hodie*, sed *cras* ad Deum oraret, *Qui respondit, cras* O insaniam!

En faciem cosmophilorum & procrastinatorum. Dicite Reverendi admodùm Domini (illos interpello Clericos, qui nec calidi, nec frigidi, sed tepidi ac languidi sunt) quando languorem vestrum & teporem spiritualem excutietis, & Deo vestro, cujus Ministri estis, ex tota cordis vestri latitudine inservietis? *Cras, cras.* Et vos Domini Nobiles, illustrior pars gregis, quando placebit fastum & ambitionem temperare, observare in omnibus exactam justitiam, pauperem habere curam, hanc vel illam occasionem declinare, & exemplo bono vestris prælucere subditis? *Cras, cras.* Et quando vos Domini Judices, Doctores, Præfecti, Quæstores, Cancellarii, Consiliarii, Senatores, Syndici, Advocati, Referendarii, Secretarii, Procuratores, Scribæ & Cancellistæ leges justitiæ exactè observabitis, & munera super innocentem non accipietis? *Cras, cras.* Quando vos domini mercatores & negotiatores, emptores & venditores cessabitis ab usuris & lucris illicitis? *Cras, cras.* Quando vos generosi domini milites & officiales à perjuriis & blasphemiis, vos opifices à dolis & mendaciis, rustici à crapula & ebrietate, parentes à mala & scandalosa prolium educatione, juvenes à libidine, & peccatores omnes ab inveterata ac pessima peccandi desistetis consuetudine? Ah quando aliquando cessabitis *Cras, cras*? & quare non *hodie*? quare non hoc momento; ex quo (quis scit) fortè æterna pendet salus vestra? O miseri! nolite amplius obdurare corda vestra, cras minùs ad pœnitentiam & seriam ad Deum conversionem expediti eritis: *Si non es hodie, cras minus aptus eris.* Juvat hîc audire Magnum Aurelium Augustinum: *Quando corripis?* inquit, *quando mutaris? cras, inquis: Ecce quoties dicis cras, cras, factus es corvus. Ecce dico tibi, cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina, nam ille corvus, cujus vocem imitaris, exiit de Arca, & non rediit.* Visne esse & tu talis corvus, qui non redit ad Dominum? S. August. serm. 164. de Temp.

4. Ad Absolon venio, & quid video? ô Superi! spectaculum horrendum, crudele, lugendum, & quid accidit? Audi Scripturam: *Adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit*: O Serenissime, sed eheu nimium infelix Princeps, quid agis? quomodo tui ita oblivisci poteras, ut non te ipsum à tam luctuoso & infami liberares interitu? & nunquid à ramo quercus, cui inhæseras, mulo interim sub pedibus tuis transeunte, te poteras expedire manibus, an non crines tuos dissolvere, & nunquid gladio, quo eras ad latus stipatus, tuam poteras præscindere cæsariem, ac tali modo te ipsum in optatam asserere libertatem? Neutrum fecit, neutrum potuit. Interim agitatis equis, cursúque celerrimo adventat Joab Archistrategus, qui sine mora pectus Absolonis tribus confodit lanceis (alii legunt tribus jaculis, 2. Reg. 18. 9.

seu

seu spiculis) & animam Principis tam formosi, tam bellicosi in Tartarum mittit: *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absolon.* O Bonum Numen, quàm admirabilia sunt judicia tua! Et nunquid tunc princeps ille in tantis constitutus periculis doluit de peccatis suis? Nunquid ante obitum ad Deum se convertit, quia tempus pœnitendi adhuc habuit? Quid dico de seria hujus principis ad Deum conversione? subintrat hîc S. Augustinus, nec animam, nec consilium, nec rationem de Deo & æterna sua cogitandi salute habuit, poterat quidem in arbore pendens ab initio se ipsum aut manibus, aut gladio capillos ramis quercûs implicitos dissecando juvare, sed justo Dei judicio præ confusione instantis judicii, mortis secundæ & æternæ damnationis, quam meruerat, nec hoc nec alterum exequi potuit, sed vulneribus oppressus infelicissimam animam in Orcum expuit. Et pergit S. Augustinus: *Justum est hoc Dei judicium, ut peccator, qui in vita oblitus est Dei, in morte obliviscatur & sui.* O peccator inveterate & refractarie Visne & tu sequi Absolonem in infernum? Et placet adhuc seriam ad Deum differre conversionem? Nunquid qui in extremis tantùm divinam imploranti misericordiam, Deum magis irritant, quàm placant?

S. August. serm. 58. de Temp.

5. Vis hujus veritatis probam? Abner consule Belli-ducem, qui propter Isboseth Saulis filium, à se ad regale Solium sublevatum, & per castra circumductum, gravissimum quondam conflictum cum Joab, patres Davidis tenente, habuit. Demum vespere cùm vidisset Abner, rem, & salutem suam in angusto esse, à Jaob victore impensissimè pacem flagitare cæpit: *Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet?* Quid ad hoc Joab? jam, inquit, pacem rogas, cùm tempus elapsum sit, & vires in te deficiant, priùs debuisses inquirere pacem, nunc serò nimis salus tua & res agitur: *Vivit Dominus, si locutus fuisses manè, recessisset populus persequens fratrem suum &c.* En hìc genuinum procrastinatorum typum, qui tunc demum ad frugem & dignos pœnitentiæ fructus redire discupiunt, cùm de eorum vita & salute actum est: *Erit tempus*, ait citatus S. Antistes Hipponensis, *in quo peccator velit pœnitere, sed non poterit, quia quando potuit, noluit, & propter malum velle, perdidit bonum posse.*

2. Reg. 2. 26.

S. Aug. l. 6

Et dicite, obsecro, cur olim Deus piscem & cygnum & à sacrificio tanquam immunda animalia rejecerit? R. Cornelius: In piscibus hoc peculiare fuit, quòd vix viventes ad templum adduci, idéoque nec immolari potuissent; Pisces insuper muti sunt, Leo rugit, bos mugit, canis latrat, ovis balat, lupus ululat, equus hinnit, porcus grunit, columba gemit &c. solus piscis mutus est. En typum procrastinatorum! *Facies hominis quasi pisces maris*, qui dum in voluptatibus hujus sæculi, velut pisces mari innatant, ad omnem inspirationem divinam & seriam faciendam pœnitentiam muti sunt, idcirco nec ad

Cornel. in Levit. 1. 2.

Hab. 1. 14.

fa-

crificium laudis Deo T. O. M. in animo verè contrito & humiliato, præſertim in ultima infirmitate & agone, perſolvendum apti ſunt. Apagite hos malos & fœtentes piſces: *Malos autem foras miſerunt.* Par ratio de cygno eſt, qui licèt ſit plumis candidiſſimis interiùs tamen nigerrimam tegit pellem, & ſolùm in mortis articulo conſtitutus vocem levare, & cantum ciere aſſolet: *Cygnus Cantor funeris ipſe ſui.* O Procraſtinatores! qui tunc demum in morte cum cygno illud Davidicum *Miſerere* cantare deſiderabitis, ſed timeo, ah malè timeo, ne hæc pœnitentia ſera vobis non ſit vera ac ſincera; Concluſio enim ſequitur naturam præmiſſarum, & ordinariâ viâ mors echo vitæ eſſe ſolet, ita atteſtante Poëta Chriſtiano: Matth. 13. 48.

Mors ſimilis vitæ, reſpondent ultima primis,
Vitáque qualis erat, mors quoque talis erit.

6. Perpendamus ad roborandam magis hanc veritatem aliquem conceptum Evangelicum. Arborem fici, inquit Veritas Chriſtus, habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in ea, & non invenit; dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non inſunt: *Succidite ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* O bone JESU! quid peccavit hæc ficulnea? Reſpondetur, quia fructum per triennium non tulit. Et quid hæc ficulnea aliud denotat quàm te, ô peccator obſtinate & tardator refractarie, qui non duntaxat per triennium, ſed fortè per omnem vitæ curſum nullum veræ pœnitentiæ fructum tuliſti? quoties te amantiſſimus JESUS vocavit ad pœnitentiam, & *tu deſpexiſti omne conſilium ejus?* Quoties per ſanctas & crebras inſpirationes conſcientiam tuam oblatrantem monuit, ut non contra ſtimulum calcitrares; *& tu renuiſti?* Quamdiu expectavit, ut hæc vinea (anima tua) faceret uvas, *& tu feciſti labruſcas?* Quid igitur in fine faciet diſtrictiſſimus Judex vineæ ſuæ? Quid faciet ficulneæ tam infructuoſæ? Audi non me, ſed ipſam Veritatem per os Oſeæ Prophetæ ad te loquentem: *Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium.* Juvare ego te volui, ſed noluiſti. Porrexi, & extendi in cruce manus meas, ſed tu noluiſti aſpicere. Deſpexiſti omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſti, ego quoque in interitu tuo ridebo, quapropter *ſuccidite arborem, ut quid etiam terram occupat?* O peccatores omnes, qui de die in diem veſtram d ffertis emendationem: *intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat.* Audi in hanc rem & Hugonem Cardinalem: *Tunc* (in agone,) inquit, *angustæ erunt viæ undique reprobis; Superiùs erit Judex iratus, ſubtus horrendum chaos, à dextris peccata accuſantia; à ſiniſtris infinita dæmonia ad* Luc. 13. 6. Prov. 1. 25. Iſa. 5. 24. Oſe. 13. 9 Pſal. 79. 22. Hugo Cardinalis citatus à

Cornelo in Pentat. f. 117. *supplicium trahentia; intus urens conscientia, foris mundus ardens. Miser peccator deprehensus quò effugies? latere erit impossibile; apparere intolerabile. Si quæris, quis te accusabit: dico, quòd totus mundus, quia offenso Creatore omnis creatura odio habeat offendentem, puta peccatorem &c.* O bone JESU! quis sanæ mentis hanc considerans veritatem non totus cohorrescat? quis se non emendet? quis suam adhuc differat conversionem? & si tu differs, qui hæc legis, credo, quòd actum sit de te.

7. Observâstine aliquando, prudens Lector, quare Virgines illæ fa-
Matth. 25. 12. tuæ à cœlestibus nuptiis fuerint repudiatæ: *Amen dico vobis, nescio vos?* O dura sententia! ô tremendum fulmen! & nunquid, mi Domine, Virgines illæ fatuæ pari castimoniæ dono, ac cæteræ sapientes præditæ erant?
Apoc. 14. 4. omnino. Et nunquid *Virgines sequuntur Agnum in cælo, quocunque jerit?* & hoc sine dubio; quare ergo, reliquis in cœlum introëuntibus istæ ad tartarum ablegantur? Observat Scriptura, quia nimis tardè de oleo, hoc est, de charitate sibi providebant: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ*
S. Hieron. in hunc loc. *extinguuntur;* supra quod S. Hieronymus: *Excesserat*, ait, *emendi tempus, nec adveniente die judicii locus erit pœnitentiæ*, proinde & Scriptura addit: *Novissimè verò veniunt & reliquæ Virgines;* Advertè *Tò Novissimè*, ubi non ampliùs erat tempus merendi, aut pœnitendi. Heu quàm multi hîc se decipiunt, qui salutis suæ negotium (omnium negotiorum maximum) de die in diem, de mense in mensem, imò & de anno in annos differunt, ah mi-
Act. 1. 7. seri! an ignoratis, quòd *Pater posuit tempora in sua*, & non in vestra *potestate*? Non enim est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: *Exhor-*
Rom. 9. 16. *tamur*, ait Apostolus, *ne in vanum gratiam Dei recipiatis, ait enim, tem-*
2. Cor. 6. 1 *pore accepto exaudivi te.* Et Isaias Prophetarum Princeps: *In tempore pla-*
Isaiæ. 49. *cido audivi.*

8. De herinacii fœmina recensent illi, qui naturæ arcana scrutantur, quòd difficultatem non modicam in partu prolium suarum patiatur, proinde pro possibili hunc partum suum differre solet, formidans semper spinas & aculeos, quibus à fœtu suo transfigitur. Verùm enim verò quantum detrimenti, sic meticulosè differendo partum, sibi inferat, abundè eventus demonstrat, dum plerumque illa fœmina, cùm tandem fœtum in lucem enititur, propter aculeos prolis, jam satis maturos & intra uterum maternum obduratos, miserè perire solet, unde lemma: *Dum pario, pereo.*

En perelegans hieroglyphicum hominis peccatoris vitæ suæ emendationem procrastinantis; solet quidem ejusmodi dilator multa ac bona fovere proposita totum se Deo dicandi & dignos pœnitentiæ fructus faciendi, ingeminans cum illo prodigo: *Surgam, & ibo ad Patrem meum &c.* Ve-
Luc. 15. 16.

rùm

rùm quò diutiùs hanc suam differt intentionem, eò minus ad felicem partùm perveniet; unde Isaias Propheta: *Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi*, quia tunc misericordiæ divinæ indignus ille censetur, qui in vita sua sæpiùs à Deo admonitus gratiæ divinæ excitanti aut obicem posuit, aut surdas ei aures præbuit: *Ambulate igitur, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Isa. 37. 3. Joan. 12. hic.

8. Coronidem huic nostræ Considerationi imponat populus, Senatusque Jonensis, quorum civitatem Rex Cyrus valido quondam exercitu obsederat, & ut sanguini humano parceret, in urbem caduceatorem submisit, qui Magistratui ac Civibus primò pacis olivam, aut si hanc detrectarent, gladium offerret. Elegerunt hi postremum, & aliquantisper generoso animo contra hostiles insultus & assultus sese defendebant. Tandem fortunâ mutante vices Cyrum jam jam in suburbio & militem victorem in mœnibus stantem advertunt; tum demum Cives ea, quæ pacis sunt, humiliter rogare cœperunt, quibus Rex Cyrus locô responsi tibicinem ad ripam lacûs, in quo pisces servabantur, constituit cum hoc edicto, ut quantocyùs ad sonitum tibiæ omnes in lacu pisces saltarent. Verùm cùm nullus eorum ad saltum se pararet, mox lacum incidi, & aquas per varios canales aliò dirigi mandavit. Et ecce dignum visu & risu spectaculum; dum pisces nunc sine aquis in arido versantur, omnes prosilire, omnes tripudiare, omnes saltare cœperunt, ad quos Cyrus per ironiam: Jam nimis serò res & salus vestra agitur; lusi & noluistis saltare, pacem meam & gratiam vobis obtuli, ô cives! sed eam protervè recusâstis, nunc perditio vestra ex vobis ipsis est; ito miles, & nec infanti, quem mater in utero gestat, parce. Dictum, factum, intra paucas horas urbs cum suis incolis funditùs ferro & igne deleta est, exemplumque orbi dedit, ne serò nimis cum Jonibus & Phrygibus sapiamus. Herodotus lib. 1.

O corvini dilatores ô irrisores Domini, quoties verbis præludit benignissimus DEUS per Verbi Divini præcones, Sacros Libros, Angelum Custodem, Confessarios, bonas inspirationes &c. & vos statis otiosi? *Cantavimus vobis tibiis & non saltâstis*? Et quid erit in morte ac supremis angustiis? Audite Verbum Domini: *Quæretis me, & non invenietis*: supra quòd S. Gregorius Magnus: *Veniam non inveniet, qui aptum veniæ tempus perdidit.* Antiochum Regem pro fine consule, qui, cùm maximis viscerum doloribus torqueretur, & intolerabili fœtore vermes è toto corpore scaturirent, criminum suorum immanitatem agnoscens ad Deum humiliter confugit: *Justum est subditum esse Deo &c.* Sed quid per hanc pœnitentiam meruit? Audi Scripturam: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Enim verò orabitis & vos aliquando, ô peccatores inveterati, in mortis agone constituti, ad Deum, ut vobis ignoscat, & parcat, sed serò nimis Luc. 7. 32. Jo. 6. 36. S. Gregor. hom. 12. in Evang. 2. Mach. 9. 12.

Joan. 7. 36. *quia in peccatis vestris moriemini*; nunc, nunc cùm tempus salutis est in rem vestram vigilare, frustra in morte remedium quæsituri, ah! frustra.

CONSIDERATIO V.

Inter Misericordiam & Justitiam Dei ambulandum.

Pro Dominica infra Octavam Nativitatis.

Ecce, positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Luc. 2. 34.

1.

S. August. in Joan. tr. 36. DE Aquila recenset Augustinus, quòd proles suas in facie solis ardentis probare & ungue suspendere soleat; si fixo & irretorto oculo tremulos ac fulgurantes Phœbi radios intuentur, ut genuinas ac legitimas agnoscit proles, si verò acie palpitaverint, tanquam filios adulterinos ab ungue demittit, & ad petram allidit, unde lemma: *Probat & reprobat.*

Deut. 32. 11. Aquila sæpiùs in S. Scriptura Christi typus est, Moysen consule: *Sicut aquila*, inquit *provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* In quo loco Propheta pulcherrimè alludit ad Christum JESUM, & hunc Crucifixum, dum expansis in cruce alis, ac brachiis suis, quasi super nos volitans omnia delictorum pondera in se ac humeros suos suscepit expianda. Verùm enim verò hîc observes, rogo, quòd hæc Aquila mystica ac divina in cruce unam prolem in facie solis probaverit, & dignam cœlo invenerit, alteram verò cæcutientem, ac palpitantem à se velut indignam in tartarum rejecerit: *ipsa Crux*, sunt verba Magni Aurelii Augustini, *si attendas; tribunal fuit, in medio enim Judice constituto, unus, qui credidit, liberatus, alter qui insultavit, damnatus est.* Et probat & reprobat; Misericors est, sed & justus.

S. Aug. in Joan. tr. 31.

Luc. 2. 34. Et hoc est, quod hodie justus Simeon de Christo vaticinatus est: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel.* Adverte: *In ruinam & resurrectionem.* En justitiam & misericordiam ejus! *Non est* ait S. Ambrosius, *quòd vobis tantùm per filii Dei, tanquam Salvatoris benignitatem ablandiamini*, sed oportet quoque illum ut districtissimum considerare Judi-

S. Ambr. in Lucam hîc.

cem;

cem; & causam subjungit: *Quia justorum iniquorúmque merita discernet, & pronostrorum qualitate factorum Judex verus & justus aut supplicia decernet, aut præmia.* Audi & Dionysium Carthusianum: *Veruntamen*, inquit, *non uniformiter venit, seu positus est in ruinam & resurrectionem, quia in ruinam reproborum est positus occasionaliter & indirectè, in resurrectionem verò electorum causaliter & directè.* Et hoc est, quod in præsenti demonstrare conabimur. Spiritûs sancti gratia illuminet sensus & corda nostra. Dionys. Carthus. hîc.

2. De Ezechiele Propheta narrant SS. Paginæ, quòd Cherubinum viderit duas præseferentem facies, unam hominis, alteram leonis: *Facies hominis, & facies leonis.* Bone DEUS, quàm admirabilia sunt? & quomodo facies hominis, & facies leonis in hoc Cherubino in eadem sede poterant morari? Ezech. 1. 10.

Adverte: Cherubinus hic volans Christum JESUM adumbravit positum in ruinam & resurrectionem multorum, qui pari ratione duas facies induit, unam hominis, alteram leonis; hominis, inquam, induit faciem, dum prout loquitur S. Augustinus, *passus est se teneri ut homo; non enim teneretur nisi homo, aut videretur nisi homo, aut crucifigeretur, aut moreretur, nisi homo,* in qua benignissima facie suscepit Zachæum in sicomoro, Matthæum in telonio, Magdalenam in convivio, latronem in patibulo, Thomam in cœnaculo, Saulum in campo, adulteram in templi atrio. Econtrario faciem leonis ostendit, dum profanatores templi flagellavit, ejecit, eliminavit, & urbi Solymææ excidium prædixit &c. S. August. in Psalm. 63.

Penes te nunc est, amice lector, qualem aliquando faciem post obitum tuum in Christo Judice velis videre. Fide illi, & non fide; fide, inquam, & confide fortiter in immensa illius misericordia, *quia miserationes ejus super omnia opera ejus.* Verùm ne nimium fidas, & sic te ipsum decipias, largiùs & impudentiùs in ipsius peccando misericordiam, audi Psalten: *Misericors* quidem est & *Miserator* Dominus, sed & *Justus.* Proinde seccurissimum est in medio & inter utrumque, hoc est, misericordiam inter & justitiam ambulare, juxta exemplum & normam memorati Jessæi Vatis: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine.* Psalm. 144 9. Psal. 111. 4. Psal. 100. 1.

3. Verùm progrediamur ulteriùs. De sapientissimo Regum recensent Annales Regum, quòd miræ artis & elegantiæ thronum sibi fieri curârit: *Fecit enim Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis*, quod Regium tribunal locô sedis duabus manibus, intra se invicem implexis, adornavit: *Et duæ manus hinc atque inde tenentes sedile.* Mirabilis thronus, sed mirabilior in altis Dominus, qui etiam per hunc thronum & duas manus, hinc & inde Regis sedile tenentes, singularem adumbrare voluit conceptum; & quid sunt duæ istæ manus, quæ Salomonem judicium ferentem tenebant? 3. Reg. 10 19.

Matth. 12. 24. Per hunc Salomonem Christum JESUM subaudi: *Et ecce plus hic quàm Salomon*; per duas manus hinc & inde sedile tenentes, misericordiam ejus & justitiam agnosce: *Duæ verò manus*, inquit le Blanc, *hinc atque inde, duæ sunt tentores, hinc justitiæ, inde misericordiæ.* Hinc attende, quisquis es, Christiane Lector vel Auditor! ecce Scriptura ubique misericordiæ Dei justitiam adjungit sociam; noli proinde de miserationibus ejus nimium tibi abblandiri, & vitæ liberiori relaxare frænum, ne tibi contingat, de quo te monet Ecclesiasticus: *Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum miserebitur; misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira ejus.*

Blanc in Psal. 49. v. 6.

Eccl. 5. 6.

4. Desideras plura ejusmodi argmenta & conceptus è S. Scriptura petitos? Dic, quare DEUS in veteri Lege superiorem & inferiorem lapidem molarem oppignorari prohibuerit: *Non accipies locò pignoris inferiorem & superiorem molam?*

Deut. 24. 6.

℟. Rabanus, quod per unam molam misericordia, per alteram verò justitia Dei designetur; Sicut enim mola superior & inferior ita sibi necessariò conjunguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur; *Ita*, subinfert citatus Rabanus, *in pectore peccatoris incessanter debet spes & formido conjungi, quia frustra misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat? frustra justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidit.*

Raban. l. 2 in Eccl. c. 19.

Dic ulteriùs, quare dilecta illa Sponsa, cùm aliquando sub salutifera crucifixi Amoris sui umbra placidè quieverat, pedes Christi, sanguinum Sponsi, ferreis clavis suffixos, columnis marmoreis assimilaverit: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas?*

Cant. 5. 15.

℟. Rupertus Abbas, quòd hæc duo Christi crura misericordiam & justitiam designent: *Crura illius*, inquit, *viæ sunt illius, scilicet misericordia & judicium, sive misericordia & veritas*, sicut ait Psalmista: *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.*

Rupert. Abb. hîc apud Cornel.

Hinc pœnitens Magdalena non unum, sed ambos Christi pedes, & dextrum & sinistrum amplexata est, eósque amaris lachrymis, de intimo cordis sinu ob offensum Deum promanantibus, lavit, ac pretioso nardi pistici unguento inunxit, ubi *in pede misericordiæ* (sunt verba S. Bernardi) *reperit Magdalena salutem: Remittuntur tibi peccata, at post tantum beneficium acceptum judicium instat, ne ob ingratitudinem pes misericordiæ ipsius beneficii pondere suffocet peccatricem.*

Luc. 7. 38. Jo. 12. 3. S. Bern. serm. 6. in Cant.

5. Et hæc causa est, quòd optimus ille Samaritanus oleum & vinum in vulnera Jerichuntini illius viatoris, à latronibus lethaliter sauciati, infuderit: *infundens oleum & vinum*, ut per oleum & misericordia, & per vinum justitia

Luc. 10. 34.

Dei

Dei adumbraretur. Ita Simon Cassianus. Collige ex hoc pro te sensum moralem, Anima Christiana, ecce pedem utrumque pientissimi JESU pœnitens Magdalena, tanquam columnas marmoreas fortiter tenuit, & lachrymis suis abluit, non soli misericordiæ Dei confidens, quin simul & timeret ejus justitiam; imitare & tu hoc pulcherrimum exemplum: *Si secuta es errantem, sequere & pœnitentem;* Confide in divina misericordia ex totis viribus, sed & justitiæ illius noli oblivisci, misericors enim est Dominus, sed & justus, nunc quidem in vita misericordia plerumque in peccatore supernatare solet, velut oleum super cæteros liquores; hinc memoratus Samaritanus priùs oleum in plagas Jerichuntini infudit, sed time, hoc oleum etiam flammam poterit concipere, & sæpiùs tarditatem gravitate pœnæ recompensat DEUS. Simon Cass. l. 8. c. 38. S. Ambr. ad Theod. Imp.

Mirabilis erat illa visio, quam quondam S. Joannes in insula Pathmos habuisse legitur, ubi Deum T. O. M. in throno Regio residentem per ostium in cœlo apertum conspicatus est, cujus similitudo & habitus erat jaspideus & sardinius: *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis & Sardinis.* Ad quid, obsecro, hic apparatus? R. Sylveira, quòd per virentem jaspidem misericordia Dei, & per sardum rubeum, seu igneum justitia illius fuerit præsignata. In quem finem idem dilectus Christi Discipulus in eadem visione advertit, quòd thronum Dei pulcherrimus & tricolor arcus ambiret, de quo tamen throno horrisona tonitrua & fulgura procedebant: *Et iris erat in circuitu sedis. -- Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* Et quomodo conveniunt iris & fulgura? Audi: Iris divinæ clementiæ symbolum est, ambiens thronum Dei & hominis Christi in cœlo, per fulgura autem & tonitrua inde promanantia rectè ejus justitia denotatur; ita prædictus Sylveira. Juvat hîc audire & S. Cyprianum: *Sicut*, inquit, *respici debet divina clementia; sic & respici debet divina censura; DEUS enim, ut est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens. Paravit cælum, sed paravit & tartarum; paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia.* Quid vis? nunc elige. Apoc. 4. 3. Apoc. 4. 5 S. Cyprian epist. 31.

6. Pulcherrimam figuram de hac veritate nobis exhibent Sacræ Paginæ; Josephum innocentissimum Jacobi Patriarchæ filium consideremus, qui, cùm in custodia teneretur, & humiliarent compedes pedes ejus, inter pincernam & pistorem medius uni eorum concaptivorum salutem, & alteri damnationem prædixit: *Restituítque* (scil. Rex Pharao) *alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum, alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur.* Gen. 40. 21.

En hic rursùs peralegantem typum in Christo explendum, & suo tempore expletum, dum in cruce in malefactores medius unum in gratiam recepit, alterum gehennæ reliquit; supra quod appositè Rupertus Abbas: *Quam pulchrè*, inquit, *Joseph duorum medius vinctorum in carcere, & utrique* Rupert. Abb. l. 8.

in Gen. 38. 6. *que somnii sui proferens interpretationem congruam; in hoc quoque forma est vel umbra Salvatoris nostri, qui duorum medius latronum, in cruce utrique juxta fidem vel meritum suum dignam dedit sententiam. Quantùm enim interest? illic Pharao de carcere mediante Joseph, hic autem Deus de cruce mediante Christo, unum assumit, & alium relinquit, &c.* O anima Christiana! roga impensiùs Crucifixum Salvatorem tuum, ut te assumat, & non relinquat.

Ex quibus hactenus enarratis, ut credo, satis dilucidè intelliges illud de-
Isaiæ 11. 6. cantatum Isaiæ, quod de Christo in carne venturo prænuntiavit: *Leo & ovis simul morabuntur.* Et quid ove mansuetius? quid leone ferocius? quomodo ergo simul in Christo poterant morari? Per ovem, animal mansuetissimum, Christi misericordiam, & per leonem ejus justitiam subaudi. De ove illa
Isa. 53. 7. mystica dicit Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* En immensam hujus divinissimi Agni clementiam: *Ex-*
Isa. 30. 18 *pectat Dominus*, ait Propheta, *ut misereatur vestri*, non enim mortem, sed vitam vestram inquirit. Grandis est hæc sine dubio Dei misericordia; sed
Amos 3. 8. aliquando tanquam *leo rugiet*! ô peccator! *& quis non timebit?* Si ergo illius desideras misericordiam, quare retines peccati miseriam, ò quàm paradoxa sunt illa, misericordiam petere, & interim velle in vitiis ac prava peccandi consuetudine manere! Verum est, subintrat hîc Richardus à S.
Rich. á S. Victore, *Christus agnus est bonos redimendo, sed & leo malos puniendo.* Botrus
Vict. l. 2. Cypri est, sed & fasciculus myrrhæ; qui dulcius Cypri borro, & quid amarius myrrhæ fasciculo? Dominus est, qui vivificat, sed & est, qui mortificat;
in Apoc. 3. Cant. 1. 12. candidus est propter misericordiam, sed & rubicundus propter justitiam: *Sic timeat*, ait Cæsarius Arelatensis, *peccator justitiam, ut quærat misericor-*
Cæsar. Arelat. hom. 13. *diam; Sic de misericordia confidat, ut tamen justitiam contremiscat.*

Matth. 17. 3. 7. Ad montem Taborum te duco, Anime mi, ubi Christus quondam transfiguratus est: *Et ecce, apparuerunt ei Moyses & Elias cum eo loquentes.* Observat hîc Origenes & alii, Moysen cum tabulis Legis, & Eliam cum curru igneo apparuisse, inter quos medius videbatur Christus loquens cum eis de excessu, quem completurus erat in Jerusalem, hoc est, de instante Passione sua & Morte crucis, ut Apostolis & nobis scandalum & horrorem crucis eximeret. Quæres hîc, prudens Lector, quare pretiosissimus orbis Servator Christus inter duos Prophetas medius apparere, & transfigurari voluerit? Rationem assignat Petrus Blessensis, quia Moyses erat vir omnium mansuetissimus, & typus Christi summè misericordis, pertransiit enim benefaciendo omnibus. Econtra Elias vir erat zelosissimus, severus ac justus, & sic typus extitit Christi, tanquam justissimi Judicis, qui etiam cùm acceperit tempus, justitias judicabit. Inter hos ergo Prohetarum Principes apparuit Christus medius, ut misericcrdiam & justitiam suam

mun-

mundo demonstraret, & quòd securrissima ad æternam obtinendam beatitudinem via sit inter misericordiam & justitiam, & inter spem & metum ambulare. Juvat hîc audire doctissimum Angelum Pacchelium: *Plurimi hominum*, inquit, *in extremis versantur, mediúmque deserunt; aliqui solam misericordiam sperant, & penitus in illa confidunt, unde evenit, ut præsumptuosè cadant, & pereant, alii nimis timidi sunt, & solùm justitiæ rigorem præ oculis habent, & hi rediguntur in desperationem, unde mediâ viâ, tanquam tutissimâ incedendum inter misericordiam & justitiam Dei.* Angel. Peccio. in Tract. in Jonam

Pari ratione idem mitissimus orbis Redemptor à S. Paulo petra appellatus est: *Petra autem erat Christus.* Verùm adverte, & altiùs menti imprime, quod hîc observat Didacus Stella: *Lapis*, inquit, *positus est in itinere, & ostendit iter; tu si impingis in illum, tibi imputabitur, quia ex malitia tua, vel negligentia provenit.* Attende igitur, quisquis es; ne tibi Christus ob misericordiam suam toties tibi oblatam & toties à te rejectam, ac spretam aliquando in petram scandali, in laqueum & in ruinam fiat: petra enim, aut silex ignem non solet emittere nisi percussa, aut percussus; Ita & Divinæ Justitiæ ignis in hac petra mystica (Christo) tam altè absconditus est, ut nullam justitiæ flammam in te vibrare soleat, nisi à duritia cordis tui obstinati, & toties in pristina delicta recidivi fuerit provocata: *Quantumvis*, ait S. Augustinus, *multum præsumere debeamus de misericordia Dei, non tamen negligenter debemus timere justitiam ejus, cum justitia enim te judicabit, qui cum misericordia te redemit: nam quòd tempore peccamus, & parcit, non est negligentia, sed patientia, non ille potentiam perdidit, sed nos ad pœnitentiam reservavit. Teneamus ergo justitiam, cujus misericordiam desideramus.* 1. Cor. 10. 4. Dit. Stella in Luc. 2. S. August. hom. 30.

8. In exemplum ulterioris confirmationis illam adduco adulteram, quam Pharisæi quondam in flagranti deprehensam Christo in atrio templi docenti præsentârunt, rogantes, ut sententiam ediceret, an secundùm legem Moysis lapidibus obruenda, vel libera esset dimittenda: sed quid ad hoc mitissimus JEsus? se inclinans deorsum digito aliquos caracteres in pavimento terræ pingebat dum ad accusatores reæ conversus: *Qui*, inquiebat, *sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Res stupenda! Quid ais Domine? ergo reus & nocens ab illo duntaxat judicandus ac puniendus est, qui sine crimine vivit? sed quis sine peccato est? *Si dixerimus, quoniam non peccavimus, mendacem faciemus eum, & verbum ejus non est in nobis.* Cur, obsecro, mi Domine, hîc tam manifestè faves peccatoribus? Job. 8. 7 1 Jo. 1. 10

Suspende judicium, prudens Lector, Christus non favet hîc peccantibus, sed eis & clementiam & judicium indicat; proinde mox addit: *Vade, & jam amplius noli peccare*; pro hac vice te in animo contritam in foro soli & in foro poli absolvo, sed noli quasi sus lota ad luti volutabrum, & quasi canis ad vomitum redire; pro nunc misericordiam tibi offero, sed cave, si de novo ani-

mam tuam maculâ tam fœdâ sordidabis, ne in judicium incidas æternæ damnationis: *Quoniam misericors & pius est*, inquit V. Beda, *præterita relaxat? quoniam justus est, & justitiam diligit, & ne ampliùs jam pecces interdicit.*

Beda in hunc loc.

Et hæc causa est, quòd Christus à Davide dicatur, *Speciosus præ filiis hominum*; ubi mox subjungit: *Accingere gladiô tuô super femur tuum potentissime.* Ecce, quomodo hîc Psaltes mox misericordiæ Divinæ justitiam commisceat: *Ne*, prout loquitur Pinna, *aut solius misericordiæ consideratio desides, aut solius justitiæ pusillanimes faciat.* Hæc duo in Christo Divina attributa, misericordia videlicet & justitia, sunt duo illi Cherubini supra Arcam quondam fœderis collocati, quorum unus alterum respiciebat: *Respiciebantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium.* Sunt dulce Manna & virga in eadem Arca contenta & asservata: *In qua urna aurea habens Manna, & virga Aaron, quæ fronduerat & c.* Sunt propitiatorium, seu gratiæ thronus, & simul oraculum, quod est tribunal justitiæ & veritatis; *Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas & operientes oraculum.* Sunt columna nubis & ignis electum Dei populum ducens in Palæstinam & terram desiderabilem, perpetuo melle & lacte manantem; nubis inquam, columna est misericordia, quia ab æstu iræ Divinæ nos protegit, sed columna ignis, Divina est justitia, quia Deus tuus, ô peccator, ignis consumens est: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Quid nunc vis, Amice Lector, apprehende, nam *positus est hic in ruinam & resurrectionem.*

Prima Ethol. 65.

Pſ. 44. 3.

Exod. 18. 18.

Hebr. 9. 4.

Exod. 25. 20.

Exod. 13. 21.

Luc. 2. 34.

9. Pro dictorum coronide consideremus Davidem anno Regni sui 19. ætatis 49. turpiter cum Bethsabea in adulterium & homicidium Uriæ prolapsum (adverte hîc, anime mi, ut nec tuæ senitati, nec ætati fidas) & quia tantorum scelerum malitiam ex Nathane Propheta agnovit, ac se reversus tantam lachrymarum vim singulis noctibus ob offensum Deum profudit, ut lectus eius sæpius totus immaduerit lachrymis. Audiamus ipsum loquentem: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* In alio loco dicit idem Vates Regius: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Imò non lachrymæ tantùm, sed rivi aquarum fluebant ex oculis ejus: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Ad quid, obsecro, in Davide talis ac tantus fletus? an non à Nathane Propheta intellexerat: *Dominus transtulit peccatum tuum*: Quid ergo tanto dolore deflet, quod jam pridem ipsi à Deo remissum erat? Ita & S. Petrus peccatum negationis Christi, licèt jam dudum remissum, amaris tamen lachrymis per totam vitam flevit, adeò ut ex assiduo ploratu oculos quasi sanguine aspersos haberet. Ita & diva Magdalena, licèt ab Ore Veritatis audîisset: *Remittuntur tibi peccata*, non tamen cessavit per omnem vitæ cursũ delicta sua deplorare. O bone Deus! ubi nostræ sunt lachrymæ? ubi vera & sincera pœnitẽtia? Causã hujus assidui fletûs, doloris & pœnitentiæ assignãt Patres, quia Sancti isti & Electi optimè

Le Blanc. hîc.

Pſal. 6. 7.

Pſal. 101. 101.

Pſal. 118. 16.

2. Reg. 11. 13.

Luc. 7. 18.

nove-

noverant, quòd securissima ad cœlum via sit inter misericordiam & justitiam, intérque metum & spem incedere. In quem finem & Ecclesiasticus ait: *De propitiato peccato noli esse sine metu;* non quòd Deus offensas remissas (sicut homines) revocare, iterumque illi imputare soleat, qui eas commisit, sed quia vult, ut in timore & tremore salutem nostram operemur: *Certè Paulus Ap.* ait S. Gregorius M. *jam ad tertium cœlum ascenderat, & tamen adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cœlum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur.*

Eccl. 5. 5. S. Greg. M. lib. 6. Ep. 22.

CONSIDERATIO VI.

De Gratia Dei anxiè à nobis quærenda.

Pro Dominica 1. post Epiphaniam.

Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Luc. 2. 45.

1.

SI quis magni pretii annulum, aut gemmam pretiosam, vel scripturam magni momenti perdit, nulli labori aut industriæ parcit, donec rem tam charam, sibiq; tantoperè proficuam inveniat. Pastorem illum bonum consule, unam oviculam dilectam & amissam per montes & rupes, per valles & dumeta, per spinas & sylvas inquirentem, nec priùs à labore cessantem, donec invenerit eam. Nec minore sollicitudine & industriâ Mulier illa Evangelica drachmam amissam inquisivit, dum lucernam accendit, domûmque everrit, ubique locorum, & in cunctis angulis nobilem illam drachmam, inquirens, donec tandem pari animi cum lætitia illam repererit? *Quærit diligenter donec inveniat.*

Luc. 15. 4. Luc. 13. 8.

Quid dico de incomparabili mentis anxietate & inquietudine, qua hodie pretiosissima Dei Mater cum S. Josepho JEsum duodennum per triduum amissum inquirebat? Quoties ingeminavit cum Sponsa: *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea &c.* donec tandem hunc dilectissimum thesaurum suum in templo in medio Doctorum invenerit, quis dicet, quo animi cum gaudio? Tunc in veritate revixit de novo spiritus, ut quondam illius Patriarchæ Jacobi, dum filium suum Joseph

Cant. 3. 1.

per tot annos deperditum, denuo incolumem, totíque Ægypto imperantem conspicatus est: *dixitque pater ad Joseph; jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.*

Gen. 46. 30.

O mortales! quoties per peccatum, & vel unum lethiferum perdimus JEsum, omne Bonum nostrum! ah quoties illius gratiam, quæ tanto Sanguinis profluvio, ut eam nobis mereretur, ipsi constitit, protervè abjicimus, vilipendimus, negligimus & tamen, heu nos miseros, toto proflamus pectore somnum, audite Seraphicum Doctorem: *Perdit homo bovem, & solicitè eam quærit; perdit equum, & non quiescit; perdit ovem, & post eam vadit: Sed perdit homo peccando Christum, & quiescit, comedit, bibit, & non quærit:* Plura de hac veritate, & quàm anxiè à nobis gratia Dei sit quærenda, in præsenti consideratione exponemus: *Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat.*

S. Bonav. ser. 2. de S. Magdal.

Apoc 2. 7.

2. Quid est Gratia Divina? Respondent Theologi, esse donum ex divina benevolentia profectum, quam Doctor Angelicus definit, esse qualitatem, qua anima ad consequendam beatitudinem supernaturalem promovetur; sicut enim sagitta per se ipsam ad centrum suum volare non potest, nisi per manum sagittantis illuc transmittatur; & quemadmodum calamus ex se ipso scribere non potest, nisi per manum Scribæ dirigatur; sic pariter ad ultimum nostrum finem, qui Deus est, ex nobis ipsis, tanquam ex nobis, pervenire non valemus, nisi gratia Dei nos indignos illuc dirigat, unde meritò Ecclesia: *Tua*, inquit, *nos Domine, gratia semper præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.*

S. Thom. q. 10. a. 2.

Hæc gratia divina est illa lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hæc est illa aqua viva, de qua Christus ad Samaritanum: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hæc est illa columna nubis & ignis, protegens & illuminans, quæ Israëlitas per desertum & vias admirabiles duxit in terram rectam atque desiderabilem: *qui eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Hæc est felix illa cœli scala, per quam Jacob Angelos Dei descendentes & ascendentes conspexit, & *Dominum innixum scalæ*, illamque utrâque manu tenentem, ut in ascensu tam arduo homines ascendentes divinâ gratiâ suâ animaret, firmarétque. Hæc est pulchra illa Abisag Davidem senio confectum ac frigidum castè fovens ac calefaciens. Hæc est stola illa lota, & in Sanguine agni dealbata, quâ anima induta, atque condecorata ad conspectum ipsius Dei secura accedit. Hæc est illa Regina in vestitu deaurato stans à dextris Dei, circumdata varietate. Hæc est lucida illa oculi pupilla, quâ præsente totum corpus hominis lucidum erit. Hæc est illa vestis nuptialis, sine qua si inventus fueris, minimè aptus eris, qui in regalibus nuptiis locum obtineas, sed ligatis pedibus ac manibus mitteris in tenebras exteriores. Hæc denique est ille thesaurus absconditus in agro corporis tui, sine quo nihil tibi prodest, quidcunque tandem habueris, &

Jo. 1. 9.

Jo. 4. 10.

Exod. 13. 22.

Ps. 77. 14.

Gen. 28. 13.

3. Reg. 13.

Apoc. 7. 14.

Ps. 44. 10.

Luc. 11. 34.

Matth. 22. 11.

Matth. 13. 44.

si

si hunc solum possides thesaurum, sufficit tibi; ita Deus & Homo Christus ad S. Paulum: *Sufficit tibi gratia mea.* Quantùm ergò labaorare nos oportet pro acquirendo hoc pretiosissimo thesauro? Quærant alii suum interesse, meum ac tuum, frigidum illud verbum, quæramus nos gratiam Dei, & hæc sufficit nobis: *Gratia Dei,* inquit Apostolus, *vita æterna,* & Petrus Blesensis: *Summum bonum in vita est gratia Dei per JEsum Christum.* 2. Cor. 12. 8. Rom. 6. 23. Blef. ser. 40.

3. Recordor hîc illius optimi parentis, filium suum prodigum, nunc denuo ad meliorem frugem & pœnitentiam redeuntem, in gratiam & paternos recipientis amplexus, qui cùm centones & dilacerata filii vestimenta conspicatus est, mox servis suis imperavit, ut quantocyus stolam ei primam afferent, & annulum pretiosum in manum ejus mitterent: *Citò proferte stolam primam, & induite eum, & date annulum in manu ejus.* Ad quid tanta celeritas erat necessaria in procurandâ filio prodigo stolâ primâ? *Citò, citò proferte stolam primam.* Et quid annulus aureus in sordida manu ejus? panem potiùs, ô mi pater! vel alios cibos jube afferri huic filio tuo; an non vides, quòd vix ossibus hæreat, & malesuada fame sit penè confectus? panem inclamat venter inanis? Verùm aliud hîc latet mysterium. Rectè pater ille, verè misericors & pius huic suo filio de stolâ primâ, & annulô provideri jussit; per stolam enim primam, seu primariam, & eximiam illam vestem (hoc est, togam talarem, quæ erat nobilium filiorum, & quâ priùs ante abitum suum prodigus ille induebatur) indicatur *gratia pristina* seu, ut vult S. Hieronymus apud Tirinum, *gratia habitualis cum omnibus habitibus supernaturalibus peccatori converso integra, imò novis incrementis aucta.* Annulus, ait S. Chrysostomus, est desponsationis insigne, & nuptiarum pignus, quo anima verè pœnitens cum Deo quasi de novo desponsatur; vel prout vult S. Augustinus: *Annulus est Spiritûs Sancti pignus: gratiæ enim participatio significatur per annulum.* Mittitur autem in manum, per quam opera clarescit. O felix illa anima, quæ hac stolâ & annulô insignita est! Audi pro reflexione morali & solatio suo Petrum Cellensem: O *gratia gratiosa! sine te omnia mala, tecum omnia bona: sine te, inquam, inanis universa creatura. O anima! si esuris gratiam, pulsa ad januam, si pulsaveris, aperietur, si petieris, dabitur* Pharao Ægyptiorum Rex Josepho nunc è tetro carcere liberato in signum gratiæ & summæ benevolentiæ annulum suum tradidit: *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manum ejus; vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit: fecit eum ascendere super currum suum &c.* En hîc pulcherrimum typum animæ Deum verè amantis, & annulo Divinæ gratiæ insignitæ, atque cum Deo suo desponsatæ! O quàm facilè equitat, quem gratia Dei portat! Luc. 5. 22. Tirin. hîc Cornel. hîc. Petr. Cell. cit. à Rupert. in Aurifod. Gen. 14. 42.

4. Venerat aliquando Elisæus Propheta, postquam filium Sunamitidis hospitæ suæ mortuum ad vitam revocaverat, in Galgala, ubi sæva fames telluris illius oppresserat incolas, & quia cum filiis Prophetarum nil esculenti ad manus

nus habebat, unum illorum in agrum misit, ut herbas agrestes colligeret, & exinde sibi ac pueris in olla grandi pulmentum faceret, qui egressus invenit quasi vitem sylvestrem, & collegit ex ea colocynthas, quas domum reversus misit in ollam, & coxit pulmentum, de qua coctione, cum gustâssent pueri, ad Elysæum succlamârunt: *Mors in olla, Vir Dei.* Et quid Elisæus ad hæc? *Afferte, inquit, farinam*, quam cùm misisset in ollam, sine mora omnis amaror herbarum & pulmenti in dulcorem conversus est: *Et non fuit quidquam amaritudinis in olla*: Res stupenda! quomodo hæc modica farina hanc ollam mortiferam indulcorare, cibumque potuit tam citò sapidum reddere? Erat illa colocynthis seu cucurbita agrestis ex natura sua non tam amara, quàm & pernitiosa ac veneno mortifera; ergo hæc curatio per modicum farinæ non vi naturali, sed supernaturali ac Divinâ facta est? quid ergo per hoc modicum farinæ nobis præfiguratum fuit, quia omnia olim facta sunt in figura?

4. Reg. 4. 40.

Respondet Guilielmus Abbas, hanc modicam farinam rectè gratiam divinam debere intelligi, quæ omnes nostras amaritudines, tribulationes, ac passiones ipsámque mortem indulcorare assolet: *Olla illa Prophetica, olla vestra est, nil in se nisi amaritudinem in dulcedinem convertens, gratia Dei operans est in vobis &c.* Et hoc est, quod Isaac moribundus filio suo Jacob pro suprema benedictione à Deo tam ardentibus votis precatus est: *Det tibi Deus de rore cœli*, hoc est, prout optimè observat Rupertus Abbas, *gratiam suam*, hæc enim creaturæ rationali est, quasi ros cœli impinguans animam, & margarita illa pretiosa, pro qua Evangelicus ille negotiator *vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* O quàm felix, Optime Lector! si hanc margaritam possides, quàm felix, si hunc thesaurum inveniisti, cujus unicus gratiæ Divinæ gradus pluris, quàm mille mundi, valet; unde Apostolus: *habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Dic proinde cum Sponsa: *Tenui eum, nec dimittam.* Et quid eris sine gratia Divina? Ficulneam à Christo maledictam considera.

Guil. Abb. l. 1. c. 5.
Gen. 27. 18.
Rup. Abb. l. 7. c. 17.
Mat. 13. 46.
2. Cor. 4. 5
Cant. 3. 4.

5. Ambulaverat quondam mitissimus orbis melioris Reparator Christus in civitatem Hierosolymam, & quia esurîit, videns arborem fici secùs viam virentibus foliis turgentem, ad eam accessit, sed dum optatum in ea non invenit fructum, ideò continuò ei maledixit; *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.* Quid, obsecro, peccavit hæc arbor fici in Christum Dominum? An quia foliata quidem extitit, sed fami ac voto Christi præbendô fructum non satisfecit? verùm nondum erat, prout S. Marcus observat, tunc tempus ficorum. Vel quia ficus arbor à Deo vetita erat, ex qua protoplasti in paradiso comedentes, se suósque perdiderunt posteros; neque hæc ratio aliquid evincit, quòd à Christo fuerit maledicta. An quia notabat discobulos & incredulos Judæos ad Christi prædicationem nullos bonorum operum ferentes fructus? ita quidem censet Cornelius. Sed adhuc alia hîc latet causa & mysterium; juvat hîc audire antiquissimum Origenem

Mat. 21. 19.
Marc. 11. 13.

genem, Janſenium, & alios, qui per hanc maledictam, & arefactam ſiculneam hominem Chriſtianum ac fidelem ſubaudiunt, dum voluntariè in grave delabitur crimen, Deumque mortaliter offendit, ſine mora ejusmodi ſiculnea efficitur à Chriſto maledicta; & quemadmodum arbor arefieri aſſolet, ſi humor, qui eam vegetat, ſubtrahitur; ſic anima hominis, ait Janſenius, *arefit humore cæleſti gratiæ ſubtracto.* O jacturam incomparabilem gratiam amittere Divinam! an non ſumma inſania eſt, pretioſiſſimam gemmam pro vitri fragmine, generoſum caballum pro viliſſima fiſtula, & opobalſamum pro luto & fœtente cœno commutare? Et quid agit peccator? Janſ. c. 31. f. 621.

6. Tales fuerunt protoparentes noſtri, qui pro unico pomi morſu gratiam Dei, ſeipſos, paradiſum, poſterósque omnes vendiderunt in mortem. Sic nimirum, ait Mellifluus, *Dæmon porrigit pomum, & furripit paradiſum.* Gen. 3. 6.

Talis & Eſau extitit, qui de agro famelicus domum rediens pinguiſſimam hæreditatem, & jus primogenituræ pro pulmento lentis commutavit: *Et abiit, parvi pendens, quòd primogenita vendidiſſet.* Gen. 25. 34.

Tales fuerunt & Iſraëlitæ, qui in deſerto cœleſte manna, panem illum Angelicum, omne delectamentum in ſe habentem, peponibus, porris, cæpis, & aliis fœtentibus poſtpoſuêre: *Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi manna &c.* Num. 11. 6.

Talis fuit & Herodes Rex, qui pro laſcivo ſaltu filiæ inceſtuoſæ dimidium Regni ſui obtulit: *Quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium Regni mei.* Marc. 6.

Talis erat & Lyſimachus Thraciæ Rex, qui ingenti ſiti defatigatus, eò tandem anguſtiarum redactus eſt, ut unico aquæ ſcypho ſe, totumque Regnum ſuum hoſtibus vendiderit, ubi expotâ aquâ exclamâſſe fertur: *Deos immortales! quæ hæc mea infelicitas! qui me vendidi, totúmque regnum meum tantillo corporis oblectamento!* Plutarch. in apoph. Regum.

Talis fuit & Judas Iſchariothes, mercator inter omnes peſſimus, dum ipſum Dei filium 30. argenteis in mortem vendidit: *At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* (Hoc eſt, juxta computum Cornelii, 12. florenos.) Vah inſaniam nullis unquam ſæculis auditam! Pete furcifer abominande milliones, pete regna, pete imperia, imò omnes mundi partes, & nec iſta omnia ad condignum ſufficient pretium, quia Chriſtus *pretium eſt ſine pretio.* O maledicte proditor! ô Deicida omnibus diris devovende! quare infernus non dilatavit os ſuum, & te vivum devoravit? Matth. 12. 15.

Siſte anime mi! fruſtra indignaris Iſchariothæ Chriſti traditori; Et dic, obſecro, candidè, an non orbis univerſus plenus eſt ejusmodi Judæ fratribus, qui pretio longè inferiori pretioſiſſimum JEſum & gratiam ejus divinam ſuper omne aurum & gemmas æſtimandâ viliſſimo peccati oblectamento vendunt? heu miſeram mortalium ſortem: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Ah miſeri! *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinavit,* Jo. 3. 19 Gal. 3. 1.

vit, non obedire veritati, ante quorum oculos JEsus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? Transi per ambitiosas Magnatum aulas, & videbis, quomodo Christum, ejusque divinam æstiment gratiam. Petrus vel semel in aulam venit, & mox ex fidelissimo discipulo Christi negator factus est: *Non novi hominem.* Transi per cameras Officialium, per tabernas mercatorum, per ædes Politicorum, per officinas artificum, per castra militum, per plateas civium, per agros & campos rusticorum, imò & per tuguria mendicabulorum, & videbis, quàm vili ubique pretiô apud pleramque hominum conditionem Gratia Dei æstimetur: *unusquisque peccando* ait S. Antistes Hipponensis, *animam suam* (addamus nos & gratiam divinam) *Diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.* O filii hominum, usquequò gravi corde? *Unus*, inquit Doctor Angelicus, *divinæ gratiæ gradus, vel minimus universis mundi divitiis, & thesauris longè præstat, cùm divinitatis sit quædam participatio, divinæ nos consortes naturæ (prout loquitur S. Petrus) efficiens.* Et vos mortales miseri, unâ fœdâ cogitatione, uno turpi verbo, aut opere peccaminoso etiam abjectissimo tantum thesaurum mille mundis præstantiorem profunditis, ac perditis? tantíne æstimatis Gratiam Dei, pretium illud sine omni pretio? Ah tantíne?

Matt. 26. 72.

S. Aug. in Exp. ep. ad Rom.

S. Th. Aq. 12. q. 113. a. 9. ad 2.

2. Petr. 1. 4.

7. De Samsone fortissimo illo Nazaræo orbi notum est, quomodo unâ asini maxillâ mille Philistæos prostraverit, portas Gazæ urbis in montem asportârit, leonem ferocem quasi hædum discerpserit; per vulpes captivas hostium segetes ac vineas succenderit &c. Hic ergo talis ac tantus luctator, cui similem orbis non viderat, ubi in somno detonsus auream cæsariem perdidit, unà simul vires omnes, seipsum, ac ipsam denique vitam amisit? *Rasit* (Dalila) *septem crines ejus, & cæpit abigere eum, & à se repellere, statim enim ab eo fortitudo recessit &c.* Res stupenda, & omnium digna admiratione! quomodo, obsecro, omne robur Samsonis in septem capillis poterat esse absconditum? ito nunc potentissime athleta, qui priùs salvum faciebas populum Israël; ito, inquam, & ulteriùs in fortitudine tua confide.

Jud. 16. 19.

Subintrat hîc S. Paulinus, qui asserit, quòd per septem Samsonis crines, *Gratia Dei*, ac septem Spiritûs Sancti dona fuerint adumbrata, quâ gratiâ divinâ per peccatum amissâ, debilis ac imbellis uno momento factus est, illâ autem priùs conservatâ, omnibus hostibus superior extitit: *Ita nobis*, ait idem S. Paulinus, *violatâ Christi gratiâ, ut illi incisâ comâ, hostis illudet, auferet oculos, mittet in carcerem, & vertendis molis velut asinos deputabit &c.* Vide hîc anime mi, ac perpende, quomodo cum gratia Dei & Christi omnia possis: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Econtrario *sine gratia Dei*, ait S. Gregorius Nazianzenus, *sumus viva cadavera.* Esau considera, à benedictione & gratia paterna reprobatum, & quamvis cum lachrymis perditum primo genituræ jus & benedictionem paternam inquisisset, non tamen amplius

S. Paulin. in Epist. 4. ad Severum.

Phil. 4. 13

pliùs invenit: *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisîſſet eam.* O Chriſtiani! cavete, ne cum Eſau ineſcati ob viliſſimam peccati illecebram gratiâ Dei, hæreditate cœleſti, & jure filiorum Dei excidatis. Hebr. 12. 17.

Fruſtrà lugebat Samuel Saulem Regem à gratia Dei deſertum & reprobatum: *Uſquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum.* Cave, ô homo Chriſtiane! qui hactenus toties gratiæ Dei tibi oblatæ reſtitiſti, ne te impoſterùm & in æternum deſerat. Convivæ illi, quos divina gratia, & miſeratio ad cœnam magnam invitavit, quia protérve oblatam illam repudiârunt gratiam, à Deo juſtè deſerti hac rigidiſſimâ condemnati ſunt ſententiâ: *Dico autem vobis, quia nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam.* O tremendum fulmen, à cœleſtis gloriæ cœna non duntaxat æternùm excludi, ſed & ardere in igne gehennali in perpetuum! Divitem illum epulonem conſule in atrociſſimis illis tormentis jam ab annis mille & ſeptingentis unicam frigidæ ſtillam ad refrigerandam linguam ſuam poſtulantem, quam tamen necdum hodie obtinuit, neque in æternum impetrabit. Utere ergo hodie, dum licet, divinâ gratiâ te ad meliorem frugem excitante, quia fortè cras non redibit ampliùs. 1. Reg. 16 1. Luc. 14. 24. Luc. 16. 23.

8. Moveant te denique, ô anime mi! ad hanc inquirendam & ſolicitè conſervandam gratiam divinam, Aulicorum, Mundanorum, Sæcularium, Coſmophilorum & Politicorum ſtudia, aſſiduæ curæ, ac innumerabiles, quibus Magnatum, Regum, ſuorúmque Principum & Dominorum aucupari ſolent gratiam; qui tunc demum fortunatos ſe eſſe arbitrantur, cùm ejusmodi humanam gratiam, & fortè mox perituram, non ſine ſummo & animæ, & corporis incommodo adepti ſunt, non abſimiles piſcibus, qui, dum hamo ineſcato avidè inhiant, ſe ipſos perdunt. Prudens Lector! viſita una mecum in orbe dominantium aulas, & quid videbis? Hîc cernes novos Amanos, ô quàm bellè comptos Alomodiſtas in anti-camera ſui Regentis circumſtantes! Superi! quot modi formarum, ceremoniarum, complementorum! vide, & conſidera, quomodo omnes ſui Principis obſervent nutum, quomodo corpus inclinent, quomodo genua incurvent, quomodo ſemper eundem dicant Pſalmum: *Placebo Domino.* Et quid tandem ſolet evenire? *Aman ſtat in atrio, dixítque Rex: ingrediatur.* Et hoc quidem bene, quid autem poſtea? *Suſpendite eum in patibulo.* O gratia humana! quàm fallax es: Vide ulteriùs, quomodo in aulis novi Achitopheli, ut apud Abſolonem ſuum gratiam inveniant, ſuis verſipellibus laborent conſiliis, qui tamen in fine non aliam cum Achitophele reportant mercedem, quàm laqueum & interitum: *Qui diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit.* Vide inſuper, quomodo duo illi Miniſtri Regii in aula Pharaonis ob leviſſimum delictum detrudantur in carcerem, & unius horæ ſpatio perdant, quod per omnem ſibi vitam gratiæ Regis merebant: *His ita geſtis, accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Ægypti* Eſth. 6. 5. 2. Reg. 17. 23. Gen. 40. 1.

Ægypti & pistor, Domino suo; iratúsque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem &c. En gratiam mundanorum!

Ite nunc, qui Regum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum, Prænobilium, Nobilium, & Divitum gratiam quæritis, & gratiam econtra Dei negligitis, audite Davidem: *Nolite confidere in Principibus: in filiis hominum,* Psal. 145. 3. *in quibus non est salus:* Salus autem justorum à Domino, cujus gratiam si habes, omnia possides: *Propitius sit mihi Dominus* (dicebat quondam Naboth ad Regem Achab, cùm ab eo extorquere voluit vineam) *ne dem hæreditatem* 3. Reg. 21. 3. *Patrum meorum tibi.* Hoc illustre exemplum imitare & tu, Anima Christiana! Quotiescúnque in occasione es constituta divinam perdendi gratiam, dic cum Naboth: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem tibi,* ô Sathana! ô munde! ô caro! quam Dominus meus JESUS, & hic Crucifixus, tanto, ac tam immenso Sanguinis sui pretio mihi promeruit; hæc Gratia divina erit mihi illa stella lucida, quæ in agone meo, & in umbra mortis deducet me in terram rectam, ubi in æternum Deum laudabo.

CONSIDERATIO VII.

De certa mensura á Deo peccatoribus definita.

Pro Dominicâ 2. post Epiphaniam.

Et impleverunt eas usque ad summum. Joan. 2. 7.

1.

MEnsura, cùm plena est redundat, & fructus, si maturus est, sua sponte de ramo cadit. Vide, & considera vas aliquod fictile, & in dolio aquis superimpositum; quamdiu illud vacuum, aut semiplenum est, non ab aquis mergi, sed eis supernatare assolet, & jam huc, modò illuc inclinatur; verùm cùm aquâ, vel alio liquore impletum fuerit, sine mora usque ad fundum descendit, & ab ipsis absorbetur aquis. En typum peccatricis animæ, nunc huc, nunc illuc, quia fortè peccatorum mensuram à Deo definitam nondum implevit, sese ad præcipitium, & interitum inclinantis; verùm ubi tandem ad certam peccatorum mensuram à Deo ipsi definitam (quod unicum peccatum mortale, aut etiam veniale esse potest) pervenerit, juxta illud æternæ Veritatis: *Et vos implete mensuram patrum ve-* Matth. 23. 32. *strorum*

stroram &c. sine dubio aut in hac vita mortali per varia flagella, aut in altera irrevocabiliter perpetuis castigabitur suppliciis: *Et impleverunt eas usque ad summum.* Joan. 2. 7.

Hanc ob causam justissimus omnium Arbiter DEUS singulis regnis, provinciis, regionibus, civitatibus, & pagis, imò etiam singulis hominibus, ac consequenter & tibi ô candide Lector! certam quantam constituit mensuram, quam, ubi per determinatum delictorum numerum adimplêrunt, infallibiliter vindicem Dei manum experiuntur, unde Sapiens: *Omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti.* Sap. 11. 21. De qua gravissima veritate opitulante Spiritûs sancti gratiâ plura in præsenti occurrunt dilucidanda: *Audite me, qui sequimini, quod justum est, & quæretis Dominum.* Isa. 51. 1.

2. Quid vides Jeremia Propheta Altissimi! quid vides? *Virgam vigilantem ego video.* Bene, inquit DEUS, *benè vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.* Quid ulteriùs vides Jeremia? *Ollam succensam ego video*, hoc est ollam ferventem, ebullientem, & ignem furoris efflantem. O visio miranda! Et quid evenit? paulò post, ubi Judæi scelerum suorum adimplêrunt mensuram, Rex Nabuchodonosor Hierosolymam, & regionem evertit, populúmque in amaram duxit captivitatem Babylonicam. Fuit ergo virga illa similis ostènto, vel cometæ funesto, qui bellum, pestem, famem & vastitatem regno Israëlitico portendit. Per ollam autem succensam rectè intelligitur, prout benè apud Cornelium observat Hieronymus Prædo: *Dei pectus bilem coquens fervens ex quo ebullit iste furor, & flatus indignationis Dei*, præsertim in illos, qui & numero, & gravitate noxarum mensuram suam à Deo, justissimo scelerum vindice definitam, complêrunt: *Et impleverunt eas usque ad summum.* Jer. 1. 11. Cornel. hic. Joan. 2. 7.

O Anima Christiana! hîc attende, & virgam istam super te vigilantem, & minitantem, ollámque succensam semper expavesce: *Priùs*, inquit S. Ambrosius, *DEUS hîc pœnitentibus exhibet virgam correctionis, quam sinolint, impœnitentibus reservat ollam gehennæ.* Neque dicas mihi: *Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Sed audi, quid sequatur: *Misericordia, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira ejus.* Luciferum consule ob unicum peccatum è cœlo in tartarum fulminatum, Cainum, Saulem, Jeroboam, Pharaonem, Absalonem, Achab, Anthiochum, Jezabel, Athaliam, & innumeros alios, ubi malitia, & mensura culparum adimpleta fuit, æternùm reprobatos; non ergo adjicias peccatum super peccatũ, *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* S. Ambros. in Psal. 38. Eccl. 5. 6. Eccl. 5. 9.

Vis probam generalissimam? dic, quare universali diluvio totus terrarum orbis à Deo tam horrendum in modum fuerit castigatus? Observat scriptura: dum *omnis caro corruperat viam suam*; tandem completâ scelerum definitâ mensurâ, Divina Nemesis universum genus humanum (octo exceptis per-

personis) per cataclysmum extinxit; ubi ad rem nostram peculialiter sunt ob-
Gen. 6. 13. servanda ista Scripturæ verba: *Finis universæ carnis venit coram me: repleta est NB. terra iniquitate à facie eorum, & ego dispergam eos cum terra.* Nihil tunc proderant justi Noëmi preces, nihil gemitus innocentium, nihil lamenta infantum, qui ne quidem peccare poterant, sed & hi omnes rapti à Deo celeri-
Sap. 4. 11. ter, *ne malitia* suo tempore *mutaret intellectum eorum.* Ecce, cùm mensura plena est, redundare solet. Cave proinde, anime mi! ne imposterùm in grave peccatum ruas, fortasse erit ultimum, tuámque complebit mensuram.

3. Progrediamur ulteriùs. Finito diluvio, cùm homines de novo cœpissent multiplicari, cœperunt & de novo multiplicari, & accumulari peccata, donec tandem vesana libido & clamor Sodomorum ac Gomorrhæorum usque in cœlum, imò usque ad conspectum Altissimi ascenderet, ubi observat Scriptura, quòd ipse Dominus tam impio peccantium clamore excitatus di-
Gen. 18. 20. xerit: *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui pervenit ad me, opere compleverint.* Quid ais, Domine? nunquid ante omnem experientiam omnia no-
Hebr. 4. 13. visti ab æterno? nunquid *omnia nuda & aperta sunt oculis tuis?* cur ergo ipse more dubitantium Judicum cominus rem vis inspicere, & de facinore inquirere?

Adverte hîc in Deo singularem procedendi modum, dum se in omnibus humano loquendi modo accommodat, an videlicet hi populi jam ipso actu definitum à se peccatorum numerum ac mensuram compleverint. *Ostendit,*
Salvian. de vero judicio & providentia Dei. l. 1. inquit Salvianus, *quàm invitus puniat etiam gravissimos peccatores, dicens, quòd clamor Sodomorum ad se ascenderit, hoc est dicere, misericordia quidem mea mihi suadet, ut parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit, ut puniam;* quia mensura noxarum completa est, hoc enim æquitas requirit & officium justi Judicis, ne scelera non maneant impunita: *Festinat,* ait S. Chrysostomus,
S. Chrysost. hom. 25. in Genes. *Dei ultio, cùm homines in peccatis obdormiunt, idque non tantùm ex justitia, ut eos puniat, sed etiam ex misericordia, ne graviùs puniat, quos prævidet, si diutiùs superstint, graviùs peccaturos, ideóque acerbiùs puniendos.*

4. Irrefragabilem hanc veritatem per plures Scripturæ conceptus adhuc meliùs dilucidabimus. Peccaverat quondam Saul, dum in delendo Amalec contra Dei mandatum optimam sibi prædam reservavit, & quid illi accidit tri-
1. Reg. 16. 1. stis? Audi sententiam: *Dixítque Dominus ad Samuelem: Usquequò luges Saul, cùm ego projecerim eum?* ô tremendum fulmen, projici à facie Dei! ô tre-
Ps. 50. 13. mendum fulmen! Et hoc est, quod Vates Regius toties impensissimè rogavit: *Ne projicias me à facie tua.* O miram divinorum judiciorum abyssum! ergo unicum inobedientiæ delictum in Rege Saul cæterorum adimplevit mensuram peccatorum? Ita est; & tu, sordide peccator, audeas adhuc peccare? an formidas, quòd hodie adhuc (quis scit) mensura peccatorum tuorum sit terminanda?

Onam filium Judæ Patriarchæ considera, qui, dum vel semel se polluit,

mox

mox improvisa & pessima morte à Deo malorum vindice ad tartarum ablegatus est, æternas ibidem hujus turpissimi sceleris daturus pœnas: *Percussit eum Dominus, eò quòd rem detestabilem faceret.* O quod etiamnum, non dico inter Gentiles & Paganos, Barbaros & Scythas, sed quod maximè dolendum, etiam inter Christianos & Orthodoxos, & utinam non etiam inter N. N. sunt reperiundi, qui hoc abominandum contra naturam vitium non minùs curant, ac si sputum in terram projicerent! væ illis, & æternum væ! si aliquando peccatorum mensura erit finita. Gen. 38. 10.

Quid dico de Rabsace Regis Assyriorum Archistratego? qui cùm civitatem Solymæam obsideret, stans ad mœnia vel semel contra Deum & Regem Ezechiam blasphema & contumelioſa quædam verba locutus, ubi mox temeritatis suæ pœnas dedit, dum eadem nocte Angelus Domini in castris Assyriorum centum octaginta quinque virorum millia percussit: *Cúmque diluculò surrexissèt, vidit omnia corpora mortuorum &c.* Vade blaspheme & perjure, & pone ulteriùs os tuum in cœlum, ô miserrime! quid tandem de te fiet, cùm mensura tua erit completa? 4. Reg. 18. 19. 4. Reg. 19. 35.

Rabsaci subjungo Achan, virum aliàs strenuum, sed semel unum furtum comittentem, dum in expugnatione Jerichuntina pallium coccineum, ducentos siclos, & regulam auream clam surripuit, ac fossa humo operuit; & ecce ob unum hujus militis peccatum universus Hebræorum exercitus confusus, & ipse Achan lapidibus obrutus est: *Dixit Josue: Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac, lapidavítque eum omnis Israël, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Jos. 7. 25.

Quis ignorat, quòd ob unicum, & quidem leve Davidis peccatum (ut plures autumant Interpretum) dum ex aliqua arrogantia, & mentis elatione populum suum numeratum voluit, justissimus Deus Regnum ejus sæviſſima peste castigaverit, ex qua intra triduum septuaginta hominum millia interempta sunt: *Hæc dicit Dominus, trium tibi datur optio; elige unum &c.* 3. Reg. 24. 12.

An non servus ille Evangelicus, qui paulò ante gravissimi debiti, hoc est, decem millium talentorum relaxationem à Domino suo impetravit, cùm de novo unicum peccatum in conservum suum admisit, mox omnem gratiam & favorem Regis perdidit: *Et iratus Dominus, tradidit eum tortoribus &c.* Matth. 18. 34.

Vide quisquis es, ô homo! ex his allatis Sacræ Scripturæ testimoniis, quomodo vel unicum peccatum plenam tibi mensuram à Deo prædefinitam possit constituere, qua completâ infallibiliter reatus pœnarum sequitur, ita ut in hoc sæculo vel temporalis gravissima pœna, vel in altero, heu æterna tibi certò certiùs immineat: *Ita ut tali peccato* (sunt verba S. Ignatii Societatis JEsu Fundatoris) *vel semel commisso, detrusi multi in infernum &c.* O bone Deus! quis hanc considerans veritatem non ex animo contremiscat? Quis, quæso, imposterùm adhuc peccare, & Deum suum, justissimum noxarum ultorem, S. Ignat. lib. Exerc.

offendere audeat, cùm fortassè proximum, quod commissurus es delictum, tibi omnem gratiam Divinam tollet, & rectà ad tartarum viam sternet? *Hæc time*, subintrat hîc S. Basilius, *& hoc timore correptus, animam à peccatorum concupiscentia tanquam fræno reprime.*

S. Basil. in psal. 33.

5. Solent autem juxta mentem superiùs memorati Salviani ad hanc mensuram complendam principaliter concurrere, Deíque vindictam in Regna & Provincias potenter accelerare Ecclesiasticorum vitia, quando DEUS, illos quos ad aliorum correctionem posuit, conspicit de se dare exempla pravitatis; quò enim sanctior eorum status est, eò gravior etiam, atque damnabilior est illorum culpa; neque DEUS provinciam, urbem, pagum, & communitatem aliquam graviore pœnâ potest affligere, quàm si malè moratum Rectorem aut Pastorem præesse sinit, cujus contagioso exemplo facilè reliquus Dominicus grex inficitur. Certè cùm Sacerdotes ac Pontifices Judæorum de Christo coram Pilato Romano Judice succlamârunt? *Crucifige, crucifige eum*, mox omnis populus pravum eorum exemplum secutus est: *Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur.* O bone JESU! ergo pravum Sacerdotum exemplum te in Crucem egit, & populum ad eandem Crucis mortem postulandam duxit! O quàm benè Sanctissimus Antistes Hipponensis: *Nihil*, inquit, *est in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & lautius Episcopi, aut Presbyteri officio; sed nihil apud Deum inferius, & tristius, & damnabilius, cùm eodem non probè funguntur, & aliis scandalo sunt.*

Matth. 27. 23.

S. August. Epist. 28.

Heli summum quondam Sacerdotem in lege considerate, per cujus supinam negligentiam pessimúmque exemplum non duntaxat duo filii ejus Ophni & Phinees miserrimâ morte periêrunt, sed & populus Israël gravissimâ afflictione & bello contritus unà cum Arca fœderis in potestatem Philistinorum redactus est: *Ecce ego*, ait Dominus ad Samuelem, *facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus: in die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus: incipiam & complebo.* O quoties evenire solet, quod Isaias de suo ævo commemorat: *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* Quod pateticè S. Doctor Mellifluus illis adaptat Sacerdotibus, qui vitam degunt laicorum. Audi, & perpende in hanc rem & Divum Gregorium Magnum, qui de suo tempore ita de ejusmodi pravis & socordibus Ecclesiasticis scribere non abhorruit: *Quantò mundus gladiò feriatur, aspicitis; quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis; cujus hoc, nisi nostro Sacerdotum peccato agitur? nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debebamus duces ad vitam; ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia nostrâ faciente negligentiâ ad vitam erudita non est.* Usque huc Magnus ille Gregorius de suo ævo; quid de nostro & moderno sæculo sentiendum, penes te, ô prudens Lector, sit judicium.

1. Reg. 3. 11.

Isa. 24. 2.

S. Greg. Mag. hom. 17. in Evang.

6. Sed

6. Sed & Magistratus policiti juxta eundem Salvianum, virum in Ecclesia celeberrimum, & auctoritatis gravissimæ, ad hanc complendam mensuram insigniter concurrunt, ut Deus nunc hanc, nunc illam provinciam per cruenta bella, malesuadam famem, sævissimam pestilentiam, horrendos terræ motus, maris & fluminum inundationes, aliáque sexcenta flagella toti communitati immissa vehementissimè castiget, dum per eorum negligentiam, conniventiam, avaritiam & injustitiam frequenter peccata reipublicæ ingravescunt, & ad numerum in arcano, Divinóque consilio definitum ascendunt, ut Deus tanquam justissimus omnium arbiter necessariò [ut ita dicam] ejusmodi rempublicam punire debeat. Juvat hîc iterum audire Salvianum: *Certè*, inquit, *piscis à capite putrescere incipit, & qualis Rex, talis grex, Regis enim ad exemplum totus componitur orbis; morbido autem capite nihil sanum est, neque ullum omnino membrum officio suo fungitur, ubi, quod est principale, non constat.* Salv. de Provid. l. 7.

Luculentum de hac veritate subministrant exemplum Regum libri; cùm enim Rex Sedecias cum Aulicis suis ac Regni Primatibus à recto salutis tramite declinâsset, malúmque in conspectu Domini fecisset, mox etiam subditi hunc suum Magistratum, quasi laxatâ habenâ, secuti sunt; ex quo evenit, ut & Rex & grex post cruentam plurimorum stragem, incenso templo & urbe Hierosolymitanâ in captivitatem Babylonicam abducerentur: *Fecítque malum in oculis Domini Dei sui*; & post pauca interjecta addit Scriptura: *Sed & universi Principes Sacerdotum & populus prævaricati sunt.* Ex qua scelerum completâ mensurâ tandem totius Regni eversio facta est: *Ecce*, inquit Amos Propheta, *oculi Domini Dei super Regnum peccans, ut conteram illud à facie terræ.* O felix illa Respublica, felix Provincia, felix Regnum, ubi multi sunt viri justi, propter quos sæpiùs Deus nobis solet parcere, prout patet in Sodomis, & si vel solum decem justi fuissent inventi, in gratiam illorum illud miserabile excidium fuisset impeditum: *Non delebo propter decem.* Hinc patet, quanto in pretio haberi debeant justi, quia sunt bases & columnæ reipublicæ. 2. Par. 36. 21. Amos. 9. 8. Gen. 18. 39.

7. Juvant insuper ad hanc definitam mensuram, imò ex integro eam complere solent peccata subditorum, ac membrorum reipublicæ, quod Deus T. O. M. tunc Abrahamo insinuavit, quando ipsi & semini ejus Palæstinam seu terram Amorrhæorum optimam ac longè fertilissimam post aliquot annorum tractus promisit tradendam, cùm videlicet Amorrhæi mensuram scelerum suorum adimpleverint, proinde ad Abraham dixit: *Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum &.* Gen. 15. 16.

Supra quod Cornelius à Lapide: *Non ergo levia putemus etiam peccata parva, quia addunt aliquid ad hunc cumulum*, quantò magis graviora populi delicta, ut sunt quotidianæ blasphemiæ, perjuria, odia, rapinæ, ebrietates, iracundiæ, superbiæ, contemptus Divinorum, oppressiones pauperum, detractiones, avaritiæ, usuræ, discordiæ, malæ filiorum educationes, invidiæ, menda- Cornel. hîc.

mendacia, calumniæ, injustitiæ, & quàm maximè tot fœdissimæ libidines, ac contra omnem naturam impudicitiæ exercitæ hunc cumulum & mensuram perficient? O populе stulte & insipiens, hæccine reddis Domino ac Deo tuo, qui creavit, & redemit te? an ergo mirum ac peregrinum nobis videatur, si DEUS Rempublicam ac Provinciam nostram incessanter publicis affligit & conterit calamitatibus? An non ipse peccator sibi parat, quod patitur? Felix ille, cujus delicta DEUS cirò in hoc mundo castigat, per hoc enim peccatorum cumulus solet decrescere, ubi econtrario magna Dei ira præsumitur, cùm pœnam peccatori differt, ac dissimulat DEUS, donec peccata ad certum terminum & ad summum pervenerint. Anthiochum consule à Persepoli fugatum & maximis viscerum doloribus à Deo percussum, ita ut cum fœtore intollerabili è languido corpore vivi vermes scaturirent, qui, cum post suorum criminum agnitionem Deum pro salute sua orâsset, ob completam scelerum mensuram non ampliùs à Deo, justissimo scelerum vindice
1. Mach. 9. 13. exauditus, sed infausta ac miserrima morte extinctus est: *Orabat autem hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.*

Eccl. 5. 4. Verùm objiciet mihi non nemo mundanorum illud Ecclesiastici: *Peccavi; & quid mihi accidit triste?* Sed audi, mi Cosmophile, quid mox addat Sapiens: *Altissimus est patiens redditor.* Audis hoc, & audis benè: *Patiens redditor?* qui bona & mala tua exactissimè ad libram justitiæ examinat, ut te aut præmiet, aut puniat æternùm; & si post admissa peccata tua te hactenus non statim punivit, cave & expaveſce, longanimiter enim expectando tarditatem supplicii gravitate compensabit, ac tunc præsertim, quando tua adimpleta erit delictorum mensura, quod per unicum fieri potest peccatum. Unicum delictum admisit Lucifer, & mensuram implevit. Adam ob unicam noxam è paradiso eliminatus est. Uxor Loth ob levem curiositatem subitaneâ morte mulctata, & in statuam salis mutata est. Ananias & Saphira ob unicum mendacium repentina nece sunt castigati &c. Et quot peccatorum plaustra tu homo Christiane, hactenus jam implêsti? O si guttam Christiani sanguinis sub pectore alis tuo, disce, futura de te formidare judicia, & per seriam vitæ emendationem evertere scelerum mensuram, ne medio hoc repleto æternùm pereas; Elige proinde cum Eleazaro fortissimo illo sene *priùs præmitti in infernum*, quàm imposterùm voluntarium committere peccatum.

Isa. 14. 15. Gen. 3. 24. Gen. 19. 26. Act. 5. 5. 2. Math. 6. v. 23.

8. Coronidem huic nostræ Considerationi imponat mitissimus orbis Servator JESUS, qui, cùm per totum diem jejunus in templo docuisset populum, sub vesperam in montem Olivetanum se contulit, ibidem in oratione ad Patrem pernoctaturus. Et ecce, cùm egrederentur de civitate Discipuli, qui priùs ab illo excidium templi & urbis desolationem audierant, ut eum ad commiserationem, excidiique revocandam excitarent sententiam, admiran-

dam

dum hujus Solymæi templi fabricam ac magnificentiam. ostendebant: *Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.* Sed nihil movit Christum hæc templi magnificentia, proinde illis respondit: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* O bone JEsu! quid templum & lapides peccârunt? cur illi destruantur? Matth. 24. 1.

Adverte anime mi! hîc singulare mysterium, omnia enim, quæ faciebat, vel permittebat Christus corporaliter, juxta mentem S. Augustini, etiam intelligenda sunt spiritualiter, quæ devastatio templi exinde sub Tito & Vespasiano secuta est, cum ingratissimi Judæi plenam peccatorum suorum faciebant mensuram. Proinde per hoc templum juxta mentem Doctoris Angelici, & SS. Patrum rectè subaudiri potest quilibet homo Christianus, de quo Apostolus: *Vos estis templum Dei vivi*, quod templum mysticum tunc destruitur, cùm homo peccatum mortale, voluntariè admittit, ibi de hoc templo egreditur Deus cum sua SS. gratia, & non aliud ei remanet, nisi devastatio, & post adimpletam scelerum mensuram, perpetua desolatio. Qualis erit tunc rerum facies, si re stertentem occupaverit repentina & improvisa mors! semel hîc periîsse, æternùm periîsse est. O miser! *si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi!* An fortè, optimè Lector! hæc quoque *abscondita sunt ab oculis tuis?* O sape, dum licèt, & hoc momento, quo hæc legis, ad meliorem redire frugem satage: *Quis enim*, ait Cornelius, *viperam lethiferam manu ferat, & non statim excutiat? Quis pestem in corpore alat: Quis hostem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi tolleret? Quis dæmonem in mente gestet? Peccatum lethale est vipera, est pestis, est hostis, est cadaver, est Dæmon: illicò ergo, ut illud sentis, totis viribus excutias.* Hoc fac, & vives. 2. Cor. 6. 16. Luc. 19. 42. Cornel. in Eccl. 5. 6.

CONSIDERATIO VIII.

De Peccato mortali considerato in suis effectibus.

Pro Dominica 3. post Epiphaniam.

Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. 8. 6.

I.

Judic. 16. 21. Luc. 10. 30. Jo. 15. 2. Rom. 6. 13. Matth. 8. 6.

PEccator existens in mortali, similis est Samsoni funibus & catenis ferreis ligato, & in amarissimam Philistinorum servitutem abducto: *Quem cùm apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis.* Similis est viatori Jerichuntino descendenti in Jerusalem, & incidenti in latrones, *qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Similis palmiti à vite sua avulsæ & abscissæ: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Similis membro mortuo à vivo corpore suo decusso: *Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato &c.* Similis hodierno paralytico in domo Centurionis gravissimis cruciato doloribus, qui seipsum ampliùs juvare non poterat, nisi à Deo & Homine Christo verbo vitæ pristinæ fuisset restitutus saluti: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.*

Job. 41. 11. Jacob. 1. 15. Ps. 77. 47. Deut. 32. 33. Gen. 3. 15. Ezech. 18. 4. Eccl. 21. 2.

O peccatum mortale, quàm gravis es paralysis, quàm crudelis latro, quàm sævus tyrannus! ah quantùm torques animam hominis! O venenose basilisce, qui solo aspectu hominem incautum insanabili toxico inficis, & interficis, unde lemma ejusmodi basiliseo rectè affiges: *Aspiciendo necat.* O ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina, & sicut ignis currens in cuniculis, seu ut vocant, mineris, uno momento, dum erumpit, montes & colles, castella & oppida, ædes & turres dejicit, vastat, præcipitat: ita *peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* O grande infestus, omnes simul virtutum plantas uno percutiens instanti: *Occidit in grandine vineas eorum.* O draco pestilens, de quo Moyses: *Fel draconum vinum eorum; & venenum aspidum insanabile!* O serpens nove & antique, qui etiamnum insidias paras calcaneo hominis: *Et tu insidiaberis calcaneo ejus!* O anime mi, quare accedis ad hunc anguem; virus aspirantem tartareum: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur?* Fuge, fuge, & *quasi à facie colubri fuge*

pecca-

peccatum, & si acceſſeris ad illud, ſuſcipiet te: dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum. Quam veritatem Scarlatinus egregio emblemate adumbravit, dum pedem hominis pingi curavit ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulantem, & capita eorum conterentem cum inſcripto: *Premat, ne perimat.* Job. 21. 5.
Plura de hac veritate in præſenti: *Attendite me, & obſtupeſcite, & ſuperponite digitum ori veſtro*, quantum malum ſit unicum peccatum mortale, ac vos Deut 32.
præſertim, qui *Deum, qui vos genuit, dereliquiſtis, & obliti eſtis Creatoris* 18.
veſtri, attentas arrigite aures.

2. Crudele quondam ac horridum mundo exhibuit ſpectaculum Ado- Judic. 1. 7.
nibezec, infamis ille ac ſanguinarius tyrannus, dum ſeptuaginta Regibus ac Dynaſtis in bello devictis manuum ac pedum ſummitates amputandas curavit, quos magnæ proſapiæ viros, tanquam canes famelicos ſub menſa ſua voluit ſerpere, ut reliquias ciborum, quas illis projiciebat, colligerent. Horridum, inquam, ac tragicum ſpectaculum. O peccator! gravi ac voluntaria noxa tuum offendis Deum, agnoſce miſeriam tuam, tantò enim miſerabilior es, quò minùs tuam ipſe capis miſeriam, dum illo temporis momento, quò in Deum graviter delinquis, non duntaxat Regni cœleſtis hæreditatem, ſed & dignitatem filii Dei adoptivi plùs quàm regiam amittis, tradendus impoſterùm ſanguinario illi ac tortareo tyranno, qui amputatis manibus ac pedibus tuis coget te, velut canem famelicum per omnem æternitatem circumire, & non famem tantùm, ſed & ipſam (heu! quid magis miſerum?) quamdiu Deus erit, pati gehennam. O truculentum tyrannum, an poteſt homo eſſe miſe- Pſ. 111. 9.
rior? Hìc verificabitur illud Jeſſæi Vatis: *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum.*

Sed dicet hîc mihi nonnemo, cur à Deo juſtiſſimo ſcelerum vindice pec- Deut. 25.
catori ob mortalem culpam vel unicam pœna ſtatuitur æterna? An non *pro* 2.
menſura peccati erit & plagarum modus? Nunquid pœna debet eſſe proportionata culpæ? ſi momentaneum quid peccatum eſt, unóque committitur momento; quare ergo pœnâ plectitur æterna? quomodo conveniunt momentum & æternitas? Brevis voluptas, & ſupplicium nunquam terminandum? Nunquid *juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum*? Pſal. 118.
137.

Omiſſis, quas adſtruunt Theologi rationibus, rectè unico delicto mortali pœna debetur æterna, quia tantò graviùs quis peccat, quò major eſt offenſæ perſonæ dignitas, ſed dignitas offenſæ perſonæ infinita eſt, quia ipſe Deus eſt, ergo & peccati mortalis culpa (ſaltem ſecundùm quid) infinita eſt, ac proinde infinito digna ſupplicio. O anima chriſtiana! collige vel ex hoc, quantum malum ſit vel unicum lethale & inſtantaneum peccatum; audi virum graviſſimum de ejus gravitate differentem: *Si quis peccati minimi mortalis gravitatem per-* Stanihurſt.
fectè cognoſceret, & Dei ſimul offenſi Majeſtatẽ, & bonitatem, non eſſet vena in de Chriſto
corpore toto, quæ non aperiretur præ vehementia doloris, toto corpore ſudaret Pat. c. 1.
ſanguinem, erigerentur ei præ horrore omnes in vertice capilli, deficerent eum §. 11.
vires

vires, finderetur pectus, & corrumperetur, frangerentur costæ; denique impatiens doloris præ ejus immensitate repentè corrueret in terram exanimis, & moreretur. Et tu tamen audes peccare & quidem mortaliter?

3. Et ut magis hanc capias veritatem, imaginare tibi, anime mi! quasi hoc ipso temporis momento adhuc præsentem videres miserabilem illam stragem, in qua Lucifer nobilissimus cœli Princeps, & cum eo infinita propemodùm Angelorum multitudo pleno & effuso impetu ad instar fulminis ex supremo cœli fastigio ad ima usque tartara deturbentur, æternis inferorum
Luc. 10. 18. suppliciis, quamdiu durabit æternitas, cruciandi: *Videbam*, ait Veritas, *Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* O luctuosam rerum metamorphosin! priùs sereniſſimi Aulæ æthereæ Principes, nunc momento fœdissimi Dæmones! quid, quæso, fecerunt hi nobilissimi Angeli? quæ causa hujus ac tantæ ruinæ?

Audi, & mirare. Tota illorum culpa unius momenti cogitatio fuit, ob
Isa. 14. 14. quam momentaneam superbiam: *Exaltabo solium meum*, nunc æternis cruciantur & torquentur suppliciis. O Deum immortalem! si æquissimus Judex (ita
2. Petr. 2. 4. gravissimè argumentatur Apostolorum Princeps) *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus detractos ex summo cœlo in tartarum tradidit cruciandos;* quantò minùs homini, abjectissimo Sathanæ mancipio parcet, si contra eum per peccatum rebellis fiat? Et si unica noxa sola cogitatione apprehensa formosissimos cœli Principes potuit in deformosissimos & horribiles Dæmones commutare, quanta, obsecro, erit animæ tuæ deformitas, qui jam à tot vitæ tuæ annis, non dico sexcentis, sed millenis ac millenis scates peccatis? Hic se-
Ps. 93. 17. dens, si potes, computa sumptus tuos, qualem pœnam merearis ob toties offensum Deum; nunquid & illud Davidicum tibi poteris applicare: *Nisi quia*
Thren. 3. 22. *Dominus adjuvat me, paulò minùs habitâsset in inferno anima mea?* Vide ergo, ac considera, quantùm debeas infinitæ misericordiæ & longanimitati Divinæ: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti.*

4. Ad terrestrem paradisum transeo. Eheu quid video? Cherubinum thomphæâ ignivomâ atque versatili instructum, quâ protoparentes nostros è feliciſſima patria in exilium innumeris scatens miseriis & ærumnis eliminat. Et quid patrârunt hi miseri? Audi, & maturiore perpende intellectu: Adam fœmineâ fractus persuasione de fructu arboris scientiæ boni & mali comedit,
Gen. 3. 24 Ergóne ab uno malo tantum malum? ita, ô mortales! hinc illæ lachrymæ: *Ejecítque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem.* Res miranda; ad quid tenuit, & vibravit Cherubinus ille flammeum gladium, dum protoplastos ab horto voluptatis ejecit in exilium.

S. Chrysost. sup. Ps. 8. Observat hîc S. Chrysostomus, quòd propter peccatum Adami bestiæ ac bruta in paradiso mox in rabiem acta sint, quæ Adamum & Evam, dum imaginem Dei perdiderunt, absque ullo dubio in mille frusta dilacerâssent,

nisi

niſi maturè ab Angelo è paradiſi horto per flammeum & verſatilem gladium fuiſſent expulſi. Ecce, unicum Adami peccatum tot malorum ac pœnalitatum ſcaturigo extitit; ſic videlicet, teſte S. Bernardo, *porrigit Diabolus pomum, & ſurripit paradiſum.* O miſerandam mortalium ſortem! an non hæc unica recordatio ſalutarem nobis incutere debet timorem, ut cane pejùs & angue peccatum fugiamus? Et quid, obſecro, diluvium invexit, Pentapolim evertit, ſerpentes ignitos in populum immiſit, primogenitos Ægyptiorum occidit, omnes aquas in illo Regno in ſanguinem mutavit, Pharaonem cum omni ſuo exercitu in mari rubro ſubmerſit, deſertum Iſraëlitarum cadaveribus repleVit; Angelum armavit, ut populum peſtilentiâ feriret; Bethſamitas morte ſubitanea caſtigavit, hactenus usque in diem hunc omnis generis mala in mundum intulit, nonne peccatum? Sic videlicet lapidem in altum mittimus, qui majori impetu cadet ſuper caput noſtrum. Ingemiſcimus modò ſub graviſſimo belli jugo; inſanit Mars, hoſtile agmen in patriam irrumpit, omnia ſúsque déque ſeruntur, urbes & pagi expoliantur, in vincula honeſtiſſimi quique ac in barbaram ſervitutem trahuntur, templa Deo dicata conſpurcantur, polluuntur, agri vaſtantur, plurimi ad ſummam rediguntur egeſtatem, verbo ut abſolvam uno, cuncta nobis minantur ruinam! ſed undè tot mala? Ne dicas mihi, Reges ac Principes hujus cruenti belli & cunctarum, quas modò Europa patitur cauſa & origo ſunt ærumnarum. Erras mihi homo & toto cœlo aberras, nam ipſe *Dominus apprehendit Cyri dextram*, qua nos caſtigat; neque malum eſt in civitate, quod non fecit Dominus, omnium malorum cauſa & origo eſt peccatum: *Famem*, inquit, S. Hieronymus, *& peſtem, & beſtias peſſimas, & quidquid aliud malorum ſuſtinemus in ſæculo, propter peccata noſtra venire manifeſtum eſt. Nos peccamus, & à Deo flagellamur: cauſam tollite, & hi non ſequentur effectus.*

5. De Nabuzardan ſupremo Regis Nabuchodonoſoris miniſtro, & exercitûs illius Principe referunt Regum Annales, quòd captâ Jeruſalem non tantùm exſpoliaverit, ſed & ſuccenderit templum Domini, & ejus ornamenta ac divitas abſtulerit &c. *Vos eſtis templum Dei vivi*, ſubintrat hîc gentium Doctor; Et peccatum committitis, quid aliud agitis, ô Chriſtiani! quàm quòd Dei templum violetis, ſuccendatis & deſtruatis? *Et quod majus homicidium*, ait S. Drogo Epiſcopus Oſtienſis, *quam ut ſeipſum interficiat homo? quoties voluntariè & ex ſtudio peccatum perpetrat, quid aliud, quàm ſeipſum jugulat!*

Et nunquid, anime mi! conſideràſti aliquando arborem illam ſici, virentibus quidem foliis ſpeciosè exuberantem, ſed quia nullum fructum tulit, à Chriſto excommunicatam: *Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum.* Quid quæſo peccavit hæc ficulnea?

O anima peccatrix! tu es illa maledicta ficulnea; quàm primùm enim peccatum lethale liberè, voluntariè & advertenter contra Deum, optimum

S. Bern. de grad. humil.

Gen. 7. 6.

Gen. 18. 24.

Num. 21. 6.

Exod. 11. 5.

Exod. 7. 21.

Exod. 14. 25.

Num. 21. 5.

2. Reg. 24. 16.

1. Reg. 6. 15.

Iſa. 45. 1.

S. Hieron. in cap. Ezechielis.

4. Reg. 25 8.

2. Cor. 6. 16.

S. Drogo ſerm. de SS. Paſſ.

Matth. 21. 19.

Patrem ac summum benefactorem tuum committis, eodem instanti non tam Deum summè bonum graviter offendis, & maledictionem Divinam incurris, quàm & omnia tua merita ac bona opera perdis. Etsi haberes S. Pauli Doctoris gentium merita, & cum eo milliones animarum ad fidem orthodoxam convertisses; Etsi omnes substantias tuas, totúmque Principatum cum S. Carolo Borromæo unâ die in pauperum usus distribuisses. Etsi in dimidio pane & aqua per omnem vitam cum Div. Paulo Eremita jejunâsses. Etsi cum S. Francisco Seraphico cuncta reliquisses pauperibus temporalia, & cum eo ob eminentem vitæ tuæ sanctitatem quinque SS. Vulnerum stigmata à Christo crucifixo recepisses. Etsi cum B. Simeone Stylita octuaginta annis & ampliùs super marmoream columnam in assidua pœnitentia sub nudo cœlo stetisses. Etsi denique solus omnium Sanctorum & ipsius SS. Deiparæ merita tibi congregâsses in unum; atque nunc vel unicæ cogitationi morosæ & impuræ advertenter, liberè ac voluntariè consentires; dico, eodem momento omnia merita tua sunt perdita, deleta, ac mortificata: *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*: Heu in quantam malorum voraginem nos præcipitat unum peccatum mortiferum, & una brevissima ac momentanea voluptas!

Ezech. 18. 24.

Auscultemus adhuc majora. Dic anime mi! An non Christus pretiosissimus & unigenitus Dei Filius pro nobis apud Patrem per amarissimam passionem suam abundantissimè satisfecit? Omnino, inquis, *quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Sed audi, & attentiore mentis oculo perpende, quid dicam: dum in peccatum mortale voluntariè ruis, tota Christi JESU Passio in te perdita & evacuata est. Mihi non credis? testem omni exceptione majorem S. Paulum orbis Præconem produco: *Christus*, ait ad Galatas peccatores, *vobis nihil proderit. . . Evacuati estis à Christo . . . A gratia excidistis.* Quasi diceret: Nihil vobis proderit sanguineus ille imber, quem pro vestra salute in Oliveto profudit Redemptor; Nihil integra legio flagrorum; nihil spinæ cruentæ; nihil gravissima Crux; nihil omnis Sanguis per SS. vulnerum canales in animarum salutem promanans; nihil denique proderit ipsa mors Salvatoris, *quia evacuati estis à Christo, quia à gratia excidistis,* & per peccatum mortale læsæ Divinæ Majestatis rei facti, velut infidi rebelles à Deo vestro ad capitalissimum hostem vestrum, diabolum, transfugistis, cujus nunc mancipia & servi estis: *Quia omnis, qui facit peccatum, servus peccati est.* O dira servitus! ô horrendum malum peccatum! & quomodo possibile, ô anime mi! ut cum hoc serpente venenoso, assiduò tua rodente viscera, dormitum eas, & toto profles de pectore somnum? *Vivit Dominus*, dicebat quondam David ad suum dulcem Jonatham, *& vivit anima tua, quia non tantùm (ut ita dicam) gradu ego mórsque dividimur.* Et tu, homo Christiane, si

Pf. 129. 7.

Gal. 5. 2.

Joan. 8. 24.

1. Reg. 20 3.

in

in mortali vivis peccato, dic, quo gradu à morte & inferno dividaris? Juvat hîc audire S. Thomam Villanovanum: *Ecce*, inquit, *ardet infernus sub pedibus inhians, atque ad devorandam miseram animam apertus: & jam peccator ipse deputatus est ad illum; & solùm pendet ex tenui filo vitæ præsentis, quod tam facilè rumpitur. Et miser ridet, comedit securus, & gaudet, neque est sibi cura de remedio?* S. Th. Vill. ser. Dom. 3. Quadr.

7. Sed neque hîc se sistit oratio mea; plura adhuc, eaque infinita mala invehit in orbem horrendum illud & abominabile monstrum, peccatum mortale; & quod summè dolendum, illud est, quòd animam à Deo O. M. ac Summo illo imenso Bono æternum separet, eámque sempiternis addicat suppliciis, nunquam, nunquam, eheu! nunquam per omnem æternitatem terminandis: *Si quis in me non manserit, mittetur foras; & in ignem mittent, & ardet.* Ubi peculiariter notandum, quòd Veritas cætera verba in futuro, sed *Tò* ardet in præsenti collocaverit; ibunt nimirum myriades & milliones annorum, ubi tamen nihil aliud de ejusmodi damnata audietur anima, quàm hoc triste: *Ardet, ardet, ardet.* O peccatum, in quantam calamitatum abyssum hominem præcipitas! Et adhuc lubet peccare, anime mi? Jo. 15. 6.

Sapientissimus Siracides prudentissimum quondam nobis suggessit consilium, ut mortuum ac fatuum deplangamus: *Supra mortuum*, inquit, *plora, defecit enim lux* (vita) *ejus; & super fatuum plora, defecit enim sensus.* Et quare mortuum ploremus? Christus ploravit mortem Lazari, & plorando eum à mortuis resuscitavit, hoc nos facere non possumus. Ad quid ergo mortuum ploremus? & quod adhuc magis mirandum, vult idem Siracides; *Super fatuum plora; defecit enim sensus.* Et quis ille fatuus ac mortuus? Respondet ad rem Cornelius, quòd per illum mortuum & fatuum homo peccator, qui mortiferâ noxâ Deum suum offendit, debeat subaudiri, qui non tam fatuus, quàm & mortuus coram Deo est: *Maximè*, inquit, *plorandi sunt fatui, id est peccatores, qui in peccato moriuntur; bi enim utramque mortem, & naturalem, & spiritualem obeunt, ac ad mortem secundam, puta ad gehennam ignis, transeunt, nec ab ea revocari possunt, sed per omnem æternitatem in ea cruciabuntur.* O miseriam sanguineis lachrymis nunquam satis deplorandam! & tu rides, ô peccator? Ludit recum Dæmon, ait Geminiani, sicut catus cum mure capto ludit, quẽ tandem post lusũ occidit, & devorat; & tu rides ad proprium tuum interitum; Ah miser, non absimilis es illis Philistæis, qui, dum cum Samsone capto & cæco ludebant, & ipsi tripudiando ruinâ domûs involuti sunt, atque in puncto ad inferos descenderunt: *Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat &c.* Sic & tibi continget, ô peccator! *Cùm enim dixerint, pax & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus.* Eccl. 22. 10. Jo. 11. 35. Cron. hîc. in Eccl. 22. 10. Gemin. l. 5. c. 39. Judic. 16. 20. 1. Thess. 5. 3.

8. Cùm Christus vita nostra in Cruce cum morte duellô conflixit mirandô, non solùm *Angeli pacis amarè flebant*; sed & Serenissimus Astrorum Rex, & cum Isa. 35. 7.

eo

eo omnis creatura ingemuit, ac indoluit: Luna videbatur quasi præ mœrore sanguinea, petræ scindebantur, monumenta aperta sunt, universa terræ machina horrendo motu concussa est &c. Causam hujus insolitæ & inauditæ perturbationis naturæ assignant SS. Patres, quia insensibiles istæ creaturæ Creatorem & Authorem suum perdiderunt, ideò præ dolore quodammodò & ipsæ dissolutæ sunt: *& petræ dissolutæ sunt ab eo.* Vah quid erit; anima peccatrix! si tandem perdes ipsum Deum, omnium bonorum fontem, amantissimum Patrem ac Redemptorem tuum, & ab eo separata nunc rectà migrabis ad infernum! Ah quid erit? ô acerba, ô amara damni pœna! Et quid dico de pœna sensûs? Dic obsecro, homo Christiane, quo pretio vivus in ardenti rogo per unicam duntaxat horam velles exuri? nullo, inquies, licèt Herodes sui Regni mihi legaret dimidium, imò si totus terrarum orbis mihi in pretium veniret & præmium. Sed quid unica hora? horam commutemus in quadrantem, & dic, Sodes! éstne homo in mundo, qui tantum ignis tormentum pro acquirendo integro Regno vel per unicum quadrantem horæ vellet sustinere? Vix credo, quòd talis foret reperiundus. Et tu, ô insensate! nihilo secius per peccata tua huic manifestissimo æternæ damnationis periculo te quotidie exponis? Audi Isaiam Prophetam: *Quis*, inquit, *poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et adhuc lubet peccare, & Deum offendere?

Nahum. 1. 6.

Marc. 6. 23.

Isa. 33. 14.

De Loth recenset Scriptura, quòd, cùm ante eversionem Sodomæ cum amicis suis de præsentissimo & corporis & animæ perdendæ periculo nunc ipsis instante loqueretur, illis quasi ludens & jocans visus sit: *Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos: Surgite & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc; & visus est eis quasi ludens loqui.* O anima peccatrix! non ludit, neque jocatur Veritas Divina, dum toties in Scriptura peccatoribus sempternum væ, væ prædicit, sed certò certiùs damnabit illos, qui Legem Divinam prævaricati sunt, & impœnitentes, vel non seriò pœnitentes ex hoc vitæ curriculo ad æternitatem migrârunt: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Et hoc propter unicum peccatum mortale? ita est. *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Vide nunc, ac maturè considera, quàm abominanda res sit vel unicum peccatum mortale, quod Deus & homo Christus, licèt infinitè bonus, infinitè clemens, infinitè misericors pœnâ tamen punit æternâ, & quis crederet, nisi hoc Veritas revelâsset? Quid igitur restat, nisi ut *abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis?* Imitemur Eleazarum, qui cùm ad peccandum à Gentibus tentaretur, animosè respondit: *Præmitti se velle in infernum,* quàm ut liberè, ac voluntariè in peccatum consentiret. Hoc fac & tu, homo Christiane, & hoc momento tecum statue, mori potiùs ac præmitti in infernum, quàm ut in peccatum consentias. Abi in pace.

Gen. 19. 14.

Matt. 25. 46.

Jac. 2. 10.

Rom. 13. 12.

2. Mach. 6. 23.

CON-

CONSIDERATIO IX.

De Peccato veniali in se, suísque effectibus considerato.

Pro Dominica 4. post Epiphaniam.

Et ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. 8. 24.

1.

PArùm hodie abfuit, quin in instabili maris elemento navicula fluctibus, ventis & tempestatibus conquassata periisset. En typum peccati venialis semper magis, magísque hominem in majora pericula præcipitantis, tandem ad interitum disponentis, quod in impio Christi Traditore sensim à levioribus delictis ad majora devoluto hodie luculenter apparuit, de quo S. Ambrosius; *Unius*, inquit, *delicto cunctorum merita quatiuntur &c.* S. Ambr. serm. 11.

Verum est; peccatum veniale Christum pientissimum Redemptorem nostrum non iterum in crucem agit, sed tamen eum offendit, conspuit, & supremam ejus vilipendit majestatem; gratiæ divinæ omnimodam jacturam non facit, sed eam valde minuit, & sanctissimæ Dei voluntati protervé resistit: Animam non quidem æternùm damnat, sed eam in grande damnationis periculum conjicit &c. Verbô: tantum malum est, quod longissimo etiam intervallo omnia hujus mundi mala antecedit; proinde haud immeritò vel in hac, vel in altera vita in igne purgante exquisito castigatur rigore. Consideremus plura de hac veritate in præsenti. Si salutem vestram amatis, attentas præbete aures.

2. Ita est, & minima subinde non minimè nocent. Parva scintilla magnum sæpè excitavit incendium. Una minutissima arenula oculum offendit, & ad lachrymas cogit. Una aquæ guttula, si ingressum per navis rimas invenit, conglomerata tandem navi causat interitum. Remora exiguus pisciculus navem mercibus onustam per maris undas plenis volantem velis in medio cursu sistit, unde lemma: *A modico non modicum.* Unus lapillus prodigiosam illam Nabuchodonosoris statuam contrivit, & annihilavit: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus,* Dan. 2. 34.

1. Reg. 5. *libus, & comminuit eos.* Nunquid parvuli mures villas & cunctos Philistinorum agros devastârunt: *Et ebullierunt villæ, & agri in medio Regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in civitate?* An non vilissimæ muscæ & sciniphes universam Ægyptum extremè defatigârunt: *Facti sunt sciniphes in hominibus & jumentis: omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti?* Sponsa illa dilecta ob devastatam à parvulis vulpibus vineam in amaras querelas profusa est? *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, per quas vulpes parvulas rectè peccata venialia adumbrantur; unde Lopes: *Capiendæ*, inquit, *sunt vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas, quia non captæ crescunt, & nocumenta ingerunt multa &c.* Et quid dico? unum punctum in Scriptura, si non rectè collocatur, omnem nostram fidem orthodoxam invertit, NB. *Surrexit non. Est hîc.* Una rotula & flosculus nivis, si per alta montium cacumina in subjectas devolvitur valles, magìs magísque per extra-sumptionem cadendo accrescens, domos, villas & castella solet obruere. Scorpius levissimo venenati aculei morsu hominem interficit. Quid vilius, quàm mellis guttula? & tamen ob hanc degustatam dulcis Jonathas damnatus est ad mortem: *Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce, morior.* Nunquid flumina magna vides parvis de fontibus orta? Danubium maximum Europæ fluvium considera, qui centum populos & magnas aluit urbes, donec Euxinum irrumpat bis terno flumine Pontum. Redi ad illius fontem; parva scaturigo fuit. Quid refero de pulvere nitrico? An non in minimo vis maxima, dum fortissima munimenta, urbes & castella uno evertit momento? &c.

Exod. 8. 17.

Cant. 2. 15.

Lopes epist. in Explicat.

Marc. 16. 6.

1. Reg. 14. 43.

En peccati venialis typum & umbram; væ tibi, si eò deveniſti, ut non ampliùs venialium noxarum curam habeas, dum enim liberè eas admittis, de die in diem majora sumens incrementa, ac tandem ad mortalia, imò ad infernum te disponent: *Nullum peccatum*, ait S. Augustinus, *adeò parvum est, quod non crescat neglectum.* Et in alio loco: *Minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Noli illa contemnere, quia minora sunt; sed time, quia plura sunt; quotidiana sunt ista, quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura, quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.* Noli proinde dicere: Est tantùm peccatum veniale; audi Ecclesiasticum: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Una gutta divinæ offensæ, ait Gerson, est major omni offensa contra temporalem Principem, quia iste momentaneus, ille verò Princeps æternus: Quinimò præstat mori potiùs mortales omnes, annihiliari Angelos, mundúmque interire universum, quàm unica veniali noxâ supremam offendi Majestatem divinam; rationem assignant Doctores; quia omnia tum Angelorum, tum Sanctorum merita non valent, nec sufficiunt ex condigno ad minimum peccatum veniale expiandum, nisi accedat pretium, & valor sanguinis & Passionis Christi JESU crucifixi,

S. Augusti. de vera & falsa pœn. c. 8. Idem serm. 1. Dom. 4. Quadr. f. 576. Eccli. 19. 1.

cifixi. Et quid tu ad iſta, homo Chriſtiane, dum tam levi de cauſa tot hactenus perpetrâſti venialia? O quot millia fortâſſe per omnem vitam tuam! & rides? ac parvi pendis? O incaute!

3. Verùm progrediamur ulteriùs. Dic anime mi, quare Maria ſoror Moyſis tam abominanda corporis leprâ à Deo punita eſt: *Ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix.* Reſp. Quia murmuravit contra mitiſſimum Moyſen, quod murmur venialem non exceſſit culpam. Num. 12. 10.

Cur uxor Lothi ſubitanea morte à Deo correpta, & in ſtatuam ſalis mutata eſt: *Verſa eſt in ſtatuam ſalis?* Reſp. Propter curioſitatem & levem inobedientiam, contra mandatum Angelorum excitato ſtrepitu ignis, & clamore pereuntium poſt ſe reſpexit, in quo juxta Cornelium, & alios levem tantummodò culpam commiſit. Gen. 19. 26.

Quare Moyſes & Aaron, viri à Deo electi, & tanta conſpicui ſanctitate ab ingreſſu Palæſtinæ fuerunt repudiati: *Dixítque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos iu terram, quam dabo eis?* Cauſa eſt, quia venialem, & exiguam in Deum ponebant fiduciam, dum aquam vivam de petra duriſſima in ſalutem populi debebant producere: *Nunquid de petra hac vobis poterimus aquam elicere?* Num. 20. 12.

Et quis, obſecro, non timeat? non cohorreſcat? dum audit Davidem virum ſecundùm cor Dei ob leve arrogantiæ crimen, quia populum numeratum voluit, trium dierum peſtilentiâ correptum: *Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſraël de manè uſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo à Dan uſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum?* Et tantam ſtragem unicum cauſavit peccatum veniale? ah tantam ſtragem! 2. Reg. 24. 15.

Vultis plura? Oſtendit Ezechias Rex pientiſſimus juxta, ac ſanctiſſimus, ubi poſt reverſionem umbræ in horologio convaluit, Legatis à Merodach Rege Babyloniæ de recuperata ſanitate congratulatum miſſis, omnes theſauros ſuos regios, & mox ab Iſaia audiît: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus.* Et quare, dices, DEUS tantopere huic ſancto Regi irratus eſt? Reſp. Menochius & alii Interpretum in hunc locum. Ezechiam hîc tantùm venialem admiſiſſe culpam, dum ex vana gloriola Babyloniis theſauros ſuos Regios monſtravit. Ecce quale damnum nobis inferat uuicum veniale peccatum; unde optimè S. Dorotheus: *Longe meliùs eſt & corpus tuum, & omnia corporea perire, quàm lædi animam in re etiam minima.* 4. Reg. 10. 17.

4. Agglomeremus pro hac veritate magìs dilucidanda adhuc plura argumenta ex Sacra Scriptura petita. Quærunt Sacri Interpretes, quale peccatum fuerit viri illius Iſraëlitæ, qui in die Sabbathi ligna aliqua collegit, & in

castra portavit, qui hanc ob causam sine morâ, ità jubente Deo, vivus lapi-
Num. 15. 35. dibus à populo obrutus est: *Dixítque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Vide hîc & considera anima Christiana, quàm severè, ac rigidè DEUS præcepta sua velit servari, qui vir, licèt ob tantillum opus, quale erat ligna colligere, juxta S. Isidorum Peluſiotam venialem culpam non exceſſit, pœnâ tamen mortis ad aliorum exemplum affectus est.

Huic non absimile est, quod in Levitico de Nadab & Abiu, Aaronis summi quondem Sacerdotis filiis refertur, qui in alieno igne non è cœlo missō, thurificantes mox à Deo, igne cœlesti, qui quasi fulmen eos afflaverat,
Levit. 10. 2. occisi sunt: *Egressúsque ignis à Domino devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.* An fortasse hi duo fratres in hac thurificatione lethalem commiserunt culpam? Resp. Abulensis & alii, eos tantùm deliquisse venialiter, dum ex inconsiderantia, vel ignorantia profanum adhibebant ignem, proinde temporali hîc morte puniti sunt, ut æternam evaderent.

Quod & Ozæ Arcam fœderis suffulcire conanti accidit, qui absque mora subitanea nece à Deo castigatus est: *Iratúsque est Dominus contra Ozam, &*
2. Reg. 6. 7. *percussit eum &c.* Ubi advertunt graviſſimi viri, & sacrarum litterarum periti, Ozam tantùm levem commisisse noxam, quia arcam Domini casum minitantem manu tenere, de se actio laudabilis & religionis plena videri poterat, punitus tamen est, quia minore, quàm par erat, reverentiâ Arcam illam attigit. Quod & Bethsamitis evenit, qui ob curiosam, ac minùs reverentem Arcæ fœderis inspectionem repentino interitu è vestigio fuerunt affecti;
1. Reg. 6. 19. *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini; & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Item quod accidit Prophetæ illi Anonymo, ob venialem culpam à leone, jubente
3. Reg. 13. 26. ac permittente Domino, interfecto: *Tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum.* Et quis ignorat, quòd ob unicum mendacium Ananias & Saphira in posterorum Christianorum exemplum instantanea fuerint morte castigati? Lazarus
Act. 5. 1. Luc. 16. 20. mendicus pauperrimus ob leves quosdam defectus summa inedia, plagis & ulceribus afflictus? Zacharias S. Joannis Christi Præcursoris pater ob levem in-
Luc. 1. 10. credulitatem usu linguæ privatus? &c. &c. In quibus omnibus ac singulis non nisi levis culpa observatur, ac fuisse videtur. Vide nunc, anima Christiana, quàm malè tuæ saluti consulas, si à gravioribus quidem te abstines peccatis, sed in evitandis venialibus socors inveniaris. Audi, & perpende, quid tibi Veritas
Luc. 16. 10. dicat: *Qui in modico*, inquit, *iniquus est, & in majori iniquus est*; hinc S. Justinus scribit, Christianos sui ævi maluisse mori, quàm vel unicum facere men-
S. Bern. serm. de Tripl. cebar. dacium. O tempora! ô mores! quàm pauci nunc sunt, qui attentiore intellectu hanc perpendunt veritatem: Homo timoratus, asserit Mellifluus, *terribilius & horribilius ipsâ gehennâ judicat in re levissima vultum omnipotentis offendere.* Et tu, optime Lector, quid agis?

§. De

§. De Absolone recensent Sacræ Paginæ, quòd densam ac rutilantem nutriêrit cæsariem, quàm quotannis, quia eum gravabat, tonderi voluit, eámque ducentis siclis illustribus, ac nobilibus domicellis ad capillaturam sibi ex ea faciendam expediram vendidit: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis.* Et quid tandem anno recurrente accidit, cùm comæ de novo succrescerent? Audite rursus scripturam: *Accidit autem, ut occurreret Absolon servis David, sedens mulo: cúmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.* O infaustæ comæ! non comæ, sed laquei, quibus rebellis Princeps sibi proprium adscivit interitum. Sed rogo te, anime mi, altiùs nunc arrige mentis oculos. Per capillos istos multiplicatos, Sacri Interpretes venialia subaudiuut peecata, quæ nisi sæpiùs per annum incidantur per veram ac seriam confessionem ac mortificationem, semper magìsmagísque succrescent, & eò tandem te disponent, ut cum Absolone in mortalia incidens, infernali suspendaris patibulô, æternùm, ibidem cum illo cruciandus: *Nemo dicat in corde suo*, sunt verba Melliflui Doctoris, *levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si in his maneam venialibus, minimísque peccatis, hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia &c.* Audi & Doctorem Gentium, ita emphaticè ad Romanos differentem: *Quia*, inquit; *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* (NB) Loquitur hîc Apostolus primario de Gentilibus & hujus sæculi prudentibus, qui naturali ratione poterant agnoscere Deum, imò & plures agnoscebant, quem tamen non ùt Deum colebant, adorabant, & ex toto corde diligebant, proinde pergit: *Propter quod tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, & tradidit illos in passiones ignominiæ &c.*

2. Reg. 14. 26.

S. Bern. ser. 1. de conv. S. Pauli.

Rom. 1. 21.

O tremendum fulmen! quando DEUS hominem relinquit juxta desiderium cordis, & effrænatarum passionum, ac concupiscentiarum suarum: *Ibunt in adinventionibus suis.* O tremendum fulmen! & quis est, qui hanc veritatem attentiore animo considerat, & non totus cohorrescat? Quis, quæso nostrûm est, qui cognitum Deum hactenus condignè, vel saltem pro viribus glorificabit? Quis illi debitas, aut pares beneficiis gratias egit? Quis illius bonitatem nullo unquam veniali offendi? Siste igitur, anima mea! & noli ampliùs voluntario, crudo, ac deliberato peccato veniali Deum tuum offendere. Et licèt in statu naturæ lapsæ sine veniali vivere non possimus, multum tamen interest discriminis ex affectu, & deliberatione venialia admittere, quàm ex fragilitate humana & inadvertentia labi. Tale peccatum veniale liberè factum, lepra est animæ inhærens; ulcus fœtidum est, mentem inficiens; scabies est turpissima, quæ hominem Deo, & Angelis exosum facit; carcinoma est rabificum, pulcherrimam Dei corrumpens imaginem; malum denique est summo duntaxat malo minus, quod DEUS

Ps. 80. 13

T. O. M. summopere aversatur, proinde illud vel in hac, vel in altera vita exquisitis castigat tormentis.

6. De S. Joanne dilecto Christi discipulo refert Sacer Codex, quomodo vice quadam viderit cœlestem illam Jerusalem, in qua lucerna ejus est Agnus, cujus structura ex jaspide pretioso, plateæ ex auro purissimo, fundamenta ex gemmis, & omni lapide pretioso; & duodecim portæ ejus è duodecim constant margaritis &c. Tandem ubi aureo calamo longitudinem & latitudinem, opes, splendorem, gloriam, claritatem & felicitatem hujus civitatis glorioſissimæ descripsit, adjecit sententiam stylo ferreo memoriæ nostræ, & cordi inscribendam: *Non intrabit*, inquit, *in eam aliquid coinquinatum.* Sta hîc, & perpende, quisquis es, ô mi Lector: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum;* ex quibus verbis abundè, & luculenter patet, quantum malum sit in oculis divinæ Majestatis, vel unica levis culpa, quasi adhuc coinquinatus cœlum minimè intrabis: *Oportet*, inquit Gerson, *quemlibet ita mundum ante introitum paradisi esse, sicut fuit in innocentia baptismali.* Et hoc est, quod Christus Petro, cùm lotionem pedum suorum recusaret, in Cœnaculo satis rigidè insinuavit: *Si non lavero te, non habetis partem mecum.* Ubi S. Cyprianus, S. Bernardus, & plures alii per istam pedum lotionem peccata venialia intelligunt; quibus coinquinatus nemo in illud beatitudinis Regnum ingredietur; *Veniales igitur culpas*, ait Mellifluus, *nemo contemnat, aut parvi pendat; impossibile est enim cum eis salvari, impossibile eas dilui, nisi per Christum JEsum.*

Apoc. 21. 27.

Gerson. 10. 2. f. 253.

Joan. 13. 8.

S. Cypr. tr de Ablut. ped.

Et quid, obsecro, amarius est, quàm ignis purgationis, de quo Cæsarius Arelatensis: *Ille purgatorius ignis durior est, quàm quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri;* & S. Antistes Hipponensis: *Ille purgatorius ignis durior est, quàm quid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Ex qua pœna sensûs, prudens Lector, peccati venialis gravitatem collige. Et quid dico de pœna damni? quantùm ingemuit Princeps Absolon, dum patris offensi gratiam quidem obtinuit, sed quia faciem ejus præsens, & coràm intueri prohibitus est, potiùs vitæ suæ jacturam pati voluit, quàm dulcis parentis sui aspectu ulteriùs fraudari: *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis, quòd si memor est iniqitatis meæ, occidat me.* Quid ergo dicemus de illis purgantibus animabus ob unicum fortè peccatum veniale à facie Dei longo tempore exclusis, ac separatis, quæ *pœna damni*, juxta mentem Angelici Doctoris, *maxima est pœnarũ, quæ in purgatorio reperiri possunt.* Quibus omnibus attenta mente consideratis, dic anime mi, an adhuc lubet sine rubore, sine numero, sine dolore contra Deum voluntariè peccata venialia comittere? Audi S. Hieronymum: *Leve*, ait, *nunquam est Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem respicit, sed etiam ad personæ contemptum:* major est enim contemptus potentissimum quendam Regem, quàm rusticum, aut personam privatæ conditionis offendere.

Cæs. Are. lat. hom. 6.

S. August. serm. 41. de SS.

2. Reg. 14. 32.

S. Thom. Aquin. in 4. dist. 20. a. 2. q. 1.

S. Hieron. in regula Monach. 6. 1.

7. David,

7. David, cùm facili conatu Regem Saul inimicum suum capitalissimum in spelunca Odollæ potuisset occidere, solùm ei oram chlamydis, seu extremam vestis Regiæ partem præscidit, & tamem ob levem hanc actionem ingenti terrore posteà in animo percussus est: *Percussit cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Ad quid, & quam ob causam Davidem hujus facti pœnituit? Resp. Sanctius, quia David fidelis erat & pius, ideo existimabat læsam summoperè fuisse Regiam Majestatem, quàm DEUS ad regni culmen destinâsset. Et quid nos ad ista? Si Davidem hujus minimæ labis (si tamen labes fuit, quia hunc suum hostem, animam suam quærentem, jure poterat interficere) si, inquam, Davidem minimæ hujus labis pœnituit, quia in Regem impium, vel levissimè manum misit lymbum vestis Regiæ præscindendo, & quid nos agimus cum Christo Domino, Rege & Judice nostro? Ah quoties miseri manus in illum mittimus? & si non per peccata lethifera illum rursus crucis ligno affigimus, per minuta tamen & venialia liberè admissa, ei plura quotidie addimus vulnera: *Et tunc*, subintrat hîc S. Bernardus, *leve dixeris, quo offenditur Christus? unde ad Dei tribunal pertrahi debes? cùm horrendum sit incidere in manus Dei viventis.*

1. Reg. 24. 24. Sanct. in hunc loc. S. Bern. ser. 29. in Cant. 1.

De Pharaone Rege Ægyptiorum commemorant Sacræ Paginæ, quòd unâ die, & pincernam, & pistorem conjecerit in vincula: *Accidit, ut peccarent duo Evnuchi, pincerna Regis Ægypti, & pistor Domino suo.* Et quid peccârunt hi miseri? Observat Lyranus, & veteres Rabini, ambos in servitio suo nonnihil fuisse incuriosos, & negligentes; dum enim pincerna Regi aureum porrexit vini poculum, musca inadvertenter irrepserat in calicem, & dum pistor pro more panem offerebat, in eo calculus (alii volunt capillus) inventus est: quia ergo circa Regiam Majestatem hanc commiserunt negligentiam, ideo rigoriosiùs castigati sunt; si autem circa personam privatam eandem admisissent incuriam, neuter fuisset carceri mancipatus, aut occisus. Audis hoc, anime mi? Aliud est peccare in Regem, aliud in personam privatam, & rusticam; & nunquid, vel manum levare contra Regem, & orbis Monarcham capitale meretur supplicium? Quantò ergo magìs homo peccator, qui veniales injurias, & offensas Deo illatas ampliùs non curat, merebitur ignitum illum carcerem, de quo non exibit, donec solverit usque ad ultimum quadrantem? *Præstat*, ait devotus quidam Asceta, *omnes homines mori, annihilari Angelos, & mundum perire universum, quàm unico peccato veniali, verbo aliquo otioso, supremam offendi Majestatem.*

Gen. 40. 1. Laurent. Keppl. in Sac. lum. Conf. 8.

O Domine JESU! quis est, qui hæc formidanda justitiæ tuæ exempla, quibus noxas veniales punire soles, rectè ponderat, & te summæ Majestatis Deum, & horum omnium districtissimum Judicem non timeat? O quàm intolerabilis esset illa impudentia, si filius patri suo diceret: Sine pater, & dilecte genitor, ego quidem non crucifigam, non occidam te, absit hoc à me filio tuo; sed hoc faciam; iteratis & quotidianis te contumeliis, injuriis, sputis, plagis & verberibus afficiam, ut quondam pueri Gentilium Romæ in foro

foro Syllæ Sanctum Cassianum Martyrem, & Pædagogum suum jussu impii Tyranni minutissimis graphiorum ictibus confodiebant. Quænam, obsecro, in patrem hæc esset dilectio ac veneratio? O Christiani! & quid nos facimus? Nunquid toties, quoties animo volente peccatum veniale perpetramus, amantissimum JEsum, Dominum ac Patrem nostrum simili plaga afficimus? Et hoc sit amare Deum super omnia? ah nos miseros & infelices! *Si ergo ego Pater sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* O mi JESU! habes hîc in me confitentem rerum, peccavi & super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt iniquitates meæ, non tamen despero, quia major est misericordia tua, quàm iniquitas mea, ablue me ergo in sanguine tuo, & da gratiam, ut non ampliùs te saltem voluntario veniali peccato offendam.

Malach. 1. 6.

CONSIDERATIO X.

De Tepiditate & somnolentia mentis, & corporis excutienda.

Pro Dominica 5. post Epiphaniam.

Cùm dormirent homines, venit inimicus. Matth. 13. 25.

1.

BEnignus DEUS, licèt primum hominem in justitia originali creaverit, eúmque diversis cumulaverit donis ac dotibus, noluit tamen, illum vitam degere tepidam, somnolentam, & otio deditam, sed ideo *posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Et tu anima pigra, tepida & somniculosa existimas, te in otio, torpedine, vitæ commodis, ac in tuis voluptatibus salvandam? Erras, ah misera! erras: *Ne speret,* ait Os aureum, *quisquam cœlum se cum vita remissa visurum, nequit enim fieri.* Et dic, obsecro, quid aqua stagans & otiosa progerminat nisi bufones & ranas, serpentes & viperas? Quid terra otiosa, vinea neglecta, & ager non sedulò excultus, nisi spinas ac tribulos, urticas ac zizania? Aër otiosus, si non assiduò agitatur, & perflat regionem, quid causat, nisi pestes ac lues? Viennam consule Austriæ Metropolim, de qua volat tritum illud: *Aut ventosa, aut venenosa,* quod anno 1679. & anno 1613. abundè experta est. Si sol, luna, & cætera cœli sidera vel semel otiarentur, quod chaos, & quæ perditio in hoc oriretur universo? in domo ab incolis deserta, quid aliud cernes, quàm noctuas & vespas, araneas ac mures? Pari ratione tepiditas animi, & acedia corporis in homine Christiano omnia mala & peccata causat: *Malitiam,* ait Siracides, *docuit otiositas.* Otiosus Esau amisit primatûs benedictionem, econtra laboriosus

Gen. 2. 15

S. Chrysost. hom. 10. in Thess. c. 3

Eccl. 33. 29.

ſus Jacob non duntaxat paternam, ſed & cœleſtem obtinuit benedictionem: *Non dormientibus*, ſubintrat hîc S. Ambroſius libro de Cain & Abel, *non otiantibus, ſed vigilantibus pollicentur præmia, & labori merces parata eſt.* Et nunquid audiſtis hodie in Evangelio: *Cùm dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit?* En dum dormiunt vigiles, incuſtoditum captat ovile lupus: *Somnolentia enim Paſtorum*, ait S. Ephrem, *luporum eſt gaudium.* Plura de hac veritate in præſenti tractabimus; attentum te eſſe cupio, ſi Deum & ſalutem tuam amas impenſiùs. Gen. 27. 28. Matth. 13. 25. S. Ephr. tr. de timore Dei.

2. De Philiſthæis commemorant Sacræ Paginæ, quòd devictis Judæis omnem armorum uſum ademerint, omnésque fabros ferrarios in univerſa ſuſtulerint regione: *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Iſraël, caverant enim Philiſtiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Obſerva hîc, prudens Lector, ſingulare Philiſtinorum ſtratagema, ut Hebræos ſub jugo ſuo conſtanter poſſent retinere, omnem illis armorum uſum penitùs ſuſtulerunt, unde factum eſt, *ut cùm veniſſent dies prælii, non fuerit inventus enſis & lancea.* Et quid dico? nunquid & hanc ipſiſſimam fraudem ac ſtratagema pernicioſiſſimum infenſiſſimus humani generis hoſtis diabolus in Eccleſia Dei cum Chriſti fidelibus tempore Lutheri, Calvini, & aliorum hæreticorum ſubornavit, quando paulatim in Clericis dormientibus, tepidis, ac licentiore modo viventibus ſacrorum armorum uſum, id eſt, meditationem, ſtudium, ac ſedulam S. Scripturæ lectionem tantopere animarum Rectoribus neceſſariam, incepit auferre: *Unde*, inquit Cornelius, *orta fuit hæreſis Lutheri, & poſterorum ejus, æquè ac priſcorum Hæreticorum &c.* Cùm inceperunt iſti otio torpere, qui tanquam expertiſſimi fabri aliis rudioribus debuiſſent arma cudere, & ad fortiter ejusmodi Sectariis reſiſtendum ſubminiſtrare: *Cùm dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.* Notent ſibi hoc etiamnum Sacerdotes noſtri, ac præſentem illi, quibus animarum cura à Superioribus demandata eſt: *Res hæc*, ait S. Jo. Chryſoſtomus, *non de frumento, hordeóve diſpenſando, de bobus, ovibúsque paſcendis, aliísque hujusmodi rebus diſtrahendis, ſed de ipſomet corpore JESU curando &c.* Proinde rectè S. Paulus Timotheum hortatus eſt: *Attende lectioni, exhortationi, & Doctrinæ*, hoc eſt ſcientiæ Sacrarum Scripturarum: *Scriptura enim*, ait S. Ambroſius, *eſt liber Sacerdotalis*, & S Dionyſius: *Subſtantia Sacerdotii noſtri*: Unde rurſus S. Paulus ad eundem Thimotheum *Attende tibi, & doctrinæ; inſta in illis; hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt.* Non igitur otiandum, ſed laborandum hîc eſt. Si Paſtor animarum es, oves tuas tam immenſo ſanguinis Chriſti pretio redemptas contra hæreticam pravitatem, & rabiem tueri, & eos, qui contradicunt, arguere debes. Si Concionatorem agis, in cathedra ut Magiſtrum, & Doctorem ignorantium te geras, juxta illud Malachiæ: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini* 1. Reg. 18. 19. Cornel. hic. Matth 13. 25. S. Chryſoſt. lib. 4. de Sacerd. 1. Tim. 4. 13. Cornel. hic. 1. Tim. 4. 16. Mal. 2. 7.

Domini exercituum est. Si Confessarius es, Medicum ægrotantium agis animarum, & Judicem ubi oportet inter lepram, & lepram discernere, & convenientia quibuslibet peccatis præscribere, & adhibere remedia: *Idcirco*, sunt verba divi Hieronymi, *in Sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut discamus Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis, potentem exhortari in doctrina sana &c.* Væ tibi, si in hoc negligens fueris. Audi Ezechielem Prophetam: *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos &c.* Lege ibidem, si placet ulteriùs.

S. Hieron. hîc in Malach.

Ezechiel. 34. 2.

3. Miror, quare Joseph nunc potentissimus Ægyptiorum Pro-Rex patrem suum ac fratres tempore famis ex Chanaan in Ægyptum peregrinantes, non secum in Aula sua retinuerit, sed mox eos ad labores, & ut in terra Gessen curam pecorum gererent, ablegaverit: *Trade eis terram Gessen &c.* In qua exinde Regione Israëlitæ extruxerunt urbem, quam appellârunt Ramessem. O Joseph quid agis? qualis hic est erga patrem, & fratres amor ac respectus? quare non eos in tuos Aulicos elegisti? cur nullis eos ditâsti opibus, officiis, dignitatibus, cùm id facilè & sine ulla facere poteras invidia, quia totum Regnum in manu tua erat ac potestate? Sed nihil horum voluit prudentissimus Joseph, non ignorans quàm lubrica, & misera sit vita aulica, & otiosa, proinde eos ad labores, & pristinam pecorum, & agri curam amandavit, ut suo labore, & curâ victum sibi pararent, & amictum. O quàm illustre exemplum (subinfert hîc Cornelius) habent omnes Prælati Ecclesiastici ex humili loco ad altas evecti, & electi dignitates. Discant hîc non suos nepotes, & cognatos ex bonis Ecclesiasticis, & patrimonio Christi ditare, & opes Ecclesiæ in luxum convertere: *Qualem hi*, inquit, *Christo Domino rationē reddent villicationis suæ in ultimo, & magno mundi die!* Discant & laici, imò universi non tepiditati, & somnolentiæ vacare, sed dum tempus est, pro viribus saluri suæ invigilare: *Ex otio enim*, ait S. Antonius, *sequitur multiplex malum peccatorum, omnium enim tentationum, cogitationum malarum, & inutilium sentina est otium: Sicut sentina in navibus recipit omnes sordes corporalium, ita mens otiosi omnes sordes vitiorum.*

Gen. 47. 6.

Cornel. hîc.

S. Ant. p. 2. tom. 9. c. 14. §. 3.

4. Vis pro hujus veritatis confirmatione exempla Scripturarum? Davidem, virum secundùm cor Dei considera, quamdiu is curis regiminis convenienter intentus, & variis bellis ac laboribus occupatus fuit, vitam secundùm omnes honestatis leges compositam duxit. Verùm ubi socors, otiosus, & tepidus factus est, domíque aliis belligerantibus permansit somnolentiâ, & otio victus, notum illud cum Bethsabea adulterium, & iñocentis Uriæ homicidium commisit: *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domûs regiæ, vidítque mulierem lavantem se &c.*

2. Reg. 11. 1.

Quis unquam majori præditus erat fortitudine, quàm Samson? leonem in vinea obvium in frusta discerpsit; Philistæos ingenti plagâ percussit; mille hostium unâ assni maxillâ trucitavit; circumsessus urbis Gazæ portas æreas asportavit, & ligatus funes ac catenas, ut filum, disrupit &c. Hic ergo talis ac tantus,

qui

qui nullis vinci potuit laboribus, nullis labefactari difficultatibus, in otio captus, ſuperatus, ligatus, & excæcatus eſt? *At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua &c.* Judic. 16. 19.

Quis Rege Salomone ſapientior, cujus immenſam ſapientiam ſtupebant omnes? hic cùm jam ſenio eſſet fractus, turpis idololatra factus, & ſi Abulenſi, & aliis credimus, æternum damnatus eſt. Et quæ obſecro, cauſa tanti lapſûs? ℟. Otium, & tepiditas in benè cœptis; quamdiu enim laboribus, ſtudiis ac Regni curis, & præſertim in ædificando, & adornando magnificentiſſimo templo diſtentus fuit, vitam ſanctam duxit, ſed ubi torpere, & deficere cœpit: *Depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos.* 3. Reg. 11. 4.

En exitum deſidiæ, & finem tepiditatis. O anime mi! tu non es ſanctior Davide, nec fortior Samſone, nec prudentior Salomone, ſi flatu leviſſimo Cedri dejiciuntur, quid fiet arundini? Fuge igitur tepiditatem, fuge animi languorem, fuge ſomnolentiam, ne tibi contingat, quod Epiſcopo Laodiceæ quondam dictum fuit: *Quia tepiduses, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te emovere ex ore meo.* O quàm pauci hanc veritatem ſeriò perpendunt! Et ſi juxta Apoc. 3. 15. eſtatum Jeremiæ *maledictus* ille, *qui facit opus Domini fraudulenter*, alii legunt *negligenter*; quid fiet de te, anima languida, arida, & infructuoſa? An non Jerem. 48. 10. *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur?* Matth. 7. Vide, qualis arbor tu ſis, & an bonos, vel malos geſtes fructus. 91.

5. Et ſi ulteriùs placet progredi, dic, quare Pentapolis ab igne conſumpta & cum ſuis incolis funditus everſa eſt? ℟ Ezechiel: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ,* Ezech. 16. *ſuperbia & ſaturitas panis, & abundantia & otium ipſius, & filiarum ejus.* 49. Nota *otium.*

Cur Ninive civitas illa magna & trium dierum, cui miſeratio Conditoris ob factam pœnitentiam priùs tam benignè veniam indulſit, paulò poſt à Chaldæis capta, ſuccenſa, & everſa eſt? ℟. Nahum Propheta, hoc ex otio, tepiditate & negligentia Paſtorum accidiſſe: *Dormitaverunt Paſtores tui &c.* Ex quorum Nahum 3. 18. ſomnolentia Superiorum & populus univerſus depravatus, & tandem à Deo, malorum vindice juſtiſſimo, derelictus eſt. Hoc habet malum Superiorum exemplum. Quæ cauſa eſt, quòd Babylon à Cyro, Lais à filiis Dan, & Troja à Judic. 10. 7. Græcis ſint everſæ? an non ſomnolentia Principum, Paſtorum, civium, incolarum? Cur Balthaſar Rex urbem, ſemetipſum & populum perdidit: *Eâdem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus?* cauſa erat illius temulentia & ſom- Daniel. 5. 30. nolentia.

Quare Holofernes à Judith deceptus, & capite truncatus eſt? audi Scripturam: Judith. 13. *Porrò Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus.* Siſara Belli Dux an 4. non in ſomno à Jahel clavo per tempora adacto interfectus eſt: *Qui ſoporē morti* Judic. 5. *conſocians defecit, & mortuus eſt?* Nunquid Isboſeth Sauli filius in ſomno ab 21. inimicis in inguine percuſſus interiit? *Qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meri-* 2. Reg. 4. *die; & oſtiaria domûs purgans triticum, obdormivit; ingeſſi ſunt autē domum* 5. *latenter aſſumentes ſpicas tritici, & percuſſerunt eum in inguine Rechab &*

Tob. 2. 11 *Baana fratres ejus, & fugerunt.* Tobias Senior an non in somno hirundinum stercore excæcatus est? *Contigit autem, ut quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, jactâsset se juxta parietem, & obdormîsset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fierétque cæcus &c.*

Non operarii illi tepidi, & tota die in foro stantes otiosi à Patrefamilias increpati sunt: *Quid hîc statis tota die otiosi?* hîc, in loco tam periculose, & pleno tentationibus? hîc in exilio, in quo non habetis manentem civitatem? hîc, ubi *diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret?* hîc, ubi opus Dei operandum, aut æternùm posteà ardendum? & vos nihilo seciùs statis tepidi & otiosi? *Creati sumus*, ait Lucas Burgensis, *non ut inutiles sine fructu vivamus, sed ut laboremus, nec nobis solis, sed imprimis Creatori &c.* Audis hoc? & facis?

Matth. 20. 6. 1. Petr. 5. 8. Luc. Burgens. in Matth. 20. 6.

Matth. 12 10. 6. Christo pretiosissimo Servatori nostro aliquando præsentatus fuit homo *manum habens aridam*, hoc est, brachium, quod convulsione nervorum & atrophiâ laborabat, unde ex defectu alimenti exaruit, naturalique modô incurabile factum est; ad quem hominem mitissimus JEsus: *Extende manum tuam; & extẽdit, & restituta est sanitati sicut altera.* Otepidi, ô pigri, ô somnolenti mortales! vos ejusmodi manum habetis aridam, quam torpefecit acedia, contraxit avaritia, arefecit inertia: *Manum dexteram*, ait Cornelius, *habet aridam, qui eam ad Deum per orationem, ad proximum per misericordiam, ad se ipsum per bona opera, quibus sibi merita & præmia in cœlis accumulet, non extendit.* Quid igitur consilii, Anime mi? Extende manum tuam, & operare; excita te ipsum, sta super te ipsum; vince te ipsum! tanta te manet gloria, tantúmque repositum est præmium, & adhuc hæres dubius, & stas otiosus? O ignavum pecus! ignosce verbo, non pluris es æstimandus, si tepidus es.

Cornel. hîc

Servus ille, qui unum duntaxat à Domino suo acceperat talentum, illudque ex negligentia & desidia defodit in terram, ab eodem Domino rationem exinde exigente, acriter exceptus & castigatus est: *Serve male & piger &c* & paulò post: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Audis hoc, homo tepide & Christiane? Hoc *collyrio inunge oculos tuos, ut videas*, quanta te torpentem, & in via salutis stertentem maneat pœna. O si scires, quàm pauci dies & horæ tibi adhuc supersint ad æternitatem, sine dubio majori cum fervore vitam tuam tam flaccidam, tam torpidam emendares, & merita meritis accumulares. O pie Lector! an & *hæc abscondita sunt ab oculis tuis?* Absit.

Matth. 25. 26. 30, Apoc. 3. 18 Luc. 19. 42.

Quare S. Petrus à Christo Domino præ aliis Discipulis in monte Olivario increpatus fuerit: *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare?* Causam subjungit S. Hieronymus, Robetrus Holcot, & alii, quia jam tunc Dominici gregis Pastor, & Rector erat designatus, unde dormiente illo, & reliqui Discipuli ejus exemplum sequentes, in similem tepiditatem, & torporem delapsi sunt; à

Marc. 14. 37. S. Hieron. & Rob. Holcot. in

Chri-

Christo ne quidem hoc nomine *Petrus*, quod priùs confitenti impoſuerat, ſed ſolùm antiquo nomine *Simon*, quod idem eſt, quàm *mœroris auditor*, appellatus eſt, dum Præſulis nomine indignus cenſetur, qui eſt Paſtor tepidus ac ſomnolentus, neque ad devorandas Dominicas oves alio ſeveriore lupo opus eſt, quàm ſimili Paſtore & Superiore dormitante. Audi S. Gregorium Magnum: *Nullum puto*, inquit, *fratres chariſſimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exemplo pravitatis cernit: Quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intentâ mente captamus &c.* Sapient. lect. 82. S. Gregor. à M. hom. 17. in Luc. 10.

7. Duo illi Angeli, qui poſt Chriſti in cœlum Aſcenſionem in monte Oliveti in veſtibus albis apparebant, Apoſtolos attonitos, & diutiùs cœlum, quàm oportebat, intuentes, hisce verbis reprehendebant: *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Ad quid, quæſo, hæc increpatio? An non juſtam habebant Diſcipuli cauſam fixis in cœlo oculis abitum dulciſſimi Magiſtri ſui contemplandi? Subintrat hîc S. Thomas Epiſcopus Villanovanus, quòd non ſufficiat nobis cœlum aſpicere, & in ſacro otio immenſam illam contemplari gloriam, niſi & bonis operibus nos reddamus dignos ad cœleſtem illam obtinendam gloriam, atque tempus illud breve, quod nobis adhuc ſupereſt, & quod Pater in ſua poſuit poteſtate, bene impendamus: *Viri Galilæi, quid ſtatis* (obſerva prudens Lector, *Galilæus* idem eſt, quàm *transmigrans*, aut *viator*) volebant ergo hi duo Angeli juxta Cornelium dicere: *Domum redite, & ad munus Apoſtolicum, quod Chriſtus vobis demandavit, ac Spiritûs Sancti adventum vos comparate.* Et citatus S. Antiſtes: *O viatores! ô peregrini! an neſcitis, quia Galilæi eſtis; An ignoratis, quia ex præſenti ſæculo quàm citiſſimè transmigrabitis? Quid ergo ſtatis? Quid hæretis? Ex hoc vitæ veſtræ momento omnis æternitas veſtra dependet, & ſtatis?* Et tu ſtas anima Chriſtiana? An ignoras, quòd non proficere in virtute, ſit deficere? Et adhuc ſtas? Actor. 1. 11. Cornel. hic. S. Thom. Villan. Conc. 1. de Adſcenſ.

Eunuchus ille Æthiops, ſeu Abyſſinus (ubi nunc Imperii clavem tenet Preto Joannes) qui regio quondam theſauro Reginæ Candacis præerat, cùm Jeroſolymam veniſſet, ut ibidem in templo DEUM verum, tanquam proſelytus in ſpiritu, & veritate adoraret, in via animi gratiâ capitulum 53. Iſaiæ Prophetæ legit, quod totum de Chriſti agit Paſſione, interim, dum hæſitat legendo Eunuchus, de quo Propheta hoc ſcriberet, S. Philippus Spiritu Sancto per internã inſpirationẽ, & locutionem ductore ad illius currum ſe adjunxit, à quo in fide Orthodoxa inſtructus Eunuchus ſine mora Baptiſmũ flagitavit: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Adverte Anime mi! Eunuchus ille nec momento acquievit, ubi Chriſtum JEſum verum Dei Filium agnovit, ut per Baptiſmum in illius gratiam rediret; & tu tepide Chriſtiane, in corpore, & tepore conſumis dies, menſes, & annos. Ecce fons Salutis, ſaliens in vitam æternam, in SS. Corde Act. 8. 36.

de JESUS tibi apertus est; & tu recusas hîc in Aqua, & Sanguine Agni baptizari, & à tuis lavari peccatis? *O lignum aridum*, inclamat S. Anselmus, *& inutile, æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cùm exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum; qualiter fuerit expensum?*

S. Anselm. in medit.

8. Maria Magdalena felix illa pœnitens, licèt à Judæis, eam ob immaturam Lazari fratris mortem consolantibus, in castello Bethania esset circumdata, ubi à Martha Sorore clam, & in silentio audivit: *Magister adest, & vocat te*, absque ulla mora, remotis omnibus aliis negotiis, de loco surrexit, & ad JEsum amorem suum properavit: *Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum.* Quoties te, anima Christiana, in peccatis stertentem hactenus vocavit dulcis Magister JEsus per suas Sanctissimas inspirationes, sacrorum librorum lectiones, conciones, adhortationes &c. *Magister adest, & vocat te*, & tu, anima tepida, surdâ aure ejus pertransis monitiones, & tota perflas de pectore somnum; Ah misera, an nescis, quod in utramque tibi aurem inclamat mitissimus Redemptor ac Salvator tuus JEsus: *Negotiamini, dum venio*, quia negotium negotiorum est, imò omnium maximum salutem tuam, dum adhuc tempus est, sedulò operari. Juvat hîc audire S. Laurentium Justinianum, quomodo nostram deploret socordiam, & tepiditatem: *Heu*, inquit, *quàm mortalium est ista plangenda conditio, detestanda cæcitas, infelicitas fugienda. Abutuntur perversi homines naturalibus bonis; veniæ tempus otiosè conversando consumunt. O si agnoscerent, quanti æstimandum sit, quod sine consideratione amittunt. Cæterùm quid pretiosius tempore? Quid quæso, illo fructuosius? Quid carius? quid excellentius? quidve amabilius: sed proh dolor! penè ab omnibus nihil habetur vilius, nihil tractaturinutilius, nihil inutilius possidetur.*

Joan. 11. 28.

Luc. 19. 13.

S. Laur. Justin. de vita solit. c. 10.

Notatu dignum est, quod Osorius Author gravissimus de Siculo quodam nuntio commemorat. Erat is ad Dionysium Siciliæ Regem, tunc in Italiæ finibus commorantem, à Regni illius Proceribus prægnantibus litteris amandatus, ut quantocyùs Rex Regno periclitanti opem ferret, ni illud vellet ab hostibus præoccupandum. Et ecce, dum nuntius ille ex itinere lassus ac famelicus assum vitulinum comedit, & sub arbore indormit, interim lupus, carnis assæ odore illectus accurrit, & sarcinam tabellarii, in qua carnis reliquiæ unà cum litteris reconditæ fuerant, in sylvam asportat. Evigilat tandem de somno infelix nuntius, sarcinam cum litteris anxius inquirit, discurrens per tesqua densa & per invia multa, ubique aërem lamentis implens, & raptori omnia dira imprecans; verùm incassum omnia; interim hostilis exercitus Siciliam occupat, & in suam redigit potestatem.

Osorius de Sicul. Nuntio.

Ite nunc somnolenti, ite tepidi, ite Superiores, Pastores, Parentes, Patresfamilias, & mortales omnes; ite, ite, & vestræ ignaviæ ac tepiditatis fructus considerate impensiùs. Heu quot miseri mortalium ejusmodi

desidiâ

desidiâ & animi languore victi Regnum perdunt æternum: *Omnis tepor*, ait Cornelius à Lapide, *oritur ex eo, quòd homo non satis consideret, & æstimet, quis sit Deus? quæ & quanta sint ejus promissa & minæ?* Interea transeunt dies salutis, & cum eis gratia Divina, ac lupus infernalis, qui in perditionem nostram semper vigilans est, optatam nanciscitur prædam. Certè existimat dictus Cornelius à Lapide in Proverbia, Ecclesiam Dei non minùs per desidiam, somnolentiam, & insciti am Pastorum, quàm per crudelitatem tyrañorum prioribus sæculis fuisse afflictam, dum sensim ob eorum tepiditatem & languorem tot hæreses hanc pulcherrimam Christi vineam devastârunt: *Et singularis ferus depastus est eam.* Eja Christiane, quisquis tandem es: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis.* Surge ô tepide & somnolente à morte peccatorum, & vitiosæ tuæ consuetudinis, *& illuminabit te Christus.* Ecce, dies est nunc gratiæ, & Sol justitiæ Christus illucescit tibi, surge, & evigila à vitio ad virtutem, à morte ad vitam: *Hora est jam nos de somno surgere &c.*

Cornel. in Apoc. 3. 14.

Cornel. in Prov. 12. 9.

Ps. 79. 14.

Eph. 5. 15.

Rom. 13. 11.

CONSIDERATIO XI.

Dæmon hominem paulatim ad majora peccata inducit.

Pro Dominica 6. post Epiphaniam.

Quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor. Matth. 13. 32.

I.

RECTÈ Mellifluus: *Tantæ*, inquit, *astutiæ est serpens antiquus, ut hominem Deum timentē non mox invadat suggestione aperti sceleris, sed primùm paulatim restringit rigorē justæ discretionis, qui autem modica spernit, paulatim decidet.* Quis Davide innocentior: *Perambulabam*, ait ipse, *in innocentia cordis mei in medio domûs meæ?* Et quid accidit? Unicus incautus & lascivus Bethsabeæ aspectus eum adulterum & homicidam fecit: *Vidítque mulierem lavantem se &c.* Vide hîc, anima Christia-

S. Bern. Tom. 3. serm fer. 3. post Pent.

Ps. 100. 2.

2. Reg. 11 2.

Christiana, & considera, quomodo *halitus ejus*, hoc est Dæmonis, *prunas ardere faciat.* Non dicit hîc patientissimus Job: ventus, turbo, Auster, Aquilo, Eurus &c. sed *halitus* levissimus à faucibus Diaboli emissus subinde homines etiam timoratos priùs ad culpam levem, & exinde ad gravem, ad mortalem, & tandem ad infernum præcipitat? *Ecce quantus ignis, quàm magnam sylvam incendit!*

Job. 41. 12.

Jac. 3. 5.

Et hoc est, de quo hodie Evangelium: *Simile*, inquit Christus, *est Regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo, seminavit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor.* Per quod granum sinapis non incongruè aliqui Doctorum peccatum veniale liberè contra Deum admissum subaudiunt, quod quidem in æstimatione & ore hominum minimum videtur, & veniâ dignum, quia veniale est, cùm autem creverit, & iterum iterúmque commissum fuerit, tandem justo Dei judicio hominem delinquentem, & illud contemnentem ad majora disponet, & ideo majus erit (quia mortale) omnibus oleribus, & fit arbor, in qua non volucres cœli, sed inferni habitabunt, & in ramis ejus nidificabunt; quam veritatem hodierna luce pluribus & evidentissimis argumentis ex Scriptura petitis, Deo auspice, dilucidabimus.

Matth. 13. 32.

2. Ezechiel Propheta ductus est aliquando à viro ad aquas sensim ac paulatim profundiores; primò ductus est in aquam usque ad talos, secundò usque ad genua, tertiò usque ad femora & renes, quartò jam excedebant aquæ hominis staturam, & tandem apparuit torrens profundissimus, qui non poterat transvadari: *Quoniam intumerant aquæ profundi torrentis &c.* Hanc immanem aquarum abyssum ubi Propheta conspicatus est, noluit ulteriùs progredi, & tam manifesto se vitæ exponere periculo, sed cum bona venia sui ducis, qui Angelus fuerat, retrogressus est. Ita, subintrat hîc B. Petrus Damianus, Angelus Satanæ cum homine agit, sensim ac paulatim à minoribus delictis ad graviora, ac tandem ad enormia eum inducens peccata, donec mensurâ scelerum adimpletâ illum in inferni barathro submergat: *De parvis*, inquit B. Damianus, *& planis aquis ad intransmeabilem profundi torrentis plenitudinem pervenitur.* Et quid vilius à plerisque censetur hominibus, quàm mendacium jocosum? & tamen ex hoc, si nullum sibi homo facit scrupulum, fiet paulatim mendacium pernicioſum, paulò post ejusmodi homo labetur ad juramenta & perjuria, & sic contracto habitu perveniet tandem ad infernum: *Si curare*, ait S. Gregorius M. *parva negligimus, insibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.*

Ezech. 47. 5.

B. Petrus Dam. in exposit. hujus loci.

S. Greg. M lib. 10. Mor. c. 9.

Probam

Probam desideratis? Petrum attendite. Venerat is in atrium Cayphæ, ubi Christus interiore Aula à Concilio malignantium erat examinatus, & quia ancilla una ostiaria accuratè Petri vultum observabat, videns eum non esse è ministris, sed hominem extraneum, pavidum ac mente consternatum, inde conjecit illum esse asseclam JESU captivi; quare eum interrogavit: *Et tu cum JESU Galilæo eras?* Quid ad hoc Petrus? *Nescio, quid dicis.* Vide & observa hîc, prudens Lector, primum officiosum Petri mendacium. Tentatur is secundò ab alia ancilla, cum sederet cum ministris ad ignem, ut hac libertate sese à prima purgaret ancillæ accusatione; Verùm hîc in novum tentationis incidit laqueum: *Vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum JESU Nazareno?* Quid hîc Petrus? videns, quòd plures ministrorum ad ancillæ hujus interrogationem concurrerent, validiore responso & ariete rem esse purgandam ratus, negationi secundæ juramentum addidit; *Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem.* Tentatur tertiò à circumstantibus in atrio ministris: *Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit.* Quid hîc rursus Petrus? ubi advertit undique se premi, ad extrema adactus, *cæpit detestari, & jurare, quia non novisset hominẽ.* Cornelius à Lapide ita illum anathematizantem inducit: *Hæc faciat mihi DEUS, & hæc addat, si novi JESUM; terra mihi debiscat, fulmen me afflet, cælites me perdant, si JESU sim discipulus &c.* O Petre! quantum jam mutatus à te ipso es? nunquid priùs â Christo monente & minitante audiîsti: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est?* paulò ante in horto acerrimè defendisti Dominum tuum, ultrò vitam objiciens morti, & nunc heu quantâ ruinâ primaria Apostolorum columna collapsa est; ô casum miserandum! O Christiani! exclamat hîc S. Gregorius Magnus, videte, quomodo *peccatum, quod pœnitentiâ non deletur, mox suo pondere ad aliud trahat.* Videte, & perpendite, quomodo Dæmon infernalis S. Petrum fundamentalem Ecclesiæ Dei Lapidem, imò & columnam non vi, sed sensim ac paulatim dejecerit, atque prostraverit. Time hîc, quisquis es, ne & tibi taliter contingat, si spernis modica. Juvat hîc audire S. Anselmum Hierarcham Cantuariensem: *Nota*, inquit, *primò ait: nescio, quid dicis; secundò cum juramento negat; tertiò cæpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem; perseverare quippe in peccato, dat incrementum scelerum, & qui minima spernit, cadit in majora.*

Matth. 26. 69.

Cornel. hîc in Matth. 26. 73.

Matth. 10. 33.

S. Anselm. hîc, de S. Petro.

3. Admiranda quondam fuit statua illa Regis Nabuchodonosoris, cujus caput ex purissimo auro, pectus & brachia ex candidissimo argento venter & femora ex ære solido, tibiæ ex ferro rigido, & tandem pedes ex luto vilissimo fictiles erant. Et quid tandem huic statuæ prodigiosæ evenit? unico momento moles ista in terram dejecta, subversa & in pulverem redacta est. An fortâsse tremendo icta fulmine concidit? An hunc Colossum hostilis sub-

Dan. 2. 35. subvertit & extirpavit exercitus? Minimè gentium, sed *adscissus est parvus lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum &c.* Et tantam stragem ac ruinâ poterat causare unicus lapillus?

O quàm multi sunt Christiani! qui habent caput aureum, dum bene incipiunt, sed pedes ex luto fictiles, dum malè tandem finiunt, quia pedetentim per culparum venialium contemptum deficientes, tandem unico tentationis lapillo in pedum fragilitate concussi corruunt, & in peccatis suis æternùm pereunt! Et quot, obsecro, unicus alterius sexûs incautus aspectus præcipitavit? sic nimirum à visu venitur ad risum, à risu ad potum, à potu ad lusum, à lusu ad usum, ab usu & familiaritate ad tactum; & tandem ad actum. En hîc jacet Colossus in igne gehennali æternùm cremandus: *Qui spernit modica*, sunt verba Dionysii Carthusiani, *id est, levia peccata, successivè corruit ad majora, venialia namque minora disponunt ad venialia crassiora, & omnia simul ad mortalia &c.* Populum illum Israëliticum consule, de quo Scriptura: *Sedit populus manducare & surrexerunt ludere.* Supra quod S. Gregorius Papa: *Esus*, inquit, *potúsque ad ludum impulit, ludus ad idololatriam traxit &c.* Et nunquid primus Regum Liber de Saule commemorat: *Non erat vir de filiis Israël melior illo?* Hic tamen talis ac tantus vir, ubi in divinis observandis mandatis paululùm inobediens esse cœpit, sensim in abominanda & horrenda delapsus est crimina, donec tandem de salute sua æterna desperans miserrima morte impiam afflârit animam, de quo Os Aureum: *ac si paulatim*, inquit, *atque paulatim labens non stetit, quousque in perditionis barathrum se ipsum immisit.*

Dionys. Carth. in Eccl. 19. 1. Exod. 32. 6. S. Gregor. l. 10. Moral. c. 9. 1. Reg. 9. 2. S. Chrysost. de obitu Saulis.

4. Occurrit hîc mihi Serenissimus Princeps Absolon, corpore quidem formosissimus, sed animo nigerrimus, qui mirum in modum suas nutriebat, & expoliebat comas, quas annis singulis, quia eum gravabant, tonderi voluit; & quia aurei ac flavi erant coloris, ideo à fœminis ad capillaturam ex eis sibi faciendam, avidè fuerunt expetitæ; hinc pretium illorum ducentorum siclorum argenti, qui octoginta Romanos faciunt aureos, fuit æstimatum. Accidit, ut in bello injusto parricida iste mulo insidens, fugam arriperet: *Cúmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.* O crines! ô laquei! sed justus es, Domine, & rectum judicium tuum; in quo enim quis peccat, in hoc & punietur. Hæc autem illis contingebant in figura, nobis autem ad correptionem, per illos enim capillos rectè Doctores peccata venialia subaudiunt, quæ multiplicata dispositivè hominem ad mortalia, imò ad ipsum inducunt infernum: Væ, subintrat hîc Prophetarum Princeps Isaias, *væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatum, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Nunquam vidistis, animæ Christianæ, quomodo

2. Reg. 18. 9. Sap. 11. 17. Isa. 5. 18.

suos

suos restiarii faciant funes? A minutis incipiunt funiculis, quibus alios aliósque adjungunt minores, ex quibus tandem crassa consurgit restis, quibus naves, anchoræ, currus, rotæ, machinæ &c. ligantur, trahuntúrque. Simili ferè modo homo peccator à minimis incipit, & in magnis finit sceleribus; Chaldæus hîc vertit: *Væ, qui incipiunt paulatim peccata, augéntque, ut crescant, & fortia fiant, ut vinculum plaustri.* En singulare Dæmonis stratagema, sensim & paulatim animos seducentis; proinde appositè S. Ephrem: *Vos hortor*, inquit, *obtestórque fratres, ut non solùm à gravioribus peccatis ac vitiis temperetis, sed etiam ab illis, quæ parva apparent & levia, quæ tanquam minimi ac nullius momenti ferè ab hominibus negligi, spernique solent, quasi nulla de similibus reddenda foret ratio, cùm interim per ejusmodi nos spernere etiam quærat diabolus. Omni ergo diligentiâ ac custodia etiam in minimis illis dolos, atque insidias diaboli cavete. Nolite locum dare diabolo.* S. Ephrem hom. 1. de virt. & vit. Ephes. 4. 27.

5. Cæterùm non possum capere, quare olim DEUS populo suo electo sub pœna mortis præceperit, ne per septem dies tempore Paschali panem fermentatum comederet, sed solùm azyma, id est, panem sine fermento, & hoc in memoriam illius, quia, cùm populus ille Israëliticus de Ægypto egrederetur, præ festinatione tempus non habuit pastam ad coquendum panem præparatam fermentandi: *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicunque comederit fermentum, peribit anima illius de Israël, à primo die usque ad diem septimum.* Ad quid, quæso Hæbræis capitale fuit fermentatum panem diebus azymorum manducare? Observa hîc, prudens lector, peculiare mysterium. Per fermentum illud passiones nostræ subaudiuntur, quas nisi in suis principijs à corde nostro repellimus, sensim in eo crescent, & sic ex desidia nostra confortatæ tandem in vitia & enormia degenerabunt peccata. Ita antiquissimus Origenes: *sed ne contemnas*, inquit, *etiamsi parvam videris intra te fermentari malitiam, quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & ideo neque de parvo peccato negligas, quia ex uno generatur & aliud*; Et si unum peccatum admittitur, & non mox per seriam pœnitentiam diluitur, brevi centena ejusmodi monstra parturientur. Exod. 12. 15. Orig. hom. 25. in Exod. 12.

Salomonem, virorum prudentissimum consulamus, de cujus pietate recensent sacræ paginæ. *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis David patris sui*; & ideo bis illi DEUS apparuit: *Dixítque Dominus ad eum: Exaudivi oratiõnẽ tuam &c.* Et quid paulò post sequitur? *Cúmque jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* O casum verè luctuosum, dum in servitio paulatim cœpit tepescere, cœpit & deficere, donec tandem Gentilium fœminarum insano amore victus, ut ejusmodi suis morem gereret concubinis, impius & turpissimus idololatra factus est: *Salomon elatus*, ait S. Prosper, *in senio fornicatus mente & corpore, Domino* 3. Reg. 3. 3. 3. Reg. 9. 2. 3. Reg. 11. 4. S. Prosper p. 2. de præd. c. 27.

ipsum deserente, malè obiit. Disce hîc cavere fæminas, & fugere illarum consortia, etiamsi piæ & religiosæ dicantur; non enim prudentior es Salomone, sanctior Davide, fortior Samsone, quos omnes dementârunt mulieres; & de Samsone quidem dicitur: *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cæpit abigere eum, & à se repellere, statim enim ab eo fortitudo discessit.* En tibi, quomodo virtus & fortitudo talis ac tanti herois per unam fallacem & lascivam mulierculam confusa, atque prostrata est, amissis crinibus & ipse Samson periît, *ut DEUS*, ait Cornelius, *moneret, capillorum, id est, rerum minimarum nobis exactam curam esse habendam, à minimis enim pendent maxima.* Unica macula, quæ reperitur in gemma, totum ejus pretium extinguit; Unica arenula pupillam oculi infestat, & offendit; Unica veneni guttula mortem homini accelerat; Unica piscis spina Tarquinium Priscum occidit; Unica acûs punctura Luciam M. Aurelij Imperatoris filiam necavit; Unicus capillus Adrianum IV. Pont. Max. extinxit; Unica musca pestifera Neapoli grassante peste opulentum civem in horto suo, ut liberiorem captaret auram, commorantem, peste afflavit, & occidit. O Christiani! *Nolite locum dare diabolo* etiam in minimis, porrigit enim vobis pomum, & surripit paradisum.

Judic. 16. 19.

Cornel. hîc.

Eph. 4. 27.

6. Sed pergamus in nostra thesi ulteriùs. Sæpiùs hactenus miratus sum, quare sapientissimus Siracides, imò per os ejus ipse Spiritus Sanctus, nos fidelissimè moneat, ut omne peccatum non secus ac colubrum fugiamus: *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Cur non dixit Ecclesiasticus: Quasi à facie immanissimi draconis, ferocissimi leonis, aut furiosi tigridis fuge peccata? An fortâsse allusit ad illum callidum serpentem, qui quondam Evam protoparentem nostram in paradiso seduxit? Adverte: Serpens in occulto mordet, & clam suum homini instillat venenum; solet autem ex serpente nasci regulus, seu basiliscus, qui solo visu, quos aspicit, necat. Juvat hîc audire Didacum Stellam Auctorem gravissimum: *Per colubrum*, inquit, *qui inter animalia venenosa minùs veneni habet, intelligit hîc Ecclesiasticus parvum peccatum, à quo fugere debes. Quare? quia Isaias dicit cap. 14. quòd ex radice colubri egredietur regulus. Basiliscus inter reliqua animalia venenosissimus est, & adeò malus est, ut solo intuitu homines interficiat, atque ideo per illum intelligitur gravissimum omnium peccatorum. Fuge igitur, à parvis & à prioribus peccatis gravissima oriuntur.* Sic videmus, quòd ex minutissimo semine successu temporis ingens excrescat arbor: *In uno grano*, ait S. Gregorius Papa, *parvissimi seminis latet tota, quæ nascitura est, arboris moles.* In uno grano (peccato veniali, si non emendatur) latent furta, perjuria, blasphemiæ, fornicationes, adulteria, sacrilegia, homicidia, & omnis generis mala; & licèt mille-

Eccl. 21. 2.

Didac. Stell. in cap. 3. Luc.

S. Gregor. in Job. 33.

millena peccata venialia non constituant unum mortale, minuunt tamen summopere gratiam divinam, quâ subtractâ, homo sine dubio in æternæ damnationis ruet barathrum. Et nunquid Judas, dum ad Apostolatûs apicem evectus est, vir erat timens Deum? sed quia minora non curabat furta ac delicta, sensim ad summam illam, quæ orbi nota est, pervenit malitiam & protervitatem. Quod etiamnum, pro dolor, in viris à religione sua, aut fide orthodoxa, apostatantibus luculenter experimur, undè rectè & emphaticè S. Anselmus: *Omnis*, inquit, *religio monastici Ordinis funditus perîit, si custodia ejus per modicum culparum contemptum paulatim tepescit.* Nota hoc tibi ô Clerice! ô Ecclesiastice! ô Paroche! ô Religiose! imò & tu, ô Laice! si paulatim ac pedetentim flaccessis, tepescis, & deficis, nec ampliùs minora delicta, tunc proximus es ruinæ & damnationi æternæ: *Judiciô divinô*, ait S. Isidorus, *in reatum nequiorem labuntur, qui distinguere minora sua facta contemnunt.*

S. Anselm. de similit. 122.

S. Isidor. lib. 2. sent. c. 19.

7. Cæterùm videtur mihi astutissimus Dæmon, ut quondam Satrapæ Philistinorum, qui, cùm invictum Samsonis animum expugnare non possent, maturo habito consilio ad uxorem ejus venerunt, rogantes, quatenus ex viro suo per blandimenta & lenocinia explicationem problematis expiscaretur: *Blandire viro tuo, & suade ei, ut indicet tibi, quid significet problema.* Hoc dolo & alia vice Philistini cum Samsone usi sunt, cùm enim cernerent, fortissimum hunc juxta ac invictissimum Athletam mulieris amore esse irretitum, ut faciliùs eum expugnarent, ac caperent, Dalilæ uxori ejus egregiam pecuniarum summam polliciti sunt, si hunc maritum suum in prædam ipsis consignaret: *Decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem &c.* Quâ cognitâ roboris causâ infelix Samson in somno detonsus, captus, illusus, & ab hostibus excæcatus est; *quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.*

Jud. 14. 15.

Jud 16. 5.

Simile stratagema & diabolus in expugnatione animæ nostræ sæpè numero adornare & subornare assolet, dum eam non vi, aut subitò, sed paulatim, ac plerumque per Dalilam, hoc est, per carnem ejúsque blandimenta, ac sensualem & proprium amorem à minoribus ad majora inducit peccata, donec tandem eam ad æternæ damnationis barathrum præcipitet, proinde rectè & optimè monet Apostolus; *Nolite locum dare diabolo*, super quæ verba Divus Hieronymus ita commentatur: *Adversarius semper in nos est paratus irrumpere, & cùm locum dederimus ingreditur; solet autem, antequam veniat, quædam jacula præmittere, & Præcursorem adventûs sui facere cogitationem, hanc si nos in corde nostro susceptam nutriërimus intrinsecùs, & crescere fecerimus, cùm in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare. Potestas diaboli non in temeritate ilius, atque jactantia, sed in tua est voluntate*: Audis hoc, homo Christiane?

Ephes. 4. 27.

S. Hieron. Epist. 4.

stiane? quid ergo in tentationibus das locum diabolo, si res & consensus in tua sunt potestate?

8. Evam protoparentem nostram antiquus ille serpens non vi, sed sensim ac paulatim ad peccatum induxit: *Nequaquam moriemini.* Ecce typum & modum, quo etiamnum hodie hostis ille inveteratus & capitalissimus humanum genus, & posteros Adami investat, non cogit, sed sollicitat consensum.

Gen. 3. 4.

Joab Belli-Dux innocentem Amasam non aperta vi, sed osculando interfecit: *Salve mi frater; & tenuit dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram.* En stratagema vaferrimi diaboli, in primo tentationis assultu mirè homini blandientis, donec capta occasione eum inficiat, ac tandem interficiat.

2. Reg. 20. 9.

Judæi impij illi deicidæ falsò Christum redarguebant, quòd in Belzebub ejiceret Dæmonia. Belzebub idem est, quod *DEUS muscarum;* quid autem muscâ impudentius? etiamsi repellatur, redire tamen solet; & si locum huic infernali das muscæ, fiet tandem ex ea Draco, qui devorabit animam tuam; ita dilectus ille Christi Discipulus diabolum appellare solet; *Ecce, Draco magnus, rufus &c.*

Luc. 11. 15.

Apoc. 12. 3.

Idem hostis tartareus, cùm Christum esurientem post quadraginta dierum jejunium in deserto tentare discuperet, rem pari modò sensim ac paulatim aggredi voluit, offerens ei imprimis lapides: *Dic, ut lapides isti panes fiant.* Et quare non petiit, ut ex lapidibus istis Christus carnem assam, vel capones, gallinas, & similia creâret? Respondet Didacus Stella: *Si Dæmon te parva re capere possit, non cupit pretiosam,* à minimis enim incipit, donec ad majora perveniat, & hominem incautum ad interitum præcipitet, ac ipsâ nostrâ, dum ab initio non resistimus, nos vincat ignaviâ; sic Christo tandem persuadere voluit, ut se ipsum præcipitaret: *Mitte te deorsum &c.* Age igitur, quisquis es, homo Christiane! & sequere prudentissimum, quod tibi suggerit Siracides, consilium: *Non credas inimico tuo in æternum.* Inimicus hic tuus Diabolus est, si te blandis imposterùm tentabit suggestionibus, *non credas inimico tuo in æternum.* Audis hoc? abi in pace.

Matth. 4. 3.

Stella in Luc. 4.

Eccl. 12. 10.

CON-

CONSIDERATIO XII.

Emendatio vitæ procraſtinata in fine periculoſa.

Pro Dominica Septuageſimæ.

Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Matth. 20. 6.

1.

RECTÈ Regulæ Juris in 6to: *Mora ſua cuilibet nociva.* Julium Cæſarem primum Imperatorem Romanorum conſiderate, qui, cùm die quodam ad Senatum in Capitolio Romano congregatum ſe conferret, â fideli amico per litteras admonitus eſt, ut ſaluti, ſed nulla interpoſitâ morâ conſuleret, ſibi enim certam à Senatoribus paratam eſſe perniciem, & à conjuratis, quorum Dux Brutus erat, machinandum interitum. Quid agit Cæſar? *Libellum*, ait Plutarchus, *ſibi in Senatum eunti, ubi à conjuratis interfectus eſt, conjurationis ſeriem ediſſerentem oblatum, in ſinum conjecit, apud inferos ſcilicet per otium lecturus.* En dilatio modica, & mora exigua Cæſari vitam, & imperium ademit. Plutarchus de Julio Cæſare.

Similem libellum monitorium, homo Chriſtiane, tibi hodie transmittit ſancta Mater Eccleſia, monétque ſerio, ut relictâ tepidâ, ac ſenſuali vitâ tuâ, in vineam Chriſti te conferas, atque in negotio ſalutis tuæ nullam interponas moram: *ito & tu in vineam meam*; & tu, anime mi, ſtas totâ die otioſus? Excuſabant ſe quidem illi operarij, qui poſtremò vocati ſunt: *Quia nemo nos conduxit*; tu autem, qui Evangelicæ Legis, & vocationis tuæ non ignarus es, quomodo, & qua ratione te excuſare poteris: *Quia nemo nos conduxit?* Clamat tibi in aures Lex per Moyſen: *Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Adhortatur te hodie ipſa Veritas Chriſtus: *Multi ſunt vocati, pauci electi: Contendite intrare per anguſtam portam.* Fulminant Prophetæ: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis &c.* Tonant Apoſtoli: *Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Vociferantur verbi divini Præcones: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Inſtat Angelus Cuſtos, prout olim in valle flentium populum Iſraëliticum, ita & te nunc peccantem, & non pœnitentem graviſſimis verbis admonens: *Noluiſti audire vocem meam, cur hoc feciſti? &c.* Interroga ipſam tuam

Matth. 20. 4. Deut. 23. 21. Luc. 13. 24. Iſai. 1. 4. 2. Petr. 4. 18. Luc. 13. 3. Judic. 2. 2.

S. Thomas Villanov. conc. 1. de judicio.

tuam conscientiam, & quid tibi dictat? Audi S. Thomam Villanovum: *Aut pœnitendum, aut ardendum*: hîc non datur medium. Et tu stas adhuc tota die otiosa? O Christiane! ô Procrastinator! nunquid tinniunt tibi ambæ aures tuæ? aut dispone te ad maturam, ac seriam vitæ emendationem, aut para te ad infernum. Plura in præsenti.

Lev. 11. 13.

2. Quòd Strûthio in lege veteri inter immunda animalia reputatus, & à Deo non tam à sacrificio, quàm etiam ab esu hominum rejectus fuerit, non miror, quia symbolum stolidi hominis est, dum caput solum, licèt grandis sit corpore, imminente periculo in arena, aut in gramine abscondit, putans sic à nemine se videri, cùm ipse neminem videat, proinde rectè illi pro lemmate inscribes: *Sublime non sapit.* En typum hominis mundani emendationem vitæ suæ de die in diem procrastinantis, & Deum intime

Psalm. 58. 8.

sibi præsentem, ac monentem non considerantis: *Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Jacob.* Hinc prô dolor! tot fœda, & abominanda flagitia, hinc tot excessus detestabiles, hinc tanta ruina Christianorum, quia *oblivio Dei*, ait Theodoretus, *conciliatrix peccati est*, & fœcunda omnium scelerum parens. *Unde tanta tepiditas in orando*, quærit S. Thomas de Villa Nova, *tanta negligentia in operando, tam modica resistentia in resistendo, nisi ex hac Dei oblivione?* O miseri mortales! qui dies noctésque in vanis domorum, agrorum, pecuniarum, voluptatum, stultitiarum, & cæterarum rerum pereuntium cogitationibus insumitis, Dei autem vestri vix memineritis, nisi ut nomen illius blasphemetis, quid erit in morte, & cùm Dominus ad judicandum venerit? *Nemo nos videt*, dicetis cum duobus illis pessimis sycophantis, qui quondam castissimam Susannam clauso ostio in horto ad turpissimum flagitium sollicitârunt. *Nemo nos videt.* O stulti, & tardi corde ad credendum! ergo *qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat?* Mihi credite: *Eructabit* ille aliquando, cùm venturus est tanquam districtissimus Judex, omnia *abscondita à constitutione mundi*, quia *nihil* tam *opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum*; aut maturè, & seriò pœnitendum, aut æternùm ardendum. Nauta, si ventum observat favorabilem, sine mora navim de littore solvit, ac vela pandit, non exspectans, donec exurgant turbati maris iræ, ferveântque spirantibus æquora ventis: Et tu, insane dilator, tunc primùm dignos pœnitentiæ fructus facere discupis, ubi morborum fluctus te infastabunt, naufragium vitæ imminebit, & mens ob instans judicium trepidabit? *Suspecta*, ait Hugo de S. Victore, *debet esse pœnitentia, quæ sera venit; possibilitas optimè probat, si non facis, dum potes, manifestè ostendis, quòd non vis.*

Luc. 24. 25. Ps. 93. 9. Matth. 13. 35. Matth. 10. 26. Psalm. 42. 21. Hug. l. 2. de Sacram. p. 14. c. 5.

3. Verùm progrediamur ulteriùs, & notum illud Abelis, & Caini sacrificium attentiore mentis oculo inspiciamus. De Cain agricola recenset Scriptura:

ptura: *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino &c.* & de Abel: *Obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*: Et quid ſequitur? *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit.* Quid hoc eſt? An reſpectus perſonarum eſt apud Dominum? Si non reſpexit Deus perſonam ullius hominis; quare ergo unius ſacrificium ratum & acceptum, alterius verò indignum, & abominabile habetur: ut reſpiciatur? Gen. 4. 3.

Solvit hanc quæſtionem pulcherrimè Doctor Melliſluus, dum accuratè advertit, quòd Abel de primogenitis, & primitiis Deo ſacrificium obtulerit, Cain verò de frugibus jam emarcidis, & obſoletis, & hoc, prout inſinuat Scriptura: *Poſt multos dies*; fuit itaque Cain typus illorum, qui vitæ ſuæ emendationem in longum tempus differunt, & tandem, cùm infirmantur, aut in aliquo vitæ exiſtunt periculo, fructus dignos pœnitentiæ facere volunt, ſed malè timeo, ne cum impio Caino fruges pariter emarcidas, & obſoletas offerant: *Quid facitis juvenes*, ſunt verba memorati Doctoris Melliſlui, *qui flores juventutis veſtræ offertis Diabolo, & fæces ſenectutis veſtræ Deo? ſecuriùs eſſet cum Abel primitias Deo offerre juventutis, dicendo: Mane adſtabo tibi, in matutinis meditabor in te &c.* S. Bern. cit. à. Manſ. T. 4. 580. Gen. 41. 47.

De Joſeph recenſent Sacræ Paginæ, quòd maturè & in tempore opportuno ſterilitati futuræ proviserit, non exſpectans, donec maleſuada fames omnem terram repleret. Et tu anime mi, non vis tibi proſpicere pro futuro tempore, & tota imminente æternitate? Qui olim primus, & feſtinus in piſcinam deſcendit, dum ab Angelo movebantur aquæ, ſanus factus eſt, à quacunque detinebatur infirmitate, cæteris, qui tardiores fuerant, fruſtra ſanitatem præſtolantibus. Ad quid ergo tardas, homo Chriſtiane, te emendare, ac totum te convertere ad Dominum Deum tuum? En gratiarum piſcina SS. ſ. Vulnerum, & Sacratiſſimi Cordis JEſu aperta tibi eſt, cur non in illam deſcendis; *Cujus veſtrûm aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahat illum*? Et tu, Anima peccatrix? dies & hebdomadas, menſes & annos ſtertis in peccatis? *Quæ in juventute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua invenies?* Quam ſtultum eſt ſibi perſuadere ſanctam mortem, ſi per omnem vitam Deum offendiſti? Triticum ſolùm bonus ille paterfamilias in horreum ſuum congregari, & aſervari juſſit, ſi autem nil niſi zizania, ſpinas & tribulos peccatorum tuliſti, ubi erit locus tuus? Jo. 5. 4. Luc. 1. 45. Eccl. 2. 5. Matt. 13. 40.

4. Obſervate nunc quæſo mecum confeſſionem S. Petri & Dæmonis. De Petro liquet, quòd Chriſtum liberè & publicè coram aliis pluribus confeſſus ſit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Per quam publicam confeſſionem meruit adhuc ante obitum ſuum ab Ore Veritatis Beatorum numero adſcribi: *Beatus es Simon Barjona.* Hunc Apoſtolorum Principem in publica con- Matt. 16. 16.

Luc. 4. 41. confessione & Dæmon imitatus est: *Quia tu es filius Dei*: Et quid hîc Christus? *Et increpans non sinebat eum loqui.* Quare unius, & non alterius susceptа est confessio?

Resp. ad quæstionem S. Augustinus, quia Dæmon ex timore servili, & ex pavore pœnarum infernalium tunc temporis Christum, ut Dei Filium confessus est, Petri verò confessio purè ex amore filiali processit: *Unde separantur*, ait hîc S. Doctor, *istæ duæ confessiones, laudatur amor, damnatur timor.* Audis hoc peccator inveterate? Tunc utique cum Dæmone peccata tua deplorare desiderabis, quando non ampliùs erit tempus pœnitendi, quia *virum injustum mala capient in interitu.* Tunc pariter occlamabis: *Tu es Christus Filius Dei vivi? Miserere mei*, sed non ampliùs erit tempus miserendi, *cùm interitus quasi tempestas irruerit.* Tunc cum Balaamo imo de pectore suspirabis: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* O stulte! vive nunc vitâ justorum, mandata Dei observans, & maturè in rem, & salutem tuam vigilans, & tunc in agone ab auditione mala non timebis, quia solùm *cor durum habebit malè in novissimo.*

S. Aug. l. 50. hom. 41. Pſ. 139. 12. Prov. 1. 27. Num. 23. 10. Eccl. 3. 27.

Jeroboam Israëlitarum Regem consule, quem Deus variis, ac gravissimis castigavit plagis, quia *fecit malum, & non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum.* Tandem & hic impius Rex resipiscere voluit, dum uxorem suam ad Ahiam Prophetam ablegavit, ut habitu commutato, & depositâ veste Regali, plebejam induta pro salute morientis filii sui rogaret, ad quam Ahias ex Dei mandato non nisi diras fulminavit minas: *Ego autem ad te missus sum durus nuntius &c.*

2. Paral. 12. 6. 3. Reg. 14. 6.

Talis & Achan miles Hebræus extitit, qui in furto Hierichuntino deprehensus licèt tandem de peccato suo pœnituerit: *verè ergo peccavi Domino DEO Israël, & sic feci &c.* Veniam tamen juxta Rupertum Abbatem, & alios Interpretes non ampliùs impetravit, quia confessio ista, & pœnitentia nimis tarda fuit. En pessimos dilatæ emendationis fructus: *Tunc*, subintrat hîc S. Antistes Hipponensis, *cùm venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantùm damnationis; & erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera.*

Jos. 7. 20. Rup. Abb. l. 1. in Jos. cap. 21. S. Aug. sup. Pſ. 50.

5. Ad Judam Iscariothem transeamus. Cùm vidisset pessimus hic mercator, quòd Christus Dominus oscula proditorio in manus inimicorum à se traditus, tunc tanquam Agnus mansuetus ad victimam Crucis raperetur, vehementer de tam gravi & enormi culpa sua pœnitere cœpit; itaque impium contractum cum Judæis initum rescindere cupiens, triginta argenteos Principibus Sacerdotum restituit: *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: Peccavi tradens sanguinem justum.*

Matt. 27. 3.

Exami-

Exanimemus pauliſper hanc Judæ pœnitentiam. Dic ſodes, nunquid ad veram pœnitentiam, ac confeſſionem ſecundùm omnium Theologorum effatum requiritur contritio, confeſſio & ſatisfactio? Has partes etiam pœnitentia Judæ habuit: Contritus fuit, quia pœnituit: *Pœnitentia ductus*: Sacerdotibus peccatum ſuum palàm, & cum dolore confeſſus eſt: *Peccavi*; Satisfactionem debitam præſtitit, ac bona injuſto titulo acquiſita, reſtituit: *Retulit triginta argenteos.* Bonam famam Chriſto injuſtè detractam pariter recompenſavit, dum illum publicè innocentem proclamavit: *Tradens ſanguinem juſtum*; Quare ergo expletis omnibus partibus ad veram pœnitentiam requiſitis, nullam ampliùs apud Deum gratiam invenit?

Reſp. Theophylactus, doluiſſe Judam præcipuè ex eo, quòd tam indignam actionem quoad mundum commiſerit: *Non ferens Judas ignominias ſubſecuturas, ſeipſum vitâ ſubduxit.* Et Hugo Cardinalis: *Pœnitentiâ ductus non propter amorem Dei, ſed magis propter factum enorme &c.* Et S. Leo Pontifex: *Peccâſſe ſe doluit, veniam autem ab eo, qui dare poterat, non requiſivit;* ſi enim maturè ad pedes Chriſti, tunc pro mundi ſalute patientis, ſeſe projeciſſet, ob eius amorem, & offenſam ſincerè dolens, ſine dubio à pientiſſimo Domino delictorum veniam impetrâſſet; hinc veniam deſperans, & miſerias majoribus accumulans, laqueo jugulum abrupit, & in arbore ſe ſuſpendit; & quia viſcera omnis pietatis exuerat, ideo juſto Dei judicio *crepuit medius*, ac cuncta illius in terram non ſine ſtygio fœtore effuſa ſunt, indignus, qui malevolam animam per os, quo Chriſtum fraudulenter oſculatus fuerat, in Orcum evomeret. Horribile exemplum omnibus procraſtinatoribus, apoſtatis falsò Confitentibus, & indignè communicantibus.

Theophyl. hìc. Hugo in hunc loc. S. Leo. ſer. 9. de paſſ Dom. Act. 5. 18.

O anima Chriſtiana! quoties & tu Deum tuum, amantiſſimum Patrem, ac Benefactorem omnium maximum innumeris peccatis tuis offendiſti, & cum Juda non triginta argenteis, ſed viliore fortaſſis pretio, ac vel unicâ, momentanea, ſpurciſſimâ & abominandâ carnis voluptatulâ tradidiſti, ipſo proditore magìs proditor, & tamen hactenus nullam veram condignam, ac conſtantem pœnitentiam egiſti; ô Deum immortalem! Quid erit tunc in morte tua, ac ſupremo vitæ agone? heu miſera, quò fugies? Ad Judam deſperantem quondam dictum fuit: *Quid ad nos, tu videris?* Itáne *& tu videris*, quando non ampliùs erit tempus videndi? ô malum: *Tu videris*? Quid, obſecro, tunc te juvabit dicere Confeſſario tuo: Mi Pater! peccavi, fateor, habes confitentem reum, ſed impoſterùm ſeriò, ah ſeriò me emendabo, omnia peccata, & eorum occaſiones vitabo, ita me Deus adjuvet &c. O pulchra pœnitentia! quid emendabis, quando ampliùs non poteris? Audi S. Auguſtinum: *Tunc*, inquit, *peccata tua te deſerent, non tu illa.* Et

S. Auguſt.

ser. 3. de verb. Ap. c. 9. tu primùm in agone constitutus illa vis emendare? Cur non modo? cur non hodie, cùm audis vocem Domini intùs ad cor loquentem? ah cur non?

6. Venit hîc mihi in mentem fortissimus ille Samson solo quondam nomine terribilis, sed nunc miserrimus, excæcatus & vinctus catenis, qui paulò ante leones domuit, portas æreas confregit, & hostilem exercitum inauditâ fortitudine solus debellavit, modò à Philistæis captus, & cæcus ducitur, ut coram eis luderet, & saltaret: *Lætantésque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt, ut vocaretur Samson, & ante eos luderet, qui adductus de carcere ludebat ante eos &c.* O miserum Samsonem, lusum tam miserandum, tam lugendum, tam periculosum ludentem; Sic cattus cum mure ludit, lupus cum agno, milvius cum columba, vertagus cum lepore, Dæmon cum anima; ex quibus præmissis, ô anima procrastinatrix! non sequitur alia consequentia, quàm interitus. Arrigite aures, ô mundani omnes, qui carni, mundo, Dæmoni, vobis ipsis, ac propriis inservitis cupiditatibus, audite Scripturam, & quid Spiritus dicat: *Fecerúntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, servientes Baalim & Astaroth.* Et quid sequitur? *Iratúsque contra Israël Dominus, tradidit eos in manus Chusan &c.* Ita, inquam, & vos luditis, ò miselli! ô mundani! ô procrastinatores, ad instar Samsonis captivi à Diabolo, nec propriam calamitatem, animæque imminens agnoscentes periculum, donec tripudiando, jocando, luxuriando, epulando, potando, otiando descendatis in infernum? *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad infernum.* O miserandam ejusmodi dilatorum sortem!

Jud. 16. 25.

Jud. 3. 7.

Job. 21. 13.

Holofernes Assyriorum Dux, ut Bethuliam civitatem suæ subijceret potestati, fontem primarium, ex quo cives aquam haurire solebant, incidi & fluentes undas alium in locum dirigi jussit: *Porrò Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte Australi extra civitatem dirigeret; & incidi præcepit aquæductum illorum &c.* En stratagema ducis tenebrarum Diaboli, qui cum animam hominis (per obsessam Bethuliam adumbratam) suæ discupit submittere potestati, ante omnia fontem vivum, & fluentem aquæductum, hoc est, Dei ubique locorum præsentis memoriam in homine eliminare satagit, quâ extinctâ facili conatu animam de peccato in peccatum inducit, ac tandem, dum peccator miser differt vitæ emendationem, in æternum damnationis barathrum præcipitat: *Videte*, ait S. Franciscus Assisius, *ne Dominum oblivioni tradatis, quin omnes illi, qui eum oblivioni tradunt, ab eo oblivioni traduntur;* & Hugo Cardinalis: *Oblivio Dei*, inquit, *malitiosa est, & omnia parit vitia.* Hinc sequuntur vitia catenata, dum peccatum primum, si non citò pœnitentiâ deletur, januam referat secundo, secundum tertio, tertium quarto, & sic

Judith. 7. 6.

S. Franc. Ass. in suis opusc. ep. 15. Hugo. Card. sup. Ezech. 6.

ſic in infinitum: *Cave*, prudentiſſimè monebat Tobias filium, *ne aliquando peccato conſentias*, facilè enim labi, & peccare potes, ſed non ex propriis tuis reſurgere viribus, per peccatum enim amittitur gratia divina, quâ perditâ, anima miſera huc illuc vacillando, & emendationem differendo tota abit in profundum. 22. f. 81. Tob. 4. 6.

7. Roboremus hanc veritatem per alios Scripturæ locos, & conceptus. Seba filius Bochri contra Davidem Regem, ac Dominum ſuum ſeditionem movens, urbem Abelam occupaverat, quam, ut ab hoc liberaret tyranno, Joab ſupremus Belli Dux valido obſedit exercitu. Et ecce, dum parantur, & eriguntur munitiones ad mœnia civitatis ſolo æquanda, mulier quædam prudens muros aſcendit, & validâ, quâ poterat, voce clamavit: *Audite, audite, dicite Joab, appropinqua huc, & loquar tecum, qui cùm acceſſit ad eam, ait illi: Tu es Joab? & ille reſpondit: Ego. Ad quem ſic locuta eſt: Quare præcipitas hæreditatem Domini? Reſpondensque Joab ait: Abſit, abſit hoc à me; non præcipito, neque demolior; non ſic ſe habet res, ſed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum ſuam contra Regem David: tradite illum ſolum, & recedemus à civitate. Et ait mulier ad Joab: Ecce, caput ejus mittetur ad te per murum &c.* 2. Reg. 20. 16.

Quem, obſecro, hic rebellis Seba alium præſignavit, quàm hominem peccatorem, qui toties contra Deum ſuum ſeditioſus, & divinæ læſæ Majeſtatis reus eſt, quoties illum mortali offendit delicto? Et quid de ejusmodi rebelli, ac ſeditioſo peccatore, vitæ ſuæ emendationem in dies, menſes, & annos differente tandem fiet? Sebæ cives Abulenſes caput præſcindebant: *Qui abſciſſum caput Sebæ filii Bochri projecerunt ad Joab.* Sed peccator procraſtinator, niſi ſpeciali divinâ gratiâ præveniatur, æternum cum anima, & corpore peribit: *Exacerbavit* enim *Dominum peccator; ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.* Quæ verba S. Auguſtinus de Deo, ejusmodi peccatori tardanti, & quotidie magnis paſſibus ad infernum currenti, applicat; talis enim procraſtinator graviſſimè exacerbat Dominum, ac Deum ſuum, proinde nec ampliùs quæret ejusmodi impium dilatorem, & legis divinæ contemptorem, ſed præ multitudine iræ ſuæ permittet eum in peccatis usque ad mortem ſtertere: *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, donec tandem adimpletâ ſcelerum menſurâ eum damnet æternùm, & hæc punitio omnium ſumma eſt: *Ibunt in adinventionibus ſuis, & ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.* O peccatores terræ! ô procraſtinatores! evigilate, veſtrámque impenſiùs conſiderate miſeriam, & periculum, in quod ultrò vos peccando conjeciſtis; audite Oratorem Aureũ: *Omnia nobis duplicia*, inquit, *dedit Deus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes; ſi igitur horum alterum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolatur; Animam verò dedit nobis unicam, ſi hanc perdidimus, quânam vivemus?* Pſ. 10. 4. & S. Auguſt. in hunc loc. Apoc. 22. 11. Pſ. 80. 13. Pſ. 10. 4. S. Chry. ſoſt. hom. 22. ad populum.

8. De

8. De Eliezer servo Abrahami primario refert Scriptura, quomodo à Domino suo in Mesopotamiam ad urbem Nachor amandatus sit, ut Isaaco dignam sponsam quæreret, qui ubi tandem Rebeccam puellam formosam, & officiosam invenit, quæ suis & Abrahæ responderet votis, noluit Eliezer, licèt famelicus, ab itinere lassus, priùs in domo quiescere, & cibum capessere, donec commissionem suam, ob quam ablegatus fuerat, perfeciſſet: *Et appositus est in conspectu ejus panis, qui ait: non comedam, donec loquar sermones meos.* Vide hîc, Anima Christiana, & admirare singularem fidem, ac sedulitatem hujus optimi Oeconomi, & servi Abrahami, dum sepositis rebus, & curis omnibus, ad illud solum totis viribus attendit, quod à Domino sibi demandatum fuerat, ut nimirum dignam Isaaco quæreret, & seligeret sponsam.

Gen. 24. 33.

Agedum anime mi, pari ratione ac studio animæ tuæ, quæ est sponsa Spiritûs Sancti, salutem cura, ac procura, noli in hoc summo salutis tuæ negotio nec momento moras nectere; *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Noli te excusare cum illis ingratis homuncionibus: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: Uxorem duxi, & ideo non possum venire*; noli, inquam, te cum illis ob tua negotia excusare, sed audi potiùs & Poëtam: *Uxor, villa, boves, cælum clausêre vocatis*; hoc & tibi continget, si post tot monita & adhortationes cor geris imparatum & induratum. David quamprimùm facultatem à Rege Saule accepit, ut cum Goliath singulari certamine posset dimicare, absque ulla mora ad torrentem accurrit, ubi aptissimos ad pugnam lapides elegit, quibus armatum sterneret gigantem? *Elegit sibi quinque limpidissimos lapides &c.* Et cur tam citò? Quia tunc, dum erat pugnandum, aptos illos tam citò non potuisset invenire lapides. Ita Abulensis. Pugna & tibi imminet homo Christiane! ex qua pendet æterna tibi salus, tunc ergo maturè tibi provide, ubi tempus est: *Quia pœnitentia*, ait S. Augustinus, *quæ à moriente tantùm petitur, timeo, ne & ipsa moriatur.*

Eccl. 5. 9.

Luc. 14. 18.

1. Reg. 17. 40.

S. August. ser 57. de Temp.



CON-

CONSIDERATIO XIII.

Conscientia remordens ad pœnitentiam nos stimulat.

Pro Dominica Sexagesimæ.

Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Luc. 8. 8.

I.

MAgna vis est conscientiæ nostræ, quæ post peccatum in Deum admissum mox homini adversatur, animum pravè agentis mordendo ac stimulando, eique assiduò occlamando: *Quid feci?* Gen. 4. 10. *quid feci?* Talis conscientia assimulatur cani, iteratis latratibus peccatricem animam usque & usque monere non desinenti, unde lemma: *Latratu & morsu.* Horologio exteriùs quidem speciosо, interiùs autem ob assiduum rotularum motum nunquam quiescenti, hinc lemma: *Nec mora, nec requies.* Mari perturbato, & continuis agitato fluctibus, de quo Isaias: *Impii,* inquit, *quasi mare fervens, quod quiescere non potest,* unde lemma: *Nec* Isa. 57. 20. *requies ulla.* Viperæ, à proprio erumpente fœtu peremptæ: *Sicut vipera,* ait Petrus Cellensis, *genitricis viscera nascendo disrumpit, sic malitia conscientiam, de qua oritur, nunquam torquere desistit;* proinde iterum lemma: *Gignentis viscera rodit.* Herinaceo mille spinis & aculeis horrido, qui à manu nudâ innoxiè nunquam tangitur, cui pro lemmate rectè inscribes: *Si tangis pungit.* Flagello, quod animum reum toties flagellat, quoties de peccato perpetrato & offensa Dei cogitat, de quo Poëta: *Occultum quatiente animo tortore flagellum.* Carnifici, etiam contra imparatum peccatorem gladium vibrante: *Nulla pœna,* ait S. Prosper, *gravior est, quàm mala conscientia, in qua non habetur Deus, consolatio non invenitur.* Spinæ denique mordaci & pungenti, ac cor hominis assiduis stimulanti puncturis, ut, in quamcunque se partem verterit, nullam inveniat exoptatam requiem. Expertum Davidem consule, post commissum delictum simili spina saucium, hinc toties inter mentis afflictiones & terrores suspiravit: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Supra quod le Blanc: *Spina,* inquit, *configens Davidem erat stimulus conscientiæ, ac remorsus ob peccata præterita.* Et

Petr. Cell. de panibus cap. 22.

S. Prosper. sent. 191.

Psal. 31. 4. le Blanc hic

hoc

hoc est, quod hodierna luce ipsa Veritas Christus in Sacro Evangelio insinuat: *Et aliud cecidit inter spinas*, hoc est, prout exponit Lucas Burgensis: *In terram feracem spinarum*, quæ est mala & perturbata conscientia, de qua plura hodie occurrunt consideranda.

Luc. 8. 8.

2. Miror, quoties attentiore animo considero insolitam illam benevolentiam & urbanitatem, quam olim David Rex erga militem & subditum suum Uriam ostendit, dum illum non duntaxat ex castris ad se in Aulam per Joab supremum Hebræi exercitûs Archistrategum vocavit, sed & consilia bellica, num omnia rectè in castris agerentur, cum eo communicavit, ac denique ad propriam regalem mensam adhibuit, lautissimèque tractavit: *Et vocavit eum David, ut comederet coram se, & biberet.* Ad quid, obsecro, tanta civilitas Regis in subditum & militem? num illius commilito, aut Regni socius factus est? *Videte, & admiramini fratres*, subintrat hîc S. Chrysostomus, *Rex militem timet, & formidat subditum!* Causam hujus formidinis assignat idem Os Aureum: *Conscientiam peccati sui timuit*, noverat quippe Rex ille Jessæus, se ob adulterium, cum Bethsabea uxore Uriæ commissum, esse reum, hinc miris agitabatur conscientiæ remorsibus animi perturbati fluctibus: O! *quam grave est*, pergit idem Doctor Aureus, *à conscientia sua accusari, habereque hanc accusatricem perpetuò urgentem, clamantem, & scelus commemorantem.* Vide hîc homo Christiane, ac perpende, in quantam miseriarum voraginem una, brevis, momentanea & spurca voluptas te possit conijcere.

2. Reg. 11. 13. S. Chrysost. in præfat. in Psalm. 50.

De urso recenset Olaus, quòd mellis sit avidissimus, & quia in regionibus Septentrionalibus, præsertim in Russia apes, ut plurimùm in sylvis ad cavas arbores mellificare assolent, ideo generoso conatu, ut melle potiatur, arbores conscendit, & ecce, dum prædæ inhiat, interim lignea clava ferreis & asperis circumdata cuspidibus, ex altiori ramo à venatoribus suspensa, dum ab ascendente urso agitatur, in caput ejus ingenti vi decidens, miserum gulonem & furem in flagranti occidit, proinde haud incongruè ejusmodi urso pro lemmate affiges: *Empta dolore voluptas.* En hîc typum habes peccatoris momentaneæ & sensuali voluptati inhiantis, & conscientiam suam commaculantis: *Hoc ipsum*, ait le Blanc, *faciunt deliciarum amatores, mel quærunt, ferreos stimulos & cuspides reperiunt, quibus mactentur.* Et Marcus Tullius *Voluptas malorum omnium mater*, relinquit enim post se pessimam filiam, malam conscientiam, mortis stimulum, & acerbiora felle germina. O miserrime peccator, quò ruis? ubi pudor? ubi Deus? an non sentis, imò audis in te similem oblatrantem conscientiam? Ad quid, obsecro, foves colubrem in sinu, pestem in corde, mortem in corpore, infernum portatilem in mente, Megæram crudelissimam, & si quid ejus pejus excogitari potest, in animo?

Olaus. M. l. 18. hist. Sept. c. 14.

e Blanc. in Ps. 3. 1. v. 2.

3. Da-

3. David adjungo potentiſſimum Babyloniæ Regem Balthaſarem, qui ſuis confiſus copijs & munitioni urbis, ut oſtenderet, ſe Cyrum & Perſas civitatem obſidentes, ne quidem curare, nec eorum formidare vires, lautiſſimum convivium Magnatibus, & concubinis ſuis in Aula Regia adornavit. Et ecce, cum inter mille Optimates ſuos temulentus ſederet, & quilibet ſecundùm ſuam biberetætatem, in eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietatis Aulæ Regiæ, ad quod inſolitum ſpectaculum adeò Rex cohorruit, ut immutatâ facie & ſubitò excuſsâ crapulâ *compages renum ejus ſolverentur, & genua* Dan. 5. 6. *ejus ad ſe invicem colliderentur.* Quid agis Rex potentiſſime? ad quid hic pavor inſuetus? qui hactenus nullum mortalium, imò nec ipſum Deum metuere conſueveras, quare modum ad conſpectum unius manûs in pariete ſcribentis, toto corpore contremiſcis? ſi cruentos draconis, aur feri leonis, aut efferati urſi vidiſſes ungues, mox ab illis, ad inſtar petulantium puerorum Eliſæo quondam illudentium, diſcerpendus, juſtam fortâſſe tam inſoliti pavoris poſſes cauſam prætendere, ſed manus unica, imô tres digiti dun- 4. Reg. 2. taxat, quid nocere tibi poterant? 24.

In promptu cauſa eſt, ſubintrat hîc doctiſſimus Angelus Pacciochelius Pacciochi. Rex iſte peſſimam ſuam conſcientiam graviſſimorum ſcelerum ſibi conſciam in Jon. T. ac ream timuit; proinde rectè Doctorum Phœnix Auguſtinus: *inter omnes,* 1. lect. 14. inquit, *tribulationes humanæ animæ nulla eſt major tribulatio, quàm* §. 10. *conſcientia delictorum;* & Div. Chryſoſtomus: *Qui ſibi malè conſcius,* S. Auguſt. *etiamſi omnium bona poſſideat, omnium tamen eſt miſerrimus.* in Pſ. 45.

4. Luculentum de hac veritate teſtimonium nobis exhibent Scripturæ. S Chryſ. Cain, ubi innocuum fratrem ſuum Abelem furcâ ruſticâ in agro occidit, ſi- ſerm. 1. ſuper Epiſt. ne mora tanto conſcientiæ remorſu agitari cœpit, ut in nullo mundi loco ad Rom. impoſterùm tutus ſubſiſteret, proinde identidem hoc animo volvebat: Gen. 4. 14. *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* O impie & execrande! quis occidet te? Quis? an Pater Adam? vel Eva Mater? nullus enim alius mortalium tunc temporum intervallo in terra extitit inquilinus? An beſtiæ fortâſſe, aut bruta animalia? *ſed terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta* Gen. 9. 2. *animalia terræ.*

Obſervat hîc Procopius Cainum poſt peractam cædem fraternam tanto conſcientiæ ſtimulo, & intus in animo improbo flagellante tortore fuiſſe exagitatum, ut, ſi vel ſolùm oculos levabat in cœlum, Deum juſtiſſimum ſcelerum vindicem & ſuperos extrema ſibi intentantes exiſtimaret. Si aſpiciebat terram, ab hac propter innocuum fratris hauſtum ſanguinem mox ſe ſe abſorbendum penſabat. Si animalia occurrebant, iterum timor & novus pavor, ne ab illis in fruſta diſcerperetur. Verbo nullibi locorum hic ſcele-

stus tutus stetit. Hoc habet mala & rea conscientia, de qua illud Sapientis:

Prov. 21. 19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa.*

Et hæc causa est, quòd David Rex, de quo paulò ante mentionem fecimus, toties ad Deum vota sua ingeminaverit: *Libera me de sanguinibus,*

Psalm 51. 17. *Deus, Deus, salutis meæ &c.* Ubi advertunt Sacri interpretes, quòd oculis Davidis sæpiùs pallida Uriæ umbra, sanguine aspersa, & torvo aspectu fuerit observata, hanc lugubrem ingeminans ad Regem vocem: *Quare me occidisti?* hinc tam ardentibus Deum oravit, & exoravit votis, ut ab hoc infesto liberaretur spectro: *libera me de sanguinibus,* ait le Blanc, id est, *à pœna & vindicta, quam de me petit sanguis Uriæ &c.* O anima christiana! cave à quolibet peccato, ac præsertim lethali, ne tibi conscientia tua ob offensum Deum & innocentissimum sanguinem Christ JESU à te effusum, tristem illum lessum occinat: *Quare me occidisti?* Dic proinde in omni peccandi occasione cum Socrate Philosopho: *Tanti pœnitere non emo.*

Le Blanc in hunc loc.

5. Desideratisne plures è Scriptura petitos conceptus? Fratres Josephi attendite, nunc in Ægypto tempore famis arctæ traditos custodiæ, ut justo Dei judicio crimen mortis Josepho quondam fratri intentatæ, & projectionis illius in veterem cisternam, ac venditionis Ismaëlitis factæ, luerent: *Tradidit ergo illos custodiæ &c.* in quo obscuro carcere, quia calamitas philosophare facit, mox prima nocte ad se reversi gravissimam hanc culpam cœperunt agnoscere: *Meritò,* inquiebant ad se invicem, *hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Res stupenda, interim à Josepho fratre vendito elapsi jam erant anni viginti tres, nec ulla hactenus facta fuerat de illo memoria, & tamen mens illorum, quia non recti sibi conscia, nil nisi pœnam commeritam, & vindicem Dei manum præsagiebat: *Nunquid non dixi vobis,* ita cæteris fratribus in carcere constitutis præcinebat Ruben, *nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me, en sanguis ejus requiritur.* Vide, & perpende hîc, obsecro prudens Lector, quanta sit pravæ conscientiæ vis: *Quamvis,* sunt verba S. Isidori Hispalensis, *humana judicia subterfugiat omnis, qui malè agit, judicium tamen conscientiæ suæ effugere non potest.*

Gen. 42. 21.

S. Isidor. Hisp. l. 2. de Summo Bono c. 26

Regem Antiochum Epiphanem consulamus, qui audiens suos à Juda cæsos, ex mœrore concepto sine mora graviter ægrotare cœpit, in qua suprema infirmitate conscientia rea hunc sceleste Regem mirum in modum exagitavit, dum ei in memoriam omnia quondam in vita commissa scelera revocavit:

1. Mach. 6. 12. *Nunc vero,* suspirabat ille miser, *reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea & misi auferre habitantes Judæam sine causa; cognovi ergo, quia propterea invenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitiâ magnâ in terra alienâ.* En typum illorum, qui

malâ

malâ laborant conſcientiâ. O quot mortales ſimili tono in agone ſuſpirabunt: *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci &c.* Hîc verificabitur illud Regij Vatis: *Abyſſus abyſſum invocat*, abyſſus videlicet remordentis conſcientiæ abyſſum invocat damnationis æternæ, hinc rectè S. Gregorius Papa: *Quid prodeſt*, inquit, *ſi omnes homines te laudant, & ſola conſcientia accuſat? omnia poteſt fugere homo præter cor ſuum, a ſe ipſo non poteſt recedere &c.* Pſ. 41. 8. S. Gregor. ſup. Ezech. hom. 10.

6. Ad novum, ſi placet, Teſtamentum tranſeamus. Venerat aliquando ad pientiſſimum orbis Reparatorem Chriſtum mulier quædam Chananæa, humiliter rogans eum, quatenus filiam ſuam dæmoniacam & à Diabolo malè agitatam, ac vexatam liberare, & priſtinæ ſanitati reſtituere dignaretur, proinde procidens in genua magno affectu ad Chriſtum clamavit: *Miſerere mei Domine, fili David, filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Subintrat hîc & S. Aug. Rabanus, & alij, quòd omnia, quæ Chriſtus fecit corporaliter, etiam ſpiritualiter ſint intelligenda, proin, per hanc filiam malè à Dæmonio vexatam rectè animam peccatricem peccato pollutam, & conſcientiâ malâ exagitatam ſubaudiunt. O quantùm vexat & cruciat infernalis ille hoſpes ejusmodi miſeram animam gravioribus delictis ream, & malâ gravatam conſcientiâ? unde Chriſtus non ſine cauſa Judam Diabolum vocavit: *Et ex vobis unus Diabolus eſt;* cauſam aſſignat doctiſſimus Valudier, quia Judas jam tunc temporis, in inferno cruciantis & lancinantis conſcientiæ fuit, & quemadmodùm Diabolus in omni loco infernum circumgeſtare ſolet, ita peſſimus Judas & quilibet peccator in mortali conſtitutus in conſcientia ſua infernum quendam circumfert portatilem. O anima chriſtiana! caveſis à peccato mortifero, cave à mala conſcientia, cave ab hoc vivo inferno: *Infernus quidam*, ait S. Bernardinus, *& carcer animæ rea eſt conſcientia.* Matth. 15. 22. Jo. 6. 72. Valud. in cap. 6. Jo. S. Bernard ſer. 4. aſ. ſumpt. B. V

7. Vultis plura de hac veritate teſtimonia? Conſiderate, quæſo, mecum, mendicum illum impudentem, qui ſine veſte nuptiali ad nuptias quondam regales inter alios invitatos hoſpites & honoratos convivas in aulam regiam penetravit, quem ubi Rex, dum luſtrabat hoſpites, inter alios convivas lautè cœnantem conſpicatus eſt, peramicè interrogavit, quare ipſe in ruſtico & lurido habitu, ac ſine omni nuptiali indumento in tam ſplendido apparere convivio non erubuiſſet? *Amice, quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem?* Quid hîc reſponſi? fortâſſe titulum paupertatis prætendit, quòd alias non habuerit veſtes, nec cenſum, quo ſibi nova comparare potuiſſet indumenta, vel quòd à ſervis Regis non domi, ſed ruri ad ejusmodi regales nuptias fuerit invitatus, proinde nec tempus habuiſſe ſibi ejusmodi ſplendidioribus providendi veſtimentis? Sed nihil horum repoſuit mendicus ille inurbanus; quinimò, prout ſacer obſervat textus, ne quidem Matth. 22. 12.

dem mussitare aut verbulo sese excusare ausus est, proinde ad quæstionem altum silentium: *at ille obmutuit*; & quid sequitur? *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.* Parciùs Rex magnificentissime! audiatur & altera pars, antequam condemnetur, sed lata est sententia, quia obmutuit, ideo reprobatus fuit, causam

S. Gregor. M. hom. 38. in Evang. assignat S. Gregorius Magnus, *quia tunc omne cessat argumentum excusationis, quando testis conscientia intus animam accusat*; ipsa conscientia rea hunc virum redarguit, & reum proclamavit, proinde non potuit invenire, quod Regi in sui excusationem reponeret: *Quando DEUS*, subintrat hîc S.

S. August. sub Ps. 37. Augustinus, *Judex erit, alius testis, quam conscientia tua, non erit: inter Judicem justum & conscientiam tuam noli timere, nisi causam tuam.*

8. Recordor hîc illarum pœnarum & calamitatum, quas patientissimus quondam Job in Idumæa perpessus est, dum Dominus universorum Diabolo petenti omnes illius possessiones diripiendas exposuit. Venit igitur primus fatalis nuntius referens, quòd Sabæi irruentes boves & asinos tu-

Job. 1. 15. lerint, a que omnes servos gladio percusserint, ubi subjunxit: *Et evasi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Paulò post venit & alius durus nuntius recensens ignem de cœlo lapsum oves, puerósque consumpsisse, cui suæ narrationi addidit: *Et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Et ecce illo adhuc loquente accurrit tertius infaustus nuntius, annuntians, Chaldæos invasisse camelos, servósque omnes percussisse gladio, ubi pro epiphonemate adjecit: *Et ego fugi solus, ut annuntiarem tibi.* Mox adest & quartus infelix tabellarius narrans, quòd è regione deserti vehementissimus irruerit ventus, & concussis quatuor domûs angulis omnes liberos domus cadens oppresserit, cui suæ narrationi eandem adjunxit cantilenam: *Et effugi ego solus, ut nuntiarem tibi.* Adverte hîc, prudens Lector, unus semper consumptis cæteris omni-

Diez D. 8. Pent. c. 2. bus remansit nuntius, qui infausta hæc Jobo referret: Nuntius iste, ait Diez, & Antonius de Rampelogis, est remorsus & vermis conscientiæ, qui in homine peccatore consumptis omnibus in judicio remanere assolet, non solùm, ut damna post perpetrata peccata annuntiet, sed & pœnam æternam

Marc. 9. 49. sceleribus debitam ipse statuat, ac decernat; Unde Veritas Christus: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, & Divus Bonaventura:

S. Bonav. in Ps. 82. *Tria*, inquit, *sunt in judicio: testis, tortor, judex, sic in mente hominis testis conscientia, quæ accusat; dolor, qui cruciat; ratio Judex, qui judicat.*

9. Quid ergo consilij in re tanti momenti? audi, quid Petro acciderit, cui benignus Dominus post trinam negationem non alium monitorem, quàm gallum gallinaceum submisit, qui tunc stans in columna Porphyretica, quæ in rei memoriam etiamnum Romæ in templo S. Joannis Lateranensis asservatur, Petro tam mirabile canticum cecinit, quod nemo meliùs

liùs quàm ipſe tunc in atrio Cayphæ præſens poterat intelligere, unde cùm poſt aliquam pauſam gallus idem canticum repeteret, Petrus quaſi fulmine tactus, in ſe non tantùm reverſus eſt, ſed & memor verborum Chriſti *egreſſus foras, flevit amarè*, quem exinde fletum per omnem vitam, ac præ- Matth. 26. 25.
ſertim cùm gallum vidit, vel ejus vocem audivit, produxit. Cæterùm inquirunt hîc ſancti Patres, quare mitiſſimus Dominus, qui neminem, quantùm in ſe eſt, vult perire, ſed ut omnes ad frugem ac pœnitentiam redeant, Petro poſt trinam negationem non alium monitorem, quàm gallum gallinaceum ſubmiſerit?

Cauſam hujus aſſignat S. Laurentius Juſtinianus, quia gallus ſymbo- S. Laur. Juſt. lib. de Chriſti agone c. 9.
lum eſſe ſolet & typus remordentis conſcientiæ, hominem poſt lapſum in peccatum identidem ſtimulantis: *Nónne ſi bene egeris, recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* O moleſtum! ſed & fidum gallum, Gen. 4. 7.
cui pro lemmate inſcribes: *Negantem arguit*, vel ſi mavis: *jacentem excitat.* Audi Cornelium à Lapide: *Hic gallus*, inquit, *cuique a Deo datus, eſt* Corn. hic in Matth.
ſua conſcientia, quæ quoties quis peccat, ei occlamat, dicítque, cur tantum ſcelus committis? cur Deum offendis, te lædis, & periculo gehennæ exponis? Nunc ad te mihi ſermo eſt, homo Chriſtiane, dic, obſecro: ah quoties & nos cum Petro Chriſtum negavimus? quoties non novimus hunc Dominum ac Deum noſtrum? ah toties ſcilicet, quoties peccatum mortiferum commiſimus. O peccatores omnes! qui in eadem palæſtra Petri commilitones eſtis, hodie ſi vocem hujus galli cantantis (hoc eſt, conſcientiæ veſtræ occlamantis) audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Petrus per amaras & ferè aſſiduas lacrymas veniam & gratiam à benigniſſimo JESU impetravit, dum in aceto pœnitentiæ improbum hunc vermem (malam conſcientiam) ſuffocavit. Lacrymæ dolentis Magdalenæ tranquillam ei mentem & conſcientiam obtinuerunt. Davidis lacrymas DEUS in conſpectu ſuo poſuit. Lacrymæ Manaſſis rogum gehennalem à peccatis ſuccenſum extinxerunt: *O felices lacrymæ!* exclamat S. Auguſtinus, *per quas peccatorum incendia extinguuntur.* O ani- S. Aug. de ſcala Paradiſ. c. 6.
ma Chriſtiana! ſi hos ſecuta es errantes, ſequere & pœnitentes, & tuam excole conſcientiam, dabit illa de novo Numinis amores, & poſt hanc mortalem, vitam æternam.

CONSIDERATIO XIV.

De Cæcitate Mundanorum, & Peccatorum.

Pro Dominica Quinquagesimæ.

Cæcus quidam sedebat secùs viam. Luc. 18. 35.

I.

DE corvo recensent, qui naturæ proprietates in animantibus terræ & pennatibus cœli scrutantur, quòd nullus cibus illi magìs in deliciis, quàm oculus humanus sit; proinde cùm cadaver quoddam de longè prospicit, mox advolans ingenti desiderio rostrô oculos eruit, devorat, ac depascitur. Anima Christiana! en typum corvi illius infernalis magno & indefesso studio, solertiâ ac calliditate humanis oculis insidiantis; non enim ignorat inveteratus ille dierum & malorum, quantum malum sit mundanorum & secularium cœcitas, si in via æterna salutis cœcu-
Is. 56. 10. tiant, de quibus Prophetarum Princeps Isaias: *Speculatores ejus cæci omnes &c.*

Luc. 18. 35. Hodie Evangelium de simili cœco commemorat; *Cæcus quidam sedebat secùs viam*; ubi pereleganter observat S. Gregorius Magnus, quod cœcus ille non in via, sed secùs viam sederit, quia à via recta, quæ Christus est:
Jo. 14. 6. *Ego sum via, & veritas, & vita,* longissimè aberravit, & deviavit. O quot etiamnum sunt in hoc mundo immundo miseri mundani, qui mentis carent
Deut. 28. 29. oculis, & adinstar cœcorum ex uno in alterum impingunt peccatum: *Palpant in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris.* Audi Brunum ita de hac cor-
Vinc. Brunus S. J. p. 2. med. f. 498. dis cœcitate modernorum mundanorum differentem: *Quamdiu,* ait, *peccator sedet secùs viam mundi, nec peccatorum occasiones cavet, artibus fraudulenter utitur, sectatur honores, voluptates & delicias hujus sæculi & carnis, non cogitat se unquam ad divinæ gratiæ lumen perventurum, nam per has vias non ambulavit Christus, sed diabolus, & finis eorum est mors, & damnatio æterna &c.*

Recordor hîc illius maledictionis, quam DEUS olim in illum fulminavit, qui cœcum in via errare facit, nec illum ad rectam semitam perduDeut. 27. 18. cere satagit: *Maledictus, qui errare facit cæcum in itinere, & dicet omnis populus: Amen.* Ne ergo hanc maledictionem incurram, in præsenti consideratione pro viribus allaborabo, ut ejusmodi cœcos à toto cœlo aberrantes, ad

rectam

rectam salutis semitam reducam *Dominus, qui illuminat cæcos, & erigit elisos*, aderit, ut congruenter loquar, & vos me, si sani estis, intelligatis. Ps. 145. 8.

2. Mirabilem luctam inter se aquila & cervus habent, pugnat hîc cornibus, illa pennis; sed audi memorandam aquilæ solertiam & astutiam; cùm cervum eminùs acutissimis oculis suis conspicatur, non ungues aut rostrum suum ad certamen parat, sed modicâ arenâ, aut pulvere, quem inter alas suas colligit, totam victoriam conficit: *Pulverem*, inquit Plinius, *volatu collectam, insidens cervi cornibus, excutit in oculos ejus, ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet.* Plin. l. 10. c. 4.

Vide hîc, & considera, anima christiana, genuinum typum stygiæ illius aquilæ, quæ mundanos, & quos suos facere discupit, non armis & unguibus aggreditur, ut eos ad peccatum inducat, & sic ad infelicis æternitatis abyssum præcipitet, sed modico ac terreno pulvere eorum cor & oculos mentis obcæcat, ut verum lumen & intelligentiæ solem non videant, nec Deum ut justissimum actionum suarum arbitrum attendant, neque immensum illud, quod per delictum amittunt bonum, considerent. Hinc meritò Moyses ingratos Hebræos simili cordis cæcitate laborantes metu novissimorum pungit, ut relicta Dæmonis servitute ad Deum, & à prævaricatione ad seriam pœnitentiam recedant: *Utinam*, inquit, *saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* O si nunc temporis, ubi insanit mundus, hanc cognoscerent mortales veritatem! Deut. 32. 29.

Cæcus & utroque lumine cassus, ac perpetua damnatus nocte saltem suam cognoscit miseriam. Tobiam consule hirundinum stercore excæcatum, qui, cùm ab Angelo Raphaële peramicè salutaretur: *Gaudium tibi sit semper*, reposuit, qua ratione gaudere ego potero, qui omni privor luce, & mœstissimam hîc in tenebris vitam ago: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Vide ex his, atque considera, quomodo cæcus suam agnoscat calamitatem; & tu peccator cæcus, qui quàm maximè cæcus es, quia à toto cœlo aberras, nec tuam ipse agnoscis miseriam & animæ interitum, dum pro vilissimo peccati pretio, & pro una momentanea voluptatula perdis Deum, cœlum, animam, gratiam divinam & hæreditatem cœlestem, quæ Christo JESU mitissimo redemptori tuo tanto ac tam immenso stetit Sanguinis pretio? ô brutus homo! imò & ipsis bestiis bestialior! olim, qui in Apocalypsi adorabant bestiam, nullam imposterùm poterant invenire requiem: *Nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam & imaginem ejus.* Tales sunt illi cæci mundani, qui suos bestiales & inordinatos adorant, ac sequuntur appetitus, quorum DEUS venter est, & finis interitus, & vermis eorum, malæ scilicet conscientiæ, Tob. 2. 10. Tob. 5. 11. Apoc. 14. 11.

ne

Soph. 1. 17 neque in hac, neque in altera vita ullam habebit requiem; *Ambulabunt ut cæci*, ait Sophonias, *quia Domino peccav erunt.*

Ang. Pacc. in Jonam. 3. Notatu dignus est ille casus, quem recensèt Matthæus Villanus, & ex eo Angelus Pacciochelius de quodam infante in cunis jacente, qui pro more suo sæpiùs plorare, & clamare consueverat. Mater alijs curis occupata, & distenta pluribus domesticis laboribus, ad ejus ploratum non accurrit: rata hunc solitum pueri esse fletum atque clamorem. Tandem finitis negotijs infantem revisura, cubile intrat, & quid videt? ô lugubre spectaculum! interim felis domestica cunas infantis ascendit, & quid fecit? ô infidum animal! ambos pueri oculos eruit, ac devoravit, nec contenta his teneris ocellis, cœpit & cranium hujus vagientis pusionis dentibus corrodere, ex quo cerebrum exhausit ac penitùs absumpsit. Intervenit mater, & qualem arbitraris ejus fuisse sensum ac animum, cùm dilectum filiolum ab infida hac bestia adeò deformatum, ac tam crudelem in modum dilaniatum conspicata est?

Et quid dico, anime mi? En stratagema cati & felis illius infernalis ad perditionem tuam semper vigilantis, ac oculis mentis tuæ assiduò insidiantis, ut te cæcum reddat, & sic eò faciliùs ad peccatum inducat, & demum ad inferni barathrum præcipitet. Samsonem considera in sinu Dalilæ ex-

Judic. 16. 21. cæcatum, & in servitutem morte amariorem ab hostibus abductum: *Quem cùm apprehendissent, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis.* O miserum ac dementem! Senserat infelix iste sese à perfida amatrice sua jam prius esse deceptum, hoc tamen non obstante, maluit illi inservire cum evidentissimo mortis periculo, quàm ut has suas desereret delicias. O cæci mortales! adeóne vobis cæcutiunt oculi, ut vestram ipsi non videatis æternam perniciem? O quantò meliùs! quantò securiùs est servire Deo, quàm carni &c.

4. Naas Ammonitarum Princeps viris Gabes Galaad oculos dextros erui

1. Reg. 11. 2. voluit, ut sic eos semicœcos ad bellum redderet inutiles: *Ad hoc feram vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros, ponámque vos ad opprobrium in universo Israël.* Habes hîc, homo Christiane, genuinum typum, qualiter tecum ludat, & quomodo tibi illud Princeps tenebrarum Diabolum, cùm te ad peccatum allicit, & incautum ac semicæcum inducit. Sic

Gen. 3. 5. quoque proto-parentes nostros priùs callidus ille serpens obcæcavit: *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*, & post perpetratum delictum, cùm rem & lapsum tam enormem considerâssent, observat Scriptura: *Et*

Procop. in hunc loc. *aperti sunt oculi amborum.* Supra quod Procopius: *Omnis*, inquit, *qui peccatum committit, quasi cæcus peccare existimatur; ubi enim vide-*

viderit, quasi antea obcæcatus fuerit, quid dereliquerit, inquit: Non cernebam, quid faciebam. O anime mi! hîc attende, hîc stans delibera, quoties affectus proprii amoris tui, libidinis, arrogantiæ, odii, vel aliæ similes passiones te solent excæcare, & quot lumina in te extinguunt? Ah itáne *obscuratum est cor tuum insipiens*, ut quævis passio lumen mentis tuæ obtenebret? Tunc primum dices: *Non putabam, non cernebam &c.* O utinam non seriò nimis! *Subtrahit enim*, ait Bernardinus, *Deus gratiam propter demerita peccatorum, subtrahit lumen veritatis, & judicii veri, & desiderii boni &c.* Rom. 1. 18. S. Bernardin. Tom. 3 ser. 20. a. 1. cap. 1.

Exemplum cape in duobus illis pessimis senibus, qui quondam in horto castissimam Susannam ad flagitium sollicitabant, de quibus Scriptura commemorat: *Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Heu quid dico? quid recenseo? Nunquid etiamnum hodie inter Christianos similes invenies sycophantas, qui amore carnis voluptatum, honorum, divitiarum, & vani splendoris obcæcati, propriam nolunt videre, ac cognoscere miseriam, animæque periculum, in quod se quotidie voluntariè conjiciunt, de quibus Propheta Regius: *Oculos suos statuerunt declinare in terram?* O quàm damnabiles sunt omnes illi, qui inter tot lumina, velut noctuæ in meridie cæcutientes, verum justitiæ solem non quærunt, sed ad omnes adhortationes & inspirationes divinas cordis sui occludunt valvas, de quibus rursus Vates Jessæus: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Et qualis ignis, dices? Respondet S. Augustinus: *Ignis superbiæ, ignis fumosus, ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ; & non viderunt solem; quem solem? non istum, quem tecum vident & pecora, & muscæ, & boni, & mali, quia facit solem suum oriri super bonos & malos; est alius sol, de quo dicturi sunt illi: Et sol non est ortus nobis, transierunt omnia ista, tanquam umbra: ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis; quare? nisi quia supercecidit ignis, & non viderent solem? Vicit illos concupiscentia carnis.* O miseri, qui ad ea videnda, quæ ipsi volunt, lynces sunt, sed, quæ Deum & animæ concernunt salutem, talpæ: *Cæcus*, sunt verba ejusdem S. Augustini, *non videt foveam, in quam cadit; qui facit peccatum videns & sciens, cæcus est, & præcipitio se tradit.* Ps. 16. 11. Ps. 57. 9. S. Aug. hic. Sap. 5. 6. S. Aug. de contrit. cordis c. 8.

§. De B. Felice Fratre Laico Cappucino referunt, quòd, cùm Romæ, quam panis mendicandi causâ perambulabat, aliquando mulierem illustrissimæ cujusdam prosapiæ offenderet, mirum in modum catello suo abblandientem, & nunc ori nunc pectori suo præ amoris teneritudine adstringentem, steterit in platea ad hoc stolidum amoris spectaculum attonitus. Tandem vultu ad gravitatem seriam composito, & animo dolente hanc fœminam hisce verbis allocutus est: *Ehem quantò utilius amor ille, quo hanc bestiolam prosequeris, tibi remunerandus foret, si illo cordis tui affectu Deum diligeres.* Manss. in Bibl. to. 1. fol. 133.

Finet. in reflex. Spi. Dom. 1. post Epiph.

Refert Fineti de viro quodam Nobili, quòd, dum canem suum perdidisset, dies noctésque insomnes ac sine cibo & potu præ doloris vehementia consumpserit, mittens interim servos per civitates & pagos, per villas & castella, ut hanc bestiam adeò sibi dilectam ubique locorum inquirerent, in quem finem & publicari jussit, quòd inventori decem aurei in præmium forent exsolvendi. Verùm cùm nullibi fuisset repertus canis, eum cœcus amator amaris lachrymis deploravit, & velut filium in veste pulla diu luxit. Item de muliere prædivite & vetula commemorat, quòd feli suæ domesticæ, quam insano amore deperibat, quingentos florenos in testamento suo legaverit. O cœci mortales! quid agitis? quid amatis? quis ita vos fascinavit, ô insensati Galatæ; quare intensiore amoris affectu unam bestiam, quàm ipsum Deum, summum vestrum bonum diligitis? O bruta non homines!

Verùm enim verò, ad quid irascor ejusmodi excæcatis & insanis amatoribus? ah quantò magis cæcus est omnis peccator? Sedeciæ Regi in Israël in bello capto mox Nabuchodonosor Rex ambos oculos erui jussit, & sic vinctum in Babyloniam in cavea abduxit: *Oculos quoque Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, ut duceretur in Babylonem.* En typum peccatoris à Diabolo capti, excæcati, compedibus constricti, & in servitutem rapti omni morte acerbiorem. O miserrime peccator! dum ipsam tuam non cernis, nec perpendis æternam animæ jacturam. Heli, quia oculi ejus caligaverant, non poterat videre lucernam Dei. Et tu oculos habes, & non vides, quid sit offendisse Deum, gratiam ejus & cœlum perdidisse? ah non vides?

Jer. 39. 7.

2. Reg. 3. 3.

6. Samson propriam suam non vidit; sed expertus est miseriam, dum utroque privatus lumine velut jumentum circa molem trusatilem tota die circumire, laborare, & concusare coactus est: *Et clausum in carcere molere fecerunt.* O peccatores, quid agitis? an non advertitis, quòd ad instar cœci Samsonis in circuitu ambuletis, & nihilo seciùs in eadem persistentes statione frustra laboretis? quos, obsecro, hactenus in via virtutis feciſtis progressus? an non verum est, quod de vobis David quondam vaticinatus est: *Impii in circuitu ambulant* ad instar pessimorum illorum Sodomitarum, qui ostium domûs Loth conabantur quidem effringere, sed cœcitate subitaneâ percussi, & in circuitu ambulantes omni conatu ac labore illud invenire non potuerunt: *Hîc*, inquit S. Ambrosius, *ostenditur, quia cæca est omnis libido, & quod est ante se, non videt.* Heu! quot ejusmodi prævaricatores in morte cœli ostium quærent, quod tamen invenire non poterunt; tunc clamabunt miseri: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Israëlitæ illi, populus Deo semper ingratus, potiùs eligebant sub durissimo Pharaonis jugo durissimam servitutem, quàm optatâ frui promissionis terrâ, quæ melle & lacte manabat: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes &c.* Et alio tempore novum contra Deum & Moysen excitârunt

Jud. 16. 21.

Ps. 11. 9.

Gen. 19. 11.

Sap. 5. 7.

Num. 11. 4.

runt murmur: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* O Christiani; nolite imitari hunc populum ingratum, ut potiùs, velut talpæ excæcatæ, in hoc mundo eligatis ollas esrnium & sensuales vestros appetitus, sed quærite Regnum Dei, & justitiam ejus: *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum propè est.* Num. 21. 5.

Invitati illi ad nuptias regales, quas Rex filio suo paraverat: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: Venite ad nuptias*; valde inurbano & crudo modo has Regias aspernati sunt delicias: *Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad Negotiationem suam.* O cæci, stolidi & inurbani! si Rex iste ad duros vos vocâsset labores, ut quondam Pharao Israëlitas, non equidem vestram demirarer cæcitatem & dementiam, tunc enimverò saltem aliquam habuissetis excusandi vos causam, sed vocare ad delicias, ad nuptias, & convivia regalia homines tam immeritos, hoc excusari non poterat. O Christiani! vos hæc tangit parabola, nolite conformari his ingratis civibus, & terrena præponere cœlestibus &c. Isa. 55. 6. Matth. 22. 4. Exod. 1. 10.

7. Cæterum plures cæcos Christus Dominus illuminavit, inter quos fuerunt duo illi cæci, quibus Capharnai in domo sua attactu manûs lumen oculorum impertiît. Alium cæcum in Bethsaida curavit, qui, cùm ab initio adhuc imperfectè videret, homines velut arbores contemplatus est ambulantes. Alium à nativitate cæcum sanitati restituit, dum linivit lutum super oculos ejus, eumque ad natatoria Siloë misit: *Abiit ergo, & lavit, & venit videns.* Plures similes cæcos sanavit benignus Dominus; verùm inter hos omnes à Christo illuminatos famosissimus extitit hodiernus Bartimæus Timæi filius, quem pretiosissimus Servator prope Jericho illuminavit. Erat autem hic Bartimæus, observat S. Augustinus, priùs in felici statu, & bonorum fortunæ prosperitate abundè cumulatus, sed per fortunæ ludibrium à felici sorte dejectus, notissimæ & famosæ miseriæ exemplum, dum non solùm cæcus, sed pauperrimus effectus ad instar Bellisarii panem secùs viam sedens mendicare coactus est. Hic ergo Bartimæus, cùm ex strepitu transeuntis turbæ observâsset, & ex ea cognovisset, JEsum Nazarenum per illam semitam transiturum, superiore lumine illustratus non cessavit clamare: *JEsu fili David miserere mei.* Matth. 9. 29. Marc. 8. 24. Jo. 9. 8. S. August. l. 2. de consensu Evang. c. 65. Luc. 18. 38.

Pausa hîc paulisper, amice Lector, & perpende clementiam mitissimi Redemptoris tui, qui ad vocem hujus cæci mendicabuli non longiùs in via progressus est, sed adventum ejus in illo loco benignè exspectavit. O quàm alius est nunc mundi stylus! Ita quondam Trajanus Imperator, cùm in bellum cum ingenti exercitu progrederetur, & nunc à fœmina vidua multis cum lachrymis interpellatur, quatenus adversùs filii sui percussores justitiam administraret, ut erat naturâ admodùm clemens, cum universo exercitu suo ultrancò in medio campi constitit, nec ante cum copiis suis progressus est, quàm

afflictæ viduæ jus dixisset, quod sine dubio ingens humanæ benignitatis exemplum fuit. Sed quòd ipse Deus immensæ Majestatis, orbisq; Redemptor Christus ad vocem unius hominis cæci & mendici in medio viæ & turbarum constiterit, ut opem ferret indigenti, hoc equidem omnem humanam excedit misericordiam & admirationem: *Quid tibi vis faciam*? qui non divitias, aurum & argentum, neque alia hujus sæculi bona, sed visum tantummodò petiît: *Domine, ut videam*; quasi diceret, ait Jansenius: *Domine, da inprimis, ut videam, hoc est, per fidem cognoscam te solum verum Deum, & veram veritatis viam, quâ ad te perveniatur &c.*

Marc. 10. 15.

Jansen. in hunc loc.

O felix cæcus, non jam filius Timæi, hoc est, cæci, sed filius lucis, qui suo exemplo omnem illam turbam, quæ non minore cæcitate mentis, quàm ille corporis laborabat, ad credendum in Christum, & ad Deum laudandum permovit: *Et sequebatur illum magnificans Deum, & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo;* Utinam & vos, ò mundani & cœci peccatores! permoveat ad cognoscendum imposterùm meliùs Deum, finémque ultimum, ad quem creati estis. Et dicite, obsecro, qui hactenus in tenebris peccatorum & cæcitate cordis vestri ambulâstis, qualem mercedem exinde tulistis, aut imposterum feretis? Respicite, quæso, præclarum illud præmium, quod mundus, caro & Dæmon vobis ob vestram servitutem promittunt? Quis unquam mundo deserviît, & ab eo deceptus non est: *Mundus transit & concupiscentia ejus*? Quid à carne mercedis exspectatis nisi corruptionem & interitum: *De carne metent corruptionem*? Quid à Dæmone præmiorum speratis? heu nihil aliud, quàm tormenta æterna: *Ibunt hi in supplicium æternum &c.*

Luc. 18. 43.

1. Jo. 2. 17. Gal. 6. 8. Matth. 25. 17.

Quid igitur consilii ô mortales omnes? quid, inquam, consilii, qui hactenus *ambulâstis ut cæci, quia Domino peccavistis?* Venite, obsecro, sed in animo contrito & humiliato ad verum justitiæ solem, qui est Christus Deus noster: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* De filio prodigo constat, quòd tunc cœcitatẽ suam agnoverit, ubi siliquas cum porcis manducare coactus est; O miseri! satis hactenus de mundi siliquis comedistis, surgite cum illo prodigo, & ad patrem ite, qui expansis in Cruce brachiis vos exspectat, ut in gratiam recipiat. Ah quid moras nectitis? En caput habet inclinatum ad amandum. O Domine JEsu; *illumina oculos eorum, ne unquam obdormiant in morte, ne quando dicat inimicus eorum: prævalui adversùs eos!*

Sophon. 1. 17. Ps. 33. 6. Luc. 15. 17.

Ps. 11. 4.



CON-

CONSIDERATIO XV.

De Morte peccatorum pessima.

Pro Dominica 1. Quadragesimæ.

Ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo Matth. 4. 1.

1.

HOdiernum Christi cum Diabolo duellum non absimile duello Solis cum nubibus, ipsum ubique cingentibus, extitit, cui soli, cum ejusmodi nubibus tenebricosis pugnanti, rectè pro lemate inscribes: *Solvit, dum vidit*; ita, inquam, & Christus, verus justitiæ Sol omnes hodiernas Dæmonis tentationes, velut atras nubes in momento dissipavit, solvit, & vicit: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas.* Apoc. 12. 9.

Ex quibus nunc hoc argumentum formo: Si antiquus ille serpens, & infensissimus generis humani hostis ipsum Dei Filium, orbisque Redemptorem Christum, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, post quadragenarium jejunium in deserto triplici infestare tentatione non abhorruit, profectò nec mihi, nec tibi parcet tartareus ille coluber; quia *militia* (alii legunt, tentatio) *est vita hominis super terram.* 1. Petr. 2. 22. Job. 7. 1.

Solet autem pessimus ille tentator cumprimis calcaneo hominis insidiari juxta illud Veritatis æternæ: *Et tu insidiaberis calcaneo ejus*; de quo & Vates Regius: *Ipsi calcaneum meum observabunt*; & in alio loco hanc quæstionem sibi, & orbi proponit: *Cur timebo in die mala*? & mox subdit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*; & quodnam, obsecro sodes! est illud calcaneum, cui Diabolus tanto, ac indefesso studio insidiatur? Gen. 3. 15. Ps. 55. 7. Ps. 40. 6.

Si Scriptura affirmaret, quòd perversissimus ille cacodæmon oculis humanis sterneret insidias, quia *ascendit mors per fenestras*; vel auribus humanis, de quibus monet Siracides: *Sepi aures tuas spinis*; vel ori, de quo Psaltes: *Posui ori meo custodiam*; vel gustui, aut palato, de quo S. Innocentius Tertius: *Gula paradisum clausit*; *primogenita Esau vendidit*; *suspendit pistorem, decollavit Baptistam &c.* Vel denique aliis sensibus humanis, per quos, velut per portas patulas facilè ingressum ad cor hominis invenire assolet Stygius Jer. 9. 21. Eccl. 28. 28. Ps. 38. 2. S. Innoc. 3. de Contem. mund. c. 1.

guis ille præstigiator, non equidem demirarer tantam illius solertiam, sed quòd anguis ille subdolus tanto labore, ac sudore hominis insidietur calcaneo, hoc enim verò capere non possum; & quid per hoc calcaneum adumbratum fuit?

Albin. apud Corn. in Gen. 3. 15. S. Vincen. Fer. s. 1. de S. Petr. ad Vincent. Diez conc. 2. Dom. 1. adv. Apoc. 12. 22. 2. Thess. 5. 3.

R. Doctissimus Albinus: *Diabolus insidiatur calcaneo nostro, quia extremum vitæ nostræ acriùs oppugnat*; & S. Vincentius Ferrerius: *Calcaneum*, inquit, *quæ est ultima pars corporis, signat mortem*; & Diez: *Calcaneum est humanæ vitæ extremum, calcanei iniquitas peccata sunt morientis in impœnitentia.* En genuinam causam, quare vaferrimus ille humani nominis hostis tanto furore, & dolo homini peccatori, dum paulatim ex hac vita mortali illi migrandum est, patet insidias, non enim ignorat, quia ex illo momento tota pendet æternitas; unde monet angelus Apocalypticus: *Descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habeat.* Age igitur, quisquis es, ô mortalis homo, & para te, dum adhuc tempus est, ad hoc luctuosum, & prorsus inevitabile certamen, horâ, qua non putas, cum pessimo hoc tentatore ineundum, dies enim Domini sicut fur in nocte veniet, & *cùm dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Si sapiens es, attende.

2. Reg. 21. 12. Isa. 38. 1. Dan. 6. 15. Hebr. 9. 27. Eccle. 9. 1. Eccl. 41. 1. 3. Reg. 4. 31. 2. Reg. 14. 25.

2. De Uria referunt Regum Fasti, quòd mortis suæ litteras ipse secum in fine suo portaverit: *Scripsit David Epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ.* Tu, quiquis es, optime Lector, pari ratione mortis tuæ litteras ubique locorum tecum defers: *Quia morieris tu, & non vives;* ita statutum, ita decretum. De lege Persarum olim dictum fuit: *Scito, quia Lex Medorum, atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari*; sed multò minùs hæc Lex mortis immutari poterit, audi Apostolum: *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium.* Audis statutum? quomodo ergo morieris tu Anime mi? quando? ubi? quomodo? an in gratia, vel odio Dei, quia *dignoscit homo, utrum amore, vel odio dignus sit*? Accedit, quòd gratia finalis non cadat in meritum? ah quomodo morieris tu? ô terribile momentum mortis, ex quo una dependet æternitas! *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* quæ enim cum pace, & amore possidentur, hæc non sine dolore avelluntur.

Non hîc juvat, aut obstat sapientia humana. Salomonem consule, qui *erat sapientior cunctis hominibus &c.* & quid sequitur? ... *Et mortuus est.*

Nec formæ gratia, aut venustas. Absolonem interroga: *Porrò sicut Absolon, vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula;* Et quid deinde? .... Et *mortuus est.*

Nec robur corporis. Samsonem considera fortissimum virorum, & vel solo

ſolo nomine terribilem, qui leones domuit, hoſtiles Philiſtæorum cuneas fudit, eorum ſegetes ſuccendit, circumſeſſus urbis Gazæ portas aſportavit &c. ille talis, ac tantus quid tandem? . . . *Et mortuus eſt.* Jud. 16. 50.

Nec Jurisprudentia, aut peritia. Achitophelem cogitate, virum conſultiſſimum, de quo Regum Annales: *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum*: Et quid ulteriùs? . . . *Et mortuus eſt.* 2. Reg. 16 23.

Nec favor Principum, Regum aut Magnatum. Ammanum ſpectate gratioſiſſimum, & Regi gratiſſimum: *Cunctíque ſervi Regis, qui in foribus palatii verſabantur, flectebant genua, & adorabant Amman*; & quid in finè? . . . *Et mortuus eſt.* Eſther. 3. 2.

Nec fortitudo bellica, aut vigor Martius. Alexandrum M. orbis terrorem, & domitorem mentis veſtræ oculis objicite, de quo Machabæorum volumina: *Et ſiluit terra in conſpectu ejus*, velut ſi canes coram leone, aut mures in conſpectu felis ſilere aſſolent; & quid tandem evenit? . . . *Et mortuus eſt.* 1. Mach. 1. 3.

Nec corporis obeſitas, aut voluptas; Agag Regem Amalecitarum penſate pinguiſſimum, qui cùm nunc à Samuele in fruſta eſſet concidendus, & Divinæ Juſtitiæ in victimam anathematis ſacrificandus, tremens ob fulminantem enſem, & imminentem mortem exclamavit: *Siccine ſeparat amara mors?* 1. Reg. 15. 32.

Nec opes, aut divitiæ, nec palatia, aut prædia, nec epulæ, aut veſtes pretioſæ, nec dignitates, aut honores, nec ulla poteſtas, quæ eſt ſuper terram, poterit te à Lege mortis liberare. Divitem illum Epulonem, cui nomen *Niceſis*, contemplare in medio Epularum catarrho ſuffocativo oppreſſum: *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno*; ô profundum ſepulchrum! ite nunc divites, & voluptuoſi; ite delicatuli, & mollicelli; ite effœminati, & ignava ventris, ac Veneris mancipia; tunc enim verò cum impio illo Balaamo optabitis: *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*: ô ſtulti, & tardi corde ad credendum! vivite potiùs nunc vitâ juſtorum, ſi deſideratis habere pretioſam mortem Sanctorum, non enim conveniunt, in vita ſuiſſe lupum, & in morte agnum: *Magna eſt fatuitas*, ait Bellovacenſis, *imò dementia deteſtanda, poſt malam vitam ſperare bonam mortem.* Luc. 16. 22. Num. 23. 10. Bellovac. Spec. mort. p. 1. l. 2. diſt. 1.

3. Venit hîc mihi in mentem Goliath, carnalis ille truncus, de quo Scriptura commemorat, quòd ex lethali vulnere à vibrato Davidis lapide in fronte accepto, non in dorſum, ſed in faciem ſuam quaſi ſtupidus, & exanimis collapſus ſit: *Et infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuper terram.* Videtur omninò, quia ictus lapidis tam validus fuit, ut frontem, cerebrúmque ejus terebraret, cum potiùs debuiſſet retrorſum, quàm in faciem ſuper 1. Reg. 17. 49.

super terram cadere; ita quondam Heli, fractâ cervice, retrorsum & non in
1. Reg. 1. 18. faciem cecidit: *Cúmque ille nominâsset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.*

Adverte & perpende, sicut arbor ad illam partem, ad quam in vita priùs
Eccl. 11. 3. inclinabat, cúm succiditur, cadere assolet: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit;* sic homo, qui arbor inversa non immeritò nuncupatur: *Video homines velut arbores ambulantes,* cùm à morte succiditur:
Marc. 8. 24. ordinariè ad illam partem cadet, ad quam in vita priùs inclinabat, seu ad Austrum (per quem locus Beatorum) seu ad Aquilonem (per quem locus damnatorum denotatur) quia ergo Goliath, tanquam *animalis homo non percipiens ea, quæ sunt Spiritûs,*
1. Cor. 2. 14. per omnem vitam ad Aquilonem inclinavit, & velut pecus oculos, ventrémque in terra defixos habuit, ideò in morte non supinus, ubi cœlum poterat intueri, sed in faciem suam collapsus est, rectà nunc
Mansf. To. 3. Tr. 50. disc. 20. n. 5. ad inferos iturus: *Cecidit,* ait præclarus quidam Interpres, *in faciem suam super terram, quia non consueverat ad cœlum levare.*

O peccator! hîc stans delibera; dic, ad quam partem tu cades in morte: an ad dextram, vel ad sinistram? si nunc meras spinas in vita tua seminas, quo-
Gal. 6. 8. modo in morte colliges uvas? si mera lolia, & zizania, quomodo in messe à
Jer. 2. 19. te colligent bona frumenta? si nunc in vita es Epulo, quomodo in morte eris Lazarus? *Noli errare; quæ enim seminaverit homo, hæc & metet,* tunc videbis: *Quia amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum;* tunc quando sudabit frons, facies pallescet, lingua tacebit, oculi frangentur, aures stupebunt, cervix langueſcet, capilli horrescent, frigescent manus, pedes rigebunt, pectus palpitabit, & in toto corpore à planta pedis usque ad verticem non erit sanitas? tunc quando districtissimus Judex, qui nec pretio, nec prece ampliùs flectitur, stabit ad januam, ad supremam, ac decretoriam tibi dicturus sententiam, ah miserrime! quò tunc fugies à facie irati Dei, quem toties offendisti?
1. Petr. 4. 18. *& si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* & ubi tu?

4. Vis pro dictorum confirmatione alium Scripturæ locum? Saulem
2. Reg. 19. considera agonizantem; heu quantùm miser ingemuit, dum mortem præ-
Corn. hîc. sentem vidit: *Sta super me,* inquiebat ad Amalecitem, *& interfice me, quoniam tenent me angustiæ &c.* Ad quid istæ angustiæ: ô Rex? audi anime mi! Saul tunc in Agone quasi in uno obtutu vidit omnia sua scelera, quæ in vita patraverat, ac præsertim, quòd Sacerdotes Achimelech injustè interfecerit,
Ps. 12. 14. quorum umbra, & tristis mortis imago illi assiduò ob mentis oculos versabantur; hinc quia à Deo derelictum se vidit; *quoniam non est, qui adjuvet,* ideo miserandum in modum desperavit, & æternùm periit. Et quid tu hîc
Ps. 33. 22. iterum ô anima peccatrix, quæ omnem vitam in sceleribus contrivisti? an
Ps. 45. 4. non qualis vita, finis ita? ô tristis & fatalis echo! audi Regium Vatem? *Mors peccatorum pessima!* & in alio loco: *Universum stratum ejus versâsti in infirmi-*

firmitate ejus &c. Et quid, obſecro, tunc tibi proderit, ſi oculos levabis in cœlum? videbis ſine dubio (ut quondam Damocles in menſa Dionyſii Syracuſanorum Regis) ſupra caput tuum fulminantem divinæ juſtitiæ gladium, quaſi tenuiſſimo filo ſuſpenſum, & nunc paratum, ut te confodiat; ſi ad dexteram reſpicies, Angelum tuum videbis Cuſtodem, ignaviam tuam reprehendentem, atque interitum tuum amarè deplorantem: *Curavimus Babylonem,* Jer. 59. 9. *& non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Si reſpicies ad ſiniſtram, cernes Dæmones infernales, inſtanter te accuſantes, juſtitiámque urgentes: ſi oculos retrojicies ad præterita tempora, & peccata, heu quantus pavor mentem obruet? ſi in te vertes oculos, ah qualis tremor, ſcelerúmque patratorum remorſus conſcientiam ſtimulabit! *Malo undique clades.* Tunc verificabitur illud Sapientis: *In malitia ſua expellitur impius, ſperat autem juſtus in mor-* Prov. 14. 3. *te ſua.* O bone JESU! quis tibi non inſerviat?

5. Nunquam vidiſti, anime mi, Epiſcopum, aut Sacerdotem maleficum, quomodo ſoleant ab Officialibus Eccleſiaſticis degradari? Aaronem conſidera, ob unum leve peccatum, quia Deo incredulus ad aquas contradictionis extitit, omnibus indumentis ſacerdotalibus ante obitum ſuum ſpoliatum: *Cúmque Aaron ſpoliáſſet veſtibus ſuis &c.* Sic etiamnum in Eccleſia Num. 20. 28. Orthodoxa moris eſt, ut ſi Epiſcopus, aut Sacerdos capitis reus inveniatur, priùs ille ſoleat omnibus Epiſcopalibus, aut Sacerdotalibus paramentis indui, cui exinde in medium producto imprimis calix è manibus abripitur, dein ſacer galerus, caſula, ſtola, manipulus, cingulum, veſtis alba, & humerale, imò & ipſa toga; tum corona capitis, ac digiti, olim in conſecratione ſacro Chryſmate perunĉti, acerbè raduntur, ſícque ab officiali Ecclèſiaſtico ignominioſè repulſus, traditur poteſtati ſæculari, & ab illa carnifici, gladio, aut fune, aut alio mortis genere interimendus; lugubre hoc eſt omnibus intuentibus ſpectaculum.

O duri & indurati peccatores! quos nulla hactenus pietas, nulla lectio, nulla admonitio, imò nec ipſe Sacro-Sacer Chriſti JESU crucifixi Sanguis emollivit, ô miſeri! *ululate, quia prope eſt dies Domini,* quæ vos cunctis veſtris Iſ. 13. 6. divitijs, honoribus, delicijs, nobilitate, juribus omnibus, prædijs, agris, armentis, hortis, caſtellis, ædibus, recreationibus, convivijs, tripudijs, venationibus, laſcivijs, ſupellectile, amicis, &c. exſpoliabit, heu, heu! quid tunc ſentietis miſeri, quando ultima illa hora appropinquabit, ubi vobis in terram alienam, incognitam & horrore plenam erit migrandum? tunc fugient ab avaro divitiæ, ab arrogante honores, à luxurioſo voluptates &c. verbo: totus mundus tunc vos deſeret: *Nudi in hunc mundum veniſtis, nudi exibitis.* Job. 1. 22. Tunc adimplebitur in vobis, quod Chriſtus quondam non ſine lachrymis urbi Jeroſolymitanæ intimavit: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te ini-* Luc. 19. 43. *mici tui vallo, & circumdabunt te, & coangúſtabunt te undique.* En typum

animæ vestræ, ac tandem miserandum ejus exterminium: *Hæc omnia,* subintrat hîc S. Gregorius Magnus, *in morte contingent animæ, quæ voluptatibus carnis servivit; tunc enim Dæmones undique eam cingunt, tentant, coangustant, & ad tartara rapiunt: tunc omnis illa lapidum, id est, cogitationum suarum constructio dissipatur, eò quòd non cognoverit tempus visitationis suæ, quo DEUS eam per Prædicatores, Confessarios, Magistros, & per internas inspirationes monuit, ut viam emendaret, & saluti suæ consuleret &c.* Et quid tu hîc agis, anime mî? quid consilii in re tanti momenti? Audi Divum Aurelium Augustinum: *Vive nunc bene, ne moriaris malè.*

S. Gregor. M. hom. 39. vid. & Corn. in Luc. 19. 43.

S. August. serm. 24. de Verb. Dom.

6. Cæterùm cruenta, ac planè miseranda fuit illa strages, quam tribus Benjamini à cæteris tribubus sustinuit, dum ob unius, aut alterius libidinem ad usque ferè internecionem deleta & extincta est, in qua sanguinea pugna peculiari modo observandum, quod sacer textus enarrat: *Ingravatúmque est bellum contra filios Benjamin, & non intellexerunt, quòd ex omni parte illis instaret interitus.* O deplorandam hujus tribûs sortem; Observa anime mi! talis erit rerum facies hominum peccatorum, vitæ emendationem, ac seriam pœnitentiam differentium, ac tunc demum in agonia, & supremo conflictu constitutorum, ubi illis cum tota æternitate, ac cum tot hostibus erit pugnandum, quod in vita admiserunt peccata, ô pugnam horrendam ac luctuosam! tunc enim bellum ingravabitur contra illos ex omni parte: *Tunc maligni spiritus,* ait Mellifluus, *opera sua requirunt, quando anima de corpore egreditur, & tunc mala, quæ suaserunt, replicant, ut eam secum ad tormenta pertrahant &c.* Tunc adimplebitur illud: *Et non intellexerunt, quòd ex omni parte illis instaret interitus.* Et dic, obsecro sodes, quid tunc optabis in vita feciſſe, vel omisisse? vellésne tunc temporum intervallo in observandis mandatis divinis ita te extitisse socordem? vellésne tunc adversùs pia monita ita te fuisse in transversum actum? vellésne tunc ita rarum te fuisse in precibus, ita evanidum & inconstantem in bene cœptis, & propositis, ita dissolutum in moribus, ita sensualem, & lascivum in actionibus, ita Dei immemorem, & salutis incurium &c? quid ergo tunc feciſſe optabis, ipse fac conclusionem: Aut Deo ex hoc temporis momento meliùs inserviendum, aut æternùm tibi, si gratiarum negligis tempus, ardendum erit: *Jam enim securis ad radicem arborum posita est.* Elige, aut in æternùm arde.

Judic. 10. 35.

S. Bern. serm. 68. de mod. bene vivendi.

Jud. 20. 34.

Luc. 3. 9.

Coronidem huic considerationi imponat Ezechias Rex, qui, cùm intellexit, viram à Deo in medio annorum cursu sibi esse præcisam: *Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives,* ad parietem (hoc est, teste S. Gregorio M. ad humanitatem Christi JESU, *quia ipse stat post parietem nostrum*) se humiliter convertit, & inducias temporis per ipsum à Deo postulavit, & impetravit: *Addam diebus tuis quindecim annos.*

4. Reg. 20. v. 1.

Cant. 2. 9.

O benignissime JESU! ô Amor crucifixe: inducias & ego rogo peccato-

catorum miſerrimus, antequam ad tuum tribunal rapior; fateor, me hactenus tempus ſalutis ſæpè malè impendiſſe, ſæpè te offendiſſe, ô Summum Bonum! verùm ignoſce ſervo tuo, *quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*; impoſterùm *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & tempus reliquum, quod adhuc miſeratio tua mihi indulgebit, tibi ſoli, & animarum ſaluti impendam. Ita, ita fiat, ô mi JESU! aut emendabo me in meliùs, aut non ampliùs vivam. Pſ. 142. 2. Iſa. 38. 15.

CONSIDERATIO XVI.

De Judicio particulari Animæ.

Pro Dominica 2. Quadrageſimæ.

Et audientes Diſcipuli, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè. Matth. 17. 6.

1.

Si hodierna luce in monte Thaboræo in glorioſa illa pientiſſimi Salvatoris noſtri transfiguratione Diſcipulorum animi tanto terrore, & inſolito pavore fuerunt perculſi, dum vocem Dei Patris, è nube ad inſtar tonitrui fortiter quidem, ſed tamen ſuaviter reſonantem, audiêrunt: *Ipſum audite*; qualis obſecro, erit rerum facies, anima chriſtiana, quando ſoluta corporis vinculis, ab omnibus deſerta amicis, ſola ſupremo Judici Chriſto ſiſtenda es, æternam ab eo, & prorſus irrevocabilem acceptura ſententiam? Audi Beatum Eliam Abbatem, & ſtylo ferreo intimo pectoris tui ſinui illius verba inſcribe: *Tres timeo res*, inquit, *unam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore ſuo, alteram, quando occurſurus ſum Deo Judici, tertiam, quando contra me ab illo ferenda eſt ſententia.* O anime mi! ſi hæc non times, actum eſt de te. Sed & nullum hîc datur effugium. Balaam ariolus, cùm quondam aſinâ ſuâ vectus per vineam ſeſe conferret, ut populo Iſraëlitico, tunc in deſerto, ac in tentorijs moranti, malediceret, Angelum Domiri cum gladio fulgente in arctiſſima via ſibi obſtantem invenit, cujus fulminantem rhomphæam neutiquam poterat declinare, erat enim in arctitudine duarum viarum poſitus, ubi nec progredi, nec cum aſina retrogredi valuit: *Stetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur &c.* Matth. 17. v. 5. Biblioth. P. Tom. 8. l. de Comp. n. 4. Num 22. 24.

O anima mea in arcto posita es! & per arctam viam tibi ad salutem &
Matth. 7. 14. vitam æternam migrandum: *Arcta via est, quæ ducit ad vitam*; nulla ratione hîc fulminantem judicij particularis gladium, quem tibi pariter minatur Angelus, poteris effugere. Olim à Josue quinque civitates refugij erant denoJos. 21. 36. minatæ; *Bosor in solitudine, Misor & Jaser, & Jethon, & Melphaal*, in
Gen. 6. 14. quas, si reus confugit, protectionem invenit, & vitam conservavit; verum
Gen. 8. 11. enimverò nulla hîc ampliùs erit in judicio refugij civitas, nec Arca salutis, ad quam & in quam se recipiat peccator, nec illa redibit columba pacifica, quæ virescentem olivæ ramum (pacis & misericordiæ Divinæ Symbolum) tibi ferat; nec preces, nec lachrymæ valebunt, nec excusatio admittetur &c. Au-
Hebr. 10. 13. di orbis tubam & Prædicatorem: *Horrendum est*, inquit, *incidere in manus Dei viventis.*

O quam felix igitur est illa anima! quæ hîc maturè in rem & salutem
S. Gregor. M. hom. 13. in Evang. suam vigilat, sibíque in hac vita Judex est! talis læta Judicem sustinet, & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit; e contrario anima impia aperire Judici pulsanti non vult, quæ exire de cor-
2. Cor. 11. 13. pore trepidat, & videre eum, quem contempsisse se meminit, Judicem formidat: *Si nosmetipsos dijudicaremus, utique non dijudicaremur*; nunc te ipsum judica, & audi, quod spiritus dicat ulteriùs.

Rectè integerrimus ille Angliæ Pro-Cancellarius, & glorioſus pro justitia Martyr Thomas Morus mundum hunc universum magno cuidam carceri assimilat, in quo innumeri rei & malefactores ob admissa ac perpetrata contra Divinam Majestatem demerita sunt inclusi, ex quo carcere unus post alterum, etiam cùm minimè de hoc cogitat, per Divinæ justitiæ Ministros ad
2. Cor. 5. 10. tribunal supremum & judicium particulare citatur, *ut referat unusquisque propria corporis, & prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Perelegantem de hac veritate nobis Sacræ Paginæ subministrant figuram; quæso anime mi; pone tibi ob mentis oculos carcerem illum Ægyptiacum, in quo innocens Joseph, & pincerna regius cum pistore simul erant inclusi; ex quo carcere tandem unus ad patibulum, alter ad honores pristinos, & tertius ad Regnum universum gubernandum exiêrunt: *Dixit-*
Gen. 40. 41. *que rursus Pharao ad Joseph: Ecce, constituit te super universam terram Ægypti.*

Diez F. 2. Dom. 1. Quadr. Talis rerum ordo & facies nobiscum erit: *Alii*, inquit Diez, *à carcere vitæ exeunt, ut suspendantur in patibulo inferni, alii, ut glorificentur in cælis &c*: Dies illa suprema dijudicabit omnes; ah quanto cum tremore exspectabis, anime mi, sententiam illam decretoriam, quæ in æternum non ampliùs mutabitur, & adhuc te peccare delectabit? cur non exclamas cum
Job. 10. 1. patientissimo Jobo; *Loquar in amaritudine animæ meæ: dicam Deo, noli me condemnare.*

3. De

3. De Rege Sinensium refert Fernandus, quòd juxta suum tribunal duos formosissimos ephebos adstantes habere soleat, unum ad dexteram, qui manu viridem ramum (misericordiæ typum) aureo filo & micantibus unionibus exhibet; alter ephebus pari ornatus pretioso vestitu ad sinistram regij tribunalis manu sua gladium strictum, & humano cruore stillantem tenet, per quem Sinenses justitiam adumbrant: ambo illi adolescentes sedile Judicis tenent, cùm in reos proferenda est sententia, ut sic Judex illius regni horum intuitu admoneatur, ne in aliquam magis deflectat partem, sed æquali passu procedat, & utrumque, hoc est, & misericordiam & justitiam in judicando observet. Fernandus Mendes. Pinto in suo itinerario cap. 103.

Verùm in hoc judicio, in quo anima nunc corporis vinculis soluta, à Christo judicanda est, non ampliùs erit misericordiæ locus, dum omnis clementia cum vita exspiravit, talis enim quisque à Deo judicabitur, qualis in morte fuerit inventus: *Quoniam*, ait Div. Augustinus, *qualis in die isto quisque moritur, talis in die isto judicabitur*: & Mellifluus Bernardus: *Stabunt omnia peccata contra infelices peccatores, dicentia: tu nos egisti, opera tua sumus &c.* S. August. ep. 80. ad Hesych. S. Bernard. de Confid.

Nec verebitur cujusquam faciem hic justissimus Judex: *Justissimus*, inquam, quia nec ullis muneribus, aut verborum blanditiis, aut personarum respectu flectitur; nunc quidem gravantur pauperes, solíque discerpuntur viles ac plebei, qui omnia onera & tributa in pace & bello gestare debent, sed grandes & divites sæpè vivunt immunes, non absimiles fucis, qui retia aranearum cum sonitu disrumpunt, viles verò musculæ in eis hærent, & araneæ in prædam cedunt; sed alia fors erit in illo judicio, in quo Divinæ justitiæ gladius eos cum Agag per medium secabit, ubi corpus eorum olim tam delicate enutritum nunc fœtidum, ac putridum tradetur vermibus devorandum, anima verò igni gehennali illic crucianda in æternùm, ô miserum rerum metamorphosin! erit & Judex ille *omniscius*, quia *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, ipsa quoque *scrutans corda & renes Deus. Potentissimus*, quia nemo de manu ejus poterit quemquam eripere, & qui, postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam ignis. *Tremendus*, quia terribilis apud omnes Reges terræ, coram quo cœli contremiscunt columnæ, & curvantur, qui portant orbem. *Supremus* denique, apud quem, si causâ cecideris, ad alium Judicem appellare non poteris. Nunc considera, an rationabile sit, talem, ac tantum Judicem quotidianis peccatis tam protervè offendere, ah quis hîc non paveat? non omnibus artubus contremiscat? O Domine JESU! *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* 1. Reg. 15. 33. Hebr. 4. Ps. 7. 10. Luc. 12. 5 Job. 9. 13. Ps. 142. 2.

4. Si Adam proto-parens noster unius sibi noxæ conscius adeò imminens Dei judicium formidavit, ut præ horrore aufugiens inter densissimas paradisi arbores sese occultaret: *Et abscondit se in medio ligni*: quomodo, ob- Gen. 3. 8.

secro, tu stabis, anima peccatrix, in conspectu supremi Judicis tot millenis & millenis obnoxia peccatis ?

Si quondam populus electus, cùm DEUS in monte Sina inter tubarum sonos, fulgura & tonitrua legem promulgavit, tanto terrore perculsus est, ut
Exod. 20. 18. præ nimio pavore penè exanimaretur: *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem; & perterriti ac pavore concussi steterunt procul, dicentes Moysi: loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Quid erit anima mea, quando post egressum tuum è mortali corpore primâ vice videbis Principium rerum omnium, Alpha & Omega, Deum & Hominem, & olim crucifixum propter hominem, de omnibus dictis, factis, & cogitatis exactissimam & te rationem exigentem? quid erit?

Si Esther ad unius regis Assueri irati vultum adeò expavit, ut colore in pallorem mutato, lassa & semimortua inter pedissequarum manus in terram
Esth. 15. 6. collapsa sit: *ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit ante Regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens & pretiosis lapidibus; erátque terribilis aspectu, cúmque elevâsset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicâsset, Regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput.* En typum animæ tuæ; si serius unius hominis mortalis & irati vultus huic Reginæ tantum potuit incutere terrorem, quomodo, tu anima mea, tot delictorum rea coram immortali Regum Rege comparabis, accuratissimam ei rationem de omnibus
S. Hieron. ep. ad Florent. cogitatis & actis, imò & non factis redditura? Audi D. Hieronymum: *Ego*, ait, *cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior, cum tremore reddere novissimum quadrantem*; si talis ac tantus Ecclesiæ Doctor adeò hîc exhorruit, quo loco nos, mi Lector, stabimus? quid dicemus? quid faciemus?

§. De Davide commemorant Regum Annales, quòd tantus eum rigor ac frigus invaserit, ut senilia ejus membra nullis ampliùs stragulis aut vestibus
3. Reg. 1. 1. potuerint calefieri: *Cùmque operiretur vestibus, non calefiebat.* Quid triste huic Israëlitarum Regi accidit? & quæ causa erat hujus ac tanti frigoris & perpetuæ trepidationis?

Respondet utraque Glossa, Abulensis, & alij, quòd causa hujus assidui tremoris & frigoris extiterit illa visio, quâ clarâ die Angelum percutientem supra civitatem Solimæam conspicatus est, strictum atque flammantem gla-
2. Reg. 24. 16. dium vibrantem, & populum sævissimâ pestilentia ferientem: *Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam &c.*

David ex intuitu unius Angeli vix non exanimatus fuit. Daniel, vir desideriorum, ubi Angelum vidit, necquidquam ampliùs habebat virium, sed
Dan. 10. 8. præ pavore ferè emarcuit: *Jacebam consternatus super faciem meam.* Joannes

nes dilectus Christi Discipulus, ubi Angelum illum Apocalypticum, scintillantibus oculis formidabilem, ex cujus ore gladius ex utrâque parte acutus exibat, eminùs conspexit, tanto terrore concussus est, *ut ceciderit ad pedes ejus tanquam mortuus.* Apoc. 1. 17. Balthasar Rex ad conspectum unius manus, contra candelabrum apparentis, & in superficie parietis paucula verba scribentis: *Mane, Thekel, Phares,* adeò extimuit, ut facie inter medias delicias fœdè in livorem mutatâ, *compages renum ejus solverentur, & genua ejus ad se invicem colliderentur.* Dan. 5. 6. Ananias & Saphira, cùm ad S. Petrum Apostolorum Principem & Christi in his terris vicarium citarentur, ut ob defraudatum agri pretium rationem redderent, ad tam serium Petri vultum & gravem illius increpationem adeò perculsi fuêre: ut animi mœrore & pudore ingenti suffusi ambo animam exhalârint: *Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & exspiravit &c.* Actor. 5. 5. Milites isti, qui in horto Gethsemani Christum capturi erant, ad duo hæc Salvatoris nostri verbula: *Ego sum,* tanto turbati sunt horrore, ut *abiêrint retrorsum, & ceciderint in terram*; sic & milites sepulchrum Christi Domini nostri custodientes: *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Joan. 18. 6. Matth. 28. 4.

O bone JESU! quid de me fiet, qui te toties offendi, & ob mea demerita tot dignus sum infernis? Ah quid respondebo tibi, cùm à me Villico iniquitatis supremam exiges rationem: *Redde rationem villicationis tuæ?* quid de me fiet! *Redde rationem* de omnibus cogitationibus etiam minimis & occultissimis, de cunctis verbis otiosis, levibus, ne dicam turpibus & obscœnis, & de cunctis actibus? *Redde rationem* de tribus Animæ tuæ potentijs, de memoria, intellectu & voluntate, quomodo eas impendisti? *Redde rationem* de quinque sensibus, visu, auditu, odoratu, gustu & tactu, quomodo eos applicâsti? subjugâsti? vicisti? *Redde rationem* de observatione mandatorum Dei: An non tibi dictum, & toties intimatum fuit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata?* An ea debitè observâsti? *Redde rationem* de septem peccatis mortalibus, nunquid in omnibus es nocens? examina conscientiam de tua occulta superbia &c. *Redde rationem* non duntaxat de peccatis proprijs, sed etiam alienis, de innumeris aliis tuis negligentijs, omissionibus, scandalis, sensualitatibus, amore proprio, mentis evagationibus &c. *Redde rationem* de omnibus bonis inspirationibus & gratijs divinis oblatis, de usu Sacramentorum, ô quam tepidè administrâsti; quoties confessus es, & nunquam secuta est vera ac seria emendatio? *Redde rationem* de ipsis bonis operibus tuis, an verâ cum intentione & purâ devotione ea fecisti? Ac tandem *redde rationem* de omni tempore, quo hactenus vixisti, de omnibus horis & tot millenis momentis, quæ tibi miseratio divina ad salutem indulsit &c. Luc. 16. 2. Matth. 19. 17. Ps. 142. 1. O bone JESU! *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

6. O mortales omnes, quid agitis? jam citati estis ad hoc judicium, & magnis quotidie passibus ad illud properatis tribunal, de quo Apostolus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Veniet dies, & hora illa certò, & quis scit, an hodie, vel hac nocte? Veniet, inquam, certò; quàm certò DEUS universorum Dominus *Remunerator est bonorum*, tam certò est, & erit *Judex vivorum & mortuorum*; & tu rides peccator? *O miserrime & insipiens peccator!* subintrat hîc devotissimus Kempensis, *quid respondebis Deo, omnia mala tua scienti, qui interdum formidas vultum hominis irati?*

2. Cor. 5. 10. Hebr. 11. 1. Kemp. de imit. Chr. l. 1. c. 24.

Tunc adimplebitur illa parabola, quòd DEUS & Homo Christus olim de tritico & zizanijs prædixit: *Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Anima peecatrix! diu te hactenus exspectavit DEUS, ut dignos pœnitentiæ fructus faceres, sed quia zizanium permansisti, nec audiîsti vocem Domini, & inspirationes ejus neglexisti, quid nunc restat in judicio, nisi ut cum alijs zizanijs, & peccatoribus in fasciculos alligata, mittaris in ignem æternum ad comburendum.

Matth. 13. 30.

7. Tunc complebitur illud Veritatis: *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam, cùm impleta esset, educentes, & secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt; sic erit in consummatione sæculi &c.* Mors piscator est universalis & generalis, mundus mare magnum & spatiosum; *homines quasi pisces maris*; nullus hîc poterit effugere: pisces boni in vasa colligentur (vasa, inquit Cornelius hîc, notant diversas in domo Patris mansiones, quæ alibi æterna tabernacula nuncupantur) mali autem foras mittentur, hoc est, pisces putridi, spurci, libidinosi, avari, rapidi, invidi, &c. Videsis, qui hæc legis aut audis, ut tu talis piscis bonus inveniaris, ne in judicio tuo particulari brevi venturo cum piscibus fœtentibus mittaris foras.

Matth. 13. 47. Habac. 1. 14.

Tunc consummabitur illud, quo olim nobis in umbra de illo impudente homuncione, non habente vestem nuptialem, præsignatum fuit, qui dum in judicio ob ream conscientiam ad interrogatoria obmutuit, meritò à Rege hanc decretoriam sententiam accepit; *Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores.* Et quid tu dices, anime mi, brevi, ah brevi huic Supremo Regum Regi & Judici præsentanda? Audi Jobum: *Si voluerit*, inquit, *contendere tecum, non poteris ei respondere unum pro mille*; & dic, obsecro sodes, an vestes tuæ nuptiales ad hoc judicium jam sint præparatæ? an habeas innocentiam primam, vestem illam candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Dei? *Est vestis tibi concessa pretiosissima*, subintrat hîc Paulus de Palatio, *magno sumptu texta, lota est in Sanguine Agni;*

Matth. 22. 13. Job. 9. 3.

Agni: gravissima est injuria illam amittere, eo præsertim, quòd ea veste amissa, necesse est, luctuosâ veste, imò infernali vestiri &c. Vide nunc, dum tempus est, ne vestimentum mixtum Sanguine fiat in combustionẽ & in cibũ ignis. Paul. à Pol. in Matth. 22. 7.

8. Tunc verificabitur, quod jam pridem Sophonias de hoc animæ nostræ judicio vaticinatus est: *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis.* Ita Anno 1029. scrutatus est Deus, Justus judex abscondita cordis notissimi illius Doctoris Parisiensis, qui apud omnes vir probus habebatur; qui in exequiis suis publicè è feretro proclamavit: *Justo Dei judicio accusatus, judicatus, & damnatus sum.* O verba nunquam è memoria nostra amittenda! hinc Duce S. Brunone Sacer Carthusianorum Ordo suam accepit originem, utinam & nos, mi Lector, seriam vitæ emendationem. Isa. 9. 5. Soph. 1, 12 Cornel. in Eccl. 12. 14.

Tandem huic Considerationi finem imponat iniquissimum judicium Pilati, in quo injustus Judex sedens pro tribunali in loco edito innocentissimum JEsum ad mortem Crucis condemnavit; *Ego Pontius Pilatus JEsum Nazarenum cruci adjudico*, quam feralem sententiam (attestante Seraphico Doctore) pientissimus orbis Redemptor, *ô cæli obstupescite*, flexis genibus excepit, ut se Deo Patri suo in omnibus usque ad mortem crucis præstaret obedientem. Ah dulcissime JEsu! ego, ego hanc sententiam commerui; ego, ego dignus sum inferno, & reus mortis æternæ; en habes confitentem reum, sed mi Domine, quid proderit mors tua & Sanguis tam copiosè profusus, si descendero in æternam corruptionem; proinde ô mi JEsu, venio ad te, non quomodo olim sessurus es in Sede Majestatis judicare vivos & mortuos, sed quomodo pro me à Pilato judicatus es ad mortem; hîc, ô Crucifixe JEsu, *in umbra alarum sperabo, donec transeat iniquitas &c.* S. Bonav. de Pass. D. N. J. C. Ps. 56. 2.

CONSIDERATIO XVII.

De Sempiternis inferni ſuppliciis.

Pro Dominica III. Quadrageſimæ.

Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Luc. 11. 26.

1.

MIrabilem quandam viſionem dilectus ille Chriſti Diſcipulus in novo teſtamento habuit, dum mortem in equo pallido effuſis habenis per orbem currentem, & poſt hanc imediate infernum
Apoc. 6. 8. ſequentem conſpicatus eſt: *Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors.* Res ſtupenda, novitas inaudita! o-
Hab. 3. 4. lim in veteri lege mors pedes circumibat: *Ante faciem ejus ibit mors;* nunc in lege gratiæ & nova facta eſt eques, & cur hoc? adverte myſterium. Olim in prima mundi ætate homines plerúmque pluribus centenis vivebant annis, conſule
Gen. 5. 5. librum Geneſeos: *Vixit Adam annis nongentis triginta, & mortuus eſt.* Vixit Seth annis nongentis duodecim, & mortuus eſt. Vixit Enos annis nongentis quinque, & mortuus eſt, & ſic de cæteris protoparentibus: ex quibus facilè verum conſideranti apparet, quòd mors in tam longæva mortalium ætate non opus habuerit equo, ſed poterant pedes ſuo fungi officio. Verùm in novo Teſtamento, ubi homines cœperunt multiplicari, & ætas eorum valdè minui, vi-
Apoc. 6. 8. ſa eſt mors in celerrimo & pallido equo per orbem obequitans: *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, Nomen illi Mors.* Et quid ſequitur? *Et infernus ſequebatur eum.* O crudele ſpectaculum!

Ad enucleandum hoc myſterium obſerves oportet, quòd juxta communiorem Patrum ſententiam judicium particulare hominis in illo loco à Deo peragi ſoleat, quo quis à morte interventus eſt, & quia Deus omni loco præſens eſt, abſque omni mora anima illic locorum ſupremam ac decretoriam accipit ſententiam, ubi à corpore ſeparatur, quod judicium in inſtanti peragitur, ità ut non rarò, ubi morientis adhuc candelam ardentem in manu tenentis poſtremus ſpiritus per objectionem ſpeculi exploratur, interim jam anima illius in inferni barathro torqueatur: Ecce, quomodo infernus mortem ſequi ſoleat: *Et infernus ſequebatur eam.* Cui veritati & patientiſſimus Job ſubſcri-

pſit,

pſit, aſſerens, quòd peccatores terræ ex hac mortali vita, quæ eſt inſtar puncti, in æterna inferorum detrudantur ſupplicia: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Job. 21. 13. Væ ergo illi homini, & æternùm væ, qui peccato mortifero infectus ex hac mortali vita migrat, ubi ſine dubio, prout inſinuat Evangelium, *fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.* Luc. 11. 26. Agite igitur, quicunque eſtis mortales, dives & pauper, omnes in unum, nemo hîc ſecernitur, communis enim omnium eſt ratio; Agite, inquam, & juxta illud Jeſſæi Vatis prius per ſeriam ac devotam meditationem, dum adhuc vita comes eſt, in infernum deſcendite: *Deſcendant in infernum viventes,* ne exinde poſt mortem ad illum tormentorum locum debeatis deſcendere: ſupra quod pereleganter Mellifluus: *Deſcendant,* inquit, *in infernum viventes, ne deſcendant morientes, dolores ejus reviſant, ut horreant, & refugiant.* Et S. Chryſoſtomus: *Nemo,* ait, *eorum, qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium judicium effugiet &c.* Quid hîc vis agere, ô mi Lector? placétne hîc priùs in vita per ſeriam rerum conſiderationem deſcendere in infernum, an primùm poſt mortem? ô nimium infauſte! ſi hîc in tuæ ſalutis negotio moram ponis: nunc, nunc, dum tempus affulget, in rem & tuam vigila ſalutem, & quæ hîc proponuntur, attenta mente perpende. Pſ. 54. 16. S. Bern. in Ep. ad Frat. de monte. S. Chryſoſt. hom. 2. in Ep. 2. ad Theſſal.

2. Quòd brutum & pecus, equus & mulus, oves & boves ad ſtabulum ſuum, & ordinarium habitationis ſuæ locum, etiamſi domus in mediis & furentibus conſiſtat, & depaſcatur flammis, magno impetu concurrere ſoleant, ut ibidem pariter cum domo comburantur, & igni ultrò cedant in eſcam, non equidem miror, quia bruta ſunt animalia ratione carentia, neque finem ſuum attentiore apprehendunt intellectu; ſed quòd homo rationis capax, & ad imaginem Dei creatus, atque immenſo Divini Sanguinis lytro redemptus, qui ideò in hac terra vivit, ut Dominum ac Deum ſuum in vita ſua laudet, ac revereatur, & tandem ſalvus fiat, magnis quotidie & acceleratis paſſibus currat ad ſuum interitum & infernum, cujus ignis nunquam ampliùs per omnem æternitatem extinguetur, hoc capere non poſſum, nec valeo. Et quid, obſecro, eſt infernus?

Reſpondet Veritas: *Locus tormentorum,* quemadmodum enim juxta præſtantiſſimum & Chriſtianum Philoſophum Boëtium beatitudo eſt ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus, ſine admixtione ullius mali; ſic infernus eſt ſtatus malorum omnium ſine admixtione ullius boni, in quo reprobi per omnem æternitatem ſine ulla commiſeratione torquebuntur: *Infernus,* inquit Hugo de S. Victore, *eſt locus ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili: ibi miſeriæ, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali &c.* Eheu! qualis eſt iſte locus, ubi fletus & ſtridor dentium, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ubi Luc. 16. 29. Hugo. de S. Vict. l. 4. de anima.

Apoc. 21. 8. terra miseriæ & tenebrarum, ubi sempiternus horror inhabitat: *Pars illorum erit in stagno, ardenti igne & sulphure.* O Christiani! ô delicatuli! ô mollicelli! qui nec unius ardentis candelam per unius horæ quadrantem vel minimo digito valetis sustinere, dicite: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* & tamen adhuc peccare lubet? ò miselli! ô insani! adhuc peccare! itáne? ah peccare?

Isa. 33. 1.

3. Vultis, ô delicatuli! unà mecum videre & considerare *pœnam*, quam vocant *sensûs*? Attendite, & expendite, antequam Deus vos rapiat, & non sit, qui eripiat. Ibi aures horrendis & rabiosis damnatorum clamoribus, abominandis blasphemiis, furialibus ululatibus, & innumeris replebuntur maledictionibus: *Maledicta dies, in qua nati sumus.* Ibi oculi olim in amore duces terribilibus spectris & Dæmonibus deformosissimis ac tortoribus immanissimis cruciabuntur: *Videntes turbabuntur timore horribili &c.* Ibi nares intolerabili fœtore, & pestilentissima mephiti, quam Dæmones & damnatorum corpora, & quam maximè tot exhalabunt peccata, sine omni fine torquebuntur: *de cadaveribus eorum ascendet fœtor &c.* Ut proinde non dubitaverit asserere Doctor ille Seraphicus: Si unius duntaxat damnati corpus in hunc mundum adduceretur, mox totum hunc aërem & universum orbem pestifera lue inficiendum; & si quondam Antiochus Rex superbissimus nunc à Deo humilitatus, *nec ipse fœtorẽ suum ferre poterat*, heu qualem abominandam mephitim infernus, quæ est sentina omnis purulentiæ, & orbis fœtidissima cloaca, non exhalabit? Ibi gustum ardentissima torrebit sitis. Epulonem consule in supremis tormentis & ineffabilibus incendii ardoribus unicam frigidæ stillulam ab Abrahamo humiliter flagitantem, nec tamen eam impetrantem: *Quia crucior in hac flamma.* Supra quod D. Cyprianus. *Ardebit*, inquit, *purpuratus dives, nec erit, qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundet &c.* Accedet fames rabiosa plùs quàm canina: *Famen patientur ut canes.* O quàm ingratus erit ille cibus maledictus, de quo Moyses vaticinatus est: *Fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Ibi tactum totum sparsum corpore vehementissimus pervadet ignis, qui damnatorum corpora non tam inflamabit, & excandefaciet, quàm & igniti ferri instar faciet scintillare: *Ignis, qui non extinguitur &c.* O miserandam hominum cæcitatem, qui pro modica mellis guttula tantum fellis Oceanum haurire non veretur, & quidem in æternum! *O Gens absque consilio & sine prudentia; Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.*

Jerem. 20. 14.
Sap. 5. 2.
Isa. 34. 3.
S. Bonav. de ætern. sal. c. 39.
2. Mach. 9. 12.
Luc. 16. 24.
S. Cypr. de ascens. Christi.
Ps. 58. 15.
Deut. 32. 33.
Marc. 9. 43.
Deut. 32. 28.

4. Et quid dico de tribus animæ potentiis? ibi memoria, imaginatrix illa facultas nihil secum volvet nisi tristia, nisi amara, nisi omnia truculenta: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra &c.* En vanissimarum voluptatum, ob quas anima periit, luctuosas imagines. Ibi intellectus ex consideratione neglecti tempo-

Sap. 5. 8.

temporis gratiarum & peccatorum commissorum, per conscientiæ vermem assiduò rodetur, villicabitur, & lacerabitur: *Vermis enim illorum non moritur.* Marc. 9. 43. Ibi voluntas nihil amplius ex suis votis ac desideriis obtinebit, sed omnia ibunt in contrarium, ruéntque in pessum, unde plena erit amarissimâ desperatione, nec finem malorum, nec remedium, nec levamen ullum perspiciens. *Omnis dolor irruet super eum &c.* O abyssum omnium miseriarum, calamitatum & pœnalitatum! & hoc pati per omnem æternitatem, quamdiu Deus esse perget! ah quis crederet auditui nostro, nisi Veritas Domini hoc revelâsset: *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Et hoc propter unicum peccatum mortale? ò abominanda res peccatum mortale! & tu Christiane audes adhuc peccatorum numerum augere, túne Christiane? ah tu? Job. 20. 22. Matt. 25. 46.

Sta hîc, quisquis es, sta, inquam, si salutem tuam amas, & attentiore mente perpende, quàm acerbos secum fructus trahat unicum peccatum mortale. Dic, & responde mihi candidè: Estne homo, qui ignis supplicium per unum diem pro acquirendis universis hujus mundi Regnis ac thesauris discuperet sustinere? O quàm citò in igne ejusmodi revocaret pactum; & tamen, heu nos miseros, cæcos & insecatos, dum quotidie manifestissimo nos periculo hujus sevissimi ignis semper ardentis, & nunquam consumentis, pro unica mellis guttula, pro una spurcissima voluptatula, pro lucello levissimo, pro exiguo honoris puncto exponimus! ô cœcitatem humanam sanguineis omnium lachrymis non satis deplorandam! Et dic, obsecro sodes, quoties Deum tuum, omnium bonorum fontem per lethalem noxam offendisti? sed quia pretiosa fuit in conspectu Domini adhuc anima tua, ideo noluit eam statim æternis deputare suppliciis, sed delinquenti spatium ac tempus pœnitentiæ permisit, ut tandem ad te seriò redires; cave igitur, ne imposterum Divinâ abutaris gratiâ ac patientiâ, quia *subitò veniet ira illius, & in tempore vindicta desperdet te.* Eccl. 5. 9.

5. Venio ad pœnam damni. Cùm vita nostra, quæ est Christus Deus noster, in cruce mortua fuit, mox creaturæ omnes turbatæ, & concussæ sunt: *Velum templi scissum est à summo usque deorsum* ob tanti facinoris indignitatem & innocentissimam Christi necem: *Tenebræ factæ sunt super terram,* quia in candelabro crucis extincta erat illa lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; *Terra mota est,* & universa mundi machina concussa ob scelus in Dominum suum commissum: *& petræ scissæ sunt,* ut corda nostra saxis duriora scinderentur ad pœnitentiam: *Momenta aperta sunt,* ut demonstraretur per mortem Christi mortem omnium esse superatam. Verbo: totum hoc universum in nece Salvatoris nostri conturbatum, atque commotum est; unde illud S. Dionysii Areopagitæ: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur;* Sed unde, obsecro, talis ac tantus naturæ luctus, & irrationabilium ac insensibilium creaturarum pavor? Matt. 27. 51.

Respondeo, quia Dominum ac Creatorem suum O. M. perdiderunt, à quo totum suum esse participant, hinc indignantes in Judæos deicidas, & in peccatores omnes insilire volebant, ut eos de terra perderent, & in Tartara ablegarent. Ex quibus prudens Lector, hoc tibi poteris formare argumentum: Si creaturæ istæ etiam insensibiles tam amarè lugebant Creatoris sui discessum, heu! quid erit, si homo Christianus in iudicio ab ore ipsius supremi Judicis & Redemptoris sui amantissimi auditurus est irrevocabile illud: *Discede à me maledicte in ignem æternum*? Et hæc pœna damni & privatio Dei in inferno pœna omnium pœnarum longè maxima est ac omninò infinita, quia bonum, quod amittitur, infinitum est; & sicut visio beatifica ac Divina beatis mentibus summum ac planè immensum affert gaudium, quòd in æternum frui possint illa Divina facie, in quam desiderant Angeli incessanter prospicere, quod gaudium omnes alias quascunque paradisi delicias etiam simul sumptas longissimè superat; ita damnatis nihil erit tristiùs, nihil afflictiùs, nihil pœnosiùs, quàm æterna privatio hujus Divinæ visionis: *Intolerabilis*, ait S. Chrysostomus, *quidem pœna est gehenna, sed si quis decem millia gehennas ponat, nihil tale dicet, quale est à beata illa gloria exscindi, & odio haberi à Christo*: hinc Vates ille Regius unicè deprecabatur: *Nè avertas faciem tuam à me*, & in alio loco: *Ne projicias me à facie tua.* O bone JEsu! hoc & ego unicè deprecor: Ne projicias me à facie tua, quò enim ibo sine te, ô mi JEsu? ah quò ibo?

S. Chrysost. hom. 24. in Matt.
Ps. 26. 9.
Ps. 50. 13.

6. Sensit hoc quondam in umbra Absolon rebellis ille Princeps, ob fratricidium Amnonis per biennium patris facie privatus, qui tandem mori præoptavit, quàm ulteriùs dulcissimi parentis sui præsentiâ spoliari, proindè dolorem animi sui Joabo supremo belli Archistratego insinuans: *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis, alioquin interficiat me.* Sensit & impius Cain nunc ob fratricidium in terra profugus, quantum malum sit à facie Dei projici; hinc ex terrore & furiatæ mentis angore exclamavit: *Ecce, ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus, omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Sensit & Saul, quid sit projici à facie DEI, & ejus benevolentiâ ac favore destitui, nunquam ampliùs à benignissimo Numine in gratiam recipiendus, unde Domins ad Samuelē: *Usquequò tu luges Saul, cùm ego projecerim eum*? Sensit & Hierosolyma cum tribu Juda toties Deo suo refractaria, quid sit deseri à Deo salutari suo, quibus tandem hæc Divina & decretoria intimata est sententia: *Irascebatur Dominus contra Jerusalem, & contra Judam, donec projiceret eos à facie sua.* Sensit & mendicus ille, qui sine veste nuptiali in regalibus illis nuptiis comparere non abhorruit, proindè sine omni misericordia à facie Regis ligatis manibus ac pedibus in tenebras exteriores projectus est. Sensit & filius ille prodigus, qui in extrema egestate sua de hoc unico conquestus est, quòd à benignissima Patris

2. Reg. 14. 32.
Gen. 4. 14.
1. Reg. 16 1.
4. Reg. 24. 20.
Matth. 22. 13.

facie

facie elongatus vitam morte acerbiorem vivere cogeretur: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo; surgam & ibo ad patrem meum &c.* Luc. 15. 17. Senserunt & alii Israëlitæ, quibus Deus iratus per Moysen minitatus est: *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum,* Et quantùm, obsecro, deplorabant Milesii discessum S. Pauli: *Dolentes maximè in verbo, quod dixerat: Quoniam ampliùs faciem ejus non essent visuri &c.* Deut. 32. 20. Actor. 20. 25.

Anima Christiana! Dic, quæso, de quo magis dolebunt animæ illæ Christianæ, quæ quondam ad hunc finem creatæ sunt, ut Dominum Deum suum æternùm videant ac perfruantur, quàm si nunc ob demerita sua à facie illius reprobæ in ignem projiciantur æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus, in quo *in æternum non videbunt lumen?* O quàm *horrendum est incidere in manus Dei viventis!* Ps. 48. 20. Heb. 10. 31. ubi notandum est, quòd non dicat Apostolus: Horrendum est incidere in manus Dei omnipotentis, justissimi, fortissimi &c. *Sed viventis,* ad demonstrandam longam, longissimam & infinitam pœnarum æternitatem, quia *ego sum vivens,* ait Dominus, *in sæcula sæculorum, habens claves mortis & inferni;* & quis extorquebit has inferni claves è potentissima manu Dei semper viventis? Ille, qui quondam ad tempus claves ad arcam Noëmicam asservavit: *Et inclusit eum Dominus de foris,* nec Angelo illas, nec Noëmo concredidit: *Ne Noë,* ait D. Chrysostomus, *videns generalem hominum interitum dolore conficeretur,* & Angelus misericordiâ motus suos clientes in tam horrendo cataclysmo naufragantes in arcam intromitteret; in quam justissimus Deus, ac Judex districtissimus etiam claves inferni sibi soli reservare voluit, ad demonstrandum omnibus, *quia in inferno nulla est redemptio,* nulla, nulla, ah nulla! ô æternitas inferni quàm tremenda, quàm horrenda vox! ô abyssus omnium miseriarum, quàm parùm te considerant mortales miseri: *O utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Apoc. 1. 18. Gen. 7. 16. Deut. 32. 28.

7. Sed proh dolor! plures nunc sunt in hoc sæculo constituti, prout quondam incurius & crudus Esau. Venit hic aliquando de sylva fessus & famelicus ad ædes paternas, ubi Jacob fratrem suum pulticulam ex lente, à matre paratam, manducantem conspicatus est, ad quem Esau: *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum.* Gen. 25. 30. Verùm Jacob, qui jam priùs ex matre intellexerat, quòd ex singulari dispositione Divina jus primogenituræ ad se pertineret: *Major serviet minori,* pro hoc pulmento audacter petiit: *Vende mihi primogenita tua.* Et quid famelicus Esau? ventrem virtuti, escam honori, & gulam benedictioni paternæ, imò Divinæ prætulit: *Et sic accepto pane & lentis edulio comedit & bibit, & abiit, parvi pendens, quòd primogenita vendidisset.* Sed quid tandem evenit? cùm Isaac infirmus lectulo decumberet, ejusque jam caligerent oculi, Jacob matris suasu vestibus Esau valde bonis & odoriferis indutus paternam benedictionem præripuit, quod ubi Esau intellexit: *Irrugiit clamore magno,* quasi leo crudelis, cui præda erepta fuit. Adver- Gen. 27. 34.

Adverte, anime mi, hìc peculiare mysterium. Esau typus reproborum est, qui pro vilissima gula, honoris puncto, carnis spurcissima illecebra, & pro quolibet peccato lethifero Diabolo cœlestem hæreditatem suam & jus primogenituræ divendunt: *Hoc enim*, ait Cornelius, *est jus primogenituræ Christi & Christianorum, quòd Christus unigenitus eis sua morte & Sanguine comparavit.* O quantùm exinde cũ Esau plorabunt miseri in inferno, dum videbunt, quòd tam turpi & vilissimo pretio Deum & hæreditatem suam cœlestem perdiderint. De Esau refert Apostolus: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lachrymis inquisisset eum.* Etsi omnes damnati in largissimos fletus ob incomparabilem hanc jacturam solverentur, non tamen per omnem æternitatem nec micam ampliùs Divinæ gratiæ impetrabunt; unde rectè Mellifluus: *Quid profuit*, inquit, *mortuis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ, magna familia, & mala concupiscientia? ubi risus? ubi jocus? ubi jactantia? de tanta lætitia quanta tristitia? post tantam voluptatem quàm gravis miseria?* O æternum væ! ô ignis æternus! ô cruciatus æternus! æternùm ardere, & nunquam consumi. Ito nunc anima mea peccatrix, descende vivens in infernum, & proba, utrum habitare possis *cum igne devorante, & ardoribus sempiternis*; quàm satiùs ergo nunc est & suaviùs fonte purgari, quàm igne. Quisquis igitur peccato lethali vel unico obstrictus es, matura pœnitentiam, *quia venit nox, in qua nemo potest operari.* Finio hanc considerationem non meis, sed Christi verbis, quæ intimis cordis nostri medullis oportet stylo ferreo inscribere: *Nolite*, ait *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Ita dico, hunc timete. O si nunquam hæc animô excíderent.

Hebr. 12. 17.

S. Bern. in medit.

Isa. 33. 14.

Jo. 9. 4.

Matth. 10. 28.

CON-

CONSIDERATIO XVIII.

De exiguo Salvandorum, & Electorum Numero.

Pro Dominica 4. Quadrageſimæ.

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna.
Joan. 6. 2.

1.

COgito, & recogito, nec tamen ſatis cogitare & recogitare poſſum, quare homo Chriſtianus, qui â Deo in hunc finem creatus eſt, ut Domino ac Deo ſuo hîc in vita inſerviat, eúmque laudet ac revereatur, ac tandem æternùm ſalvus fiat, his tamen non obſtantibus æternæ ſalutis & finis ſui tam parùm memor vivat, imò magnis quotidiè paſſibus in interitum ſuum currat? *O gens absque consilio & sine prudentia!* An non tinniant ambæ aures veſtræ, dum ab Ore veritatis hanc veriſſimam & irrefragabilem percipitis ſententiam: *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam: quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam?* S. Lucas habet: *Contendite intrare per anguſtam portam,* & textus Græcus: *Agonizate,* hoc eſt, ſummas & extremas exerite vires, ut poſſitis per hanc anguſtam portam & arctam viam intrare ad vitam. Et tamen eheu! quam pauci mortalium inveniunt eam, & ſi hæc eſt vox æternæ Veritatis & Sapientiæ, cur quæſo, non ſerio animam noſtram ſalvare ſatagimus? ſed accidit nobis, proh dolor! quod arboribus tempore vernali innumeris propemodùm floribus onuſtis ſæpenumerò ſolet evenire, ubi ſucceſſu temporis vel per pruinam, vel per grandinem, aut ventorum furias deperditis ejusmodi floribus vix tandem unus altérve maturus fructus in autumno eſt inveniendus. En typum ſalvandorum, dum omnes quidem ad ſalutem vocati ſunt, ſed *pauci ſunt electi,* quia pauci vocationi ſuæ, & gratiæ Dei excitanti cooperantur uſque in finem. Et nunquid hodierna luce in Evangelio audîſtis, quod magna hominum multitudo Chriſtum orbis Salvatorem ſecuta ſit, ut videret ſigna, & ab infirmationibus ſuis ſanaretur? quam mitiſſimus Servator abundè quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiavit. Sed quid evenit? tandem reliquerunt ipſum ſolum; *Fugit iterum in montem ipſe ſolus*; priùs volebant

Deut. 32. 28. Matth. 7. 13. S. Luc. 13. 24. Matth. 20. 16. Joan. 6. 11.

bant ipsum facere Regem, & paulò post in passione ejus ad Romanum Judi-
Joan 19. 15. dicem clamârunt: *Tolle, tolle, crucifige eum*; Sic incipere multorum est, perseverare paucorum. O mortales omnes! arrigite aures, & præparate corda vestra Deo, plura enim opitulante divinâ Spiritûs Sancti gratiâ de hac veritate, & salvandorum paucitate, ex qua omnium nostrûm salus pendet, in præsenti dilucidabimus.

2. Quòd ars pingendi, & effigiandi ab umbra ortum suum ducat, re-
Clem. Alex. in Exhort. ctè post Plinium docet Clemens Alexandrinus, umbra enim licèt sit inanis, & evanida, corporis tamen realis, & stabilis imago naturalis est: sic omnes figuræ veteris Testamenti, licèt sint umbræ respectu legis gratiæ, & Christi in carne venturi, fuerunt tamen naturales imagines Christi tunc *velati*, & nunc in lege nova *revelati*, & Doctrinæ ejus Evangelicæ; & quid dixit Veritas Christus, cùm de numero salvandorum à non nemine interrogaretur:
Luc. 13. 23. *Ait illis quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* O bonum Numen! quis hanc audiens, & considerans Evangelicam veritatem non toto corde contremiscat? quis non in timore, & tremore studeat suam operari salutem? Videamus modò similes umbras, & figuras.

Dic, obsecro, anime mi! quot animæ in universali illo cataclysmo,
Gen. 6. 12. dum *omnis caro corruperat viam suam*, in Arca Noëmica fuerunt salvatæ?
1. Petr. 3. 20. Respondet S. Petrus: *In qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Heu! tantùm octo?
Gen. 19. 24. Quot in lamentabili illo excidio Pentapoleos, dum *pluit Dominus super Sodomam sulphur & ignem, & subvertit civitates has?* Respondeo nonnisi quatuor fuisse servatos, ex quibus tamen uxor Lothi paulò post in egressu in statuam salis commutata est. Et ego non paveam?

Quot ex tot centenis millibus in terram promissionis ex deserto tendentibus ad destinatam pervenerunt patriam? Respondet Scriptura, quòd solus
Num. 14. 24. Caleb, & Josue, cæteris omnibus in deserto mortuis, & pereuntibus. Etvisne tu sequi?
Josue 2. 6. Quot in excidio Hiericho, quam civitatem Josue cum arca circumeundo, & clamando expugnavit, incolumes fuerunt relicti? Respondeo: sola domus Rahab, cæteris universis gladio, & flamma interemptis. O crudele spectaculum!

Et si lubet ulteriùs progredi, Isaiam audite, Isaiam considerate, qui fideles in fide constantes, & ad æternam beatitudinem prædestinatos paucis tantummodò olivis in olea post ejus excussionem remanentibus, & exinde paucis racemis in vinea post factam vindemiam restantibus assimilare non dubitavit:
Isa. 24. 13 *Quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & racemi*

cemi, cùm fuerit finita vindemia: hi levabunt vocem suam, atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus &c. O horrendum fulmen! & quis est, qui recogitat corde? Ex quibus figuris abundè rerum consideranti patet, quàm pauci ex hominibus sint æternùm salvandi; ô Christiane Lector! stude & labora, ut ex illis paucis inveniaris.

3. Cùm impius Absalon exercitum rebellem contra patrem suum in campum educeret, nuntius quidam ad Regem David concurrit annuntians: *Toto corde universus Israël sequitur Absalon.* 1. Reg. 15. 13. Quòd David typus Christi fuerit, in comperto est; & quinam corde perfecto Christum, ejúsque sanguinea sequuntur vestigia? ah quinam? & quid dico? an non *totus mundus in maligno positus est?* 1. Joan. 5. 19. An non universus mundus Israël sequitur Absalon?

Solus Daniel cum tribus illis electis pueris ex tot centenis Chaldæorum millibus inventus est, qui statuam auream à Rege Nabuchodonosore erectam non adoravit: *Post hæc statim ut audiêrunt omnes populi sonitum tubæ &c. adoraverunt statuam auream &c.* Dan. 3. 7.

Solus Tobias erat, qui ex filijs Israël in adorandis vitulis aureis non se contaminavit: *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israël.* Tob. 1. 5. En quàm pauci ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex totis viribus inserviunt? Esné tu talis, ô mi Lector!

Horrendum est, quod in utramque nobis aurem inclamat Prophetarum Princeps Isaias: *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino.* Isa 5. 14. Hieremias autem: *Attendi, & auscultavi, nemo, quod bonum est, loquitur, nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci?* Hier. 8. 6. Et Michæas: *Væ mihi, non est botrus ad comedendum; periit Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.* Mich. 7. 1. David psallendo psallit: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum?* Ps. 13. 2. Et mox subjungit: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Imò ipse Dei, & hominis Filius Christus Dominus, & Judex noster, quid ait? *Filius,* inquit, *hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Luc. 18. 8. O tremendum fulmen! ô tonitru exJer. 10. 7. pavendum! *Quis non timebit ô Rex gentium?* S. Gregor. M. hom. 9. in Evang. Quid est, subintrat hîc S. Gregorius Magnus, *si ad fidem plures veniunt & ad cæleste Regnum pauci perducuntur? plerumque enim Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt.* Proinde nos rectè, & salubriter monet Apostolorum Princeps Petrus: *Quapropter fratres mei magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* 2. Petr. 2. 10. Audis hoc? *Magis satagite.*

4. De pientissimo orbis Repàratore Christo recensent Sacri Scriptores quòd sæpiùs, dum in hoc orbe mortalis inter mortales versaretur, solitus fuerit

fuerit naviculam conscendere, & illius ope ad alienas transfretare Regiones, ita S. Matthæus: *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus; & ecce, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.* In alio loco idem commemorat sacer Scriptor, quòd ope naviculæ in suam civitatem fuerit transvectus: *Ascendens naviculam transfretavit & venit in civitatem suam.* Item alio tempore, attestante eodem Evangelista, ubi Christus quatuor virorum millia septem panibus, paucísque piscículis satiavit, *dimissâ turbâ ascendit in naviculam, & venit in fines Magedan.* Et sic in pluribus Sacræ Scripturæ locis invenies, quòd mitissimus Salvator naviculâ, & non navi aliqua grandi uti voluerit, de una ripa maris ad alteram transfretandi. Et quare, dices, non deambulando super aquas ibat, quemadmodùm aliis solebat facere temporibus? & nunquid sine navi poterat transire maris fluctibus, qui imperabat ventis & mari, & qui populum Israëliticum sicco quondam vestigio per mare rubrum in Palæstinam traduxit?

Matth. 8. 23.

Matth. 9. 1.

Matth. 15. 39.

Resp. S. Petrus Chrysologus: *Ascendit in naviculam, & transfretavit; & quid mirum fratres! Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes &c.* Alii Doctores communiter respondent, quòd per illam naviculam, quam Christus conscendere consueverat, Ecclesia Dei fuerit præsignata, cujus naviculæ ipse erat, & etiamnum est prudentissimus Nauclerus, crux malus, fides cynosura, spes anchora, charitas remigium, ventus Spiritus Sanctus, fluctus & procellæ persecutiones ac tribulationes: *Navis enim in fluctibus*, ait Cornelius, *est Ecclesia, & anima in tentationibus, quibus acuitur, & proficit.* Paulus verò de Palatio ad nostrum propositum rectè, & pereleganter per eandem naviculam vitam Christianam, & paucitatem salvandorum intelligit, unde infert, non navim, sed naviculam esse appellatam, in qua Christus dignatus est vehi. Audiamus illius verba: *Sicut elegantissimè dicta navis est vita Christiana, quæ ad portum salutis affert, ita horrendè, & lachrymabiliter dicta navicula est. Utinam navis grandis, & nimiùm capax fuisset, sed navicula est, arcta est, angusta est, brevis est, quia pauci sunt, qui intrant per eam.* Agite mortales omnes, si quis Christum sequi desiderat, oportet, ut & hanc naviculam conscendat, in qua pauci cum Christo, & Apostolis ad æternæ salutis portum transvehuntur: *Vive ergo*, ait Cassianus, *cum paucis, ut cùm paucis eligi, & inveniri mereàris in cælo.* NB. cum paucis.

S. Petrus Chrysol. serm. 50. vide plura in Brev. Roman. Dom. 18. post Pent.

Cornel. in Matth. 8. 24.

Paulus de Palat. in Matth. 8.

Cass. apud Cornel. in Matth. 20. 16.

5. Cæterùm non levis momenti est illa quæstio, quam pertractant magni quidam Doctores, ac Theologi illuminatissimi, an ex Christi fidelibus adultis, (non loquor hîc de Gentilibus Paganis, & Hæreticis, sed de Romano-Catholicis) an, inquam, plures ex illis salventur, aut æternùm damnentur? Sunt, qui cum Suarezio existimant, majorem Catholicorum adultorum (de parvulis hîc sermo non est) partem esse salvandam, hac suffulti ratione, quòd in fine vitæ plerique Orthodoxi SS. Sacramenta suscipiant, &

Suarez. de Deo Trino & uno l. 6. c. 3.

in

ita expiati in gratia Dei ex hac mortali vita migrent, quibus favet illa Christi parabola, ubi à nuptiis Regni Cœlestis unus solus, qui carebat veste nuptiale, fuit exclusus. Verùm hoc argumentum non sua caret difficultate, dum mox Christus in illa parabola loco epiphonematis subjungit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Alii existimant medietatem Catholicorum esse salvandam, hac ducti ratione, quòd Veritas asserat, quinque prudentes virgines ad cœlestis Agni nuptias fuisse ingressas, & quinque alias, ac fatuas reprobatas. Sed huic opinioni reponit Cajetanus: *Parabola ista,* inquit, *tractat non de omnibus Christianis; nam multorum extrinseca opera manifestè sunt mala; sed de illis tantùm, qui profitentur se studere factis ad continuum progressum versus patriam cælestem &c.* Alii cum SS. Joanne Chrysostomo, Augustino, Gregorio M. & pluribus aliis sentiunt, plures etiam ex veris Christi fidelibus, hoc est, Catholicis, æternùm damnari: *Quot putatis,* ait ad suos Antiochenses Catholicos Divus Chrysostomus, *esse in hac civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum est, quòd dicturus sum, dicam tamen: non possunt inveniri in tot millibus centum, qui salventur, quin, & de his dubito.* Et causam subjungit: *Quanta enim in juvenibus malitia? quantus in senibus torpor? quanta in omni populo injustitia? &c.* Et S. Augustinus: *Ipsi boni verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt, &c.* Quibus adjungo S. Gregorium Magnum ita in aliqua festivitate ad populum perorantem: *Ecce,* inquiebat, *ad hodiernam festivitatem quàm multi convenimus? Ecclesiæ parietes implemus, sed tamen quis sciat, quàm pauci sunt, qui in illo electorum grege numerantur? Ecce enim vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat; plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt.* Ita est. Esné & tu talis? absit.

Matth 22. 12. Matth. 25 20. Cajet. hîc S. Chryf. hom. 40, ad popul. S. Aug. l. 3. cont. Crescent. cap. 66. S. Gregor. M. hom. 19. in Evang.

6. Et quid dico de venerabili Sacerdotio? *Ecce,* pergit idem Moralis Ecclesiæ Doctor, & Christi Vicarius in terris: *Ecce mundus totus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator; quia officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus? omnes enim quæ sua sunt, quærunt, & non quæ sunt JESU Christi.* O bonum Numen! si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Quid est, si Sacerdotes sunt constituti, ut quondam illi fabri lignarii, qui licet Arcam Noëmicam extruxerint, ipsi tamen adventante diluvio eam non sunt ingressi? Quid, inquam, est, si aliis cœlestes mansiones parare satigimus, & ipsi illuc non tendimus? non absimiles columnis illis trivialibus, qui Viatoribus in bivio dubitantibus viam quidem monstrant, sed ipsæ interim in loco antiquo persistunt immobiles? O *Pastor, & idolum!*

Idem hom. 17. in Evang. Philipp. 2. 21. Zach. 11. 17.

Et quid dico de superioribus Sæcularibus, Magistratibus, Laicis & plebeis? An non Veritas sanctè asserit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt istud?* Ubi sunt illi violenti? (violenti dantur plures) sed ubi illi violenti?

Matth. 13. 12.

violenti? O quàm paucos nunc in orbe reperies, qui sibi pro Regno cœlorum acquirendo vim inferunt! quinimò plerique hominum, & status conditiones suis scatent vitiis. Considera urbes, & vicos, aulas & caulas, tribunalia & castra, officinas & tabernas, fora & compita, naves & ædes, & in plerisque hominum conditionibus corruptissimos invenies mores, atque in confessionibus Sacramentalibus vix efficax propositum, unde licet multi confiteantur, pauci tamen seriò emendantur.

Corn. in Jac. Ep. c. 2. v. 13.

Verùm enim verò Cornelius à Lapide in hac celeberrima quæstione respondet cum distinctione, & rectè pro moderno tempore: Ubi, inquit, sunt insignes Magistri, seduli & vigilantes Parochi, Pastores indefessi, zelosi Confessarii, justi Gubernatores, Judices, Senatores, Patres familias, qui à puero populum in fide, pietate, timore Dei, & bonis moribus instruunt, ac fovent, docéntque exemplo suo etiam à minimis cavere peccatis, ne excrescant in majora: ibi inquit Cornelius, plures sunt salvandi; ubi autem pastores sunt somnolenti, ignavi, otiosi, bibuli, ignorantes, tepidi, & propriæ salutis incurii, ubi Gubernatores, Judices, & parentes mali, necesse est, ut & populus sensim ad omnia mala declinans, tandem in peccatis suis computrescat, & pereat: *Erit sicut populus, sic Sacerdos.*

Oseæ 4. 9.

Sed objiciet hîc nonnemo: Nunquid verum est, quod Paulus Doctor gentium ad suum quondam charissimum Timotheum scripsit: *DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quam veritatem mox aliâ probat ratione, dum subdit: *Unus enim DEUS, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus?* Si ergo DEUS sincerè & verè vult, ut omnes salventur homines, & in hunc finem Christum Filium suum redemptionem dedit pro omnibus, qui & pro omnibus mortuus est, quare ergo maxima hominum pars æternùm reprobatur?

1. Tim. 2. 4.

Ad hanc objectionem respondent Theologi, quòd Scriptura hîc & in similibus textibus loquatur de volitione Dei non absoluta, sed conditionata, si nimirum & ipsi homines velint salvi fieri, observando videlicet divina mandata, & gratiæ divinæ, ac vocationi suæ correspondendo, bonúmque operando in omnibus, ut voluntas Dei beneplacens adimpleatur. Est ergo hæc Dei voluntas salvandi omnes antecedens tantùm, quæ omnem bonorum, aut malorum operum hominis prævisionem antecedit, sed altera est consequens, qua prævisis bonis, aut malis hominis operibus, vult eum completè, & efficaciter, vel salvare, vel damnare: *Vult enim DEUS*, ait S. Ambrosius, *omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum; non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint.* Ecce anime mi, penes te nunc est, si velis salvus fieri; fac ergo, quod DEUS jubet, & eris inter prædestinatos, & inter illos paucos vocatos.

S. Ambros. cit. à Corn. hîc in Tim.

Coronidem huic nostræ Considerationi imponat Concionator quidam Ita-

Italus, qui non multis ab hinc annis in celebri quadam Italiæ urbe in Dominica Septuagesimæ Cathedram ascendit, & super illa Evangelii verba: *Multi sunt vocati, pauci verò electi,* hunc discursum non sine motu, & fructu Auditorum habuit. Produxit is pomum rotundum: En inquiebat, mundi typum: mundus in quatuor est divisus partes, dividamus, & nos pomum hoc in quatuor partes (quod & cultellô fecit) prima particula ajebat, est *Asia,* sed pars hæc est gentilis, & pagana, abjiciatur ergo. Pars secunda est *Africa,* sed pariter idolis serviens; abjiciatur. Tertia America, sed infidelis, & idololatrica; abjiciatur, quia *qui non credit, jam judicatus est.* Teneatur ergo solùm pars pomi quarta, hoc est, *Europa,* & quot in ea sunt veri Christi fideles? In Europa est Britannia, sed Hæretica, abscindatur (& particulam unam abscidit;) est Suecia, sed Lutherana (abscidit alteram;) est Dania & Norvegia, ast heterodoxa (abscidit tertiam) est Hollandia, sed pariter Hæretica (abscidit quartam) est Saxonia, Borussia, & sic de cæteris Europæ Provinciis hæresi infectis, ubi tandem tot abscissis particulis pars minima de pomo remansit: Ecce, inferebat, hæc residua particula est pars Catholicorum; ô vere *pusillus grex*! & quot de istis Catholicis putatis salvandos! quot sint inter illos avari, adulteri, blasphemi, perjuri, ebrij, invidi, fornicarii, molles, fures, injusti, &c. An nescitis, quòd, *quia talia agunt, Regnum Dei non possidebunt*? Sed dicetis mihi: hi plerumque in morte agunt pœnitentiam? Verum est, ait S. Augustinus: *Sed pœnitentia, quæ a moriente petitur, timeo, ne & ipsa moriatur; tunc enim peccata tua te deserent, non tu illa.* Quid ergo Consilii? *Contendite intrare per angustam portam.*

R.P. Casp. Knittel, S. J. Dom. 2. post Pasch. Matth. 20. 16. Joan. 3. 18. Luc. 12. 32. 1. Cor. 6. 10. S. August. serm. 57. de Temp. Luc 23. 24.

CONSIDERATIO XIX.

De Reditu animæ ad Deum per Pœnitentiam, & Confessionem.

Pro Dominica 5. Quadragesimæ.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8. 46.

I.

BEnignus Deus, *cujus miserationes super omnia opera ejus,* olim piissime sanxit, ut Principes Israëlitarum, si urbem quandam discuperent oppugnare, priùs ante bellum civibus per caduceatorem pacem offerrent. Si hanc receperunt, salvi & incolumes servabantur omnes; si autem has pacis abjecerunt conditiones, cuncti illius civitatis incolæ, exceptis mulieri- Psal. 144. 9.

Deut. 20. 10. lieribus, & infantibus, jure belli interficiebantur: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeras ei primum pacem, si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur.*

Animæ Christianæ! pacem hodie venio vobis mittere, non gladium, *pro* 2,Cor. 5. 20. *Christo enim legatione Dei fungimur*, proinde non durus, sed mitis venio nuntius. Et quid vobis ex parte Dei annuntio? Audite Verbum Domini: Is. 30. 18. *Exspectat DEUS, donec misereatur vestri.* O infinitam Dei bonitatem! ô Ezech. 18. 30. misericordiam immensam! *Convertimini* igitur, *& agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum: & quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.*

Cùm quondam turbæ in Christum irruerent, ut Verbum Dei ab ipso Veritatis ore audirent impensiùs, pretiosissimo orbis Servatori secùs stagnum Luc. 5. 2. Genesaret tunc stanti, oblatæ sunt duæ naves: *Et vidit duas naves stantes secùs stagnum*, in quarum unam descendit; *& sedens docebat de navicula turbas.* Supra quem Scripturæ locum rectè Seraphicus Bonaventura: *Prima navis*, S.Bonav. ser. 2. de Dom. 4. post Pent. inquit, *est innocentia, secunda pœnitentia.* In prima vehebatur Christus cum SS. Matre sua in cœlum, de quo hodiernum Evangelium: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* In secunda navi oportet, ut nos de hoc mari magno, & spatioso hujus mundi ad optatum salutis portum provehamur. Agite ergo: Joan. 8. 46. *Vox turturis* (in deserto ad Jordanem commorantis) *audita est in terra nostra;* & quid nobis insinuat? Audite illius gemitum & suspiria: Caut. 2. 12. *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum cœlorum.*

Matth. 3. 2. de S. Jo. Bapt. 2. Benedictus DEUS, cùm Israëlitæ quondam in captivitate Babylonica ob plurimas, ac gravissimas afflictiones essent valdè pusillanimes, & vix præ confusione ob offensam Divinam Majestatem oculos ad cœlum auderent levare, hac ratione illos ad meliùs in se sperandum excitavit. Duxit is Ezechielem Prophetam in campum Sennar, sive Babylonis, magnum & spatiosum, mor- Ezech. 37. 3. tuorúmque ossibus plenum, atque refertum, ad quem Dominus: *Fili hominis, putásne, vivent ossa ista?* Cui Propheta: *Domine DEUS, tu nôsti*, ego quidem hîc nullam vitæ speciem, & modum video, ossa enim sunt arida, siccáque vehementer, sed quia omnipotens es, apud te nullum est impossibile verbum, hinc tu solus noscere poteris. Ad quem iterum Dominus: *Vaticinare de ossibus istis & dices eis: Ossa arida, audite Verbum Domini &c.* Et quid tandem factum est? *Et prophetavi, sicut præceperat mihi, & ingressus est in ea spiritus, steterúntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè.*

Non hîc quæro sensum litteralem, dum sub hoc typo ossium aridorum reviviscentium liberatio captivorum Israëlitarum in Babylone, qui jam inter mortuos reputabantur, & quàm maxime universalis illa omnium hominum emor-

emortuorum ante judicii diem resurrectio præfigurabatur, sed sensum hîc inquiro mysticum, & symbolicum: *Per ossa hæc arida, ait Cornelius, puta per Judæos in Babylone quasi emortuos, intelligendi sunt peccatores, qui per peccatum perdiderunt animam & vitam, id est, gratiam divinam.* Agite, agite, ô peccatores omnes! ò ossa arida, siccáque vehementer, agite, & audite verbum Domini, ac nolite ampliùs obdurare corda vestra; Ecce, mitissimus Deus non mortem, sed vitam vestram inquirit, quantumcunque multa, & gravia perpetrâstis delicta: *Si enim impius*, ait Dominus, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* O verba auro, & immortali cedro digna! Et quis peccatorum hæc dulcia considerans eloquia divina, non in spem se erigat ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos? Observa *dignos pœnitentiæ fructus.*

Cornel. hîc

Ez. 13. 21.

3. Jacob quondam mirabilem scalam vidit à terra usque ad cœlum pertingentem: *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen ejus tangens cœlum &c.* Scala hæc, ait Seraphicus Doctor, pœnitentia est, per quam pœnitentes, ut Angeli ad cœlum ascendunt, hujus gradus sunt contritio, confessio, & satisfactio: hæc incipit in terra, sed perducit ad cœlum, imò ad ipsum Dominum, quem desuper vidit Jacob innixum.

Gen. 28. 12. S. Bon. serm. 5. de Adv.

Moyses ope virgæ suæ multa, & ingentia patravit prodigia, quamdiu eam manu gestavit, virga prodigiosa permansit, sed ubi eam à se projecit, in colubrum versa est: *Dixit ergo* (Dominus) *ad eum: quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga, dixítque Dominus: projice eam in terram. Projecit & versa est in colubrum.* Virga hæc, ait Oleaster, pœnitentia est, quando est in manu tua, hoc est, in opere, virga levis & mitis est, deducens te per mare rubrum, & desertum hujus mundi in terram rectam, & desiderabilem; sed si à te projicitur, væ tibi, mox in serpentem mutabitur.

Exod. 4. 2. Oleaster hîc.

David *adversùm Philistæum prævaluit in funda & lapide.* Pœnitentia, ait Pellezius, est illa funda & lapis, quâ peccatum animæ insultans, velut Goliath prosternitur.

1. Reg. 17. 50. Pellez. f. 455.

Jonas in mare projectus per grandem illum cetum naufragio ereptus, & in littus salvus, & incolumis ejectus est: *Et dixit Dominus piscí; & evomuit Jonam in aridam.* Pœnitentia, inquit, prædictus Pellezius, est cetus ille, qui animam in hoc mari magno, & spatioso hujus mundi naufragantem securè ad optatum salutis littus, & portum deducit.

Jonæ. 2. 11.

Ezechiel quondam volumen vidit per manum cœlestem sibi oblatum, in quo nonnisi lamentationes, & amaritudines continebantur, sed postquam jussu Dei illud comedit, factum est dulce in ore ejus ad instar suavissimi mellis: *Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Volumen hoc, ait S.

Ezech. 8. 3.

S. Aug. de 10. Chordis. Augustinus pœnitentia est, habens ab initio suas difficultates & amaritudines, sed si benè degustaveris, vertetur tibi in mel & gaudium. *Melius est*, inquit citatus S. Antistes Hipponensis, *modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus &c.*

4. Etsi placet ulteriùs progredi? In tabernaculo quondam Mosaico erat labrum æneum, & in templo Solymæo mare æneum, in cujus aquâ inde largiter profluente Sacerdotes Dei manus, & pedes ante sacrificium solebant lavare: *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponésque illud inter tabernaculum & altare, & missâ aquâ, lavabunt in ea Aaron, & filii ejus manus, ac pedes &c.* Labrum hoc æneum, ait le Blanc, & mare æneum, seu fusile, quod Salomon in magnificentissimo templo suo fieri curavit: *Fecit quoque Salomon mare fusile &c.* typus pœnitentiæ fuit, quæ animam peccatricem sordidam, & super carbones denigratam purificat, & Deo gratam reddit.

Exod. 30. 18. Le Blanc. in Ps. 10. 5. 3. Reg. 7. 23.

Zach. 13. 1 Mans. Tom. 1. f. 747. Zacharias Propheta salutiferum quendam fontem in spiritu prævidit, in quo sordes peccatorum perfectè abluerentur: *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus in Jerusalem in ablutionem peccatoris.* Per hunc saluberrimum fontem, ait Mansius, pœnitentia, & contrita confessio adumbrata est, in quo fonte omnia nostra delicta per merita, & Sanguinem JEsu, emundantur, & abluuntur.

Joan. 5. 4. S. Thom. Villa. serm. de fer a 6. post. Dom. 1. Quadr. Piscina illa probatica miseris, & infirmis aquæ motum, & Angelum Domini de cœlo descendentem exspectantibus, miro quondam solatio fuit: *Et qui prior descendisset in piscinam post motionē aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Piscina hæc, ait S. Thomas Villanovanus, ubi in sanguine Agni omnes nostræ curati, ac sanari possunt infirmitates, pœnitentiæ Sacramentum verámque confessionem non obscurè præfigurabat: *Hæc illa piscina salubris, in qua quicunque ægrotus, quacunque infirmitate lotus fuerit, procul dubio curabitur, & sanabitur, piscina scilicet lachrymarum & poenitentiæ.*

Matt. 17. 26. Petrus in ore piscis, quem jussu optimi Magistri sui hamo ex mari attraxerat, monetam invenit, quâ pro Christo & se tributum exsolvit: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.* Pœnitentia & sincera oris confessio, ait S. Ambrosius, est illa moneta, qua debita tua apud Deum contracta poteris solvere: *Non otiosè*, ait hîc S. Doctor, *didrachmà in ore piscis inventum est, ex ore enim tuo justificaberis, etenim pretium nostræ immortalitatis est nostra confessio.*

S. Ambros. in hunc loc.

4. Reg. 5. 14. Naaman Syrus Princeps fortissimus, juxta ac ditissimus, sed turpi lepra infectus, ubi jussu Elisæi Prophetæ septies in Jordanis flumine se abluit, subitò ab omni lepra, & fœtore mundatus est: *Et restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* O Christiani! quid agitis? quare in sordibus peccatorum, & fœdissima leprâ computrescitis? Ecce aquas Jordanis saluberrimas

vobis

vobis ostendo: *Lavamini, mundi estote.* Si rem grandem vobis dixissem: Ite Hierosolymam, & sanguinea à Christo relicta visitate vestigia; Ite Romam, & sacra honorate Apostolorum limina; Jejunate per integrum anni spatium in aqua & pane &c. &c. saltem aliquam possetis prætendere excusationem, sed lavamini in Jordanis, hoc est, pœnitentiæ flumine: *Et Sanguis JEsu Christi emundabit vos ab omni peccato*; ô quam facile remedium est hoc ad obtinendam æternam salutem: *Poenitentia*, subintrat hîc magnus Aurelius Augustinus, *languores sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat &c.* Isa. 1. 16. 1. Jo. 1. 7. 1. Augusti. l. de Poenit.

5. Progrediamur ulteriùs, ex umbra figurarum majorem hujus veritatis hauriamus lucem, & eruditionem. Olim in lege præcepit Deus, si Israëlitæ contra Gentiles egressi erant ad pugnam, & in civitate expugnata, aut in prœlio, vel in campo captivam comprehendissent speciosam mulierem innuptam, ut, si illam captivam optarent ducere in uxorem, priùs illi cæsariem raderent, & ungues circumciderent: *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus in manu tua, captivósque duxeris; & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerísque habere uxorem, introduces eam in domum tuam, quæ radet cæsariem, & circumcidet ungues &c.* Ad quid, obsecro, insolitæ istæ ceremoniæ? quare captiva, & pulchra illa mulier, ut in uxorem ab Israëlita duci possit, jubetur radere crines, & præscindere ungues? Subintrat hîc Liranus: *Per hanc mulierem*, inquit, *significatur peccatrix anima, quæ pulchra dicitur ratione imaginis, sed captiva ratione criminis*, hanc Deus & Sanguinum Sponsus Christus sponsam ambit, sed radere debet priùs cæsariem, hoc est, ut præterita per pœnitentiam, contritionem, & confessionem deponat delicta, & ungues, id est, occasiones futuras peccandi sibi præcidat; sic anima illa peccatrix de novo Christo jungetur sponsa: *Et sponsabo te mihi in sempiternum.* Deut. 21. 10. Liranus. hic & Corn. Oseæ 2. 19.

Idem sapientissimus Deus in lege sanxit, ut, si fortè virgo jam alteri desponsata in civitate vim ab alio nequam passa fuisset, & priùs non clamâsset, rea stupri, & mortis censeretur: *Si puellam Virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea: educes utrúmque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cùm esset in civitate, vir, quia humiliavit uxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui.* Non hîc sensum quæro litteralem, quia si ejusmodi puella existens in civitate clamâsset, domestici, vel vicini sine dubio accurrissent, eámque liberâssent, si verò non clamavit, hoc ipso videbatur rea, & consentiens delicto, hinc lapidibus meritò cum mœcho obruta fuit. Et hic, inquam, sensus litteralis est; ast hunc non inquiro, sed mysticum: Respondet Angelus Pacciochelius, quòd per hanc puellam rectè anima peccatrix intelligatur; væ illi, si non clamet, & peccata sua Sacerdoti confiteatur, de ejusmodi anima actum est. Deut. 22. 23. Paccioch. in Jonam.

Lupus, ut ovem capiat, priùs guttur illius apprehendit, & invadit strangulando, ne misera clamare possit, & clamore suo excitare canes, vel domesticos, ut succurrant: *Lupi*, ait S. Ambrosius, *ovium guttur invadunt, ut citò strangulent.* En stratagema Diaboli, lupi illius infernalis à vera pœnitentia, & sincera peccatorum confessione animam impedientis: *Ore autem confessio fit ad salutem;* Et S. Augustinus: *Anima decora non est, nisi confessa fuerit fœditatem.* Hinc sponsa illa: *Nigra sum, sed formosa*, nigra per peccatum, formosa per confessionem: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus.*

S. Ambros. c. 10. in Luc.
Rom. 10. 10.
S. Aug. in Psal. 103.
Cant. 1. 5.
Ps. 95. 6.

6. Verùm audiamus majora. Mirantur, & haud immeritò, SS. Patres, quare mitissimus orbis Servator Christus pessimum suum traditorem proprio nomine dignatus sit alloqui, cùm mansuetissimus hic Agnus ab isto lupo sanguinario in mortem infensissimis traderetur inimicis: *Juda, osculo Filium hominum tradis?* O Domine JEsu, quomodo possibile fuit, ut cruentam hanc bestiam tam benigno alloquereris affatu? Et quare hoc infandum, & infame nomen assumere poteras in os tuum? Adverte anime mi, *Judas* idem significat, quàm *Confessio*, ideo ait S. Cyrillus Hierosolymitanus, Christus Dominus proditorem suum proprio nomine appellare voluit, ut cito peccata sua confiteretur, & si verè pœnituisset, sine dubio in gratiam fuisset receptus. Et hæc causa est, observat S. Paschasius, quòd pretiosissimus Redemptor duos Judas in Apostolos elegerit. *Non vacat mysterio*, inquit, *duos fuisse inter Apostolos nomine Judæ vocatos, ut in uno daretur norma benè confitentium, & in altero malè confitentium.* Et qualis Judas tu vis esse, homo Christiane? Nunquid Thadæus? Fac opera ejus.

S. Cyrill. Catech. 2.
S. Paschas. sup. Evang

Prodigus ille, postquam vexatio dedit illi intellectum, & fames eum sapere docuit, egestate tabescens statuit ad Patrem se conferre, morésque in meliores mutare, & supplex delictorum veniam poscere. Et ecce, cùm adhuc esset de longè, illúmque pater videret lacerum, squallidum, plorantem, ejulantem, ac fame confectum, misericordiâ motus in amplexum ruit? *Et accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Et quomodo, obsecro, mitissimus pater hunc sordidum, & immundum porcarium, qui hactenus porcinam duxit vitam, ob fœtorem contractum & hæreditarium osculari, & amplecti poterat? Et quare non exclamavit cum Isaia: *Recede à me, non appropinque mihi, quia immundus es?* Respondet D. Chrysostomus, quòd os illud, quod pater osculatus fuerat, jam pulchrum erat per confessionem: *Pater peccavi &c.* Hinc etiam veniam, & gratiam ab illo meruit obtinere, *osculatur os*, inquit Os illud aureum, *per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat.* O felix pœnitentia, exclamat Hugo de S. Victore, *tu sola cæteris silentibus thronum gratiæ conscendis, David reconcilias, Petrum restituis, Paulum illuminas, Publicanum Apostolorum inseris choro, Mariam de prostibulo jungis Christo, latronem inseris paradiso &c.*

Luc. 15. 10.
Isa. 65. 5.
S. Chrysost. hom. 4 in Luc.
Hugo. de S. Vict. sup. Joel. f. 138.

Con-

Confessio latronis apud Pilatum mortem illi tulit, sed confessio apud Christum in Cruce veniam, & misericordiam. Ita etiamnum fieri assolet, quò magis enim in foro sæculari tua confessus fueris delicta, eò majores & graviores sequntur pœnæ; sed confiteri Christo JEsu Crucifixo, & in abscondito ejus Sacerdoti, ac Patri tuo spirituali, locò Christi tuam confessionem audienti, hoc non mortem, sed vitam tibi conciliat sempiternam: *Vide, nemini dixeris*, dicebat quondam Christus ad leprosum mundatum, *sed vade, ostende te Sacerdoti;* & cur hoc? si enim Sacerdoti in foro interno tuam ostenderis lepram, & delicta, nemini dixisti, quia hîc manebunt abscondita: *Non debet*, ait S. Bonaventura, *abscondere peccator miseriam, ne abscondat Salvator misericordiam.* Et utinam tali modo Ananias, & Zaphyra uxor ejus defraudatum agri pretium S. Petro Christi in his terris Vicario fuissent in aures confessi, non tam gravi fulminati anathemate fuissent extincti? *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus, hominibus sed Deo; audiens autem hæc Ananias cecidit, & exspiravit.*

Matth. 8. 4.

S. Bonav. in Ps. 118.

Act. 5. 3.

7. Et quid formidas confiteri delicta tua, quæ non horruisti perpetrare? si medico tuas ostendis occultas infirmitates, quare non etiam Patri spirituali, & Medico animarum? Noë summo cum gaudio extendit manum suam ad apprehendendam vagabundam illam columbam, quæ ubi requiescere et pes ejus, post diluvium in terra limosa, & luto obsita non invenit: *Apprehensam tulit in Arcam.* En typum zelosi Confessarii (qui non tam doctus, quàm & religiosus, ac pius esse debet) qui, ut errabundam animam, sub typo illius columbæ adumbratam, in arcam cælestem introducat, nulli parcet labori ac curæ. Pastorem bonum cogita, ovem à grege suo lanigero, imò à toto cœlo, aberrantem, non baculo, aut scuticâ castigantem, sed benignè in humeros suos sufferentem, ac domum portantem: *Et cùm invenerit eam, imponit in humeros* suos *gaudēs*; & nunquid Samaritanus ille, verè benignus, & misericors sauciatum Jerichuntinum jumento suo imposuit, & illius, quantùm potuit, curam gessit? Sic oportet, ut & Confessarius cum ejusmodi in anima vulneratis agat, vinum & oleum prudenter in plagas eorum infundendo, & jumento imponendo? & quod, dices, hoc jumentum est? Resp. Salmeron: *Jumentum à juvando, quasi juvamentum, & significat innocentissimam carnem Domini, quam assumpsit, ut eam sacrificaret pro delictis nostris, & in qua onera omnium peccatorum nostrorum portaret.*

Luc. 15. 6. Luc. 10. 34.

Salmeron. hîc in Luc.

Agite tandem, quicunque estis, Christiani! agite, inguam, & vestræ, dum tempus est, saluti consulite. Cervus, si vulnus accipit, herbâ dictamnô se curat; hirundo cæcos pullos chelidoniâ novit oculare, & homo peccator, ut se divinæ restituat gratiæ, non exomologesin eligat? *Quid est*, ait S. Gregorius Magnus, *confessio nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.* Voluit quon-

S. Greg. M. hom. 38. in Evang.

Matth. 6. 17. quondam Deus, & Homo Christus, ut si homines jejunarent, caput quoque inungerent, faciem suam lavarent: *Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum, faciem tuam lava.* Non hîc iterum litteram inquiro, sed spiritum, ac sensum allegoricum: Caput inungere, est conscientiam suam variis virtutum odoribus exornare; & faciem lævare, ait S. Vincentius Ferrerius, est faciem animæ, hoc est, conscientiam per confessionem mundare. Cùm Christo Domino adultera illa in flagranti deprehensa, à Pharisæis proponeretur, ut in illam juxta legem, quæ in similes prævaricantes lapidationem decernit, ferret sententiam, mitissimus Salvator in atrio templi lapidibus strato, in pulvere aliquos characteres formavit: *JEsus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Et quare in pulvere terræ Pharisæorum scribere voluit peccata? Observ. Scriptura illa, ait Diez, quæ in pulvere fit, facilè deleri potest, hinc illorum peccata in pulvere scripsit, ut demonstraret, quàm facilè veniam obtinere possent, si verè vellent pœnitere: *Currite ad Medicum*, ait S. Chrysostomus, *quando potestis, ne cùm velitis, non possitis.* Currite.

S. Vincent. Ferrerius. serm. de Cin.

Jo. 8. 6. Diez. Sab. 3. Dom. Quadr. S. Chrys.. in Ps. 26.

CONSIDERATIO XX.

De debita Præparatione ad SS. Communionem.

Pro Dominica Palmarum.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21. 9.

1.

S. Chrys. hom. 61. ad pop. Eccles. n. 23.

SAncta Sanctè. Ita quondam in primitiva Ecclesia Diaconus è loco sublimi constitutus, magnâ voce, & manum in altum tollens, ad populum Christianum, Sacratissima Eucharistiâ nunc reficiendum, exclamabat: *Sancta sanctè: quia sancti sunt, accedant ad sacra mysteria.* Et sic monet Siracides: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* (Tentat autem ille Deum, qui non paratus ad orandum accedit, nec animum à rebus terrenis, & sæcularibus avertit curis, ut eum totum ad Deum, & orationem transferat.) Qualis, obsecro, erit temeritas non paratum, ac ritè dispositum ad ipsam accedere Sacratissimam Communionem, & manducare divinissimum illum Agnum, qui semetipsum pro omnium salute tradidit in Ara Crucis immolandum? Talis, inquit Apostolus,

ſtolus, *reus erit Corporis & Sanguinis Domini: hoc eſt*, ſubintrat hîc D. Chryſoſtomus, *eandem poenam dabit, quam qui Crucì Chriſtum affixerunt.* 1. Cor. 11. 27.

Moyſi quondam ab Angelo Dei perſonam repræſentante, & inter vepreta apparente dictum fuit: *Ne appropies huc; ſolve calceamenta de pedibus tuis;* curioſiùs enim, atque minùs religiosè, quàm oportebat, ad rubum ardentem, & incombuſtum accedebat, proinde ab Angelo meritò prohibitus fuit, juſſúsque, ut ſine mora ſua de pedibus exueret calceamenta, ut divinæ Majeſtati ſic debitam exhiberet reverentiam, ac animi ſubmiſſionem: *Meritò quidem*, ait Melliſluus, *admiraris Moyſes ſancte, & curioſiùs deſideras intueri; Verumtamen ſolve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pane carnalium cogitationum, ſi accedere concupiſcis;* calceamenta enim ex corio & pellibus animalium mortuorum ſunt facta, & denotant animales noſtros ac ſenſuales affectus, curas terrenas, indomitas paſſiones, & malas relabendi conſuetudines, quæ omnia cum vetere homine deponenda, imò exuenda ſunt, ſi digni ad hoc ſacroſanctum velimus accedere myſterium: *Solve calceamenta de pedibus tuis.* S. Chryſoſt. orat. de Eccleſia Dei. Tom. Exod. 3. 5. S. Bernard. in cap. 12. Apoc.

Imitare igitur hodiernum, Chriſto in urbem Solymæam introëunti obviantem populum, de quo commemorat Evangelium, quòd veſtimenta ſua exeruit, eáque in itinere, quo orbis triumphator Chriſtus erat tranſiturus, venerabundus ſtraverit, ne luto, aut plateæ ſordibus Sanctus Sanctorum aſpergeretur: *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via.* Homo Chriſtiane! antequam accedis ad SS. Euchariſtiam, oportet, ut & tu tua veſtimenta, pravas videlicet peccandi conſuetudines, inordinatas affectiones, & priſtina delicta non duntaxat lethalia, ſed & levia deponas, pedibúsque tui ſubſternas Salvatoris, ne illum de novo tuis aſpergas ſordibus. *Alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.* Per quos Palmarum virentes ramos non incongruè virtutes de novo implantandas ſubaudies, quia *juſtus ut palma florebit.* His præmiſsîs, anima Chriſtiana, *veniet tibi Rex tuus manſuetus, & benedictus, qui venit in nomine Domini.* De qua veritate & prævia ad SS. Euchariſtiam dignè & fructuosè recipiendam diſpoſitione plura in præſenti tractabimus. Si ſalus animæ tuæ tibi curæ eſt, attende, & pro viribus imitare. Matth. 21. 8. Pſ. 91. 13. Matth. 21. 9.

2. Nemo eſt, qui ignorat, quòd panis ex tribus confici ſoleat, ex farina videlicet, ex aqua & igne. Farina ex granis frumenti in mola conteritur, cui admiſcetur & aqua, quam exinde maſſam calor ignis in fornace excoquit, & in uſualem panem perficit, ac componit. Tria hæc, ait S. Doctor Angelicus, ad dignam Sacratiſſimi Corporis Dominici ſuſceptionem moraliter requiruntur; per farinam in mola contritam deſignatur contritio, ut in animo contrito, & humiliato ad hoc Sanctum Sanctorũ accedamus. Per aquã lacrymoſa, compuncta, vera ac ſincera oris ac peccatorum confeſſio, & per ignem Dei, proximíque dilectio. S. Thom. op. 58. c. 15.

dilectio. Et hæc causa est, quòd Elias Prophetarum zelosissimus, antequàm famelicus panem comederet, priùs à vidua Sarephtana aquam postulaverit: *Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam*; & cùm abiret illa, ut hauriret è fonte aquam, clamavit Propheta post tergum ejus: *Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua*; Per illum panẽ sacri Interpretes non incongruè SS. Eucharistiam intelligunt præfiguratam; sed præmittenda erat in typo aqua, hoc est, compunctionis & lachrymarum. Audis hoc, anima Christiana?

3. Reg. 17. 10.

Quam veritatem & mitissimus orbis melioris Reparator Christus non obscurè insinuavit, dum Petrum, & Joannem ad parandam in monte Sion ultimam cœnam præmisit, in qua se ipsum sub speciebus panis, & vini fidelibus suis erat communicaturus: *Et misit Petrum & Joannem, dicens: euntes parate nobis Pascha.* Et quare, dices, hos potiùs, quàm alios Discipulos ad hanc sacratissimam adornandam cœnam ablegavit? Resp. Divus Bernardus: *Ad comedendum pascha parat Petrus claviger, id est, confessarius claves cœli habens, & Joannes, id est, gratia vitæ animæ.* Et Doctissimus Salmeron: *In quo*, ait, *significatur præmittenda confessio, quam nos facere debemus eundo ad Sacerdotem, qui sit Petrus, rursum qui sit Joannes, id est, qui gratiam & scientiam possideat.* En Anima Christiana, utrúmque tibi necessarium est, & confessio, & gratia, si dignè ad has divinas epulas discupis accedere: *Probet autem se ipsum homo &c.*

Luc. 22. 8.

S. Bern. ser. de Pasch.

Salmeron. tr. 40. c. 9.

1. Cor. 11. 28.

Voluit autem pretiosissimus mundi Redemptor Christus, ut præfatis Apostolis Hierosolymam ad parandum cœnaculum, & ultimam cœnam abeuntibus homo quidam vas aquæ bajulans in via occurreret: *Ite in civitatem, & occurret vobis homo, amphoram aquæ portans, sequimini eum.* Et quid, obsecro, mitissimus Salvator per hoc indicare voluit, quia omnis Christi actio nostra fuit instructio? Resp. B. Albertus Magnus: *Amphora aquæ expiationis est conscientiæ mundatio per lachrymas devotionis, & compunctionis, ut expiatus & mundatus accedat, qui accedit &c.* Audis hoc benè, Christiane? Mundus esse debes, & in anima lotus, si ad hanc Angelicam præsumis accedere cœnam, secùs *judicium tibi manducas & bibis, non dijudicans corpus Domini.*

Marc. 14. 13.

B. Alb. M. de SS. Euch. dist. 3. tr 3. c. 2.

1. Cor. 11. 29.

3. De Josepho Ægyptiorum Pro-Rege commemorant Sacræ Paginæ, quòd fratres suos tempore famis, ut fructus coëmerent, nunc secundò ad se in Ægyptum redeuntes, non tam benignè salutaverit, quàm & lautissimo exceperit convivio; sed antequam eos ad mensam, panémque manducandum admittere voluit, ut primùm omnium pedes lavarentur: *Et introductis in domum attulit aquam, & lavârunt pedes suos.* Ad quid ista antiqua pedum, manuúmque lotio, ante convivium? Quem morem etiam in nuptiis Cananæis, in quibus Christus aquam in vinum convertit, observabant Hebræi, ita attestante Scriptura: *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationẽ Judæorum.* Sed cur? Ob frequentes nimirum lotiones, quas Judæi, ut puri viderent-

Gen. 43. 24.

Joan. 2. 6.

derentur panem manducare, ante mensam, imò & post singula fercula adhibebant: sed ad quid ista legalis purificatio? Observa hîc, prudens Lector, pulcherrimum typum, quomodo & qualiter dispositus, ac ab omni sorde peccati purgatus ad Sanctissimum & vivivicum SS. Eucharistiæ convivium, quod teste Doctore Seraphico per convivium Josephi non obscurè præsignatum est, te oporteat accedere: *Lavabo*, dicebat quondam David, *inter innocentes manus meas*, & dein subjungit: *Et circumdabo altare tuum, Domine.* Ecce priùs de ablutione corporis, & cordis mentionem facit, antequam ad altare se conferat; & Petrus: *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput.* Supra quod pereleganter S. Augustinus, & D. Bernardus apud Cornelium: *Pedibus, quibus terram calcamus, significantur terreni amores, sordes & defectus, qui, dum in terra, id est, inter res terrenas, conversantur, veluti pulvis, aut lutum nostris pedibus, id est, affectibus, adhærescunt, quos abluere oportet per lacrymas, & pœnitentiam, præsertim ante sanctam communionem.* S. Bonav. serm. 1. in Cœna Dom. Psal. 25. 6. Joan. 13. 9. Corn. in Joan. 13. 7.

Et nunquid serpens, antequam comedit, aut bibit, priùs venenum evomit? O Christiani! *Estote prudentes sicut serpentes*, & priusquam ad SS. Domini Corpus, & Sanguinem degustandum acceditis, venenum peccatorum vestrorum evomite: *Rogo*, inquit Mellifluus, *ut audias prudentiam serpentis, serpens enim cùm cœperit ire ad bibendum, antequam veniat ad fontem, evomit omne venenum; imitare ergo & tu, charissime, hunc serpentem in hac parte, ut, antequam venias ad fontem, id est, communionem Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem malam, & noxias cogitationes de corde tuo &c.* Matth. 10. 16. S. Bern de modo bene viv. ser. 28.

Dagon impurum Philistinorum idolum, & purissima Arca mundissimo auro vestita, in qua dulce manna, SS. Eucharistiæ typus continebatur, in una quondam sede morari non poterant: *Intulerunt eam* (Arcam) *in templum Dagon; cúmque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus terra ante Arcam Domini.* Homo Christiane! Dagon & idolum tuum, quod adoras, superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, & acedia est &c. Apage cum his turpissimis idolis, non enim in una sede morantur Filius Virginis, & filius Veneris, Christus, & Diabolus &c. 1. Reg. 5. 2.

4. Recordor hîc duorum illorum evnuchorum, quos Pharao Ægyptiorum Rex ob admissa aliqua delicta carceri mancipari jussit. Accidit, ut uno eodémque tempore uterque somnium haberet; pincerna somniabat de vite: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines; crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas matureścere, calicémque Pharaonis in manu mea; tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*; pistor verò somniabat de corvis, panem & cibos, arte pistoriâ præparatos, sibi in canistro super caput suum clepentibus, quæ somnia divinitus immissa ubi Joseph cum illis incarceratus, ac superiore spiritu illustratus intellexit, mox pincernæ Gen. 40. 9.

ulteriorem vitam, pristinámque Regis gratiam, pistori autem patibulum, & mortem præsagiit: *Tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Unde, obsecro, hæc talis, ac tanta diversitas? si uterque & fortasse pari in Regem delicto peccavit, quare unus in gratiam restituitur pristinam, alter in infami suspensus perit patibulo? Nunquid *pro mensura peccati erit & plagarum modus*? Verùm aliud hîc latet mysterium.

Gen. 40. 18.

Deut. 15. 2.

Advertit hîc Cornelius â Lapide, quòd innocentissimus Joseph inter utrumque incarceratum medius constitutus, typus fuerit Christi JESU in Cruce pendentis: *Joseph*, inquit, *inter duos evnuchos est Christus inter duos latrones crucifixus, uni promittens cœlum, alteri infernum relinquens.* Rupertus Abbas verò per Josephum Christum, ut supremum omnium Judicem, & per duos evnuchos, quorum unus suo statui restitutus, & alter suspensus est, duos hominum ordines, id est, electorum ex gratia, & damnandorum ex justitia intelligit; & quia pincerna spem suam in vite, quæ Christum adumbraverat: *Ego sum vitis vera*, & in uva, seu botro, quem expressit in calicem, & per quem Christus Eucharisticus non obscurè præsignatus est, collocaverat, hinc jam tunc in umbra per Christum & propter Christum gratiam, & vitam meruit obtinere: *Christus*, ait memoratus Cornelius, *animæ sanctæ botrus Cypri est præcipuè in sumptione SS. Eucharistiæ, quæ est memoriale Passionis ejus, in ea enim bibitur sanguis Christi sub speciebus panis & vini.* Pistor autem incuriè panem suum (frumenti electorum typum) tractabat, dum eum immundis ac rapacibus corvis supra caput in canistro collocatum objecit dilacerandum.

Corn. hic.

Joan. 15. 1.

Cornel. in Cant. 1. 13.

En hîc typum, & umbram benè, aut malè communicantium. Apostoli, quia sese benè ad SS. Synaxin suscipiendam paraverant, reportârunt vitam & gratiam, Judas verò mortem, & damnationem æternam: *Et post buccellam introivit in eum satanas.* Hîc verificatum fuit illud Veritatis: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt, sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.* Ejusmodi uter inveteratus pessimus Judas extitit, & idcirco vetus ille homo *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus*, quia indignè Angelorum panem, & vinum germinans virgines in se suscepit; Cæteri verò Discipuli Domini, & electi omnes, qui ad SS. Eucharistiam dignè suscipiendam ritè parantur, sunt utres novi, & mundi, qui non rumpuntur, sed conservantur in vitam æternam; unde Ecclesia in hymno: *Mors est malis, vita bonis, vide, paris sumptionis quàm sit dispar exitus.* Audi & S. Thomam Villanovanum: *Oportet* inquit, *accedentem mundum gestare cor ab omni malitia, & mundum corpus ab omni luxuria, ut sit sanctus corpore & spiritu. Procul absit omnis livor, omne odium, omnis ambitio, omnis illecebra: sanctum sit pectus, in quo sanctum Domini recondendum est, sicut scriptum legimus: sancti eritis, quia sanctus sum Dominus Deus vester.* Cæterùm

Joan. 13. 27.

Matth. 9. 17.

Actor. 1. 18.

S. Thom. Villan. Ser. de SS. Eucharist.

5. Non

§. Non sine peculiari causa sacri investigant Doctores, quare dulcissimus JESUS hoc sacrosanctum, ac divinissimum Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui non alio in loco, quàm in monte Sion instituere voluit? cur non in monte Thaboræo, ubi transfiguratus est? aut in monte Olivario, ubi Passionis initia & finem dedit? vel in monte Calvariæ, ubi tanquam in medio terræ salutem omnium propria morte operatus est? Verùm nullus ex his montibus pientissimo Servatori placuit, ubi ultimam adornaret cœnam, & se ipsum in SS. Eucharistia in cibum, & potum suis præberet fidelibus, proinde montem *Sion* elegit, ut ibidem memoriale omnium suorum relinqueret mirabilium. Observa hîc prudens Lector: *Sion* idem est, ac *speculatio*, aut *contemplatio*, hoc enim in Scriptura *To Sion* indicat, ad insinuandum, quàm necessarium sit Christianis omnibus, ut si velint ad SS. Communionem se conferre, priùs ad montem *Sion* ascendant, & attentiore mente speculentur, quomodo in hac sacra & divina cœna se velint gerere, qualem animi præparationem, contritionem, confessionem, &c. præmittere, mentémque ab omni peccati labe imposterùm puram servare? *Quando sederis*, ait Sapiens, *ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo*; quæ verba doctissimus Cornelius Eucharisticæ mensæ perappositè applicat; in hac enim mensa, ô homo Christiane, efficeris conviva Christi summi Principis, igitur diligenter attende, quæ appositа sunt ante faciem tuam, ut tanti epuli pretium, ac dignitatem æstimes, reverearis, &, ut par est, humiliter adores. Pone etiam cultrum in guttere tuo, cultrum videlicet discretionis ac fidei, qui enim indignè Christum manducat, gladium in gutture suo ponit, quo se ipsum jugulat, & quantùm in se est, Christum de novo crucifigit: Tandem post communionem observa, quomodo & imposterùm utaris cultro mortificationis ad resecanda vitia, malas consuetudines & passiones tuas; *Statue*, ait Hugo, *cultrum in gutture tuo, ut juguletur scilicet vetus homo in te, ac novus, id est, Christus vivat.* Prov. 23. 1. Hugo hîc ap. Corn.

O bone DEUS! quàm multi sunt hîc imbecilles, & quàm dormiunt hîc multi! heu timeo, ne pluribus hoc tempore, ubi charitas refrigescit, & Christiani ut plurimùm labescunt, illud accidat, de quo Michæas quondam vaticinatus est: *Tu comedes, & non saturaberis: tu seminabis, & non metes; tu calcabis olivam, & non ungeris oleo:* Quid juvat singulis septimanis, imò quotidie ad hanc pretiosissimam Eucharisticam mensam accedere, si interim vita non emendatur in meliùs? sed unde hic abusus & defectus? in promptu causa est, multi Christianorum (& utinam non etiam Sacerdotum) ex mera consuetudine, & sine seria præparatione, ac gratiarum actione SS. Communionem frequentant, hinc optatus non obtinetur effectus: *Comedunt, & non saturantur; seminant, & non metunt; calcant olivam, & non unguntur oleo.* O tem- Mich. 6. 14.

S. August. serm. 1. de temp. pora! O mores! audite & S. Augustinum: *in Christi corpore*, inquit, *vita nostra consistit, sicut ipse Joan. 6. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam, nam si non mutat vitam, ad judicium non accipiet vitam.* Audis hoc? & benè.

6. Progredior ulteriùs. Isaias Prophetarum Princeps vice quadam cœlum apertum, & in eo inter Angelorum Myriades ipsum Deum in magnificentissimo throno sedentem conspexerat, cui Seraphini, & Angeli alternatis vocibus illud trisagium acclamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; & dum hæc fiunt, unus ex dictis Seraphinis, qui de supremo sunt Angelorum ordine, carbonem quendam ignitum de divino altari forcipe aurea apprehendit, quo

Isa. 6. 6. polluta Prophetæ purificavit labia: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari &c.* Et quare Seraphim ille carbonem igneum non nudis attrectavit manibus? fortâsse quia manus ejus pruna illa poterat adurere? sed Spiritus erat, qui carnem, & ossa non habebat?

S. Justin. in resp. ad q. 44. S. Damasc. l. 4. de fide c. 14. Petr. Cellens. de parib. c. 1. Corn. hic. Respondent ad hanc quæstionem S. Justinus, S. Damascenus, Petrus Cellensis, & alii, ideò Seraphinum illum ignitum carbonem, seu potiùs carbunculum, gemmam omnium pretiosissimam non nudis attigisse manibus, quia typus erat Sacratissimæ Eucharistiæ, ubi in veritate DEUS, & homo Christus diligentibus se ignis consumens: *Manum subtrahat Seraphim*, inquit Cellensis, *quia manus hujusmodi manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei.* O Christiani; si supremus ille Angelus, vel umbram SS. Eucharistiæ tantâ tractavit reverentiâ, quo honore, & amore nos oportet interesse SS. Communioni, in qua Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens repletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur? *Hîc monetur Sacerdos*, subintrat hîc Cornelius, *qui purus, & fervens debet esse, ut Seraphim, ut Corpus Christi, in Eucharistia ab altari capiat forcipe, quæ biceps est, id est, fide & charitate; vel gemina legis perfectione, puta dilectione Dei, & proximi; illúdque tradat Isaiæ, id est, peccatori confesso, plangenti & venerabundo.*

Joseph, priusquam ex carcere, in quo per triennium commoratus est, ante conspectum Regis Pharaonis admitteretur, ut ei somnium de septem vaccis, & spicis explicaret, priùs tonsus, & abjectis squallentibus, ac dilaceratis vestibus, eleganti ornatu amictus est: *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Joseph tonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Anime mi! si vis dignè comparere in conspectu Regis Regum JESU Christi in SS. Encharistia existentis, tondè priùs capillos pravorum habituum, & vitiorum tuorum. Absalon, quia semel tantùm in anno tonsus est, infausta morte periit, dum crines prolixiores illi fuerunt in laqueum, & interitum: *Adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum & terram mulus, cui insederat, pertransivit &c.* Tonde, tonde, homo Christiane, capillos tuarum passionum, desideriorum carnalium, & terrenorum &c. Non semel tantùm in anno, sed septimanis singulis, & si fieri potest, cunctis diebus. Item muta cum Joseph vesti-

Gen. 41. 24. 2. Reg. 18. 9.

menta

menta tua sordida, & induere vestimenta jucunditatis, & pollitiorem variarum virtutum amictum, ne tibi accidat, quod quondam infelici illi convivæ in nuptiis regalibus evenit: *Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. 12.

7. Prodigus ille nunc ad se revèrsus, & verè pœnitens ad mensam dulcissimi patris sui priùs non fuit admissus, quàm de novo vestitus: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus.* O mi pater! da potiùs huic tuo famelico filio panis, aut carnis frustum; An non vides, quòd præ malesuada fame vix ossibus hæreat? vestes post saturatam famem illi adjici poterunt. Non, inquit pater, verè mitissimus: *Citò, citò proferte stolam primam &c.* Et quare hoc? Luc. 15. 22. Resp. Sylveira, quòd stola prima signat gratiam, annulus bona opera, & calceamenta humilitatem: Vitulus autem saginatus, inquit Cornelius, est Christus in Eucharistia, justos æquè, ac peccatores post pœnitentiam carne sua pascens, & saginans. Homo Christiane! En rursus hîc formam habes, qualiter debeas esse dispositus, si ad SS. Mensam Eucharisticam discupis accedere. Et si in hodierno Christi triumpho Discipuli asinam quoque suis adornabant vestimentis: *Adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*: Asina, ait Glossa interlinearis, animam in peccato constitutam præfigurat, hanc post peractam & verè contritam confessionem & tu vario adorna virtutum amictu, & non dedignabitur super eam sedere Orbis Triumphator Christus, imò & cum Patre & Spiritu S. veniet, & mansionem apud te faciet; O dignitas immensa! ô amor infinitus! Denique imitare sollicitam Martham, ad quam cum Christus divertisset, officiosâ charitate curavit, ut mensa tanto hospite digna sterneretur, & quia cernebat sororem inter tot negotia otiantem, & ad pedes Christi sedentem; ideo ex singulari confidentia ad Christum conversa dixit: *Domine! non est tibi curæ? quòd soror mea reliquit me solam ministrare?* Quid dicis Martha, solam? nunquid & alias ancillas ad manus habebas? Resp. Sylveira: Cogitabat Martha secum, se supremam Majestatem domo excepisse, ideò tota erat intenta, ut illi ex omnibus viribus inserviret &c. Anima! si accedas ad mensam Eucharisticam, fac similiter, & vives. Sylveira hic. Corn. hic. Matth. 21. 7. Luc. 10. 40.

CONSIDERATIO XXI.

De Resurrectione Domini, & nostra spirituali.

Pro Dominica Resurrectionis.

Surrexit, non est hîc. Ecce locus, ubi posuerunt eum. Marc. 16. 6.

1.

Ecc. 1. 5. RECTÈ Ecclesiastes: *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur.* Sol iste allegoricus est Christus DEUS noster, ortus in nativitate, occidens in morte, & rursus ortus, ac velut renatus in resurrectione. Ita Divus Chrysostomus: *Ortus est,* inquit, *nobis sol justitiæ Christus, de S. Maria secundùm carnem genitus: Oriens quippe nomen est illi: occidit verò, quando post crucem ad infera descendit, & ad locum suum revertitur ipso dicente: Cùm exaltatus fuero, universos trahàm ad me.*

S. Chrys. hom. de Turture Tom. 5.

Hanc glorioſissimam Christi resurrectionem præfiguravit virga illa Aaronica, quæ licèt arefacta, unâ tamen nocte refloruit, & mirabiliter revixit: *Sequenti die regressus, invenit germinâsse virgam Aaron in domo Levi &c.* Supra quod S. Doctor Seraphicus: *Virga arida,* inquit, *fuit caro Christi in morte; arida utique propter sanguinis extractionem, & spiritûs emissionem, in flore autem gloria corporis resurgentis significatur: Refloruit caro mea &c.*

Num. 17. 18. S. Bonav. serm. 3. de resurrect.

Hanc resurrectionem præsignavit granum illud frumenti, de quo ipsa Veritas Christus: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Granum hoc ait Mellifluus, Christi in carne resurrectionem indicavit: *Moriatur granum, & surgat gentium seges; oportet pati Christum, & surgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum.*

Joan. 12. 24. S. Bernard. serm. 15. in Cant. Ps. 92. 1.

Hanc resurrectionem in spiritu prævidit Vates Regius, dum de pretiosissimo nostro Redemptore & inferni domitore cantavit: *Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Supra quem S. Scripturæ locum pulcherrimè commentatur S. Augustinus: *Ille,* inquit, *qui stetit ante judicem; ille, qui alapas accepit; ille, qui flagellatus est; ille, qui conspitus est; ille, qui spinis coronatus est; ille, qui in ligno suspensus est; ille, cui in ligno pendenti insultatum est; ille, qui in cruce mortuus est; ille, qui sepultus est, ille resurrexit. Dominus regnavit. Sæviant quantùm possunt: Quid sunt facturi Regi regnorum? Domino omnium Regum? Creatori omnium sæculorum?* Et tu quid, peccator?

S. Aug. in hunc. Psal.

Hanc

Hanc resurrectionem ipse Dominus sæpiùs dilectis suis, Discipulis, ac Judæis prædixit, ac præsertim tunc, quando increduli Hebræi ab eo signum petiêrunt, quo suam probaret divinitatem, quibus locô signi respondit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quæ verba impii illi deicidæ benè notârunt; nam cùm nullam mortis causam poterant invenire, hanc denique coram Romano Judice produxerunt: *Hic dixit: possum destruere templum Dei, & post triduum reædificabo illud.* En impii & scelerati, hodie adimpletum est illud vaticinium: *Ille autem dicebat de templo corporis sui;* quod mysticum templum per passionem quidem & mortem crucis destructum est, sed post triduum in resurrectione de sepulchro de novo reædificatum. Agite Christiani: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea,* præsertim illi exultent, qui verè cum Christo surrexerunt, de qua spirituali resurrectione plura in præsenti. Joan. 2. 19. Matth. 16. 61. Joan. 2. 21. Psal. 117. 24.

2. Cùm patientissimus Job invictæ tolerantiæ speculum gravissimis cruciatibus, opprobriis & ulceribus pessimis à planta pedis usque ad verticem capitis saturatus, in fimo sederet, & nunc humanis, terrenisque omnibus discuperet valedicere, seipsum phœnici in nidulo morienti assimilavit: *In nidulo meo moriar; sicut palma multiplicabo dies meos.* Ubi adverte prudens Lector, quòd Græca, & alii communiter legant: *sicut phœnix multiplicabo dies meos.* Et quare sicut phœnix? Resp. Tertullianus, Ambrosius, Albertus Magnus, & alii phœnicem semper fuisse symbolum & argumentum resurrectionis, quæ licèt redacta in cineres, post se tamen quendam relinquit vermiculum, qui naturâ adjutrice in novam tandem revocatus phœnicem, Christum in nidulo crucis morientem, & de sepulchro post fata resurgentem pulcherrimè adumbrat, cui pro lemmate rectè inscribes: *Meliùs post funera vivam.* Job. 29. 18.

Notum est, quod Scriptura de Jona commemorat: *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam: Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.* Et quid sequitur? *Dixit Dominus pisci, & evomit Jonam in aridam.* Septuaginta legunt: *Et præcepit ceto, & ejecit Jonam super siccum.* En perelegantem typum in Christo expletum, qui in mare passionis dejectus, tertiâ die glorioſus à mortuis resurrexit: *sicut Jonas,* ait ipse, *fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Jonæ 2. 1. Matth. 21. 40.

De Joseph narrant Sacræ Paginæ, quòd tanquam agnus mansuetus à fratribus, ceu feris lupis captus, vestibus spoliatus, & in cysternam veterem fuerit dejectus: *Confestim, ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari, & polymita, miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam,* ex qua tandem eductus Ismaëlitis venditus est. Joseph ille Christum præsignavit, per tunicam autem, seu polymitam ejus in sanguine hædi intinctam Gen. 37. 23.

tinctam, ac vulneribus laceratam humanitatem ejus subaudimus, quâ tunicâ tunc Christus exutus est, quando anima à corpore in cruce per mortem separata fuit. In cisternam quoque missus est, ubi anima descendit ad inferos, & corpus in sepulchro erat repositum. Inde eductus Ismaëlitis venditur, *quia*, ut ait S. Eucherius, *resurgens Christus à gentibus omnibus fidei commercio comparatur.* Tandem post longos carceres, & plurimas exantlatas angustias Josephus in aurato ac triumphali curru sublimis, velut orbis Salvator exaltatus est: *Fecítque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti &c.*

S. Eucher. lib. 3. c. 37. Gen. 41. 43.

En perelegantem typum Christi JESU pretiosissimi Salvatoris nostri in hodierna glorioſissima resurrectione super omnes Angelos, ac creaturas universas exaltati, cui Pater omnia dedit in manus, præposuitque eum omnibus hujus mundi regnis ut dignissimum Regem ac Salvatorem: *Vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi.* Cæterùm ubi Josephum in tantæ gloriæ collocatum solio conspicatus est Jacob Pater ejus, insolito repletus gaudio exclamavit: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Et nos quid agimus Christiani? Eamus & nos hodierna luce cum Jacob in occursum huic nostro redivivo Josepho Christo JESU crucifixo, atque ex toto corde illi hanc de morte, inferno, mundo, carne & peccato gratulemur victoriam.

Gen. 41. 45. Gen. 46. 30.

3. Cùm populus quondam Israëliticus post immolatum in plenilunio agnum Paschalem, & excussum Ægyptiorum jugum mare rubrum Moyse Duce, & virgæ ejus adminiculo sicco pede transiisset, Pharao Ægyptiorum Rex cœco ductus impetu in eadem maris semita divinitùs aperta populum Dei insequens & persequens cum omni exercitu & æquitatu suo submersus, & in inferno sepultus est: *Ferebantúrque in profundum.* Quam stragem ubi Moyses stans in littore salvus conspexit, cum omni populo electo Dei, in laudes hujus pientissimi Numinis solutus, læta voce decantavit: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.* Magna hæc erat victoria, omnibúsque retrò sæculis inaudita, in cujus memoriam olim in lege hoc Paschale festum institutum, & ut quotannis imposterùm in plenilunio celebraretur, mandatum est. Verùm hæc omnia illis contingebant in figura. Per Agnum in plenilunio immolatum & oblatum. Christum subaudi, qui, *quasi agnus & ovis non aperiens os suum* in plenilunio, hoc est, in plenitudine temporis pro nobis in Ara Crucis immolatus, & pro omnium salute oblatus est. Per mare rubrum cruenta ejus passio designatur, *venit enim in altitudinem maris.* Per virgam Mosaicam tantorum miraculorum operatricem SS. Crucem intelligimus, quâ mediante verus ille Moyses Christus DEUS noster, Dux & Legifer, in terram promissionis lacte & melle manantem nos traduxit, & stygium Pharaonem cum suo exercitu

Exod. 14. 24. Exod. 15. 1. Jer. 11. 19. Isa. 53. 7. Psal. 68. 3.

in

in profundo submersit. Illis præcedebat columna nubis & ignis, *Christus*, ait S. Hieronymus, *humani generis columa est*, nubis quà homo, adumbratus per illam quoque nubeculam, quam Elias quondam conspexit: *Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari*; & ignis quà Deus: *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est*; in cujus rei memoriam etiamnum ab Ecclesia ignis Paschalis excitari assolet, & à plebe in omnibus ferè locis, oppidis ac pagis sub medium noctis adinstar altæ columnæ ardentis accenditur, ut nobis in memoriam reducat tum veterum Patrum hodiernum ope prædictæ columnæ ex Ægypto in Palæstinam transitum, tum etiam, quòd hodie vera lux omnibus illis sit exorta, qui in tenebris & in umbra mortis sedebant; Ita Isaias: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*; *habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*. Ex quibus patet, quam læta & sancta sit dies hodierna, de qua canit Ecclesia: *In resurrectione tua, Christe, Cœli & terra lætentur*, quia, prout S. Gregorius affirmat, *hæc est festivitas festivitatum, & celebritas celebritatum*; idcirco pariter cum Moyse in laudes Dei exaltemus vocem nostram: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, & equum ascensorem dejecit in mare &c.*

S. Hieron. in Ps. 95. 3. Reg. 18. 44. Deut. 4. 24. Isa. 9. 2. S. Gregor. Naz. Orat. 2. Pasch.

4. Hodie adimpleta fuit pulcherrima illa figura, ubi fortissimus Samson à civibus Gazensibus circumsessus, ac cinctus, circa mediam noctem assurgens, clausas ac æreas civitatis portas arripuit, easque in sublimem montem asportavit: *Dormit usque ad medium noctis, & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & serâ, impositásque humeris suis portavit ad verticem montis*. Christus invictissimus mortis & inferni triumphator post medium noctis à mortuis resurgens, teste Vate regio: *Inferni portas æreas contrivit, & vectes ferreos confregit*; ex quo loco captivum Patrum senatum non tam in libertatem asseruit, quàm etiam ineffabili omnium cum jubilo ad colles æternales reduxit. Juvat hîc audire Moralem Ecclesiæ Doctorem S. Greg. Magn. *Quem*, inquit, *Samson ille significat, nisi Redemptorem? Quid Gaza civitas nisi infernum designat? Quid per Philisthæos nisi Judæorum perfidia demonstratur? qui cùm mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulchro jam positum, custodes illicò deputaverunt, & eum, qui actor vitæ claruerat, in inferni claustris detentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson verò media nocte non solùm exiit, sed etiam portas tulit; quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solùm liber de inferno exiit, sed & ipsa etiam inferni claustra destruxit, portas tulit, & montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, & ascendendo cœlorum regna penetravit. Hanc ergo resurrectionis ejus gloriam, fratres charissimi, quæ priùs demonstrabatur ex signo, & post patuit ex facto, tota mente diligamus, pro ejus amore moriamur.* Hoc magnum illud Ecclesiæ Orthodoxæ lumen S. Gregorius Magnus.

Jud. 16. 3. Psal. 106. 16. S. Gregor. M. hom. 21. in Evang.

5. A fortissimo Samsone ad Noëmum transeamus. Cùm hic cessante diluvio primam plantâsset vineam, vinúmque labore fractus ad refocillandas vires plus æquò gustâsset, virtute hujus præstantissimi falerni, antehac ab ipso non cogniti, non duntaxat inebriatus, sed & sensibus ligatus, ac corpore nudatus in tabernaculo procumbens, prætereuntium ludibrio expositus est: Gen. 9.20. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo &c.* Viderat hoc fortè Cham filius petulantissimus, & juvenili motus impetu patri inebriato, nudato, ac somnô oppresso protervè illusit; ideò, & nec immeritò à patre evigilante v. 25. maledictus est: *Maledictus Chanaam, servus servorum erit fratribus suis*; Cæteri autem filii Sem & Japhet pallio honestè corpus paternum operientes, desideratam à genitore suo impetrarunt benedictionem: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaam servus ejus &c.*

S.Aug.lib. 2. contra Faust. Item de Civit. c. 2. S. Augustinus pereleganter hanc figuram Christo JEsu crucifixo, & hodie à mortuis resuscitato accomodat: *Noë in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Christus in SS. Passione sua factus *est propitiatio pro peccatis nostris*. Noë post universale diluvium plantavit vineam; Christus post diluvium suæ Passionis Ecclesiam. Noë vini virtutem non agnoscens, inebriatus est, Christus saucius & ebrius amore erga genus humanum calicem amarissimæ Passionis usque ad fundum epotavit. Noë nudatus in tabernaculo dormiens procubuit, Christus omnibus vestimentis privatus in cruce obdormivit. Noë à proprio & impio filio illusus est, Christus à Synagoga & electis olim filiis in cruce irrisus. Noë à profundo somno excitatus, mysteriúmque agnoscens procaci & ingrato filio maledictionem, piis verò natis benedictionem impertitus est, Christus hodie tanquam crapulatus à vino è sepulchro surgens maledictionem scelestis, devotis verò animis largissimam benedictionem & gratiam est elargitus. Noë denique secundùm nominis sui etyGen.5. 29. mologiam, *quietem & solatium* significat, unde Lamech pater ejus: *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*: Christus hodie per glorioſissimam suam resurrectionem universum genus humanum est consolatus, & quietem ac gloriam nunquam terminandam omnibus animabus non in limbo duntaxat, sed in purgatorio S. Anselm. in Elucidario. tum temporis existentibus benignissimè contulit. Et sicut Reges in die inaugurationis suæ cunctos captivos in libertatem solent asserere; sic teste S. Anselmo Christus Rex Regum hodie omnes animas in limbo & igne purgante captivas non tam à peccati labe absolvit, quàm secum in partem gloriæ duxit, nullo penitùs in purgatorii flammis derelicto; ad quod pulcherrimè alZach.9. 11 lusit Zacharias Propheta: *Emisisti vinctos tuos de lacu &c.* Quis modò desperet anima Christiana, cùm pientissimum suum Redemptorem hodie à mortuis resurgentem, tam benignum, tam munificum ac clementem con-

contemplatur? Audi Doctorum Aquilam, Hipponensium Antistitem: *In hac die*, ait, *peccator non debet de indulgentia desperare; si enim latro paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? & si illi Dominus, cùm crucifigeretur, misertus est, multò magis huic miserebitur, cùm resurget; nam si passionis humilitas homini hoc præstitit, confitenti resurrectionis gloriam, quam tribuet poscenti? largior enim solet esse ad præstandum læta victoria, quàm abdita captivitas.* S. Aug. in ser. Pasch.

6. Observemus ad rem nostram mirabilem quemdam conceptum. Postquam mundi melioris restaurator Christus divinitatem suam non tam per doctrinam, quàm per varia super omnem naturam facta prodigia discipulis suis abundè manifestavit, altissimam hanc Theologiam primus omnium publicè professus est S. Petrus: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Per quam confessionem meruit audire: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Paulò post Christus Dominus aliam lectionem, & quidem de instanti amarissima passione ac morte crucis discipulis suis proposuit, ne postea tam indigna de Filio Dei & hominis audientes, ac videntes in fide vacillarent: *Exinde cœpit JEsus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus, Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertiâ die resurgere.* Hoc cùm Petrus audivit, ratus talem ac tantam Crucis ignominiam Filio Dei minùs esse dignam, illum seorsum retrahens, hisce verbis admonuit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Quid hîc exspectas anima Christiana? Optima hæc erat Petri intentio, & neutiquam culpanda; correcta tamen est à Christo, & quidem duriore, quàm exspectaverat modo: *Vade*, reponebat Christus, *vade post me Sathana, scandalum mihi es.* O bone JESU! quid hoc est? Paulò ante Petrum dilectum ac fidelissimum discipulum tuum in vicarium & universæ Ecclesiæ tuæ pastorem dignissimum elegisti: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, & nunc, ubi optimam intentionem monendi quæsierat, illum Sathanam appellas: *Vade post me Sathana.* O tremendum fulmen! Matth. 16. 16. Matth. 16. 21.

Respondet S. Hieronymus, rectè fuisse Petrum à Christo increpatum, & Sathanam seu adversarium appellatum, non tam, quòd ex humano timore Christi formidaverit passionem, quàm multò magis, quòd de resurrectione divinissimi Magistri sui tertiâ die post exantlatam passionem & crucis mortem futurâ dubitaverit, ac minus dignè senserit; quemadmodum de persecutione Christique morte perceptâ Petrus ingenti tristitiâ fuit repletus, ita quoque, cùm hunc ipsum Dei Filium gloriosè à mortuis resurrecturum audiebat, debuisset rursus admittere peculiare solatium, & animitùs de tanta gaudere gloria: *Humano quippe timore perterritus, passionem Domini formidabat, & quomodo audiens multa pati & occidi timebat, sic audiens: & tertia* S. Hieron. q. 3. ad

Aglasiam. *tiâ die resurget, gaudere debuerat.* Quasi diceret Christus: O Petre! non vis,
Jo. 12. 24. ut granum tritici cadat in terram, ut multos fructus afferat in sui resurrectio-
Jo. 15. 1. ne? Non vis, ut vitis vera circumcidatur, circumfodiatur, lacrymetur, patiatur, & fructus exinde reddat optatos? Non vis, ut *sol justitiæ* eclipsin patiatur, imò penitus ad tempus occumbat, ut lætiorem postea orbi referat æternitatis diem? Nunquid dies sepelitur in nocte, & resurgit? Nunquid arbores, virgulta & plantæ omnes moriuntur & resurgunt? Sic quoque oportet Filium hominis pati, mori, & tertia die à mortuis resurgere, *& ita intra-*
Luc. 24. 26. *re in gloriam suam.*

7. O anima Christiana, disce ex hoc novam hodie concipere spem & animum strenuè pro Christo, cœlo, & salute tua pati & laborare; quoniam his omnibus digna est illa felix, quam exspectas, resurrectio. Et nunquid
Marc. 16. 6. cum sanctis mulieribus *JEsum quæris Nazarenum crucifixum*? Et cur Angelus addidit *crucifixum*, & sic gaudium cum dolore miscuit? Subintrat hîc S.
S. Cyrill. Hieros. Cath. 13. Cyrillus: *Confidenter dicit: scio, quia Crucifixum quæritis: corona enim est Crux, non ignominia,* cùm pondus æternæ gloriæ & resurrectionis in nobis
Esth. 6. 11. operetur. Mardochæus non nisi benè humiliatus ad tantum gloriæ apicem ascendit: *Hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare.* En plus hîc quàm Mardochæus, Christus JEsus usque ad mortem crucis humiliatus: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem au-*
Phil. 2. 8 *tem crucis.* Et quid sequitur? *Propter quod & Deus exaltavit illum &c.* David non nisi devicto & percusso Philistæo urbem Regiam triumphans ingres-
1. Reg. 18. 7. sus est, cui occinebant populi: *Percussit Saul millia, & David decem millia.* Plus hîc quàm David, Christus JEsus, & hic crucifixus, hodie de diabolo, morte & inferno triumphans, cui cuncti Angelorum accinebant chori, & Beatarum animarum aggratulabantur turmæ: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici*
Psal. 67. 2. S. Aug. in hunc loc. *ejus;* Supra quod S. Augustinus: *Exurgat Deus,* inquit, *resurgat Christus; jam factum est, resurrexit Christus, qui est super omnia benedictus in sæcula, & dispersi sunt inimici ejus per omnes gentes, sicut deficit fumus, deficiunt.*

Sed non sufficit, animæ Christianæ, quòd Christus Dn. à morte resurrexerit, nisi & nos de morte & sepulchro peccatorum resurgamus. Proinde
Coloss. 3. 1 fratres mei adhortor vos omnes non meis, sed Apostolicis verbis: *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite &c.* Lazarus quidem
Jo. 11. 43. ad vocem Domini à mortuis resurrexit. *Lazare veni foras,* sed post aliquot annos de novo morti in prædam cessit. Caveamus nos à morte secunda ani-
Gen. 32. 10. mæ. O benignissime JEsu! tu es ille Jacob, qui in baculo crucis transisti
Dan. 6. 23. Jordanem, & nunc cum duabus turmis & Angelorum & hominum regrederis in patriam. Tu es ille Daniel, qui innocentissimus in lacum leonum missus es, sed nunc à lacu leonum liberatus glorioſè de tuis triumphas inimicis,

micis. Tu denique es ille Elisæus, qui post mortem suam mirabiliter peccatoris resuscitavit cadaver: *projecerunt cadaver in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi, revixit homo.* Nos, ô dulcissime JEsu! sumus ille malefactor & peccator, sed nunc resuscitati in sanguine, morte & resurrectione tua. Adjuva nos ulteriùs, & *illumina oculos nostros, ne unquam obdormiant in morte &c.* 4. Reg. 13. 21. Psal. 12. 4.

CONSIDERATIO XXII.

De cavendo Relapsu in pristina Delicta.

Pro Feria 2. Paschatis.

Eadem horâ regressi sunt in Jerusalem. Luc. 24. 33.

1.

INter alias gravissimas plagas, quas Deus quondam in oras Ægyptiacas ad emolliendum durissimum Pharaonis animum immisit, non minima illa fuit, quòd innumerabilibus muscis totam illam regionem repleverit. Nulla tunc erat in regno domus, angulus & loculus nullus (extra terram Gessen) ubi non impudentissima illa ac mordacissima animalcula turmatim omnia fœdaverant, atque corruperant: *Et venit musca gravissima* (id est plurima) *in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti; corruptáque est terra ab hujusmodi muscis &c.* Mira profectò, & non levis hæc plaga fuit, tum hominibus, tum jumentis molestissima, & eò gravior, quò importunior. Sed quid per hanc plagam & muscas nobis insinuatum est? R. S. Gregorius M. quòd per hoc impudentissimũ muscarum genus non immeritò inconstantes, inquieti, ac insolentes mundi, carnísque sectatores denotentur; sicut enim musca prorsùs inverecundum & inconstantissimum animal est, quæ licèt manu aut flabello à facie abigatur, mox tamen, omni posthabito respectu, in pristinum redire locum assolet; Ita homo recidivus, inconstans, animalis & carnalis, licèt hoc sacratissimo Paschali festo per pœnitentiam conscientiam suam à peccatis expiaverit, paulò tamen post facti sui propositi immemor, & veteri peccandi consuetudine, aut occasione illectus, de novo ad pristinum vitiorum habitum redire solet, & fit recidivus, qui aureos Confessario montes promiserat: *Recidivantes in peccatum,* ait Hugo Cardinalis, *negant Christum passum fuisse.* O fulmen tremendum! Exod. 8. 24. S. Gregor. M. l. 18. Moral. 28. Hug. Card. in Psal. 55.

Et nunquid audistis hodie in Sacro Evangelio, qualiter mitissimus or-

bis Salvator Christus in duos illos discipulos, in Emmaus se conferentes in-
Luc. 24.21 vectus fuerit, dum ipsi inter alia dicebant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël*? Quid, obsecro, dicitis? itáne *sperabamus*? ergo de facto non ampliùs speratis in Christum Redemptorem? ergo periit spes vestra? O inconstantes in fide & benè cœptis! proinde meritò à Christo duriùs increpati estis: *O stulti, & tardi corde ad credendum!* O quot sunt de facto Christiani, qui hac Sacra hebdomade omnem Christo suo promittebant fidelitatem, confitebantur peccata sua, dolebant se offendisse Deum, tanquam summum, infinitum & immensum Bonum; reficiebantur exinde divinissimo Epulo, Carne & Sanguine Unigeniti Filii Dei & Mariæ; lacrymabantur cum Petro amarè, cùm in die Parasceves in concione audirent, quæ, qualia, ac quanta & quàm indigna pro homine indigno amantissimus JEsus sit perpessus. O miseri! siccine cæcutiunt vobis oculi, ut futura non prævideatis? ergo hodie jam iterum itur in antiquam sylvam, morésque priores? *O stulti* (verbo ignoscite, non
Luc. 24.25 enim alio titulo vos possum insignire) *O stulti, & tardi corde ad credendum!* Plura de relapsu & de ejusmodi recidivis, quàm odibiles, imò & damnabiles coram Deo sint, in præsenti consideratione examinabimus. Si ex Deo estis, verbum Dei audite.

2. Ita est: *Dæmon languebat, melior tunc esse volebat; Ast ubi convaluit, mansit, ut ante fuit.* Quamdiu durabat diluvium, animalia etiam ferocissima, ut leo, tigris, pardus, ursus, lupus, &c. pacificè in Arca Noëmica cum agno, cæterísque habitabant animantibus; Ast finito universali illo cataclysmo, mox ad pristinam rediêrunt ferocitatem. Diluvium cruentum pro salute om-
Psal. 68. 3. nium his elapsis diebus sustinuit in passione Dominus: *Venit in altitudinem maris, & tempestas demersit eum.* Arca Crux est, in qua per eum salvati sumus, & sicut extra Arcam nemo salvabatur, ita extra Crucem nulla potest esse salus mundo. Sed jam, jam, dicunt moderni, tepidi & recidivi Christiani, jam,
Cant. 2. 11. jam transierunt hæc omnia: *Imber abiit, & recessit.* Ergo & nobis alia rerum facies induenda est, pristinæ sunt quærendæ corporis oblectationes, & oc-
Sap. 2. 6. casiones, & quid multis? *Fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creaturâ.* Ita sensim & paulatim relabuntur miseri ad pristina vitia, ac si minimè ea planxis-
Jer. 2. 36. sent; O anima Christiana! *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas*? Quæ hactenus nutriebaris in croceis, ergo nunc iterum post Pascha amplexari vis
Num. 21.5 stercora? Ah jam iterum tibi desipit cœleste illud & Divinum manna, quo hactenus alimentata es? Itáne placet imitari ingratos illos Hebræos, qui jam vicini Palæstinæ occlamabant: *Anima nostra jam nauseat super cibo tevis-*
Num. 11.5 *simo*? Et in alio loco: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, &*
Deut. 31. 28. *cepe & alia; anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Manna?* O ingratissimi Hebræi! *Gens absque consilio ac pruden-*

prudentia, utinam ſaperent, ac noviſſima proviserent; ita quondam Moyſes eos increpavit. Sed iraſcuntur alii Judæis, ego potiùs iraſcor modernis, tepidis, & relabentibus Chriſticolis, qui vix deguſtato hoc diviniſſimo Manna & cibo Angelorum, mox reſpiciunt Ægyptum, & ollas carnium cepe & allia fœtentia priſtinorum peccatorum, & malarum conſuetudinum: *O gens viperarum! qui demonſtravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiâ.* Audiſtis? ſed pergo ad alia. Matt. 3. 7.

3. David, ubi regiam purpuram infami adulterio & homicidio contaminavit, mox à Deo correptus per Nathan Prophetam audire meruit & debuit: *Filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Notate hîc, quòd Deus non alio ſupplicii genere pro tunc temporis Davidem delinquentem caſtigaverit, quàm quòd filius recens natus immatura morte ex hac mortali vita fuerit ſublatus. Progrediamur ulteriùs. Idem Rex, ut exactam tam ſubditorum, quos in aciem poſſet deducere, & militum in armis exercitatorum numerum & notitiam haberet, Joab exercitûs ſui Ducem & Archiſtrategum univerſam circumire voluit regionem, ut in cunctis tribubus non tam luſtrum faceret, quàm & certum populi numerum in tabulari conſcriptum Regi afferret: *Dixitque Rex ad Joab Principem exercitûs ſui: perambula omnes tribus Iſraël à Dan usque Berſabee, & numera populum, ut ſciam numerum ejus &c.* Dictum, factum, Joab luſtravit, examinavit, numeravit, & notavit omnes viros ad bellum aptos, atque in terra Iſraël invenit octingenta millia virorum fortium, & in terra Juda quingenta millia pugnatorum, id eſt, ad pugnam idoneorum. Sed quid hîc exſpectas homo Chriſtiane? Audi ſententiam: *Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua &c.* Res ſtupenda, quæ haud immeritò in admirationem nos rapiat; & nunquid *pro menſura delicti erit & plagarum modus?* & hoc ſine dubio; ſi ergo hîc David ex aliquo vanitatis affectu populum numerans levem culpam (prout plures autumant interpretum) non exceſſit, cur igitur tam atroci peſtilentia & morte tot millium ſubditorum fuit punitus? Econtrariò ubi graviſſimè per adulterium & homicidium in Deum ſuum & homines peccavit, quare tam levi tunc mulcta, morte videlicet unius innocentis infantuli fuit correptus? 2. Reg. 12. 14. 2. Reg. 24. 2. Deut. 25. 2

Reſpondent Sacri Doctores: Davidem à juſtiſſimo Numine & ſcelerum omnium æquiſſimo vindice ideo tam ſeverè pro hac ſecunda vice fuiſſe punitum, quia poſt correptionem à Nathane factam & poſt tam humilem peccatorum ſuorum confeſſionem: *Peccavi Domino*, denuo ad vomitum reverſus eſt, & in ſuperbiam, vanámque gloriam delapſus. Juvat hîc audire S. Auguſtinum: *Populo numerato*, inquit, *peccatum elatio-* 2. Reg. 12. 13. S. Auguſt. l. 22. con-

nis

tra Faust. cap. 66. *nis ejus sic punire placuit Deo, ut eundem numerum minueret morte multorum, cujus multitudine cor Regis fuerat superbiâ pertentatum &c.* Et in alio loco: *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat; nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata, nihil valet à malis veniam poscere, &* S. Gregor. M. hom. 35 in Evang. *mala denuo iterare.* An nescis, ait S. Gregorius M. *quòd leviter veniens recidiva febris occidat?* Et tu ò homo! imagine Dei insignitus, totque gratiis ac beneficiis à Creatore tuo cumulatus, ubi hoc Sacro tempore divinam gratiam per pœnitentiam invenisti, jam de novo audeas pientissimi Numinis exasperare clementiam, & sectando pravas consuetudines postliminiò ad priorem relabi tepiditatem? Qualem, obsecro, pœnam promerebitur malefactor ille, qui semel, iterúmque à clementissimo Principe dimissus, eadem post dimissionem S. Chrys. hom. 2. de lapsu hom. perpetrat scelera? *Sanitate*, ait Os Aureum, *indignus est, qui post curam semetipsum vulnerat: nec mundari meretur, qui seipsum post gratiam sordidat.*

4. Vis anima Christiana, ut hanc veritatem ad oculum tibi demonstrem? Paralyticum illum considera, qui triginta & octo annis ad piscinam probaticam assiduis cruciatûs doloribus lecto jacuit affixus, quem mitissimus Salvator vitæ quoad corpus & animam sanavit, sed, quod bene considerandum est, ei insuper hanc adjecit comminationem, ne imposterùm in pristina rueret peccata, nisi graviorem Dei vindicis manum, & æternæ damnationis sententiam vellet experiri: *Ecce sanus factus es, jam noli ampliùs peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* O Christiani! sursum corda, ecce, hac Sacratissimâ septimanâ per sinceram, ut spero, ac contritam delictorum confessionem ab infirmitate animæ vestræ sanati, & à sordibus mentis in sanguine Agni Paschalis, Christi JEsu abluti estis: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.* Mota est vobis gratiarum piscina, & invenistis hominem JEsum, qui misit vos in piscinam sacratissimæ passionis suæ; nolite mihi dicere cum illo paralytico: *Hominem non habeo.* En JEsum habetis Deum & hominem adjuvantem vos, quid ergo miseri ad vomitum vultis redire? ecce sani facti estis, jam nolite ampliùs peccare, ne deterius vobis aliquid contingat: S. August. serm. 4. ad frat. in Eremo. *Nihil prosunt lamenta*, ait S. Præsul Hipponensis, *si replicantur peccata.*

Servus ille nequam, qui à Domino suo veniam & remissionem debitorum impetraverat, ubi relapsus est, nullam ampliùs gratiam invenit: *Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.* Matth. 18. 34.

Luc. 19. 45 Ementes & vendentes in templo Christus una vice verbis tantùm castigavit asperioribus: *Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est, quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Sed ubi Mercatores illos, &

empto-

emptores cum mercibus ſuis in templo alio tempore invenit, eos non duntaxat verbis ſeverioribus, ſed & flagello caſtigavit: *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejicit de templo &c.* Joan. 2. 15.

Semei, qui David Regi in exilium fugienti priùs maledixerat, imò & lapides in eum projecerat, quia exinde hujus ipſum pœnituit facinoris: *Agnoſco ſervus tuus peccatum meum &c.* veniam delicti & gratiam Regis impetravit: *Et ait Rex Semei: Non morieris; juravítque illi.* Verùm cùm Semei paulò poſt in aliud peccatum relaberetur, ac ſapientiſſimi Regis mandatum, ne fines videlicet civitatis Solymææ transgrederetur, contemneret, per æquiſſimam ſententiam morte mulctatus eſt: *Reddidit tibi Dominus malitiam tuam in caput tuum. — Juſſit itaque Rex Banajæ filio Jojadæ, qui egreſſus percuſſit eum, & mortuus eſt.* 2. Reg. 19. 20. 3. Reg. 2. 44. 46.

Achab, quia innocentem Naboth ob negatam vineam lapidari fecit, graviſſimè apud Deum deliquit, cui ad occupandam vineam properantem Elias zeloſiſſimus Prophetarum occurrit, & plurima ei mala à Deo vindice omnium malorum infligenda comminatus eſt, quæ tamen Achab humiliando ſe & pœnitendo amarè pro illo temporis intervallo feliciter evaſit: *Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavítque, & dormivit demiſſo capite.* Proinde delictorum ſuorum veniam tunc à pientiſſimo Numine impetravit: *Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa non inducam malum.* Aſt ubi de novo Pſeudo-Prophetarum vaticiniis credidit, & innocentiſſimum Michæam vera vaticinantem carceri incluſit, ad pugnam adverſùs Syros procedens, in curru, Deo ſic diſponente, ſagittâ in incertum jactâ, lethaliter inter pulmonem & ſtomachum vulneratus miſerrima morte interiît: *Et linxerunt canes ſanguinem ejus &c.* Ite nunc recidivi, & redite ad vomitum; ſed væ vobis, qui multiplicatis mala, quæ emendare debueratis. Divum Petrum audite: *Meliùs*, inquit, *erat illis, non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti, ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato &c.* 3. Reg. 21. 27. 3. Reg. 22. 38. 2. Petr. 2. 21.

5. Aaron ſummus quondam in lege Sacerdos, ut populo placeret, cui ſolus reſiſtere non auſus erat, Moyſe abſente graviſſimum idololatriæ ſcelus admiſit, dum vitulum aureum illis curavit in ardente conflari camino, quem ingratiſſimi illi Hebræi cultu adorabant latreutico: *Hi ſunt Dii, Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Magnum ſine dubio hoc fuit Aaronis peccatum, & propter metum in virum fortem cadentem, vix, vel nunquam excuſabile; & tamen ob tam grande delictum non legitur, quòd graviore pœna fuerit affectus, quàm quòd à fratre Moyſe fuerit increpatus? *Quid tibi fecit populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* Sed ſuſpendamus pauliſper noſtrum judicium. Redit Aaron ſecundò, dum aqua juſſu Dei ex Exod. 23. 4. Exod. 32. 21.

petra sitienti populo per virgam Mosaicam esset producenda; ibi, quia cum fratre Moyse nonnihil dubitavit, quasi impossibile & improbabile esset in gratiam populi tam increduli aquam ex petra producendam, ob hanc unicam diffidentiam, quam solùm leve peccatum fuisse communiter arbitrantur Interpretes, ab ingressu terræ promissæ prohibitus, & exclusus est:

Num. 22. 23. *Non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israël, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* Et quare pro hac secunda vice Aaron à Deo tam severè castigatus est? Ratio est, quia prima vice ex aliquo metu peccaverat, ne à tumultuante populo interficeretur, sed rediens secundò ex aliqua malitia, licèt non gravi, dubitando scilicet de bonitate & libertate Dei, quam toties antea expertus fuerat, deliquit, dicebat enim cum Moyse: *Num de petra hac in vobis aquam poterimus elicere*: Suprà quod Hugo Cardinalis; *Cùm in omnibus aliis*, inquit, *Moyses & Aaron fiducialiter egissent, hîc diffidenter egerunt, & peccaverunt.* Notent sibi hoc recidivantes, increduli, & in benè cœptis inconstantes, ut maturè in rem & salutem suam vigilent, nisi à vera illa

Hug. Card. hic.

Eccl. 21. 1. terra promissionis æternùm velint excludi: *Fili peccâsti?* ait Siracides, *non adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Si anima tua sicut passer erepta est de laqueo venantium, noli redire ad rete & Diaboli laqueum: *Cæteræ animantes*, ait Justus Lipsius, *ubi semel offenderint, cavent; non vulpes ad laqueum, lupus ad foveam, canis ad fustem temerè redibunt; solus homo ab ævo in ævum peccat verè in eisdem.* Juvat hîc audire & D. Chrysostomum, qui, ut populum Antiochenum post peractam pœnitentiam in timore Dei contineret, viámque securam ad cœlestem patriam illos edoceret, eos pro concione ita allocutus est: *Quam veniam habebimus, quam defensionem, cùm brutis simus dementiores? Avicula namque semel capta, laqueo mox elapsa, & cervus in rete incidens, & effugiens, iterum difficilè capiuntur, nam cuique fit experientia cautelæ magistra. Nos sæpiùs quidem capti, in eadem cadimus, neque brutorum providentiam & sollicitudinem nos ratione decorati imitamur &c.* Audi & Poëtam:

Lipsius lib. 5. de milit. Rom. dial. 20.

S. Chrys. hom. 15. ad popul.

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

Ps. 11. 9. 6. Occurrit hîc mihi Psaltes Regius, qui ejusmodi recidivantes non immeritò jumento in mola trusatili per totum currenti diem, & semper ad idem punctum, ubi incœpit, redeunti assimilavit: *Impii in circuitu ambulant.* Talis fuit Samsonis à Philisthæis capti, & mox excœcati circa molam conver-

Judic. 16. 21. satio: *Et duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* En triste peccatoris semper in eadem peccata ruentis symbolum, dum semper ad idem punctum redit, & non ulteriùs, etiam post factam

Ps. 82. 14. exomologesin in virtute non proficit; proinde idem Psaltes: *DEUS meus*

pone

pone illos, ut rotam. Et cur ut rotam? Rota molendinaria, ſi ſemper currit, nunquam tamen in curſu proficit, ſed ſemper in eodem ſtatu permanet. En maledictionem recidivantium. O miſeri! *Novit Dominus viam juſtorum, & iter impiorum peribit.* An neſcitis, quòd ille, qui in virtute non proficit, deficiat neceſſe eſt? Et nunquid ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, *vapulabit multis*? Pſal. 1. 7. Luc. 12. 47.

Navigaverat quondam benigniſſimus Salvator Chriſtus cum Diſcipulis ſuis ad Regionem Geraſenorum, & cùm deſcendiſſet de navi, occurrebat illi vir energumenus ſine veſtimento, & peſſimè à Dæmonibus tractatus; hic ubi JEſum conſpicatus eſt, mox ad genua ejus provolutus, & magna voce exclamans dixit: *Quid mihi & tibi eſt, JESU, Fili Dei altiſſimi! obſecro te, ne me torqueas;* ad quem mitiſſimus Servator! *Quod tibi nomen eſt? At ille dixit, legio*; & rogaverant illum Dæmones ne imperaret, ut in abyſſum præcipitarentur. Et quia ibi grex ingens paſcebatur porcorum, annuit Salvator, permiſitque Dæmonibus, ut in porcos ingrederentur: *Exierunt ergo Dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt.* Sed quare, dices, Chriſtus Dominus integram iſtam Dæmoniorum legionem in gregem porcorum, & non in alia armenta jumentorum ablegavit? Ratio in promptu eſt, quia porci ſunt typus recidivorum. Ita S. Gaudentius: *Sues*, inquit, *ſemper immundi, & de fonte, vel de fluvio exeuntes iterum volvuntur in cœnum.* En genuinum recidivantium typum, præſertim immundorum, qui porcorum more viventes, etiamſi hoc ſacro tempore per confeſſionem ac SS. Communionem à peccatis per Sanguinem Chriſti ſunt abluti, paulò tamen poſt, & utinam non hodie ad idem carnalium cogitationum ac voluptatum revertuntur cœnum, proinde pari modo & ratione à Chriſto Judice in gehennæ præcipitabuntur abyſſum, de quibus & S. Petrus: *Contigit*, inquit, *eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Luc. 8. 28. S. Gaudent. tr. de Machab. 2. Petr. 2. 22.

7. Pro dictorum coronide audiamus ex S. Scriptura adhuc aliqua argumenta, eáque ſolidiſſima. Azotii Arcam Domini juxta Dagon idolum ſuum collocabant; ſed quid accidit? prima nocte *Dagon jacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Aſt cùm rurſus eundem Dagonem juxta Arcam Dei collocâſſent, majori caſu & ruinâ illâ nocte corruit, & confractus eſt: *Rurſumque manè die altera conſurgentes, invenerant Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen.* Homo Chriſtiane! ſi peccas, quid aliud agis, quàm quòd Arcam Domini juxta Dagon idolum ſtatuas, quia, dum delinquis, creaturam al quam Deo præponis, & illam ut Deum tuum adoras; & ecce, quia doluiſti in hac ſacra ſolemnitate Paſchali, abjectus eſt Dagon, & gra- 1. Reg. 5. 4.

tia Dei de novo in Arca cordis tui reposita est. Jam noli ampliùs peccare, noli redire secundò, & immundum hunc Dagonem, qui Venerem olim repræsentabat, juxta mundissimam Arcam Domini statuere, nisi graviore casu velis ruere, & æternùm perire; O quam malè timeo! ne pluribus accidat Chri-
Jerem. 51. 9. stianis, de quibus jam olim vaticinatus est Jeremias Propheta: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.*

Mancinus S. J. l. 7. dissert. 1. punct. 1. de Pass. Dom.

Vis memorabile de ejusmodi recidivo exemplum? Paucis abhinc annis accidit, quòd fur quidam Hispali in Hispania in arbore suspenderetur. Pertransiit à prandio Mercator quidam? qui suspensum adhuc vivere, & moveri advertit, proinde misericordiâ motus, propiùs accedens equi ephippio insistit, funem gladio præscindit, & furem expansis excipit brachiis, fovet, & sibi redditum equi tergo imponit, ad locum securiorem abducturus. Et ecce, dum familiariter inter se discurrunt, observat patibularius ille, quòd Mercator ingentem auri, argentíque vim secum gestaret, cujus cupidine illectus, & immemor beneficii & periculi, clam benefactori suo pugionem eripit, & simul vitam; cadaver in proximum dumetum asportat, & dives auro in patriam revertitur, ubi ex hoc furto negotiari cœpit. Hæc inter decem elabuntur anni, ubi audacior factus rursus Hispalim contendit, & Deo sic disponente, in priorem carnificem incidit, à quo curiosè lustratus, agnitus, comprehensus, & justâ sententiâ de novo ad atrocissimam mortem damnatus est. O anime mi! erísne & tu inter ejusmodi recidivantes, de qui-
Hebr. 6. 6. bus S. Paulus ait: *Et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes &c.*

Erísne & tu?

CON-

CONSIDERATIO XXIII.

De Præparatione Animi contra Tentationes.

Pro Feria tertia Paschatis.

Et dicit eis: Pax vobis! ego sum, nolite timere. Luc. 24. 36.

I.

VIx populus ille Israëliticus post agnum Paschalem manducatum mare rubrum transierat, & per desertum ad terram sanctam progredi cœpit, mox & variè inceperunt tentationes, quibus eos Diabolus, caro & mundus diversimodè investavêre. Nunc concupiscere cœperunt Ægyptiorum cepas, nunc allia & cucumeres, nunc ollas carnium & coturnices, nunc illis nauseabat ipsum Manna, quod tamen in se habebat omne delectamentum; proinde sæpiùs cogitabant, relictâ hac in Palæstinam viâ, ad pristinam servitutis terram remeare: *Et tædere cæpit populum itineris & laboris &c.* Num. 21. 4. En anima Christiana sortis tuæ symbolum. Excessisti hoc Paschali tempore à servitute Ægyptiaca peccati & jugo Pharaonis Diaboli, atque exercitum ejus, hoc est, peccata tua demersisti in rubro mari Dominicæ Passionis, nunc læta iter ad terram sanctam & desiderabilem ingressa es; sed cave, quia neque post peractam seriam conversionem tuam à tentationibus eris libera, proinde semper vigilandum tibi erit, & animus contra tentationes præparandus; ita rectè monet Ecclesiasticus: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 2. 1. Observa: *Præpara animam tuam ad tentationem*; ita enim statutum & in divino Consistorio decretum est: *Militia est vita hominis super terram;* alia Græca lectio habet: *Tentatio est vita hominis super terram*; nolis, velis, tentaberis; unde pugnandum tibi erit, & vincendum, aut æternùm moriendum. Job. 7. 1.

Sed noli timere, anime mi, quia & ipse Dominus pugnat pro nobis, unde rectè Præco Tarsensis & Gentium Doctor Paulus: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana; fidelis autem DEUS est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* 1. Cor. 10. 13. Et hæc causa est, quòd hodie mitissimus orbis melioris Reparator Christus post consumatam passionem suam Discipulos suos ad ulteriores sustinendas

nendas tentationes nonnihil pavidos benignè ac paternè animadvertit: *Pax vobis! ego sum, nolite timere &c.* Ita & Joseph quondam fecit, fratres suos
Gen. 45. 4. perterritos consolans: *Ego sum Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus, pro salute enim vestra misit me DEUS ante vos in Ægyptum.* Hæc ansam nobis hodie præbent, quomodo generosè contra omnes Diaboli, mundi & carnis insultus ac tentationes debeamus pugnare. De qua veritate plura in præsenti.

Eccli. 9. 20. 2. Rectè Ecclesiasticus: *Scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Ubi adverte, quòd non dicat Sapiens: Vide, & considera, sed *scito*, vitam tuam plenam esse laqueis tentationum. Laqueus in cibo & potu; laqueus in somno & vigilia; laqueus in divitiis & egestate; laqueus in honore & vilitate; laqueus in convivio & jejunio; laqueus in eleemosyna & oratione; laqueus in vita Ecclesiastica & Religiosa; laqueus in statu civili & militari; laqueus in morte, & ultima sorte, ut non in immeritò cum S. Antonio Magno possis exclamare: *Domine, quis evadet hos laqueos?* Juvat hîc audire S. Antistitem Hipponensem:
S. Aug. in Psal. 141. *Ignoras*, inquit, *quia in medio laqueorum ingrederis? quid est in medio laqueorum? in via Christi. Et hinc laquei, & hinc laquei; laquei à dextris, laquei à sinistris; laquei a dextris, prosperitas sæculi: laquei à sinistris adversitas sæculi; laquei à dextris, promissiones; laquei à sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, à via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat.* Proinde non absimilis es, anime mi, funambuloni, qui in fune in aëre fortiter tenso ambulans, singulis momentis videtur ex
Psal. 118. 109. alto in præceps ruiturus; unde appositè Vates Regius; *Anima mea in manibus meis semper*; hoc est, anima mea semper versatur in tentationum periculo, quia ubique hostibus cincta est. Sed resume animum, homo Christiane,
4. Reg. 6. 16. mœstumque timorem mitte: *Noli timere*, dicebat quondam Elisæus Propheta ad ministrum suum, ubi hostiles copias, ut Elisæum perderent, adventantes vidit: *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Ita & nos, si in tentationibus nostris mentis aperiamus oculos, integros Angelorum exercitus ad ferendam nobis opem
Rup. Abb. l. 5. c. 33. in libros Reg. paratos spectabimus: *Et nos dicamus*, subintrat hîc Rupertus Abbas, *quoties ab inimicis visibilibus seu invisibilibus circumdamur; dicamus, inquam, fidem habentes, spem retinentes, charitate Deo appropinquantes; noli timere, ô anima; noli timere Ecclesia: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Nobiscum est Dominus, nobiscum est Angelorum exercitus, nobiscum est spiritualis pugnæ princeps, & victoriæ opifex, Spiritus Sanctus.* Imò & ipse Angelorum, & universorum Dominus, Christus JEsus promptum se exhibet, ut in om-

ni

ni tentatione, ſi ſacrum ejus Numen humiliter invocaverimus, benignum ferat auxilium, unde ad Diſcipulos ait: *In mundo preſſuram habebitis; ſed confidite, ego vici mundum.* Joan. 16. 33.

3. Verùm progrediamur ulteriùs, & quia de tentatione loqui cœpimus, oportet, ut ejus naturam & proprietates pluribus dilucidemus. DEUS, propriè loquendo, neminem tentat, *intentator enim malorum eſt*, neque vult mortem, ſed potiùs vitam peccatoris, quia ipſa bonitas eſt, cui repugnat omne malum, omníſque malitia; dicitur autem ſæpiùs in Scriptura, quòd bonos tentare ſoleat, uti Abrahamum: *Tentavit DEUS Abraham* item, populum ſuum electum: *Tentavit vos Dominus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra.* Tentavit & Tobiam, Jobum, Davidem, & alios quàm plurimos Sanctorum, tum veteris, tum novi Teſtamenti, ut eorum virtutes orbi demonſtraret, perficeret, & æternùm coronaret. Diabolus autem propriè tentat homines, ut eos ad peccatum & malum alliciat, ac tandem incautos æternùm perdat; quem tentatorem peſſimum, ac vaferrimum S. Petrus Apoſtolorum Princeps leoni rugienti aſſimilat: *Adverſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Et quare leoni? Jacobi 1. 13. Gen. 22. 1. Deut. 13. 3. 1. Petr. 5. 8.

℟. Leo à vigilantia commendatur, & Diabolus in perniciem noſtram ſemper vigilans eſt. Leo ſemper eſt famelicus, & vix cruentâ ſatiari poteſt prædâ, ita & Diabolus plurimis paſtus animabus non ſaturatur, unde adhuc hodie clamat: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Leo horrendo ſuo rugitu & hominibus & animalibus terrorem incutit: *Leo rugiet, quis non timebit?* De Diabolo ait Job: *Qui factus eſt, ut nullum timeret.* Leo contortis incedit pedibus, in quibus quaſi in vagina ungues ſuos præſertim tempore nivis abſcondit, ne ejus appareant veſtigia; ita & Diabolus fraudes ſuas, & tentationes abſcondere aſſolet, ut hominem incurium eò magis vincat, illaqueet, ac perdat. Leo ad galli cantum & erectas ejus timet criſtas, & vel maximè ignis ardorem formidat? ita & Diabolus oratione, & ſacro piorum cantu, ſed quàm maximè ſigno S. Crucis, & igne amoris Chriſti in fugam agitur. Leo adinſtar venatoris in ſylva circuit, ut vel vi, vel dolo incauta capiat animalia, quæ non duntaxat devorat, ſed eorum oſſa dentibus comminuit juxta illud Iſaiæ: *Quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea*; ita quoque Diabolus, ut potentiſſimus venator circuit orbem, quærens quem devoret: *Circuit*, ait S. Chryſoſtomus, *quærens non quem mordeat, vel frangat, ſed quem devoret.* Gen. 14. 21. Amos 3. 8. Job. 31. 24. Iſai. 38. 13. S. Chryſ. hom. 22. ad pop.

4. Et vultis luculentum de hac veritate exemplum? Batavus quidam cum leone cicure paucis abhinc annis diverſas Germaniæ provincias peragravit, & cùm tandem acquiſito non modico ære Hagam Comitis in Hollandiam veniſſet, illic quoque locorum in præſentia numeroſi populi conſuetos Traunerus & alii, & memini, me vidiſſe hunc hi-

ſtrionem cum hoc leone Aug. Vindel. an. 1675.

ſuetos luſus cum leone exhibuit, ſed infauſto cum eventu; nam leo antehac domeſticus, & velut agnus manſuetus, nunc ſubitò in furorem verſus, patronum ſuum, ac nutritorem fortiter apprehenſum vehementi cum niſu in terram proſtravit, & ſcintillantibus oculis, apertísque faucibus illi cruentiſſimam mortem minitans, aliquantiſper humi affixum tenuit. Rogabat quidem miſer, ut parceret vitæ, ſed incaſsùm; opem exinde implorabat circumſtantium ſpectatorum, qui leoni ovem & vitulum objectabant in prædam, ſed neque hoc illius poterat domare furorem. Interim conſilio in arena habito, jubetur venator, ut ſclopetum in ſuribundum exoneraret leonem, cujus & frontem tetigit, & glans plumbea cerebrum terebravit, ſed eodem quoque momento, quo leo cadebat victima, hunc ſuum patronum in fruſta dilaceravit.

Manſ. Tom. 4. tr. 92. diſc. 17.

Simile quid enarrat doctiſſimus Joſephus Manſius de Leone Magni Ducis Hetruriæ, qui Florentiæ ſuum nutritorem, cum quo longo tempore familiarior factus eſt, tandem ob levem percuſſionem in rabiem actus, uno momento diſcerpſit, & devoravit. Ite nunc, qui Diaboli, leonis illius tartarei, ſuggeſtionibus creditis, & ex hoc perpendite, qualiter ſuos tractare ſoleat familiares in fine; cavete ergo ab hoc adverſario, & ejus non acquieſcite

S. Auguſt. ſerm. 198. de Temp.

tentationibus: *Alligatus eſt*, ſubintrat hîc S. Auguſtinus, *tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortiferâ ſecuritate conjunxerit. Jam videte, fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem; non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet: nec*

1. Petr. 5. 8.

extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Proinde rectè S. Petrus: *Cui reſiſtite fortes in fide*, non qualiquali fide, ſed fide firmâ ac viva, quæ per charitatem operatur, & quæ eſt radix virtutum omnium, hæc fides ferventi oratione, ſpe & charitate roborata vincit tentationes Diaboli: *Reſiſtite*, ait S. Jacobus, *Diabolo, & fugiet à vobis.*

Jacob. 4. 7.

§. David infernalem hunc hoſtem per citharam ſuam à Saule expulit:

1. Reg. 16. 23.

Tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leniùs habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Cithara hæc ſacra muſica eſt, pia oratio eſt, meditatio eſt, mortificatio eſt, Crux Chriſti eſt, ait Angelomus, quæ remedia ſi in tentationibus adhibes, *recedet à te ſpiritus malus.*

Judic. 4. 21.

Jahel fortis mulier Siſaram Ducem ferreo clavo per tempora ejus adacto occidit, & ad infernum miſit: *Tulit itaque Jahel uxor Heber clavum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum; & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſúmque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram.* Siſara hic, ait Cornelius, Dæmonem præfiguravit. Ani-

me

me mi, si te tentaverit variis suis, prout assolet, suggestionibus, citò apprehende clavum timoris Domini, cum Psalte declamans: *Confige timore tuo carnes meas &c.* & sic eum longè à te repelles. Psal. 118. 120.

Samson, quia irruit in eum Spiritus Domini, catulum leonis sibi in via obviantem facili labore superavit: *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu.* Si simili modo leo Acheronticus per varias in te irruit tentationes, ut te vincat ac sternat, invoca gratiam Spiritûs Sancti; & animosè hunc tentatorem aggredere, quia tali munitus auxilio eum facilè superabis; hinc appellatur in illo Jobi: *Rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt,* juxta mentem septuaginta Interpretum *Myrmicoleon,* hoc est, *formica leo.* Jud. 14. 6. Job. 4. 10.

Qui à serpentibus olim ignitis in deserto erant percussi, per aspectum serpentis ænei in Cruce erecti sanabantur: *Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Serpens hic æneus Christum in cruce suspensum præsignavit; hunc, inquam, aspice, si serpens infernalis tibi parat insidias ac tentationes: *Non te pigeat,* ait Mellifluus, *videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre Regem in solio residentem.* Num. 21. 9. S. Bernar. hic apud Cornel.

David, cùm à Goliath gigante, in armis & fortitudine sua confidente, tentaretur, *elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente,* quibus instructus contra Philistæum animosè processit, & eum feliciter debellavit. Si te tentat, anima Christiana, immanis ille & Stygius gigas, fuge ad SS. quinque Vulnera Crucifixi Amoris tui, quibus infallibiliter hostem tuum sternes: *Vade Sathana; tunc reliquit eum Diabolus.* 1. Reg. 17. 40. Matth. 4. 10.

6. Sed jam alius hostis pulsat fores; & quisnam ille est? an fortasse Hannibal ad portas? minimè, sed Aman est, quem magnanima Regina Esther in convivio præsentem palàm coram Rege Assuero accusavit. *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman.* Ad quam inopinatam accusationem Aman, quia se reum agnoverat, quasi fulmine ictus obstupuit, & obmutuit. Hic, inquam, pessimus hostis Aman ad portas est. Et quid dico ad portas? imò jam in domo nostra est, plus dico, intra nos ipsos est. Et quid multis? Aman iste caro nostra, concupiscentia nostra est verè hostis pessimus; quò enim majora illi præstiteris beneficia, eò fiet deterior, & in te insolentior: *Amicus ingratus,* ait Jo. Climacus, & *dolosus caro est; & si foveatur, ampliùs lædit*; proinde citò cum hoc hoste ad Crucem & ad patibulum: *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.* Cæterum Mardochæus idem significat, quàm *amara contritio,* Aman verò idem est, quam *opprimens*; si ergo te suis vult opprimere tentationibus, & sensualitatibus caro pessima, esto generosus Mardochæus, & hunc Amanum Esther. 7. 6. Jo. Clim. tr. de memor. injuriarum.

S. August. Manual. c. 22. & 23. Gal. 5. 24. num suspende in Cruce Domini nostri JEsu Christi juxta mentem & exemplum S. Augustini: *Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Domini mei JEsu Christi, & ad viscera misericordiæ ejus, nec alibi efficacius remedium reperio &c.* Audiamus & Apostolum: *Qui sunt Christi,* inquit, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Josue magnus ille Israëlitarum Dux, cùm in prælio quinque subjugâsset, & vivos captivâsset Reges Gentiles, eos sine mora omni posthabito respectu cruci affigi jussit: *Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.... percussitque Josue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites.* Observa hîc, Lector prudens, quia hæc omnia in veteri lege illis facta sunt in figura, nobis autem ad instructionem & correptionem; per hos quinque Reges antiquissimus Origenes rectè quinque sensus nostros humanos subaudit, quorum quilibet nos tentat, & super nos regnare discupit. Sed quid cum illis agendum? Respondeo: citò ad crucem, & ad patibulum: *Quinque Reges,* ait citatus Auctor antiquissimus, *quinque sensus corporeos indicant, visum, auditum, gustum, tactum, & odoratum, istos debes incessanter persequi, subjugare, premere pede, mortificare, & in crucem Christi denique agere &c.* Et sic victor in omni tentatione evades.

Jos. 10. 24. Origenes. hom. 11. sup. Jos.

Elephanti ad bellandum pigri ac tepidi, ut animentur, & acuantur ad prælium, sanguis uvæ & mororum ostenditur: *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prælium.* Si contra te, anime mi, immenet tentatio qualiscunque, ac præsertim carnis, & sensuale prælium, citò ostende elephanti tuo (corpori) sanguinem uvæ & mororum, hoc est, Sanguinem & Vulnera Christi JEsu Crucifixi, & exemplum SS. Martyrum ejus, qui ne se contaminarent, mille potiùs vitas, omnémque sanguinem voluerunt exponere. Dic proinde in simili occasione cum S. Bernardo: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Vel cum Josepho innocente: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

1. Machab. 6. 34. Gen. 39. 9.

7. Recordor hîc Adami proto-parentis nostri ab Eva in perniciem totius generis humani seducti: *Dedítque viro, qui comedit.* O pomum acerbum, ex quo adhuc obstupescunt posterorum dentes! Discant hîc viri non credere Evæ, hoc est, ait Didacus Stella, carni suæ, periculosas illecebras, & suave venenum propinanti, atque ad pomum, seu malum prohibitum à quo omne malum in mundum venit, invitanti: *Memento semper,* ait S. Hieronymus, *quòd paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.* Fuge, fuge.

Gen. 3. 6. S. Hieron. ep. ad Nep.

Joseph, quia Ægyptiam illam Putipharis uxorem quotidie se ad vitium provocantem generoso animo rejecit, à Deo mirum in modum exaltatus, & usque ad regale solium evectus est: *Qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras.* Ægyptia illa sollicitans ad turpitudinem & sensuales voluptates

Gen. 39. 12.

ptates caro tua est: hanc proinde te oportet contemnere, castigare, mortificare, subjugare, & fugere, ut ita dicam, à te ipso. Et quemadmodum lepusculus plebs invalida, à venatoribus agitata, ad sua recurrit antra & latibula; ita tu contra retia insidiantis Dæmonis, mundi & carnis, fuge ad SS. Vulnera Salvatoris tui, in quibus foraminibus optatum reperies auxilium. Vel imitare parvulos, dum nigrum caminarium conspiciunt, mox cum gemitu ad sinum matris suæ recurrunt: sic & tu, ubi insidias à diabolo teterrimo tibi structas advertis, sine mora ad Matrem tuam dolorosam, quam tibi in cruce moriens JEsus in Matrem legavit: *Ecce Mater tua*, recurre, sub cujus gratioso pallio ab ejusmodi infestationibus tutus eris: *Disce hîc*, subintrat ad exemplum dicti Josephi innocentis Cornelius à Lapide, *nullam tentationem, quantacunque ea sit, esse insuperabilem, téque inexcusabilem fore, si ab ea te superari sinas, cùm omnem, æquè ac Joseph, per Dei gratiam superare possis & debeas; præsertim si jugiter memor sis æternitatis & æternæ gloriæ, vel gehennæ. Certa pro æternitate.* Jo. 19. 27. Cornel. in Gen. 39. 12.

Samson, quia dilectæ Dalilæ suæ nimium faciles præbuit aures, ab ea turpem in modum fascinatus, dementatus, deceptus, captus & exoculatus est: *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput.* Hæc Dalila abblandiens caro tua est, ait memoratus Didacus Stella, si eam diligis, eique nimium credis, perdet te: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Judic. 16. 19. Rom. 8. 13.

Et nunquid cum Christo pretiosissimo Redemptore nostro duo latrones, fuerunt crucifixi: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris*? latro dexter, inquit Hugo Cardinalis, caro tua est, hanc oportet te crucifigere, ut cum dextro & pœnitente latrone aliquando audire mereris: *Hodie mecum eris in paradiso.* Latro autem sinister mundus est, qui Christo crucifixo insultare necdum hodie cessat, proinde etiam hunc mundum cum Apostolo debemus crucifigere: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Audis hoc, anime mi? Matth. 27. 38. Hugo Cardinalis in Marc. 15. 27. Gal. 6. 14.

8. Cæterùm sæpiùs hactenus miratus sum, quare S. Paulus Doctor gentium, & vas electionis inter tot decumanos labores & curas Apostolicas, nihilo secius à propria carne fuerit tentatus, ut subinde concupiscentiæ motus, libidinisque sentiret tentationes: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet?* Rogavit quidem ille iteratò Deum, ut hanc molestiam à se amoveret carnis tentationem, sed non aliam, quàm hanc à cœlo obtinuit responsionem: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* Deum immortalem! quare talis ac tantus Apostolus in oratione sua non fuit exauditus? & Quia hæc tentatio S. Paulo data est ad eum humiliandum: *Ne magnitudo revelationis extollat me*; nihil enim castas mentes ita humiliare assolet, ac carnis stimulus, qui illas non frangit, sed potiùs probat, 2. Cor. 12. 7.

bat, & continet, ut in timore & tremore salutem suam operentur. Accedit, quod similes carnis suggestiones viris justis non sint causa ruinæ, sed stimulus virtutis, & lapis Lydius, quo probatur purissimum veræ virtutis aurum; sic enim placet Deo, ut continuis virtutis & mortificationis actibus solidam, & invictam lucrentur continentiam, & coronam in cœlo immarcessibilem. Et quemadmodum etiam generoso equo calcar stimulum addit, ut fortiùs & animosiùs currat, ita omnis tentatio D. Paulo, & cæteris viris sanctis calcar fuit, ut animosiùs in virtute pergerent, quia virtus in infirmitate perficitur, & crescit adversis: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio*, ait sapientissimus Ecclesiasticus, & in alio loco: *Qui non est tentatus, quid scit?* In quem egregiè S. Gregorius Magnus: *Nemo*, inquit, *vires suas in pace cognoscit, si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt; improvidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Nemo scit, quantùm profecerit, nisi inter adversa, cùm enim adsunt prospera, cerni virium documenta non possunt. Feriamur paternis perturbationibus, ut, quantum proficimus, agnoscamus.*

Eccl. 27. 6.
Eccl. 34. 9.
S. Gregor. M. lib. 23. Moral. cap. 18.

9. Quando Isaac Patriarcha nunc morti vicinus Jacobum filium suum, ùt paternam & ultimam à pientissimo patre suo obtineret benedictionem, in caligine oculorum ad se accedentem advertit, ad eum dixisse fertur: *Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem, utrum tu sis filius meus.* Ita quoque Deus filios suos adoptivos, quos hæredes æternæ gloriæ suæ vult constituere, probare assolet: *Accede huc, ut tangam te, fili mi*, per varias tentationes Satanæ, mundi & carnis, per diversas tribulationes, anxietates, adversitates, odia &c. *& probem, utrum tu sis filius meus*; sic Jacobum tetigit & probavit: *Quia manus Domini tetigit me*; sic Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Sic Petrum mare calcantem, & ferè submersum: *Modicæ fidei, quare dubitâsti*: sic Apostolos, cùm motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: *Quid timidi estis?* Sic vinitor purgat palmites: *Ego sum vitis vera, vos palmites*: per quod ostendit discipulis Dominus, ait Theophylactus, quòd per tentationes & afflictiones fertiliores erunt, sicut per purgationem palmites. Sic agricola probat, agitat, flagellat, & ventilat in area triticum, quando adhuc est sordidum, & nondum satis politum ac probatum, unde S. Joannes dilectus Præcursor Domini: *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Agricola ille & ventilator Christus est omnium districtus Judex, ventilabrum illius est judicium, in quo omnes nostras cogitationes, verba & opera examinabit, & ventilabit; area est Ecclesia; triticum sunt pii ac justi per varias tentationes probati, proinde digni, ut congregentur in horreum suum, id est, in regnum cœlorum; palea sunt impii & reprobi, qui tentationibus non resistebant, sed sicut equus

Gen. 27. 21.
Job. 19. 21.
Tob. 12. 13
Matth. 14. 31.
Matth. 8. 20.
Jo. 15. 1.
Theoph. hic
Matth. 3. 12.

& mul-

& mulus suas explêrunt voluptates sensuales, quos comburet igni inextinguibili, hoc est, igne gehennæ. Quapropter, fratres charissimi, *nolite locum dare diabolo*; resistite illi, & fugiet à vobis: *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Ephes. 4. 27. Eph. 6. 13.

CONSIDERATIO XXIV.

De Occasione peccandi possibili vitanda.

Pro Dominica in Albis.

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit JEsus. Joan. 20. 24.

I.

NOn satis est confiteri tempore Paschali, vel per annum sæpiùs sua delicta, atque animitùs de eisdem ob offensam Dei dolere, sed oportet, ut & occasiones peccandi, ac denuo relabendi pro possibili devitemus. Quid juvat, si cum uxore Lothi in tempore de Sodoma & statu damnationis egressus es; & paulò post iterum post tergum tuum respicias? quid juvat, si pertransitô mari rubrô viam ad terram promissionis inchoâsti, & nunc rursus cum Hebræis ad Ægyptias carnium ollas anheles? Quid juvat, si manum ad aratrum misisti, & hodie de novo retrò respicias, ac novas vel antiquas inquiras peccandi occasiones? Qui basiliscì venenatum non fugit aspectum, quid mirum est, si ab eo inficiatur? Qui incurius accedit ad ignem, ab illo ut lædatur, necesse est; *& qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*; hinc sapientissimè monet æterna Patris Sapientia & Veritas Christus: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes.* Et quare sicut serpentes? Observa: serpens videns, vel audiens incantatorem, mox autem unam caudâ obturat, & alteram terræ affigit, ut incantatoris non audiat voces, cantilenas & fistulas, & sic in rete incidens præda illius fiat. Imitare & tu homo Christiane, hoc præclarum exemplum, obturans aures tuas, si se nova & mala peccandi offert occasio. Audi veritatem: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projici abs te; expedit enim tibi, ut* Gen. 19. 26. Exod. 19. 3 Luc. 9. 26. Eccl. 13. 1 Matth. 10. 16. Matth. 5. 29. 30.

ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Oculus tuus eruendus, & manus abscindenda, mala peccandi occasio est, & quidquid animæ tuæ saluti potest esse offendiculo; hunc, inquam, oculum erue & manum abscinde, si non æternùm velis perire.

Jo. 20. 24. Thomam incredulum hodie considera, qui *non erat cum eis, quando venit JEsus.* Videtur mihi Thomas, sicut columba seducta, de quo in spiritu vaticinatus est Oseæ Propheta: *Et factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Venerunt ad eum Discipuli narrantes: *Vidimus Dominum.* Quid ad hoc Thomas? *Non credam.* Venit Maria Magdalena, cui Dominus appa-

Oseæ. 7. 11

Jo. 29. 18. ruit in horto annuncians: *Vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* Quid rursus Thomas? *Non credam.* Venerunt & cæteræ piæ mulieres de sepulchro revertentes, & eadem faustissima nova referentes; quid ad ista Thomas? *Non credam.* O columba seducta, & à proprio columbario longissimè aberrans, atque ideo aucupis sibilô illecta facilè capienda, nisi benignissimus Dominus ejus misertus ad SS. Vulnera & petræ foramina eam invitâsset, ac de novo in fide solidâsset. Vide ex hoc, atque perpende, quid sit elongare se à Christo & bonorum societate, & alias quærere occasiones, in quibus vera salus non invenitur: *Fu-*

S. Ephrem. tom. 1. &c. *ge*, ait S. Ephrem, *scorpionem, cujus nosti stimulum; fuge serpentem, cujus exploratam habes perniciem. Qui secundò in eundem impegerit lapidem, cæcus est, aut mente captus.* Et de hac veritate, quomodo pravæ sint vitandæ occasiones, plura ad utilitatem nostram in præsenti Consideratione examinabimus.

Judic. 14. 6. 2. Quis fortior Samsone? à Deo erat destinatus liberator Israëlis; Leonem sibi in vinea occurrentem ausu prorsus generoso tanquam hædum dila-

Judic. 14. 19. ceravit; Ascalonitas tringinta ob totidem promissas sindones trucidavit; per

Jud. c. 15. 4. centum & quinquaginta faces ad trecentorum vulpium caudas alligatas, Philistinorum segetes succendit; mille de prædictis Philistæis ruptis funibus

Jud. 15. 3. maxillâ asini interfecit; alia vice de iisdem Philistæis Gazæ obsessus, ablatis

Jud. 16. 21. civitatis portis triumphavit: Mitto alia magnanima illius facinora. Hic ergo talis ac tantus, cui vix similem vidit orbis, summâ cum ignominiâ traditur in mortem, ligatur, exoculatur, incarceratur, molam asinariam ut jumentum trahere cogitur, ac tandem concussis duabus domûs columnis, & ipse sub mole ædificii perit. Et quæ causa talis ac tantæ ruinæ? Resp. Occasio mala,

Jud. 14. 7. quam cum Dalila stolidè amatâ non fugit: *Descendítque, & locutus est mu-*

S. Ambros. lib. 2. de pœnit. *lieri, quæ placuerat oculis ejus.* Unde rectè Divus Ambrosius: *Leonem*, inquit, *suffocare potuit, hostes suos declinare non potuit, quia Dalilam relinquere noluit.* Tales sunt, qui occasiones pravas & sociorum perversorum familiaritatem, ac quàm maximè mulierum, non vitant, imò de novo post factam pœnitentiam ambiunt, proinde à Deo derelicti in majora ruunt peccata, ac

tan-

tandem in infernum. O insensati! *Quid est miserius miserô*, ait S. Augustinus, *non miserante seipsum*? Tales similes sunt papilionibus, qui ad flammam accensæ de nocte candelæ tam diu volitant, & circumvolitant, donec adustis alis & ipsi in flamma hæreant, & in cineres redigantur. O brevis & damnosa voluptas! *Propter speciem mulieris*, ait Siracides, *multi periêrunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis ardescit.* S. Augst. l. 1. confes. 15. Eccl. 9. 9.

Ad Loth quondam dictum est: *In monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Supra quod S. Gregorius M. *In montem fugere est peccandi occasiones declinare.* Ita Moyses aulam Pharaonis fugit, ne in ea inter tot malas occasiones contaminaretur; unde S. Paulus: *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* Ita Joseph in occasione lubrica sibi ab adultera ad scelus subornata, potiùs fugam glorioſam, quàm carnis elegit illecebras: *Quô relictô in manu ejus palliô fugit, & egressus est foras.* Ita & Christus Dominus in lege nova voluit, ut post exsaturatam quinque panibus & duobus piscibus Hebræorum multitudinem Apostoli sine mora ad alium locum transfretarent: *Et statim coëgit discipulos suos ascendere navim, ut præcederint eum transfretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.* Et quare, dices, Christus tam citò ablegavit Apostolos suos, imò compulit, & coëgit eos ascendere naviculam? Resp. Cajetanus: Cavebat illis à consortio nocturno mulierum, quæ secutæ erant JEsum, & ab eo non tam eisdem panibus ac piscibus multiplicatis, quàm & verbo vitæ erant refectæ: unde rectè Trithemius: *Melius est*, inquit, *occasionem fugere, quàm incautè perire.* Et Hugo Cardinalis: *Occasiones peccatorum*, ait, *faciunt ruere in infernum.* Genes. 19. 17. S. Gregor. M. lib. 5. Moral. Hebr. 11. 24. Gen. 39. 11. Marc. 6. 45. Cajetan. in hunc. loc. Jo. Trith. l. 1. de tent. Relig. c. 10. Hugo Card. sup. Hier. c. 4.

3. Urgeamus hoc argumentum. Egreditur Dina filia Jacob & Liæ, dum circiter quindecim esset annorum, in Sichem civitatem, ut in festo solemni illorum Gentilium videret fœminas ac virgines sibi coævas, & ornatu suo amictas. Et quid accidit? Sichem filius Principis Hemor, ubi illius speciem, vultûsque gratiam conspicatus est, vehementer & perditè eam adamare cœpit, hinc eam rapuit, & infami stuprô fœdavit: *Vi opprimens Virginem.* En pessimum finem occasionis malæ non declinatæ! quod proh dolor! etiamnum hodie in nostris videmus regionibus, dum hoc tempore vernali liberè virgines cum juvenibus egrediuntur ambulatum; egrediuntur, inquam, Penelopes & regrediuntur Helenes; exeunt virgines & revertuntur meretrices. Gen. 34. 2.

Cùm Moyse Duce cunctus Hebræorum populus ex Ægypto ad terram promissionis, melle & lacte manantem, egredi voluit. Pharao quidem Ægyptio-

ptiorum Rex, tot à Deo castigatus plagis, in hac petitione consensit, sed pecorum dimissionem neutiquam concedere voluit: *Oves tantùm vestra & armenta remaneant*; Cui Moyses audacter in faciem: *Cuncti*, inquiebat, *greges pergent nobiscum; non remanebit ex eis ungula.* Et quare hoc? nunquid omnia hæc illis contingebant in figura? Audi homo Christiane, & ex hoc pro te sensum moralem accipe. Si hoc sacro tempore de Ægypto & servitute diaboli egressus es, atque viam mutando mores in meliores ad terram sanctam ac desiderabilem feliciter inchoâsti, oportet, ut & cuncti greges pergant tecum, & ex eis nec ungula remaneat in Ægypto. Audis hoc? *nec ungula*, hoc est, omnes remeandi occasiones, præsertim pravas, assuetas ac lubricas debes tollere, & relinquere, si non in pristinam relabi vis miseriam, ac tandem in æternam damnationem: *Non remanebat ex eis ungula.* Tolle causam, & effectus non sequetur: *Abscindat*, ait Mendoza, *pœnitens non peccata solùm, sed & affectus, propensiones & occasiones ad illa.*

Exod. 10. 24.

Mendoza in 1. Reg.

Hebræos illos, qui vitulum aureum conflârunt, & adorârunt, Moyses descendens de monte non tantùm occidit, sed & *arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quam sparsit in aquam.* Et quid ista perditio? & quid inter metalla omnia pretiosius aurô? Et nunquid Moyses ex massa illa aurea poterat cudere pecunias, & sic subvenire indigentibus? ad quid vitulum istum aureum in minutum contrivit pulverem, & sparsit in torrentem? Respondet Oleaster: Adverte prudentiam & pietatem Moysis: priùs in idolum, quàm in peccatores sævit, ut peccati radicem extirparet, & omnem pravam tolleret peccandi & relabendi occasionem, non enim sufficit destruere idolum peccati, sed & omnis circumstantia & occasio destrui debet.

Exod. 32. 20.

Oleast. in hunc loc.

4. Vidit quondam Sara Ismaëlem filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, ex quo lusu prudens illa mulier præsago spiritu mox collegit hanc societatem inter utrumque non ampliùs esse tolerandam; & ut præscinderet ejusmodi proximam conveniendi & ludendi occasionem, ad Abraham maritum suum accessit, impensè eum rogans, si non imperans, ut filium Ismaëlem unà cum matre sua è domo eliminaret: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Et quid peccavit Agar, quòd unà cum filio suo fuerit ejecta? De Ismaële advertunt interpretes, quòd Isaacum illuserit, vexaverit, imò & persecutus sit; & ne suo tempore ab illo omninò supprimeretur, voluit Sara, ut imposterùm ab illius consortio separaretur, ut omnis peccandi tolleretur occasio; Agar autem plures lites cum Sara Domina sua habuit, proinde ambo rectè domo Abrahami ejecti sunt. Verùm hîc non litteram, sed sensum moralem inquiro. Respondet Bessæus: *Non sufficit Ismaëlem, hoc est, filium peccati ejicere, nisi & matrem, hoc est, occasionem expellas.* Ita est; multi

Gen. 21. 9.

Bassæus in Quad. &c.

multi hoc tempore Paschali delicta sua confessi sunt, satisfactionem adimplêrunt, *lavarúntque stolas suas in sanguine Agni*; sed quid hæc omnia, si non vitatur peccandi & relabendi occasio? Apoc. 22. 14.

Populo quondam Hebræorum Pascha celebranti severè DEUS prohibuit, ne illo tempore pane fermentato, sed solùm azymo uterentur, quem ritum etiamnum hodie omnes observant Judæi: *Septem diebus azyma comedatis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris: Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël.* Et quare, dices, voluit DEUS, ut neque fermentum illo tempore Phaschali domi remaneret, & hoc sub pœna mortis? Resp. Pellezius & alii, ut omnis occasio & ansa peccandi contra hoc mandatum divinum præriperetur: tolle occasionem, & peccatum non fiet; experto crede Vati regio, sæpiùs Deum impensissimè roganti: *Viam iniquitatis amove à me.* Exod. 12. 15. Psal. 118. 29.

Samuel cùm populum prævaricantem ad veram ac seriam pœnitentiam peragendam cohortaretur, non præcepit, ut pectora percuterent, ad terram sese abjicerent, in lachrymas erumperent, jejunia continuarent, &c. Sed ut idola sua, quibus hactenus adhærebant, abjicerent & confringerent: *In toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri &c.* Et quid sequitur? *Servierunt Domino soli.* 1. Reg. 7. 3.

Hoc & Jacob Patriarcha, ut idolîs suam expurgaret familiam, fecisse legitur, dum Deos aureos Labani non confregit solùm, sed & in pulverem comminuit, ac sub arbore infodit: *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea subter terebinthum.* Et quare Jacob Deos illos aureos non in alium & meliorem convertit usum? cur non membra illorum & inaures pretiosas distribuit pauperibus? Resp. Angelus Pacciochelius, ut omnis esset præcisa occasio adorandi idola. Et Cornelius à Lapide in hunc locum: *Ne*, inquit, *quod supereſſet vestigium idololatriæ, útque suis ejus execrationem ingeneraret, discerémtque omnes idola abominari, quasi anathematha.* Gen. 53. 4. Paccioch. in Jonam. Cornel. hic,

Attendant hîc singulariter Confessarii, omnésque huc impendant nervos, ut occasionem malam, ac præsertim proximam pro viribus eradicent, secus pœnitentem non absolvant; nam occasio proxima inferni janua est. Stetit quidem Loth inter pessimos Sodamitas, Abraham Patriarcha inter Chaldæos infideles, & Job in terra Hus inter Gentiles innocens, sed rara hæc avis in terra nostra est, nigróque simillima cygno: *Fuge*, igitur, *dilecte mi, & assimilare hinnulo cervorum super montes aromatum.* Imitare lepusculum in occasione perdendi vitam à facie vertagorum insequentium ad notum sibi cubile & petræ foramen fugientem: *Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum.* Aut sequere columbam, à facie milvi persequentis ad ca- Cant. 8. 14. Prov. 30. 26.

Cant. 2. 14. cavernam maceriæ volantem: *columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* Recurre, inquam, ad Christum, & hunc crucifixum, petra est firmissima, & urbs fortitudinis; sequere ovis errans pastorem tuum, discipulus Magistrum, servus Dominum, ægrotus Medicum, Jerichuntinus Samaritanum, Prodigus patrem, Viator viam, Miles Ducem, Mendax veritatem, & mors vitam. En paratus est, ut in Cruce intra SS. Vulnera sua te profugum recipiat ac protegat. Et quis securior locus contra omnes hostium & malarum occasionum incursus?

5. Consulamus de hac veritate & novum Testamentum. Venerat aliquando ad pretiosissimum orbis Redemptorem adolescens quidam non infimæ conditionis, humiliter eum rogans, quatenus se in aliorum discipulorum numerum dignaretur suscipere. Et ut liberior atque ab aliis sæcularibus curis ac negotiis expeditior Christum posset sequi, hanc unicam à Domino petiit gratiam, ut sibi liceret adhuc priùs patrem suum modò defunctum Matth. 8. 21. sepelire: *Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.* Hunc juvenem existimat Clemens Alexandrinus fuisse Philippum, qui, ubi audivit patrem suum nunc vitâ functum, à Christo facultatem petiit, eum pro more gentis terræ mandandi, sed non impetravit: *JESUS autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et quare mitissimus Salvator huic juveni & discipulo supplicanti non dedit licentiam patrem suum sepeliendi? nunquid & ipse jubet. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram?* Observa, hîc Christum non mortuorum damnare sepulturam, quod inter insignia misericordiæ numeratur officia & opera, prout de Tobia Scriptura commemorat, sed per hoc voluisse insinuare, ut omnem occasionem sibi adolescens ille præscinderet denuò ad sæculum redeundi, qui jam in discipulum erat assumptus; unde Matthæus ait: *Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.* Audi & Cornelium: *Causa*, inquit, *est periculum, ne si mortuis, id est, infidelibus te immisceas, cum iisque converseris, efficiaris unus ex eis, ac moriaris mystice, fiásque infidelis.* Attendant hîc, quicunque manum suam ad aratrum vel Statûs Sacerdotalis vel Religiosi miserunt, ne respicientes retrò tanquam non apti à regno Dei excludantur; proinde omnis suspiciosa vitanda est occasio. *Auf-* S. Hieron. sup ep. ad Tit. c. 2. *fer*, inquit S. Hieronymus, *occasionem his, qui volunt occasionem*, nam occasio furem facit & mœchum, Achab consule, & Davidem, & innumeros alios, quos novisti.

Exod. 20. 12.

Corn. hîc in Matth.

6. Et adhuc dubitas? si columnæ firmissimæ ceciderunt in occasione peccandi; & tu fragilis arundo firmam te existimas? Petrum attende, Petrum considera. Ubi alii discipuli in captivitate Christi in fuga aliò dilapsi Matth. 6. 56. sunt; *Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt*, solus Petrus ex fuga novum re-

colli-

colligens animum JESUM à satellitibus captum, & ad Annam ac Caypham raptatum secutus est: *Petrus autem sequebatur eum à longè usque in atrium Principis Sacerdotum.* Matth. 26. 58. Siste hîc Petre, in hoc atrium pedem non infer, ah mala tibi timeo, ne hîc in scyllam & charybdim incidas. Et quit dico? *Et ingressus intrò sedebat cum ministris, ut videret finem.* Et quid accidit? *Non novi hominem.* Et Petrus priùs nullius sibi noxæ conscius, & amore Filii Dei fervidissimus, ubi se sceleratis inseruit Cayphæ ministris, & occasionem hanc pessimam non vitavit, tertiâ vice dilectissimum Magistrum suum negavit: *Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem.* Ecce, quid faciat occasio prava, si eam maturè non declinas, quæ suo pondere non ad unum, sed plerumque ad plura hominem incautum trahet peccata: *Sic Christiani nonnulli*, subintrat hîc Cornelius, *cùm lapsi sunt in fornicationem, vel crapulam, illico eam iterant, & frequentant, cogitantes jam lapsi sumus, labamur iterum, & voluptate eadem fruamur, quia eadem confessione & pœnitentia simul omnia abolebimus.* Cornel. hîc. O miseri! totô cœlô aberratis! Huc Petrum adegit occasio mala & impiorum societas, & tu firmior Petrô eris? & tu?

7. Venerat aliquando Christus universorum Dominus nec curru, nec equo vectus, sed pedes incedens, ut mollem expelleret servorum suorum vitam, ad civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, ubi ex itinere lassus, sicut sedere solent peregrini Viatores debiles ac pauperes, juxta fontem prætum potûs & refrigerii causâ consedit, interim discipulis commendans, ut in urbe ad victum necessaria coëmerent. Et ecce, illis abeuntibus venit mulier Samaritana, Photina nomine, quæ tandem & Martyr pro fide Christi occubuit, cujus caput Romæ in Basilica S. Pauli vidi; cum hac, inquam, fœmina mirabilem occœpit, & miscuit sermonem, in quo eam docuit non duntaxat Deum in spiritu & veritate esse adorandum, sed & se Messiam esse orbi à Patre promissum: *Ego sum, qui loquor tecum.* Et en, dum hæc fiunt, redeunt ex urbe Apostoli pane & vili aliquo obsonio provisi: *& continuò venerunt discipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Et quare mirati sunt, an humilitatem vel humanitatem Christi, quòd cum mulire paupere & alienigena loqueretur? Juvat hîc audire S. Cyprianum, qui hanc ad propositum nostrum subdit rationem: *Insolitum fuisse Christo seorsim loqui cum muliere, idque hoc fine, ut castitatis & honestatis omnibus fidelibus, sed maximè Clericis, Sacerdotibus, Prædicatoribus & Religiosis daret exemplum.* Subdit Cornelius textum Sapientis in medium adducens: *Deve stimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*, & ex eodem Sapiente: *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur;* proinde ejusmodi occasiones viro etiam forti pro possibili sunt vitandæ; hinc Christus nonnisi in publico & patenti cum hoc fragili sexu locutus est, unde mirabantur

Joan. 4. 5. Martyrol. 20. Mart. Joan. 26. S. Cyprian. cit. à Corn. hîc in Joan. Eccl. 42. 13. Eccl. 25. 33.

Apostoli, quòd hîc solus ad fontem sedens cum Phœnina miscuerit sermonem.

Cæterùm mirantur SS. Scripturæ Interpretes, quare Jacob fugiens Esau, & vadens in Mesopotamiam, post solis occasum non in urbe Luza, sed foris in patenti campo super durum lapidem voluerit indormire, & cùm à somno surrexit, in quo Deum scalæ innixum & Angelos per eam ascendentes & descendentes vidit, urbem illam non ampliùs Luzam, sed Bethel appellaverit: *Appellavítque nomen urbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur?* Et quare, dices, non in hac urbe Luza quietem ac somnum captavit, sed potiùs in campo, ubi se ferarum & ingruentium tempestatum, imò & latronum exposuit periculis? Resp. ut occasionem vitaret peccandi, erat enim hæc civitas Bethel gentilis, immunda & idolis serviens, unde à Prophetis per antiphrasin vocatur *Bethaven*, id est, domus idoli, vel iniquitatis; hinc maluit in campo super durum lapidem, quàm in urbe tam impia super dulcem culcitram dormire, ad instruendum nos, quòd servos Dei non mollis, sed durus lectus deceat, & qualiter illis fugienda sit omnis occasio mali: *Miraculum est*, ait S. Hieronymus, *in occasionibus non cadere, cùm homo ad casum sit pronus.* Proin homini Christiano præsertim post confessionem omnibus viribus fugienda est occasio, quæ à S. Chrysologo vocatur *Occasio fumans*: sicut enim candela recens extincta, & adhuc fumans admoto igne facillimè reaccenditur, ita qui post peractam pœnitentiam non vitat occasiones & periculosas familiaritates, æquè facilè ad pristinam reaccendetur peccandi consuetudinem. Quid ergo consilii in re tanti momenti? Dixi, & nunc iterum ac denuò dico vobis: *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.*

Gen. 18. 19.

S. Hieron. cit. à Pelez fol. 285.

S. Chrysol. serm. 116.

Jer. 51. 6.

CON-

CONSIDERATIO XXV.

De bono Exemplo Pastoris, & Subditorum sequelâ.

Pro Dominica 2. post Pascha.

Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joan. 10. 14.

1.

MAgnetem sequitur ferrum, succinum palea, feræ pantheram, pisces minores majorem, apes suum Regem, Miles Ducem, oves Pastorem, & subditus suum Superiorem; & quare nos non sequamur Christum, qui est *via, veritas & vita*? Joan. 14. 6. Gaudet autem pientissimus Redemptor noster specialiter hoc Pastoris titulo utpote sibi proprio ac suavissimo, proinde seipsum hodie appellavit: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Joan. 10. 14. David Pastor ex cruentis leonis & ursi faucibus raptas oves eruit: *Percutiebam, eruebámque de ore eorum &c.* 1 Reg. 17. 34. Christus oves suas non tantùm ex inferni faucibus eripuit, sed & pro salute earum vitam suam in pretium & redemptionis lytrum dedit. Jacob pastor de se ipso ait: *Die noctúque æstu urebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis,* Gen. 31. 40. ne raptaretur, aut periret ovis: plus laboravit Christus pro ovium suarum salute, dum non primam, sed ultimam sanguinis guttam pro eis exposuit: *Multa tulit, fecítque puer, sudavit & alsit.* Moyses oves sibi commissas in æstu meridiani solis sub opacam arborum umbram in deserto duxit: *Cúmque* Exod. 3. 1. *minâsset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Horeb.* Christus Dux Pastorum omnes sibi concreditas oves ad salutiferam Crucis umbram suaviter invitat: *Venite ad me omnes &c.* Matth. 11. 28. De qua umbra dilecta Sponsa testatur: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. 2. 3. Pastor bonus oves suas tenerè fovet, pascit esurientes, potat sitientes, ægrotas sanat, lupos fugat, errantes reducit, & ante eas vadit, dum ad meliora illas educit pascua: *Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur.* Joan. 10. 4. Hoc fecit & optimus Pastor Christus, propria Carne & Sanguine suas nutriens oves, eásque consolidans, ægras sanans, confractas alligans, & errabundas reducens, illísque in via virtutis bonô semper præcedens exem-

exemplô. Discant hîc Pastores omnes, & qui præsunt aliis, quomodo pari ratione suis ovibus ac subditis bonô exemplo præire debeant, ut eas ab interitu & gehenna conservent immunes: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum &c.* De qua veritate plura in præsenti.

ad Tit. 2. 7.

2. Si prima ac principalis rota in aliquo horologio bene ordinato rectè ambulat, & cæteras minores facilè secum trahet rotulas; si autem steterit, totum opus erit inutile. Primum mobile & rota principalis in Republica Christiana sunt Ecclesiastici, Episcopi, Parochi, Prælati, Rectores & Superiores, Magistratus Sæculares, Parentes &c. Si ejusmodi rota major bene ambulat, & in via virtutis præcedit, sequentur & minores subditæ: si autem hæserit, hæsitabunt & reliquæ, ac tandem tota Respublica dissipabitur. Ubi quondam Jacob virgas decorticatas ovibus in canali aquarum exposuit, & illæ similes variegatos & diversi colores conceperunt fœtus: *Posuítque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cùm venissent greges, ante oculos haberent virgas &c.* Ita, subintrat hîc doctissimus Didacus Stella, subditi majorum suorum exempla sive bona, sive mala imitantur.

Gen. 13. 18.

Israëlitis quondam ex Ægypto ad terram desiderabilem per desertum proficiscentibus columna nubis & ignis præcedebat, ibant illi, quomodo & quò movebatur columna, quando hæc steterat, & illi quiescebant: *Cernentibus universis, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi, stabántque ipsi &c.* Talis columna præcedens quilibet Superior suis est subjectis oviculis, si bonô ille præcedit exemplô, & ipsæ in via virtutum pergent alacriter; si verò steterit, & illæ stabunt malô illectæ, & deceptæ exemplo.

Exod. 33. 10.

Quando Josue quinque Amorrhæorum Reges oppugnare statuit, sol unius diei spatio immotus stetit: *Tunc locutus est Josue Domino in die, qua tradidit Amorrhæum, in conspectu filiorum Israël, dixítque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis.* Quæres hîc, an tunc temporis etiam alia cœli sidera in suo cursu steterint immota? Ita respondet doctissimus Tostatus Abulensis, Cornelius à Lapide, & alii, quia ordo à mundi creatione à Deo his cœlorum orbibus præfixus per inæqualem progressionem fuisset perturbatus. Sol quilibet est Superior, si hic bono præcurrit, ac prælucet virtutum exemplo, sequentur & reliqua sidera minora suum Regem; si autem in cursu immotus stabit, nec illa ampliùs progredientur. *Sicut ille,* ait S. Eusebius Emissenus, *valde admirandus atque laudandus est, cujus cursus multorum profectus est, ita ille meritò lugendus est, cujus vita multorum ruina est.* Et S. Augustinus: *Quantùm,* inquit, *ad pastores malos attinet, oves suas occidunt malè vivendo, malum exemplum præbendo.* Sed progrediamur ulteriùs.

Jos. 10. 12.

S. Euseb. Emiss. hom. ad Monach.

S. Aug. de pastor. c. 4

3. Joseph quondam mirabile somnium habuit, quod fratribus suis enarrans: *Vidi,* inquiebat, *per somnium quasi Solē & Lunam & Stellas undecim ado-*

Gen. 37. 9

adorare me. Supra quod egregiè Cornelius; Sol, ait, significat patrem, luna matrem, undecim stellæ indicant undecim fratres, Josephum aliquando in Ægypto aduraturos. En quia duo luminaria majora præibant exemplo, & stellæ, hoc est domestici, illorum secutæ sunt exemplum: *Senes*, inquit S. Augustinus, *debent exemplo imitatione digna ministrare, exemplo enim facilius suadent quàm verba.* S. August. sup. 1. Cor. c. 4.

Ubi Sardanapalus Rex Ninivitarum ex prædicatione Jonæ intellexit civitatem suam Niniven paulò post in condignam scelerum pœnam evertendam, ad Deum ipse conversus pœnitentiam agere cœpit: *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio, abjecit vestimentum suum à se, & indutus est saccò, & sedit in cinere*, quod illustre Regis exemplum sine mora universa civitas secuta est; & quid sequitur? *Et vidit DEUS opera eorum, qui conversi sunt de via sua mala; & misertus est DEUS &c.* O quanta vis boni exempli! *Unius exemplo*, ait S. Ambrosius, *plurimi corriguntur.* Jonæ. 3. 6. S. Ambros. l. 5. sup. Luc. c. 7.

Quando Moyses Dux & Legifer populi Israëlitici sicco pede mare rubrum cum omni exercitu pertransiit, exultans de tam prospero maris transitu & hostium submersione in laudes & hymnos Dei totus effusus est; quapropter læta & grata voce illud carmen epinicium intonare cœpit: *Cantemus Domino: glorioscè enim magnificatus est &c.* Quod canticum ubi populus à Duce suo præcinente audivit, mox omnes senes ac juvenes, imò & infantes adhuc ubera matrum sugentes juxta mentem S. Augustini secuti sunt, eundem hymnum alacri animo ac voce personantes: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem ejus dejecit in mare &c.* Vide hîc rursus, anime mi, quid bonum possit præstare exemplum: unde idem S. Augustinus: *Multùm provocant subditos facta Præsidentis; & exempla tantò digniora sunt imitatione, quantò excellentiora pietate.* Exod. 15. 1. S. August. lib. 1. de Civit. Dei c. 23.

4. In veteri quondam Lege præcepit DEUS, ut ignis perpetuus in altari à Sacerdotibus nutriretur: *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos sujiciens ligna manè per singulos dies, & imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum.* Quòd hæc facta sint illis in figura, & scripta sint propter nos, non est ambigendi locus; hinc rectè per istum ignem perpetuum S. Gregorius Magnus charitatis ignem in Deum nunquam in altari cordis nostri extinguendum intelligit. Sed quid sibi volunt ligna quotidie à Sacerdote subjicienda? Respondet ipse sibi sanctissimus ac Moralis Ecclesiæ Doctor, quòd per ejusmodi subministrationem lignorum bona charitatis exempla Patrum, Sacerdotum & Superiorum subaudiantur, per quæ fervor pristinus, & amor in Deum & proximum assiduò conservatur & augetur: *Tunc verè*, ait citatus Sanctus Pontifex, *aliis recta prædicamus, si dicta rebus & exemplis* S. Gregor. M. l. 15. moral. c. 1. S. Gregor. M. hom.

17. in Luc. 10. *plis ostendimus. Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat DEUS, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus &c.*

Erat David in præsidio, & spelunca *Odollam*, ubi vehementi cruciabatur siti; proinde in hæc verba prorupit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est Bethlehem.* Audiêrunt fortè hoc ingens Regis desiderium tres fortissimi milites, & ut suam in eum fidem ac promptitudinem probarent ipso insciо, per medios hostium cuneos penetrantes, hanc ei aquam attulerunt: *At ille noluit bibere, sed libavit eam Domino.* Et quare, dices, Rex aquam istam tantoperè priùs desideratam non bibit? Resp. Eucherius & alii, ut militibus simili siti laborantibus bonum & forte præberet exemplum: *Vicit*, inquit, *naturam ut sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quòd omnis exercitus disceret sitim tollerare.* Scilicet in vulgus manant exempla regentium: *Domine mi Rex*, dicebat quondam Bethsabeæ ad eundem Regem, *in te oculi respiciunt totius Israël.* Idem hoc dicere possumus ad Superiores omnes tum Ecclesiasticos, tum sæculares: *In vos oculi respiciunt omnis populi*, væ vobis, si malum præbetis exemplum! Ubi Jeroboam Rex Israël legem Dei prævaricatus est, post se universum populum ad idololatriam traxit: *Dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo.* O Europa! O Asia! O Africa! considerate, quæ & qualia damna per ejusmodi mala Superiorum vestrorum exempla sint in Ecclesia Dei secuta? Unde obsecro, tot hæreses, schismata, sectæ, scandala &c. nisi à malo regentium exemplo? Et nunquid *qualis Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea?* Perpende mores & propensiones subditorum, & reperies, quòd ut plurimùm ab exemplo ejusmodi Rectorum, quibus subjecti sunt, illos habere soleant; proinde non incongruè Divus Thomas Villanovanus: *Magnus Prædicator Rex; plus proficit verbô & exemplô, quàm omnes mundi Prædicatores.*

Eucher. hic.

3. Reg. 1. 20.

2. Par. 12. 1.

Eccl. 10. 2.

S. Th. Vill. Dom. 19. post. Pent.

5. Cùm Josue invictissimus Belli-Dux olim cum Arca Domini ad flumen Jordanis venisset, priùs Sacerdotes cum Arca fœderis præcedere jussit, & dein ad populum conversus dixit: *Vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes &c.* Sic facili conatu & omni deposito metu omnis Israël per Jordanem prodigiosè divisum duce Arcâ Dei & Sacerdotibus præeuntibus sicco pede pertransiit. En rursus perelegantem typum, quem sequantur Christiani omnes: *Nihil est*, sunt verba Concilii Tridentini, *quòd alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt.* Audi Poëtam Christianum:

Jos. 3. 3.

Conc. Trid. de Cleric. morib.

Verba movent, exempla trahunt; hinc optimus ille est,
Qui re cum verbis se probat esse pium.

Gedeon

Gedeon contra Madianitas pugnaturus trecentos milites suos tubas sonantes & lampades ardentes in manibus habere voluit, quibus hostes de nocte confunderent, & insignem ab eis victoriam reportarent, quod & factum est. *Tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini & Gedeonis.* Per tubas istas sonantes Evangelicam prædicationem Sacerdotum subaudi, de quibus Isaias Propheta: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Sed non sufficit Concionatori clamare verbis de pulpito, nisi & accensam lampadem manu teneat, hoc est, bonorum exemplorum & virtutum splendore fulgeat, unde pientissimus Salvator: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Judic. 7. 20. Isa. 58. 1. Matth. 5. 16.

Cæterùm mirantur SS. Patres, imò orbis Christianus, quare Christus Dominus tam serò suam inchoaverit prædicationem; erat enim tunc, prout observat Sanct. Lucas, *incipiens quasi annorum triginta*? Adverte, Anima Christiana, nihil docuit Christus, quod ipse priùs non fecit; priùs docuit per triginta annos labore & exemplo, deinde tribus ultimis annis verbo & exemplo simul: *Cæpit JEsus facere & docere.* Subintrat hîc S. Chrysostomus: *Nihil,* inquit, *Doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur; neque enim hoc Doctoris est, sed hystrionis & hypocritæ: ideóque Apostoli priùs vitæ exemplis docebant, deinde verbis, quin potiùs ne verbis quidem erat opus, cùm clamarent opera.* Tanta vis inest bono virtuosi hominis exemplo. Luc. 3. 23. Act. 1. 1. S. Chrys. hîc apud Cornel.

6. *Tolle virgam,* dicebat quondam Deus ad Moysen, & *congrega populum, tu & Aaron frater tuus.* Et quid sequitur? *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Observa hîc, Lector prudens; priùs Deus præcepit Moysi, ut ad eliciendam ex petra aquam manu virgam apprehenderet, & exinde, ut loqueretur ad petram. Et nunquid sufficiebat sola lingua ad aquam istam populo sitienti producendam: *loquimini ad petram.* Non litteram hîc, sed mysterium inquiro; per virgam istam & manûs extensionem operationem intellige ac bonum Sacerdotum, imò & laicorum, præsertim Superiorum exemplum: deinde ad petram, hoc est ad rebelles peccatores & legis divinæ prævaricatores te converte: *Loquimini ad petram,* ut & ipsi convertantur, & vivant: *Illius Doctoris,* ait Mellifluus Bernardus, *libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas, & si persuadere vis, gemendo id magis quàm declamando studeas oportebit; exemplum sanè tum in aliis multis, tum vel maximè hoc in negotio verbo efficacius est.* Num. 20. 8. S. Bern. in Cant. super illa verba: Vox turturis &c.

Ad domum Zachæi transeamus: Et quid audio à Christo Veritatis ore? *Quia hodie salus domui huic facta est.* Et quare domui, & non soli Zachæo? Luc. 19. 9.

chæo? Obſervat hîc Cornelius, Didacus Niſſenus & alii, quòd ad exemplum ſui heri omnes quoque domeſtici in Chriſtum crediderint, & pœnitentes juſtificati & ſanctificati ſint. Tantùm potuit unius Superioris exemplum.

Regulus ille, qui filium ſuum moribundum, & jam jam animam agentem domi reliquerat, & ad Chriſtum veniens impenſiſſimè eum rogavit, ut in domum ſuam dignaretur deſcendere, priusquam filius tam dilectus moreretur; ubi miraculum tam inſigne conſpicatus eſt, filium ſuum ſupernaturali Chriſti juſſu & virtute ſanatum: *Credidit ipſe & domus ejus tota.* Et quare domus tota? Adverte: Dominus domûs illius præibat exemplô, hinc ſecuti ſunt & cæteri, Chriſtum Deum Omnipotentem ac mundi Salvatorem, qui vitæ neciſque haberet dominium, fideliter credentes: *Ex virtuoſo,* ait Dionyſius Carthuſianus, *& exemplari vita Superiorum dependent profectus & ſalus inferiorum.*

Jo. 4. 53.

Dion. Cart. in Epiſt. 1. Petr. 5.

Quærunt Sacri Doctores, quare Chriſtus Dominus voluerit à Joanne baptizari: *Venit JEſus à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo?* Et nunquid ipſe erat Sanctus Sanctorum, qui peccatum non fecit, nec facere potuit, quare ergo baptiſmum petiit? Reſponſionem ab ipſo audiamus: *Sic enim decet nos omnem juſtitiam implere*; voluit enim exemplô ſuô omnes ad ſui allicere ſequelam; unde rectè hîc Cromatius: *Non ergo ſui causâ baptizari Dominus venit, ſed causâ noſtri, ut impleret omnem juſtitiam; juſtum eſt enim, ut quod quis docet alterum facere, prior incipiat: oſtendens, hoc eſſe omnem juſtitiam.* Et hæc cauſa eſt, quòd Eccleſia Dei quotidie Sanctorum feſta in Martyrologio celebrare ſoleat, ut eorum exemplô animati ad altiora aſpiramus, & tota virtute eorum actus imitandô proficiamus.

Mat. 3. 13.

Cromat. in hunc loc.

7. Occurrit hîc mihi (ut ex contrariis juxta ſe collocatis veritas eluceſcat magis) dives ille epulo, qui induebatur purpurâ & byſsô, & quotidie epulabatur ſplendidè, atque in cura ventris, tanquam homo atheus & Epicureus ſuam unicam ponebat felicitatem; ad quem & Lazarus mendicus abjectiſſimus & ulceribus plenus, omnique humanô præſidio deſtitutus venit, ut in miſeriis ſuis & fame extrema optatam inveniret opem: *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* O crudelem hominum inhumanitatem! O bruta, non homines! *nemo illi dabat,* ah nemo? Non ditiſſimus Epulo, qui nec aſpectu quidem hunc miſerrimum dignabatur mendicum; non illuſtriſſima & arrogantiſſima conjux, cujus delicatis oculis & auribus ulceroſus hic leproſus, non modicam cauſabat nauſeam; non cæteri convivæ illuſtres & adulatores aulæ, quibus egentiſſimus hic homuncio acrem movebat bilem; non famuli, aut ſervi, qui verbis, & fortè etiam verberibus à palatii foribus hoc vivens cadaver abigebant; non ancillæ

Luc. 16. 21

cillæ cubiculariæ, pediſſequæ & culinæ miniſtræ, quæ, ne ipſis ab homine tam deformi & exulcerato crearetur mephitis, illum execrabantur, & diris devovebant omnibus, cenſentes eum, quaſi percuſſum à Deo, tanta ob ingentia ſua pati ſcelera; non caculæ & agaſones, fex aulæ infima, qui pluris canes, quàm Lazarum habebant: *Et nemo illi dabat.* Ah nemo? unde, ô crudeles & impii homicidæ! *ſi non paviſtis, occidiſtis.* Sed unde, obſecro, tanta iſtorum aulicorum, palatinorum & domeſticorum inhumanitas, tanta crudelitas? In promptu cauſa eſt, ſubintrat in hunc Scripturæ locum doctiſſimus Sylveira; *Cùm Dominus familiæ eſſet avarus, omnes ejus ſervi avaritiæ ſtudebant, ut nullus ex eis pauperi vel micam daret.* En mundi ſtylum, & mali exempli exemplum; audi Hugonem Cardinalem: *Malum exemplum,* inquit, *non tam occidere dicitur, quam corrumpere.*

Sylveira hìc in Luc.

Hugo Card in Pſal. 36.

8. Ab Aula hujus divitis epulonis, cujus nomen erat *Nicenſis,* prout ait Euthymius, ad aulam regiam Herodis nos conferamus, Et quid video? conturbata ſunt omnia, Rex & Regina, aulici & plebei, Scribæ & Phariſæi, quando ab oriente Magi duce ſtellâ venerunt Hieroſolymam inquirentes: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum, vidimus enim ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum?* Et ſubjungit Scriptura: *Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.* Cæterùm quòd Herodes hoc inexpectatum nuntium animo prorſus perturbato & perplexo à Magis audiêrit, non equidem miror, quia homo erat Idumæus, ambitioſus, & regni Judaici, quod per fraudem invaſerat, cupidiſſimus retentor; in quem finem? ne aliquando ab hoc regno deturbaretur, omnes legitimos regni hæredes partim dolo, partim aperta vi occidit; & quia nunc nato Meſſia hærede legitimo, & Rege Judæorum idem regnum Judææ ſe perditurum metuebat, ideo mirum in modum ex adventu Magorum conſternatus eſt: *& quid mirum,* ſubinfert hîc S. Auguſtinus, *ſi naſcente pietate turbatur impietas?* ſed quòd etiam omnis Hieroſolyma cum illo pariter fuerit conturbata; in admirationem me rapit inſolitam. Ad quid, quæſo, iſta populi conſternatio, ubi Salvator eorum, Dux ac Legifer manſuetiſſimus in lucem natus eſt? *Rex iſte,* ait Fulgentius, *non venit Reges pugnandô ſuperare, ſed ut in eum mundus fideliter credat.* Proinde gaudere debuiſſent omnes juxta illud Angeli ad Paſtores effatum: *Nolite timere, ecce etiam evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator.*

Matt. 2. 2.

Corn. hìc.

S. Aug. ſer. de innoc.

S. Fulg. ſer. 1. de Epiſt. Luc. 2. 10.

Cauſam hujus communis populi Judaici perturbationis aſſignant Patres & S. Scripturæ Interpretes peſſimo hujus peſſimi Regis exemplo; qualis enim Rex, talis grex; erant enim tunc homines ſubditi cum ſuo Rege cupidinibus, ac vitiis addictiſſimi, ambitioſi, vacantes commodis, & indormientes deliciis; quia pax erat in univerſa terra, proinde non cogitabant

de adventu Messiæ, quòd ille (prout Jacob moriens filiis suis prædixerat)
Gen. 49. 10. translatô à Juda sceptrô jam natus esset: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium*; hinc meritò cum impio Rege, cujus exempla imitabantur, à Deo ca-
S. Greg. M. l. 9. in dict. 15. c. 171. stigari, & se ipsos & regnum perdiderunt: *Sæpe*, ait S. Gregorius M. *ex culpa præsidentium deterior fit vita subjectorum, & mala actio præsidentis valde nocet subditis.* Finem dictorum facio.

Cùm Pilatus videret JEsum ab Herode ad se remissum, alium è manibus Judæorum eum liberandi modum adinvenit; in quem finem circumfusæ multitudini & JEsum & Barrabam latronem propositi, ut in illo Paschate pro
Matth. 27. 17. more unum eligerent liberum dimittendum: *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis, dimittam vobis? Barrabam an JEsum, qui dicitur Christus?* Quis hîc dubitâsset, anima Christiana, de liberando JEsu, qui tot illius populi infirmos curavit, panibus refecit, mortuos suscitavit, & alia sexcenta illis
Jo. 18. 40. Matth. 27. 20. præstitit beneficia? sed alium subaudio universæ turbæ clamorem: *Non hunc, sed Barrabam.* Et quare obsecro, populus ille potiùs Barrabam, quam JEsum petiit dimittendum? Audi Evangelistam: *Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis, ut peterent Barrabam, JEsum verò perderent.* O pessimum illorum Pontificum, Seniorum, Sacerdotum, Superiorum ac parentum exemplum! præclamantibus illis: *Crucifigatur*, mox omnes unanimi voce secuti sunt! *Dicunt omnes: Crucifigatur.* Si vidisset populus ille, quòd à Principibus suis ac Senioribus patrocinium Christi susciperetur, omnes quoque
Trith. de just. vit. Sacerd. c. 1. mutâssent sententiam; unde rectè Joannes Trithemius? *Nihil*, inquit, *sic juvenibus nocet, quemadmodum prava exempla seniorum.* O Christiani omnes, hîc,
S. Aug. in Psalm. 50. quæso, attendite, ut quilibet proximo suo bonum præbeat exemplum, quia cuilibet de proximo suo mandatum est. Finio cum S. Augustino:

Exemplum præbete bene vivendô.

CON-

CONSIDERATIO XXVI.

Consilium à Deo & Viro prudente petendum.

Pro Dom. 3. post Pascha.

Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit modicum? nescimus, quid loquitur. Joan. 16. 18

1.

ITa sapientissimus Deus, qui omnia suaviter in suum disponit finem, ordinavit, ut in hac mortali vita in via salutis æternæ nemo sibi dux & magister sufficiens esse possit, sed alterius, ac comprimis Dei & legis, & insuper viri prudentis indigeat subsidio: *Ne innitaris*, inquit Sapiens, *prudentiæ tuæ: in omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.* Et quis, obsecro, sapientior Salomone? sed quia recta à Deo subministrata non admisit, neque secutus est consilia, à Deo derelictus in cana senectute *infatuatum est cor ejus, ut sequeretur Deos alienos.* Quis prudentior & sanctior Davide? Sed quia propriæ innitebatur humanæ prudentiæ, per novem menses in turpissimo adulterii cœno excœcatus hæsit, donec à Nathan Prophetа & amico fidelissimo ad meliorem redactus est frugem, cujus si consilia non fuisset secutus, sine dubio æternum animæ fecisset naufragium. Quis in lege magis erat peritus, quàm Saulus, postea Paulus? An non fuit naturæ prodigium, stupor gentium, Judæorum terror, servus Dei electus & prædestinatus, ac vas electionis, ut portaret nomen JEsu coram gentibus? his tamen non obstantibus, missus est ad eum Ananias unus è 72. discipulis Christi, ut ei rectum suggereret consilium, viamque doceret salutis: *Et abiit Ananias, & introivit in domum; & imponens ei manus*, dixit: *Saule frater, Dominus misit me JEsus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto &c.* Supra quod doctissimus Sylveira: *DEus*, inquit, *de cœlo vocavit Paulum: tamen ut informetur de rebus agendis, non per se illum instruit, sed ad Ananiam mittit, ut seniorum consilia petamus, nec putemus, à solo Deo nos docendos.*

Prov. 3. 5.

3. Reg. 11. 4.

2. Reg. 12. 9.

Act. 9. 17.

Sylv. hic q. 13.

Ex quibus patet, quàm periculosum sit velle esse sciolum, ac propriæ in rebus agendis, præsertim quæ æternam concernunt animæ salutem, inniti prudentiæ, cùm virtus sine magistro non addiscatur; unde rursus monet Sapiens: *ne sis sapiens apud temetipsum*, qui enim propriæ inniti solent prudentiæ, in fine

Prov. 3. 7.

Corn. hìc. tandem experientur, turpiter se esse deceptos. Et hic fons est, ait Cornelius, omnium errorum ac hæresium, quòd scilicet eorum auctores visi sibi sint præ aliis sapere, & Ecclesiæ Doctorúmque sententiis noluerint cedere, & credere; Quapropter vera & Christiana sapientia modesta est & humilis, atque seipsam ignorans & aliorum Sanctorum & Prudentum acquiescens consiliis. Exemplum hujus veritatis hodiernum nobis subministrat Evangelium, dum di-
Jo.16.16. lecti Christi discipuli, ubi ab ore veritatis audiebant: *Modicum, etiam non videbitis me &c.* Inter se habuerunt conferentiam, quidnam hic loquendi modus sibi vellet, & quid mitissimus Salvator per hoc voluerit insinuare? proinde præ discendi aviditate, & quia grande sub hoc censebant subesse mysterium, modestissimè inter se interrogabant: *Quid est hoc, quod dicit modicum? nescimus, quid loquitur.* Observa hîc prudens Lector, quomodo discipuli illi non erubuerint confiteri suam ignorantiam, ut à Magistro veritatis meliùs in via salutis edocerentur, & ab illo sanum ac securum capesserent consilium. Imitemur & nos illorum exemplum, & sine consilio Dei, aut Legis, aut viri
Tob. 4.19. prudentis nihil grave in salute animæ nostræ statuamus: *Consilium*, ait Tobias Senior ad juniorem, *semper à sapiente require. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Plura de hac veritate in præsenti consideratione. Si amas salutem tuam, attende, & imitare.

Prov. 14. 12. 2. Rectè Sapiens: *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Proinde probo ac prudente indigemus consultore & monitore, qui nobis in tot, ac tantis periculis constitutis veram ac rectam salutis demonstret semitam. Similitudinem capesis à viatore inter densas noctium umbras à vero tramite aberrante, & nunc huc, nunc illuc anxiè declinante, ne in fossam, aut in aliud labatur præcipitium, & sic vitæ extinguat scintillam. In via es, ô Viator, quisquis es, seu ad felicem, seu eheu ad infelicem, milliesque infe-
Eccl.9. 12. licem æternitatem, non datur hîc effugiendi locus; & quia *homo nescit finem suum*, nec utrum amore vel odio dignus sit, ideo inquirendus est dux, comésque fidelis, cum quo tua conferas consilia ac negotia. Dux ille & consultor optimus est cumprimis ipse Deus. Audi Scripturam. Rebecca ubi advertit in
Gen. 25. 22. utero suo parvulorum collisionem, sine mora *perrexit, ut consuleret Dominum.* Moyses in rebus dubiis pro consilio ad Deum confugit. *State, ut consu-*
Num. 8. 9. *lam, quid præcipiat Dominus de vobis.* David inter varia constitutus discrimi-
1. Reg. 23. 4. na pro more suo ad Dominum recurrit, ut ab eo tutum capesseret consilium: *Rursum ergo David consuluit Dominum &c.* En pulcherrimum exemplum, quod imitentur Superiores, Principes, Prælati, Magistratus, Pastores, Parentes, imò Christiani omnes, ut in rebus arctis, dubiis & animæ negotium concernentibus sæpiùs ad Deum per oratione recurrant, ut ab eo, tanquam fidelissimo con-

sul-

sultore edoceantur: *Revela Domino viam tuam, & spera in eo; & ipse faciet.* Ps. 36. 5
Observa, *ipse faciet*, quod singularem monstrat emphasim, hoc est, non Angelos, non homines, non alias adhibebit creaturas, ut rem, quam petis, faciat, sed *ipse faciet*, & præstabit postulata, qui est omnipotens, & apud quem non est impossibile omne verbum. Susannam considera in propulsatione calumniæ ad Deum pro consilio recurrentem, *quæ flens suspexit ad cœlum; erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*; cui mox benignus Dominus auxiliarem manum porrexit, & innocentem ab omni calumnia ac lapidatione liberavit. Dan 13. 35.

3. Vult insuper pretiosissimum Numen, ut & consiliô ac operâ virorum prudentum & piorum in tractando animarum nostrarum negotio utamur, sine quorum consilio nihil grave statuamus: *Ubi enim non est gubernator*, ait Sapiens, *populus corruet, salus autem, ubi multa consilia.* Et quis, obsecro, non miretur, si attentiore mente perpendit, quòd ipsa Veritas & incarnata Sapientia Christus dilectos discipulos suos sæpiùs in consilium vocaverit, quidnam in hac, vel illa re esset agendum? Quod satìs luculenter patet ex illo insigni miraculo, ubi in deserto septem panibus & paucis piscículis quatuor hominum millia extra parvulos ac mulieres cibavit: *JESUS autem convocatis discipulis dixit: Misereor turbæ, quia triduò jam perseverant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Ad quam interrogationem variè respondebant discipuli, rem humana metientes ratione: *Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Pientissime JESU! ad quid Apostolos tuos hîc in conlium convocâsti? an non ipse sciebas, quidnam esses facturus? Prov. 14. 15. Matth. 15. 32.

Respondet in hunc Scripturæ locum D. Hieronymus, ideo Christum suos discipulos convocâsse in consilium, ut omnibus Principibus, Rectoribus, Prælatis, ac Superioribus, tum Ecclesiasticis, tum Laicis luculentum præberet exemplum, quomodo & ipsi pariter sine prudenti ac maturo habito consilio nihil in utroque foro statuant: *Christus*, ait S. Vincentius Ferrerius, *æterna Sapientia quæsivit consilium à Philippo, cùm tamen ipse esset simplex, ut per locum à majori argueremur. Christus petiit consilium ab hebete, quo non indigebat, ut nec nos vereamur consilium petere pro veritate inquirenda etiam à simplicibus.* S. Hieron. in hunc loc. S. Vincent. Ferr. s. 1. Dom. 4. Quadr.

4. Recordor hîc Moysis Hebræorum ducis ac legiferi eorum, Viri alioquin illuminatissimi, & ab ipso Deo instructi, qui, nisi bonum prudénsque consilium à Jethro socero suo, licèt alienigena & Gentili, subministratum acceptâsset, ut videlicet in dijudicando populo tam numeroso non solus judicem ageret, sed & alios insuper idoneos Justitiæ administros seligeret, qui partem oneris ejus portarent, sine dubio & se & populum destruxisset, & brevi temporis intervallo ob decumanos & assiduos labores consumpsisset: *Quòd cùm vidisset* Exod. 18. 14.

dissèt cognatus ejus, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait: quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam? Non bonam rem facis; multo labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est &c. Adverte hìc, prudens Lector, quod paulò post sequitur: *Quibus auditis Moyses fecit omnia, quæ ei suggesserat, & electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos Principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, decanos, qui judicabant plebem &c.* Vide ex hoc, quomodo nullus mortalium sibi solus in omnibus sapiat; proinde audiendi sunt & illi, qui saniora submini strant consilia, & licèt subditi sint ac conditione inferiores, si tamen quid melius tibi suggerunt, audi & sequere: *Consiliariis,* ait Sanct. Chrysostomus, *omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint, multa enim sunt, quæ magni & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parvi, abjectique scirè solent.* Et nunquid

S. Chrys. hom. de ferend. reprehens.

Sæpè etiam est olitor verba opportuna locutus?

Ita quondam Pharao Ægyptiorum Rex Josephum fidelissimum, intimumque adhibuit consiliarium, quia benè & providè universo regno ob imminentem famem, & annonæ caritatem consuluit, sine cujus impostèrum consilio nihil ampliùs decrevit, nihil ampliùs statuit: *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus &c.* Assuerus potentissimus Persarum Rex, & tot provinciarum Dominus nihil gravis momenti sine suis agebat Consiliariis: *Interrogavit Sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum cuncta faciebat consiliò, scientium leges ac jura majorum.* Jacob adolescens si matris suæ Rebeccæ consilium non audiisset, vel ad tempus illud distuliisset, ad benedictionem paternam tam largam ac benignam & ad primogenituram non perveniisset, sed omni vitæ tempore servus Esau fratris sui debuisset permanere. *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis &c.* Quibus addo Ecclesiasticum: *Fili,* inquit, *sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit.*

Gen. 41. 37.

Esth. 1. 13.

Gen. 27. 8.

Eccl. 32. 24.

§. Et quid dico? an non ipse Deus T. O. M. hominem de limo creaturus priùs inter tres SS. Trinitatis personas consilium iniit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?* Observa hîc singularem loquendi modum, in quo DEUS Pater Filium suum ac Spiritum Sanctum, quasi suos Collegas & ejusdem secum naturæ, potentiæ & operationis alloquitur: *Faciamus &c.* Quasi diceret, ait Cornelius: Creemus hominem capacem consilii cum consilio, ut ipse à nobis, imò à sui creatione discat omnia agere cum consilio. Et hæc quoque causa est, subintrat hîc S. Ambrosius, quare potentissimus Deus in creando mundo sex dies insumpserit, cùm in momento sexcentos, & plures poterat producere? Et respondet sibi Sanctissimus Doctor, ut nos doceret, quando nihil temerè & sine delectu ac consilio debeamus

Gen. 1. 26.

Cornel. in Eccli. 32. 24.

S. Ambros. Enarrat. 2. in Gen.

mus agere. Hinc rectè Sapiens: *Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia.* Prov. 12. 15.

Bonum consilium dedit Loth generis suis: *Surgite, egredimini de loco isto; quia delebit Dominus civitatem hanc.* Sed quia illud non sunt secuti, justo Dei judicio in illo Sodomæ incendio periêrunt. Bene consuluit Daniel Nabuchodonosori Regi Babylonis: *Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Sed quia huic prudentissimo non acquievit consilio, meritò in brutum mutatus est. Optimum consilium suggesserunt senes Regi Roboamo Salomonis filio, nunc post obitum parentis ad regium solium evecto: *Qui dixerunt ei: si hodie obediêris populo huic, & servieris, & petitioni eorum cesseris, locútusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus.* Sed quia hoc senum ac prudentum virorum consilium aspernatus juvenum consilia amplexatus est, magnam regni partem, & vix non omnia perdidit. O quot regentes etiamnum feliciter regnarent, si prudentum parerent consiliis, sed quia plerumque adulantium sequuntur voces, sibi ipsis ac subditis suis accelerant exitium, & apud posteros infamiam nunquam delendam. Discant hìc omnes Divini Verbi ac præsertim Patrum spiritualium & piorum, prudentúmque virorum sectari consilia: *Sacra quædam res est consilium*, ait S. Basilius, *voluntatum unio, fructus dilectionis, humilitatis insigne. E diverso intolerabilis est superbiæ argumentum, existimare, (se nullius egere consiliô, sed sibi uni attentum esse, quasi solus possit sibi consiliô decernere, quæ optima sunt.* Genes. 19. 14. Daniel. 4. 24. 3. Reg. 12. 7. S. Basil. in Isa. c. 1. ad v. 26.

6. Talis homo, qui monitorem suum spernit, vel quem nemo monere audet, similis est equiti, sine fræno & habenis equo indomito insidenti, & per præceps in manifestum ruenti exitium. O pestis exitialis proprium hominis capitosi judicium, qui illud Machiavelli pro sua regula elegit: *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas;* ò pestis exitialis, quæ tot regiones ac populos evertit, & in tartarum ablegavit; & utinam hæc lues non etiamnum plurimorum secularium & pseudopoliticorum invaderet animos; quid dico secularium? quàm multi sibi videntur pii, justi, devoti, sinceri ac religiosi animi, quos si fortè defectibus occurrentibus mones, potiùs exasperare, quàm ædificare assoles. Audiant fanatici illi monitum Sapientis: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis; in via ruinæ non eas, & non offendes in lapides &c.* Eccl. 32. 24.

Recordor hìc duorum Regum, quorum & Scriptura meminit, à via DEI & salutis æternæ longissimè aberrantium; Asa ille est, & David, uterque Rex Israëlitarum, uterque peccator, uterque à Propheta monitus, ut resipisceret, & ad frugem rediret. David Nathani fidelissimi monitoris sui consilium audiit, & vicissim audire meruit: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* Asa bonum consilium ab Hanani Propheta Domini subministratum contemnit, & à DEO contemptus miserè perit: *Venit* 2. Reg. 12. 13. 2. Par. 16. 7.

Hanani Propheta ad Asa Regem Juda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo; idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua &c. Et paulò post: *Stultè egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversùm te bella consurgent &c.* Vide hîc, ac perpende, anime mi! quanti interfit fidelem habere, & sequi monitorem, unde rectè Tobias: *Omnia consilia tua in Deo permaneant.* Tob. 4. 20.

7. Dives ille, cujus quondam ager uberrimos fructus tulerat, de nocte intempesta, ubi curis absorptus sæcularibus dormitare non poterat, multa secum de destruendis & reædificandis majoribus horreis, fructibúsque in sequentes annos reponendis, pensare, trutinare & ruminare cœpit: *Quid faciam*, inquiebat intra se, *quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Tandem hanc resolutionem capessit: *Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Et quid accidit: *Dixit autem illi DEUS: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parâsti, cujus erunt?* O fulmen tremendum! quæ causa est, quòd hic dives à Christo æternùm fuerit reprobatus? Observat in hunc locum Divus Basilius, quia præter se ipsum nullum alium vocavit in consilium, non Deum, non amicos, non prudentes monitores, quos si consuluisset, sine dubio illi de subministranda pauperibus eleemosyna, qua Deum iratum placaret, & gehennam extingeret, consilium dedissent: *Sic est*, subinfert hîc Christus, *qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives &c.* Luc. 12. 17. S. Basil. hom. 6.

Magna quondam inter Scribas & Legis peritos tempore Christi, in carne versantis, ventilabatur controversia, quodnam primum ac maximum in lege Mosaica censeri debeat mandatum? Multi, imò plures tunc erant, qui existimabant primum ac supremum mandatum esse Deo immolare & offerre sacrificia ac victimas, quibus propriè DEUS ut summus omnium colebatur Dominus; Alii verò & meliùs præferebant amorem Dei & proximi, quia nobilius esse asserebant Deum ex toto corde diligere, quàm ei immolare sacrificia & victimas. In quem finem aliquando ad pientissimum Redemptorem nostrum Scriba quidam, ut ex hoc scrupulo sese enodaret, accessit, impensè ejus exquirens consilium, quidnam, hac in re & quæstione securiùs credendum, cui mitissimus Servator benignè respondit: *Audi Israël, Dominus DEUS tuus DEUS unus est.* Ubi mox subjunxit: *Diliges Dominum Deuum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum; secundum autem si nile est illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.* Hanc sapientissimam rationem ac divinam responsionẽ ubi legis ille Doctor ex ore Christi intellexit, illam summoperè commendans subjecit: *Benè, Magister,* Marc. 12. 19.

gister, in veritate dixisti, quia unus est DEUS, & non est alius præter eum, & ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine; & diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis. Pulcherrimum ab homine Judæo responsum, hinc non immeritò à Christo laudatus est: *Non es longè à Regno Dei.* Ex quibus prudenti Lectori abundè & luculenter patet, quàm bonum, imò & quàm necessarium sit in rebus præsertim dubiis, ac magni momenti, aut salutem animæ concernentibus, consilium à Patre spirituali, aut alio homine sapiente, Deúmque timente exquirere, & non proprio inniti judicio, quod plerumque præsertim in re propria fallit; plura enim duo oculi vident, quàm unus: *Ibi,* ait S. Ambrosius, *bonum consilium, ubi est Dei verbum;* & S. Hieronymus: *Consummatæ sapientiæ est, ad omnem factum præferendô consilium, nihil facere, quod fecisse pœniteat.* S. Ambros. in Ps. 45. S. Hieron. ap. 1. ad Dem.

8. Cæterùm sæpius hactenus miratus sum, quare Reges & Principes, Comites & Illustres, imò & ipsi in Ecclesia Dei Prælati plerumque hunc titulum in publicis suis litteris adhibere & præfigere soleant: *Nos Dei gratiâ &c.* Et quare nos, & non ego, cùm una sit persona regnans ac imperans subditis? Ratio est, quia ejusmodi Superior per hoc insinuare discupit, quòd non solus hoc vel illud decretum, aut legem fecerit, nisi cum prudente desuper habito doctorum virorum consilio? proinde ejusmodi Regentes per *Tò Nos* voluit dicere: Ego & Consiliarii mei pro bono publico hoc statuimus &c. *Ad res magnas considerandas,* ait Aristoteles, *alios ad consilium adhibemus, nobis ipsis diffidentes, quasi minùs ad eas dispiciendas ad judicandas idoneis.* Si hoc in temporalibus ac rebus transitoriis, quid ergo in spiritualibus, & æternam animæ nostræ salutem concernentibus? Aristoteles l. 3. de moribus.

Samuel ubi vocem Domini de nocte tertiò se vocantem audiêrat, sine mora ad Heli Pontificem pro capessendo & sequendo consilio bono cucurrit: *Ecce ego, quia vocâsti me.* Imitare & tu, anime mi, hoc illustre exemplum, & Deum ac Scripturam piúmque adhibe & elige Confessarium, aut Patrem Spiritualem, qui tibi recta, sana & utilia suggerent consilia! tales enim fideles monitoris ungunt & pungunt, quod Christus cum Photina muliere Samaritana fecit, dum eam priùs, antequam moneret, ac corrigeret, nonnihil collaudavit: *Bene dixisti: Non habeo virum,* & exinde suaviter ac placidè eam corrigens subjunxit: *Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est vir tuus:* quæ bonum amplexa consilium post hæc vitam sanctam duxit, & tandem pro Christi fide cum duobus filiis Josepho & Victore Martyr occubuit: econtrà adolescens ille dives, qui consilii capessendi causâ ad Christum venerat, dicens: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Cui mitissimus Servator hoc suggessit consilium: *Si vis perfectus esse, vade & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo,* 1. Reg. 3. 9. Joan. 4. 17. Matth. 19. 16.

cælo, & veni, sequere me. Sed quia adolescens ille Evangelicum hoc consilium, licèt cæteroquin pius, virtuosus ac legis observantissimus fuerit, ipso facto secutus non est: *Cùm audisset autem adolescens, abiit, erat enim habens multas possessiones*, à gratia divina desertus inter ipsas divitias & sæculi voluptates tandem miserè periisse creditur, quod sequentia Christi verba abundè indicant: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum; & iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum.* Quid ergo consilii in re tanti momenti? Audi pro coronide sapientissimũ Ecclesiasticum: *Cor boni consilii statue tecum.*

Eccl. 37. 17.

CONSIDERATIO XXVII.

De paterna & fraterna correctione proximi.

Pro Dominica 4. post Pascha.

Arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio.
Joan. 16. 8.

1.

Prov. 15. 32. RECTÈ monet Regum sapientissimus: *Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Ex quo sequitur, quòd paterna aut fraterna erga delinquentes correctio sit summum animæ bonum, quia hominem docet, illuminat, & in virtutis semita perficit; qui verò ejusmodi correctionem ac disciplinam despicit & odit, se ipsum despicit & odit, & magnis passibus ad æternam properat damnationem; proinde *quod est aratrum agro* (utor verbis Cornelii à Lapide) *surculos horto, lima ferro, lixivium panno, fornax auro, pecten capiti, carminatio lino, tritura tritico, frænum equo, cauterium vulneri, pharmacum febri, virga puero, hoc est disciplina homini carnali, & vitiis addicto.* Hinc & ipsa Veritas Christus nobis non duntaxat fraternam suasit & consuluit correctionem, sed & particulari præceptô eam præcepit, quia est actus charitatis, & ad proximi emendationem ordinarus: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solùm; si te audiêrit, lucratus eris fratrem tuum &c.* Supra quod S. Augustinus: *Si negligis corrigere, pejor factus es eo, qui peccavit.* Hìc attendant Superiores negligentes.

Cornel. hìc.

Matth. 18. 15.

S. August. serm. de Verb. Dom.

Hodie

Hodie in Sacro Evangelio Christus Dominus post suum ex hoc mundo discessum Sanctum quoque Spiritum non tam paraclitum, quàm & correctorem promisit: *Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, de justitia, & de judicio.* Et quare, dices, ad hoc odiosum exercendum officium non constituit mundi correctores Angelos & Archangelos? Cur non Cherubinum illum, qui gladiô ignitô atque versatili proto-parentes nostros è paradiso eliminavit: *Ejecítque Adam; & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ?* Cur non illum Angelum, qui tempore Davidis Israëlitis pestem inflixit: *Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam &c.* Quare non Angelos illos, qui Sodomam subverterunt, Ægyptios castigârunt, & Heliodorum multis plagis flagellatum, in sella gestatoria positum è templo eliminârunt? Respondet ad hanc quæstionem doctissimus Josephus Mans. *Ut modum intelligamus, quocum corrigendus, & emendandus est mundus, scilicet in spiritu, in amore, in charitate; Spiritus Sanctus enim merus amor & mera bonitas est.* Angeli autem, ut ministri divinæ justitiæ, correctores fuissent longè acerbiores, ut ex prædictis figuris & exemplo abundè patet. Ex quibus collige, prudens Lector, qualis esse debeat paterna & fraterna correctio nostra, ut nimirũ sit sale prudentiæ condita, & ex vero amore in proximum procedat; de qua Evangelica veritate Christianæ Reipublicæ summè necessaria plura hodierna luce occurrunt consideranda & dilucidanda. Attentum te esse cupio.

Jo. 16. 8. Gen. 3. 24. 2. Reg. 24. 16. Gen. 19. 25. 2. Mach. 3. 26. Mans. To. 1. tr. 18. disc. 7.

2. Miror, ac simul pudore suffundor, dum præsens intueor sæculum, morésque Christianorum; quàm muti esse soleant & elingues, dum proximum à via salutis aberrantem ad viam vitæ æternæ deberent reducere; è contrario quàm prompti existant ad dilacerandam alterius famam, & propalandos proximi defectus; in qua adhibenda fraterna correctione non absimiles sumus canibus rabidis ac furore percitis, os quidem ad mordendum habentibus, sed non ad latrandum, dum fures nostris insidiantur ædibus. Audi Israël, & attende: DEUS *mandavit unicuique de proximo suo.* Mandavit, inquam, Superioribus, Prælatis, Pastoribus, Magistratibus, Parentibus, Patribusfamilias, imò omnibus illis, qui aliquam habent ac possident superioritatem, vel temporalem, vel spiritualem, ut ex justitia fratrem aberrantem à lege corrigant, ac pro possibili à via damnationis ad ovile Christi reducant; cæteris verò Christianis, quia unum patrem habemus Deum & Matrem Ecclesiam, eodémque pretioso Redemptoris nostri Sanguine redempti sumus, ut ex charitate fraterna proximi vitia, si fieri potest, corrigamus. Et si olim in veteri lege DEUS sanxit: *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo.* Quantò magis fratrem tuum ab æterna salutis semita aberrantem per salubrem ac disci etã correctio-

Eccl. 17. 12. Deut. 22. 1.

ctionem ad Deum teneris reducere? Asinum lapsum, ac sub onere jacentem sublevare solemus: *Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo;* quidni & proximum sub peccati jugo gementem? *Quomodo non erit,* subintrat hîc S. Chrysostomus, *summa inhumanitas & ferina crudelitas, nos non tantùm cura impendere hominibus, quantùm alii jumentis? hoc est, quod vitam nostram confundit, hoc est, quod omnem ordinem subvertit.*

Deut. 22. 4.

S. Chrysost. hom. 1. ad pop.

Et hinc sunt illæ lachrymæ, quibus etiamnum nostram deplorare nos oportet miseriam; si enim Adam primus generis humani parens, dum Evam consortem suam contra Dei mandatum pomum vetitum de arbore scientiæ boni & mali decerpentem vidit, eam mox correxisset, ac increpâsset, & ad seriam pœnitentiam induxisset, nunquam ad tantum præcipitium universum genus humanum fuisset devolutum: *In hoc,* ait Cajetanus, *insinuatur facilior aditus mulieri datus ad persuadendum viro, qui præsens neglexit illam cohibere.*

Cajet. in cap. 3. Gen.

3. Heli summus quondam in lege Sacerdos, licèt vitam duxerit irreprehensibilem, & insignibus excultus virtutibus populum Israëliticum quadraginta annis in justitia & æquitate gubernârit, à Deo tamen severè in hoc, & fortâsse etiam in altero mundo castigatus est, dum non duntaxat tota ejus familia unâ die extincta est, sed & ipse, prout multi Sanctorum Patrum opinantur, æternùm reprobatus? *Cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.* Et quare, obsecro, Heli tantopere à Deo punitus est? Juvat hîc audire S. Gregorium Magnum: *Quia,* inquit, *falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum Judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit; hinc namque divina voce ei dicitur: honorâsti filios tuos magis, quàm me.* Audiant hoc parentes & Superiores nimium connivientes, & justè sibi metuant.

1. Reg. 4. 18.

S. Gregor. 2. parte Past. c. 6.

Moyses quamdiu virgam suam in manu tenuit, virga illa permansit, at ubi eam à se projecit, in horrendum serpentem conversa est: *Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.* Per virgam hanc Mosaicam virgam correctionis & correptionis intellige, quæ Moysi Duci instar sceptri fuit, qua populum electum gubernavit. *Virga directionis, virga regni tui;* sed ubi à Moyse in terram projecta est, mox in anguem mutata fuit. En perelegantem typum, quando Superiores omnes ac præsertim parentes, hac directionis & correctionis virga in subditos utantur; si illam manu gestant vigilantes, & delicta populorum aut filiorum suæ curæ commissorum paternè corrigunt, benè est, virga permanebit florida, si autem illam abjiciant & subditos non corrigant, convertetur illis & subditis in venenosum colubrum: *Illis,* inquit S. Bernardus, *convertitur virga in draconem, qui leniter correcti emendare se nolunt.*

Exod. 4. 3.

Ps. 44. 7.

Alvarez Joseph. in Illustr. 27.

4. Cæterùm insectatur prudentissimus Salomon illos flagellatores annonæ, qui tempore famis frumentum vel abscondunt, vel coëmunt, ut cariùs

riùs rursus illud vendere queant, ex qua usura sæpiùs malesuada fames inter pauperes oriri assolet: *Qui*, inquit, *abscondit frumenta, maledicetur in populis; Benedictio autem super caput vendentium.* Supra quod Salonius: *Illi*, ait, *vendunt frumenta, qui verbum vitæ suis auditoribus annuntiant*, qui vitia corrigunt, virtutem implantant, & Rempublicam, ne fame spirituali pereat, per prudentem correctionem conservant: *Nam ubi deest correctio*, inquit B. Humbertus, *abundat peccatori corruptio; unde qui odit correctionem, amare videtur corruptionē, propter quod, si hīc non corrigitur, in futuro damnabitur.* Et S. Bernardinus: *Qui vitiis nutriendis parcit, & favet, nec contristet peccantium voluntatē, tam non est misericors, quàm qui nonvult cultellum rapere puero, ne audiat illum plorantē, & non timet, ne vulneratum doleat, vel extinctum.*

Prov. 11. 26. Salon. hic S. Bern. t. 2. l. 28. a. 2. c. 3.

De Jeremia Propheta recensent Sacræ Paginæ, quòd aliquando virgam vigilantem, alii legunt virgam oculatam viderit: *Quid tu vides Jeremia? & dixi virgam vigilantem ego video.* Paulò post videt idem Vates divinus ollam succensam, ferventem & ebullientem: *Quid tu vides? & dixi: Ollam succensam ego video.* Et quare Jeremias priùs virgam vigilantem conspexit, & exinde ollam igne succensam? Respondet S. Ambrosius: *Priùs DEUS hīc pœnitentibus exhibet virgam correctionis, quam si nolint, impœnitentibus reservat ollam gehennæ*, qui verò hîc virgâ directionis corrigitur, in altera ab auditione mala, & ab olla ista infernali non timebit; unde Vates Regius: *Bonum mihi, quia humiliâsti me*, & quare bonum? subdit rationem, *ut discam justificationes tuas.* Et in alio loco: *Disciplina tua ipsa me docebit.* Sic vulnerat chirurgus suum patientem, eique venam subtili ferrô aperit, ut putridum ac pernitiosum sanguinem inde extrahat, cui nihilo seciùs mercedem solvimus, quia salubriter nos vulneravit. En, sic æstimare & amare debes te errabundum prudenter monentem, & cum discretione corrigentem; in hoc enim consistit vera fraternitas, charitas & sincera amicitia, ut si quid reprehensibile in nobis reperiatur, alter alteri ob fraternam correctionem & æternam obtinendam salutem non abscondat.

Jer. 1. 11. S. Ambros. in Ps. 38. Psal. 118. 71. Psal. 17. 63.

5. De Elisæo refert Scriptura, quomodo ascendenti ei in civitatem Bethel, ubi Rex Jeroboam priùs vitulum aureum, quasi idolum erexerat, pueri petulantissimi & idololatrum filii occurrerint, illudentes ei, & succlamantes: *Ascende calve, ascende calve*; qui ubi ejusmodi maledicas illusiones & insanias audivit, justô religionis zelô, ut servus & Legatus Dei commotus, justam punitionem ac vindictam à Deo illis imprecatus est: *Qui, cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini.* Et quid factum est? *Egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta pueros.* Et quare, dices, DEus justissimus scelerum vindex ad puniendos & devorandos ante ora parentum filios crudeles & immanes ursos immisit? cur non leones, aut dracones? Respondeo, in promptu causam esse, quia parentes hos immo-

4. Reg. 2. 23.

rigeros

S. Ambros. l. 6. Hexam. c. 4. Cornel. in Eccl. 30. 3. Prov. 22. 15. rigeros filios non, ut decebat, corrigebant, ursus autem fœtum suum informem non tam lambit, quàm & corrigit, ita S. Ambrosius: *Ursa*, inquit, *partus suos* (lambendo) *ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instruere similes tui non potes?* Unde & Cornelius in Ecclesiasticum: Hac de causa, inquit, Elisæus ursos immisit in pueros malè educatos, sibíque illudentes: *Ascende calve*, ut parentes, qui ursos in filiorum efformatione imitari neglexerunt, eorundem filiorum per ursos, velut lictores, laniatione puniret, à bove enim majori discit arare minor; hinc & Sapiens: *Stultitia colligata in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.*

Luc. 23. 27. Cùm pientissimus Redemptor noster ad montem Golgothæum inter latrones medius duceretur, ut ibidem in Cruce pendens tanquam in medio terræ omnium nostrûm operaretur salutem, observat S. Lucas, quòd turba multa populi, & mulieres, *quæ plangebant, & lamentabantur eum*, in hac luctuosa via eum fuerint secutæ; ad quas conversus mitissimus Salvator dixit: *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Et quare noluit amantissimus JESUS, ut mulieres tam indignam mortem ac passionem suam deflerent? Cur potiùs voluit, ut super se ipsos ac filios suos amaras effunderent lachrymas? Resp. ad hanc quæstionem S. Anselmus: Licèt mulieres istæ, quæ Christum ad Crucis comitabantur necem, fuerint piæ mentes, filii tamen earum erant immorigeri ac petulantissimi, dum in patientem, & jam ad mortem condemnatum JESUM lutum & lapides cum impiis aliis Judæorum filiis ac scurris projiciebant; hinc ad illas conversus suasit meliorem puerorum correctionem ac disciplinam, & ut impios illorum mores magis, quàm se ipsum ad Crucis mortem nunc anhelantem, deflerent? *Super vos ipsas flete, & super filios vestros.* O quàm benè igitur sapientissimus Ecclesiasticus: *Qui*, inquit, *diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo.* Et quemadmodùm DEUS Pater dilectos ac fideles filios suos multis solet mortificare & perficere tribulationibus ac flagellis: *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi*; sic & fideles parentes hoc illustre, imò divinum imitentur exemplum: *Et vos patres*, subintrat hîc gentium Doctor Paulus, *nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Domini.*

S. Anselm. de pass. Do. Eccl. 30. 1. Prov. 3. 12. Ephes. 6. 4.

2. Reg. 13. 14. 2. Reg. 16. 22. 3. Reg. 11. 4. 6. Miror, & attonitus hæreo, quoties Regis Davidis filios considero, Amnon primogenitus & patri dilectissimus fœdissimo incestu cum Thamar sorore se contaminavit: *Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus oppressit eam.* Absolon filius rebellis Jerusalem ingrediens concubinas patris sui, hoc est, secundarias uxores publicè violavit: *Tetenderunt ergo Absolon tabernaculum in solario &c.* Salomon ut concubinis suis morem gereret, idololatra factus est: *Cùm jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Adonias, qui superbè regnum ambierat,

rat, & præproperè audiit, non solùm illô excidit, sed & à fratre Salomone occi- 2. Reg. 2.
sus est: *Misitque Rex Salomon per manum Bananiæ filii Jojadæ, qui interfecit eum.* Vide hîc, ac perpende, lector prudens, qualiter David in propriis filiis suis fuerit à Deo castigatus. Et nunquid, dices, vir erat secundùm cor Dei: *Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas*? quare ergò tam durè in filiis suis à Domino punitus est? Rationem audi: licèt David vir pius ac sanctus fuerit, quia tamen priùs libidinosè cum Bethsabæa vivendô, & Uriam innocentem occidendô cunctis filiis suis, imò & subditis non leve scandalum præbuit, ideo ad filios corrigendos & reprehendendos prorsus inutilis ac ineptus factus est: *Permisit*, ait Cornelius, *hoc Deus ad castigandum adulterium Davidis patris, unde & filii patris sui libidinem secuti sunt.* Et quod singulariter notandum est, licèt idem Rex David exactam de ejusmodi filiorum libidinibus notitiam habuerit, eos tamen nec minimo verbo correxit: *Noluit contristare spiritum Amon filii sui, quoniam diligebat eum*; & de Adonia subjungit Scriptura: *Nec corripuit eum pater suus aliquando dicens: quare hoc feciſti?* Ratio est, quia se ipsum reum agnovit, & culpa redarguit virum. Proinde rectè Cassianus: *Oportet námque illum, qui alterius vulneri mederi cupit, omni languoris morbô alienum, sanumque subsistere, ne illud Evangelicum dicatur: Medice, priùs cura te ipsum.* O Superiores, ô Parentes! hîc attendite, ne illud audire debeatis: *Et immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis.* Hîc, inquam, attendite, ut sitis ipsi irreprehensibiles, si alios velitis corripere; Unde Christus ad ejusmodi indiscretos correctores, qui mulierem in peccato deprehensam ad solitam lapidationem postulabant, respondit: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.*

Act. 13. 22. Cornel. hîc. 3. Reg. 13. 21. 3. Reg. 1. 6. Cassian l. de Spir. in c. 5. Psal. 105. 37.

7. Sed pergamus ulteriùs. Fornicabantur quondam Hebræi cum Madianitis mulieribus, colebántque Beelphegor, id est, Priapum, idolum nudum & abominandum ob amorem Madianitarum mulierum, hinc justô Dei judiciô ad viginti quatuor hominum millia à Moyse Hebræorum Duce partim in patibulo vel arboribus fuerunt suspensa, partim à Deo alio mortis genere deleta; inter quos prævaricatores nec principibus populi Deus Justissimus omnium arbiter parcere voluit, hinc seriò Moysi mandavit: *Tolle cunctos Principes, & suspende eos contra solem.* Et cur Principes illius populi tam ignominiosa morte fuerunt castigati? R. Menochius: *Jubet*, inquit, *suspendi ipsos Principes, qui impietati illi favissent, aut cùm deberent pro officio, non restitissent.* Et hîc modum corrigendi, quia Principes illi populum Hebræorum ad idololatriam & fornicationem proclivem non corrigebant, ideò ipsi suspensi sunt contra solem, ut facies eorum magis publicæ exponeretur ignominiæ, ad innuendum orbi universo, quòd nemo oculum, aut manum vindicem supremi Judicis, instar solis radiantis, possit effugere; ipse enim etiam in secreto peccantes aliquando in extremo judicii die ad visionem omni carni pro-

Num. 25. 4. Menoc. hîc.

producet, unde rectè in hunc scripturæ locum subdit B. Petrus Damianus, ideo hoc factum esse, *quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium, & quod ab ovibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur.*

B. Dam. l. 4. ep. 15.

Samuel fidelis Propheta Domini, ubi jam senex se Principatu suo abdicare, & universo populo, ipso quoque novo Rege Saule præsente, administrationis suæ rationem reddere voluit, priùs integritatis suæ testimonium ab illa plebe petiit: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi: & contemnam, illud hodie restituámque vobis.* Quem sermonem ubi populus attentâ aure percepit, unanimi voce respondit: *Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quidpiam.* Bene est, subjungebat Samuel: *Testis est Dominus adversùm vos, & testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam.* Ad quam vocem succlamavit omnis populus: *Testis.* Magnum sine dubio hoc erat ac prorsus præclarum de innocentia Samuelis à plebe testimonium. Sed audiamus ulteriùs. Hac capta occasione Samuel mox ansam prehendit, dictum populum de suis sceleribus redargeundi, & Dei beneficia ipsis exhibita, ac vicissim eorum ingratitudinem refricandi, graviter populum contestans, ut imposterum soli Deo serviret, alioquin gravissimam Dei vindictam experturum: *Si timueritis Dominum, & servieritis, & audiêritis vocem ejus, & non exasperaveritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum; si autem non audiêritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos &c.* Et tandem in fine sermonis præsente Rege, ut correptio hæc paterna altiùs omnium mentibus imprimeretur, illud fulmen adjecit: *Quòd si perseveraveritis in malitia, & vos & Rex vester peribitis.* Discant hîc Superiores omnes, quomodo se gerere debeant in corrigendo proximo, priùs scilicet illorum benevolentiam captando, & se ipsos præbendo irreprehensibiles: *Mundus*, ait S. Gregorius, *esse à vitiis debet, qui curat aliena corrigere*; & S. Ambrosius: *Nisi tu*, inquit, *priùs interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. At te igitur pacem incipe, ùt cùm fueris ipse pacificus, pacem aliis feras: Quomodo enim potes aliorum corda mundare, si tuum ante non mundaveris?* Quomodò poteris ejicere festucam in oculo fratris tui, si ipse trabem in oculo tuo non vides: *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

1. Reg. 12. 3.

S. Gregor. l. 7. moral. c. 16. S. Ambros. l. 5. in Lucam. c. 6. Matt. 7. 5.

8. Vidit aliquando prudens Sara Ismaëlem filium Agar ludentem cum Isaac filio suo, & mox à marito suo Abrahamo petiit: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Et quid in hoc lusu mater & filius peccavit, quòd Sara non tantùm in Ismaëlem, sed etiam in matrem ejus ita excanduerit? R. Cornelius: *Eò quòd ipsa* (Agar) *filii fastus & petulantiam non compesceret*, neque, prout matrem decebat corrigeret, ideò timebat prudens Sara, non sine præsagio spi-

Gen. 21. 10. Corn. hìc.

ritu

ritu, Isaacum filium suum per hunc petulantissimum puerum Ismaëlem aliquando crescentibus odiis & annis opprimendum; hinc *crimen filii,* ait Mendoza, *tribuebat matri.* Mendoza in 1.Reg.1. 1.annot.4.

Cum igne cœlesti Pentapolis concremata est, universi quoque habitatores illius regionis eodem sulphureo igne periêrunt: *Et subvertit civitates has, & omnem circa regionem: universos habitatores urbium &c.* Et quare dices, innocentes parvuli illarum civitatum eodem cremati & absumpti sunt igne? Et quid hi miselli contraDeum peccârunt, vel peccare poterant? respondeo: Malus corvus, malum ovum, ex nigro enim corvo non candida nascetur columba; quia ergo Sodomitæ & parentes eorum homines erant pessimi, nec filios suos de admissis corrigebant noxis, ideo, decernente ita justitiâ divinâ, & parentes & filii periêrunt: *Parvulis autem,* ait Cornelius, *Deus benè hac morte consuluit, ne si superstites manerent, patrissarent, itáque æternis ignibus addicerentur.* tect.3. Gen.19. 25. Corn. hic.

De Job commemorat scriptura, quòd *consurgens diluculô offerebat holocausta pro singulis* (filiis suis) *dicebat enim: Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus,* hoc est, quoties convivabantur filii. Ad quid, obsecro, tot holocausta pro salute filiorum oblata? Respondent Interpretes: Jobum utpote virum sanctum ac justum per ejusmodi illius ævi ceremonias & sacrificia voluisse filios suos ac natas seriò admonere ac corrigere, ne contra Deum aliquid cogitarent, vel peccarent, ut habent septuagintaInterpretes; hinc sanctificabat eos præparandô nimirum illos ad fructus sacrificii percipiendos, & Dei observanda mandata: *Vide,* inquit Pinna, *justi viri erga filios eximiam curam: Sanctificabat illos consurgens diluculô; non differebat sanctificationem, sed mox manè advocabat ad sacrificia pro illis oblata &c.* O si omnes parentes tam sedulam filiorum suorum in corrigendo & admonendo adhiberent curam! Et sicut parentes comparantur viti, filii autem palmitibus: *Ego sum vitis, vos palmites;* palmites autem sunt amputandi, alligandi, corrigendi &c. Ita & filii, ne in rete incidant Diaboli. *Melius est,* ait Ecclesiastes, *à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi:* talis enim sapientis correptio est quasi sal, vel nitrum morum, animæque eluens maculas; Est nux vel amygdalum, amarum quidem habens corticem, sed nucleum suavissimum; Est absinthium, ori amarum & gustui, ast stomacho suave & sanum, dum eum purgat, ac confortat. Et hæc causa est, quòd ipse Dominus Christus nunc ad cœlos ascensurus suos priùs correxerit, & increpaverit Apostolos: *Increpavit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt;* supra quod S. Gregorius: *Idcirco,* inquit, *Dominus tunc Discipulos increpavit, cùm eos corporaliter reliquit, ut verba, quæ recedens diceret, in corde audientium arctiùs impressa remanerent.* Eja igitur, quicunque tandem estis Superiores, vel Ecclesiastici, vel Sæculares, vel Prælati, vel Priores, vel Præpositi Job. 1.5. 70. Interpret. hic. Pinna in Eccl.7. Ethol.65. Jo.15.5. Eccl.7.6. Marc.16. 14. S. Gregor' hom.29.in Evangel.

vel Rectores, vel Parochi, vel Parentes, vel Moderatores, vel Præceptores, non erubescite delinquentes vestros monere & corrigere subditos, *quia nullum opus*, teste S. Dionysio Areopagita *ita placet Deo, sicut fraterna reductio, quæ ex charitate procedit, & si te audierit, lucratus eris fratrem tuum &c.* Hoc fac, & vives.

S. Dionys. Areopag.

CONSIDERATIO XXVIII.

De Oratione Deo grata, & nobis summè necessaria.

Pro Dom. 5. post Pascha.

Amen, dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. 23.

I.

NOn sine peculiari ratione Sancta Mater Ecclesia præsentes Rogationum dies instituit, in quibus publicæ ubique locorum in Christiano orbe adornantur Processiones, & decantantur Litaniæ, ut per ejusmodi communem populi orationem benignus Deus iram suam à nobis propitius dignetur avertere, mala cuncta amovere, fruges terræ conservare, famem depellere, bella extinguere, homines ac jumenta sanos custodire, morbos contagiosos auferre, & gratiam suam (sine qua nihil possumus, nihil sumus) ac denique vitam elargiri æternam. En rationes, quare Ecclesia hoc tempore vernali hos Rogationum dies instituit. Et quid dico? ejusmodi orationes publicæ jam olim in veteri Testamento, ubi publica urgebat necessitas, fuerunt ab Hebræis tunc fidelibus institutæ & observatæ. Consule librum Josue & invenies, quòd ipse strenuissimus, juxta ac pientissimus belli Dux Josue & Seniores populi, convenerint, & pro publica necessitate populi, ubi cor eorum nimiùm ab hoste pertimescens adinstar aquæ fluidum, trepidans & languidum factum est, communes ad Deum sibi placandum preces effuderint. *Josue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quàm omnes Seniores Israël; miserùntque pulverem super capita sua & dixit Josue: Heu Domine Deus &c.*

Josue 7. 6.

Hunc communem orandi modum imitati sunt & cæteri Israëlitæ, ac præsertim cives Bethulienses, qui ob metum Holofernis in illa publica calamitate

mitate induti ciliciis, & cinere aſperſi unanimiter Deï opem inclamârunt: *Et clamavit omnis populus ad Dominum inſtantiâ magnâ, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus, ipſi & mulieres eorum: & induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtraverunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio, & clamaverunt ad Dominum Deum Israël unanimiter.* Quid de Machabæis enarro? Cùm Heliodorus à Rege Seleuco ad expilandos templi Solymæ theſauros Hieroſolymam veniſſet, convenerunt & cives in unum, ac publica ſupplicatione Deum deprecati ſunt, quatenus ſibi adeſſet, & locum ſanctum protegeret: *Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica ſupplicatione obſecrantes pro eo, quòd in contemptum locus eſſet venturus: accinctæque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant. Univerſæ autem protendentes manus in cœlum deprecabantur.* Obſerva hîc, prudens Lector, antiquiſſimum in publica ſupplicatione modum ac uſum, quem meritò etiamnum imitantur Chriſtiani, ut ſimili ratione, & publica oratione iram divinam placare ſatagant, ut ejusmodi publicas calamitates belli, famis & morborum, quibus hactenus inceſſanter eramus preſſi, & vix non oppreſſi, Deus à patria noſtra benignè dignetur avertere: *Oratio humiliantis ſe,* ait Eccleſiaſticus, *nubes penetrabit, & non diſcedet, donec altiſſimus aſpiciat.* De qua veritate plura in præſenti tractabimus.

Judith. 4. 8.

2 Machab. 3. 18.

Eccl. 35. 21.

Cùm filii Jacob tempore famis in Ægyptum deſcendiſſent, ut ibidem parato argento ſibi & familiæ neceſſaria coëmerent frumenta, coram Joſepho Ægyptiorum Pro-Rege mirum in modum humiliati unanimi voce dixerunt: *Nos erimus ſervi Domini noſtri,* & proſtrati usque ad terram adoraverunt eum, ſeſe infimos illius ſervos profitentes. Unde, obſecro, tanta humilitas in his perfidis fratribus? ſi paratâ pecuniâ ſibi voluerunt comparare frumenta, quare tantopere ſe humiliârunt? Cauſa erat urgens fames & annonæ caritas, quæ illos philoſophare, & ad tam humiles preces confugere docuit: *Obtulerunt ei munera, tenentes in manibus ſuis, & adoraverunt proni in terram.* O Chriſtiani! Tali quoque humilitate & animi contriti demiſſione oportet nos hoc calamitoſo belli & famis tempore accedere ad thronum gratiæ divinæ, ut miſericordiam conſequamur in tempore opportuno: *Cùm ignoremus,* dicebat Joſaphat in ejusmodi publica neceſſitate, *quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te,* DEUS. Hoc & ego vobis dico, Chriſtiani! An non videtis præſentem Eccleſiæ neceſſitatem, Regnorum in Chriſtianitate perturbationem, morum in populo corruptelam, & quòd omnis refrigeſcat charitas, ac ſuperabundet malitia? Hinc *meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum* JESUM, qui tanta nobis præſtitit beneficia. Et quid cum Joſaphato habemus reſidui, niſi ut pariter oculos noſtros dirigamus ad DEUM Patrem miſericordiarum, &

Gen. 44. 9

2. Par. 20. 12.

Gen. 42. 21.

Deum totius consolationis, ut per merita & Sanguinem pientissimi Filii sui, ac Redemptoris nostri placatus optatam Christiano orbi ferat opem.

Ubi Ezechias Rex Israëlitarum, vir in tuendo Dei cultu zelosissimus blasphemias Rabsacis in obsidione Hierosolymæ ad populum loquentis audivit, ejusdémque litteras de tradenda Regi Sennacherib urbe accepit, magnâ cum fiduciâ in hac publica calamitate ad templum Dei cum servis suis se contulit, ubi litteras blasphemiis in Deum Israëlitarum refertas coram Domino expandit: *Et oravit in conspectu ejus, dicens: Domine Deus Israël &c.* Et quid sequitur? *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter David servum meum.* Et ecce eâdem nocte ab Angelo Domini in castris Assyriorum interfecta sunt centum & octoginta quinque millia virorum. Tanti valoris & virtutis exitit pia, humilis ac devota Regis cum subditis oratio: *Oratio*, ait S. Bonaventura, *iram Dei placat, peccatorum veniam impetrat, tentationis impetum sedat, vitia cordis expellit, in periculo liberat, à periculis defendit, difficultates complanat, familiaritatem Dei confert &c.*

4. Reg. 19. 14.

S. Bonav. lib. 2. de profectu Relig. c. 66.

De Philistæis recenset primus Regum liber, quòd inter alias pacis conditiones cum victis Israëlitis etiam hanc iniêrint, ne imposterum sibi arma cuderent: *Caverunt enim Philistiim, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Et quid factum est? *Cúmque venisset dies prælii, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi.* Quomodo ergo illum capitalissimum hostem superârunt, si non habuerunt gladium? R. Samuel & omnis populus oravit ad Dominum, & ipse exaudiebat eos, dum sine ferro & armis populo suo dedit victoriam: *Oratio*, ait Hugo Cardinalis, *est scutum animæ; sicut enim miles, dum est in bello, non debet amovere scutum; ita homo, dum est in hac vita, quæ militia est, non debet à se movere orationem.*

1. Reg. 13. 19.

Hugo Card. in Psal. 65.

4. Dum quondam Angelus septuaginta virorum millia per funestam pestem in Israël interemisset; & jam jam manum suam super ipsam regiam civitatem Solymæam extendisset, ut eam pariter per hanc diram luem disperderet, observat Scriptura, quòd benignus Deus super afflictione populi misertus, percutienti Angelo dixerit: *Sufficit nunc, contine manum tuam.* Hæreo hîc attonitus; videtur enim, quòd Angelus hoc præceptum Domini non statim adimpleverit, sed in cæde hominum diutiùs perseveraverit, quia David paulò post eundem Angelum de novo vidit adhuc in mactando populo perseverantem: *Dixítque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me &c.* Et quare Angelus ille non statim hoc accepto mandato; *Sufficit nunc*, à cæde & plaga hominum cessavit, & Deo imperanti obediit? Rationem assignat S. Ambrosius, quia Angelus ille sciebat, licèt Deus velit agnoscere, non tamen velle, nisi rogetur; unde quàm primùm David pro salute populi oravit, & holocausta obtu-

2. Reg. 24. 16.

S. Ambr. in hunc loc.

lit,

lit, subjungit Scriptura: *propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.* Ecce, Deus vult orari, vult rogari, vult cogi. Proinde rectè fecerunt Discipuli illi duo, in villam Emmaunticam cum Christo peregrinantes, dum dilectissimum hospitem & vitæ socium JEsum ad se in hospitium, quasi ambabus, ut ita dicam, manibus attraxerunt: *Et coëgerunt illum.* Et quomodo cogi poterat, cui subjacent universa, & qui tribus digitis appendit molem terræ? Adverte anima Christiana; *Coëgerunt illum* precibus & oratione; non vi, non armis, sed preces erant armatæ, quæ etiam omnipotenti Deo ligare solent manus; prout Moyses fecit, dum iratus Deus delinquentem populum à facie terræ voluit delere: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Per quæ verba salutis luculenter ostendit Deus, quòd per orationes Sanctorum & servorum suorum, ne secundùm demerita nostra nos puniat, possit detineri: *Quasi victus esset Dominus,* ait Hugo Cardinalis, *dicit: dimitte me; quia Sancti suis orationibus & desideriis tenent eum, ne in peccatoribus suam exerceat justitiam.* Luc. 24. 29. Exod. 32. 10. Hugo Card. Gen. 32.

En mirandos bonæ orationis effectus: Ligamen est, quod irati Numinis ligat manus: Scala cœli est, per quam nos oportet usque ad Dei thronum conscendere; Clypeus est salutis, per quem in omni, tum animæ tum corporis necessitate ab hostium insultibus protegimur: Catena est, per quam diabolus constringitur, & tanquam canis rabidus, ne nobis nocere possit, alligatur: Thymiana est suavissimum in aureo cordis nostri altari incensum, & Deo, cœlóque gratissimum: Lapis est, per quem David adhuc puer pastoricius superbum stravit gigantem: Murus denique est & antemurale invincibile est; & quemadmodum urbs aliqua contra hostium assultus se defendere non potest, nisi mœnia habeat, valla ac propugnacula, quibus hostem arceat, ac depellat; ita quoque anima Christiana, si oratione satis munita non est, facilè hosti infernali cedet in prædam & potestatem: *Preces,* sunt verba S. Joannis Chrysostomi, *magna sunt arma, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, & refugii locus &c.* S. J. Chrys. hom. 30.

1. Vidit aliquando S. Joannes innumeram turbam ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum Dei & in conspectu Agni cum stolis albis & palmis, gratias agentes, & laudantes Deum & Agnum; & ecce cùm Christus septimum aperuisset sigillum, advertit dilectus Christi Discipulus: *Factum est silentium in cœlo; quasi mediâ horâ?* Ad quid hoc insolitum in cœlo silentium? Nunquid omnes Sancti & Electi Dei in cœlis gloria sine cessatione laudant Deum: *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor & gloria?* nunquid omnes Cherubim atque Seraphim inceſſabili voce proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth?* Nunquid omnes Angelorum & Sanctorum Chori Deo T. O. M. assiduò jubilant, atque decantant: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divini-* Apoc. 8. 1. Apoc. 5. 12.

divinitatem, & sapientiam & fortitudinem, & honorem & gloriam, & benedictionem in sæcula sæculorum; Quare ergo S. Joannes vidit, & audivit, quòd per mediam horam in cœlo factum sit altum silentium? Observat in hunc Scripturæ locum Magnus Aurelius Augustinus; *Cælum*, inquit, *eâ mediâ horâ auscultabat orationes Sanctorum in terris*, quæ communis & devota piarum mentium oratio in terris Deo & Angelis ejus longè gratior fuit, quàm omnis musica totius cœlestis Curiæ: *Nulla*, ait Ludovicus Blosius, *præstantior oratio est, quàm ut quis petat gratissimam Dei voluntatem in se, & in omnibus aliis fieri.*

S. Aug. in hunc loc.

Lud. Blos. de instit. spirit. c. 8.

Jacob quondam mirabilem scalam à terra usque ad cœlum pertingentem vidit: *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Ad quid iste ascensus & descensus Angelorum? in hac ascendunt Angeli, ait Mellifluus, Cornelius & alii, ut preces nostras & opera bona Deo offerant; descendunt, ut vicissim varia munera & beneficia à pientissimo Numine nobis deferant.

Gen. 28. 12.

Daniel quondam Antiquum dierum, hoc est Deum Patrem in throno Majestatis suæ residentem conspicatus est, & *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* O grandissimum Angelorum Deo & ministrantium & assistentium numerum! qui *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Supra quod S. Augustinus: *Agnosco*, inquit, *ingentem numerum cubiculariorum Dei, non tamen puto eos illic adesse, ut arceant supplices*, sed ut magis adjuvent nostras orationes; *oratio enim justi*, pergit idem Sanctissimus Ecclesiæ Doctor, *clavis est cæli, ascendit præcatio, & descendit Dei miseratio.*

Dan. 7. 10.

Hebr. 1. 14.

S. August. serm. de temp. 171. & serm. 1. dom. in oct. Paschæ.

6. De Davide recenset Regum liber secundus, quòd post Saulis necem ad regnum evectus, Israëlitas artem sagittandi docuerit; expertus enim erat, quòd regni antecessor Saul & exercitus illius maximam à Philistæis stragem per tela & sagittas acceperint; & ut imposterum in vibrandis telis majorem capesserent, & haberent notitiam, atque hostibus suis majori cum virtute possent resistere, priùs milites suos in hoc telorum lusu ad metam exerceri voluit: *Et præcepit, ut docerent filios Juda arcum &c.* Ita quondam in insula Majorca & Minorca, ut filii à prima ætate in arte jaculandi instruerentur, parentes illorum in arboribus & tectis domorum panem & jentaculum, vel aliud obsonium collocabant, ut, si comedere vellent filii, famémque depellere, priùs sagittâ ab arcu emissâ illum panem vel cibum attingerent, & dejicerent. Sic factum est, ut in optimos evaderent sagittarios. Et dic, quæso, homo Christiane! quid aliud est oratio, quàm ejusmodi arcus & sagitta, quam in altum & usque in cœlum dirigis? si igitur panem quotidianum, si victum & amictum, si optatam pacem, si sanos annos, ac denique vitam æternam vis in cœlo obtinere, exerce te in hac palestra; meta,

2. Reg. 1. 18.

ad

ad quam collimes, ſi ipſe DEUS & SS. Cor JESU, huc tende animum & vires, huc emitte preces jaculatorias & ordinarias; felix ſi hanc metam attigeris: *Ars autem ſagittandi ſpiritualis*, ait GloſſaMoralis, *eſt exercitium orationis, quo Dæmones fortiter debellantur, in cujus figura dicitur Exod. 17. quòd Moyſe in oratione perſeverante Amalecitæ â filiis Iſraël fuerunt debellati.* GloſſaMoral, in hunc loc.

Et quis ignorat de fortiſſima Judith? Cùm jam jam Bethulia in arctiſſima illa obſidione, qua ab Holoferne cingebatur, ſe ditioni & poteſtati hoſtium dedere ſtatuiſſet, ſola illa mulier fortis generosè reſtitit & quibus armis? *Ingreſſa eſt oratorium ſuum, & induens ſe ciliciô poſuit cinerem ſuper caput ſuum: & proſternens ſe Domino, clamabat ad Dominum dicens: Domine Deus patris mei, &c.* Neque contenta hâc privatê oratione, ad publicam quoque confugit; proinde à Senioribus & populo petiit: *Nibil aliud fiat niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Et exaudivit mitiſſimus DEUS & Judithæ, & communes populi preces, hoſtis enim à muliere victus & victoria nunquam ſatis decantanda reportata eſt. Supra quod egregiè S. Auguſtinus: *Orationis arte*, inquit, *Judith ſanctiſſima, cujus precibus patuit cælum, arma victricia fabricavit, quibus adverſa confligeret, ut paveſcentes viros fœmina vindicaret. Ubi enim aſſiduis orationibus pulſatur cælum, potentia ſemper calcatur armorum.* Judith. 9. 1. Judith. 8. 33. S. Auguſt. l. 28. de temp.

7. Ezechias Rex, cujus jam priùs mentionem fecimus, ut à Deo magis afflictione probaretur, & perficeretur, in morbum lethalem incidit, ad quem miſſus eſt Iſaias Propheta, ut ei mortem brevi imminentem indicaret: *Hæc dicit Dominus: Diſponi domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Ad quod triſte nuntium Ezechias ad parietem templi, ne præſentibus Aulicis lachrymas ſuas videretur oſtentare, ſe convertit, & in animo contrito & humiliato Deum rogare cœpit: *Obſecro, Domine, memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis, fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno;* Erat enim tunc Ezechias juvenis triginta novem annorum, proinde mors illi eò videbatur acerbior, quia non habebat filium, quem regni Iſraëlitici relinqueret hæredem. Et quid ſequitur? *Hæc dicit Dominus DEUS David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas; ecce, ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Hîc perſiſto totus attonitus & extra me raptus. Quid hoc eſt, ô bone DEus! priùs per Iſaiam Prophetam pientiſſimo huic Regi inſinuâſti: *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non vives.* Et nunc dicis: *Ecce, ego adjiciem ſuper dies tuos quindecim annos*; Et nunquid verum, imò veriſſimum eſt, quod tu, mi DEUS, omnino ſis immutabilis non phyſicè tantùm, ſed & moraliter, ita, ut ex animi inconſtantia aliud velle non poſſis, quàm quod ſemel decreviſti? hinc apud Malachiam ipſe ais: *Ego enim Dominus, & non mutor.* Quare ergo hîc, mi Domine! (in humilitate cordis mei loquor ad te, cum ſim pulvis & cinis, & peccatorum miſerrimus) quare, inquam, hîc tuam mutâſti ſententiam? Iſa. 38. 1. Malach. 3. 6.

R. Cornelius, quòd sit duplex vitæ periodus, una à natura, altera à
Corn. hic. Deo constituta: hæc semper est certa & fixa, nec augeri aut minui potest: illa à Deo breviari vel ampliari potest; & defacto in Ezechia ampliata est, qui aliàs, si naturam & causas naturales spectes, certò debuisset mori, proinde à Deo per ingens miraculum sanatus est, ut mutaret sententiam, quod
Euseb. de mor. Hier. beneficium Ezechias per orationem suam impetravit: *Obtinuit*, inquit Eusebius, *Ezechias statim à Domino orationibus suis, ut mutaret sententiam, quam sibi indixerat.*

8. Vide hîc, Anima Christiana, quid apud Deum humilis & devota possit oratio. Per orationem idem Ezechias impetravit, ut sol, mundi oculus per
4. Reg. 20. 11. decem gradus retrogrederetur: *Invocavit itaque Isaias Prophetа Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.*

Per orationem Loth in immenso illo Sodomæ incendio urbem Segor, quæ
Gen. 19. 21. pariter ad rogum jam erat destinata, servavit immunem? *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.*

Per orationem Regina Esther universum Hebræorum populum jam ad la-
Esth. 4. 16. nienam destinatum, ab interitu liberavit? *Vade*, dicebat illa Esther ad Mardochæum, *& congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, & orate pro me.*

Per orationem Elias cœlum clausit, & aperuit, ut copiosas ac fœcundas si-
3. Reg. 18. 42. tienti terræ subministraret pluvias: *Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua; facta est pluvia grandis.*

Per orationem Josue sol jam ad occasum properans in medio cursu stetit:
Jos. 10. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis &c.* Verbo: Oratio justorum orbem hactenus sustentavit, & etiamnum sustentat universum, qui aliàs jam pridem propter tam enormia mortalium scelera periisset; unde Job ait: *Sub quo curvantur, qui portabant orbem.* Supra quod Divus Hieronymus:
Job. 9. 12. S. Hieron. in quæst. Hebr. *Portantes orbem*, inquit, *Sancti rectè intelliguntur, quia gloria meritorum suorum magni & potentes sunt apud Deum; hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati: Ita Sancti, qui portant mundum, dum eum, ut pereat, orationum fortitudine sustinent.*

Et hæc causa est, quare DEUS Enoch, qui bonus semper inter malos vixit,
Gen. 5. 24. ab oculis aliorum mortalium eripuit: *Et non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Ratio est, quia Enoch dilectissimus Deo fuit: *Qui suis se intercessionibus*, ait
Mans. To. 3. tr. 58. disc. 1. Mansi, *apud Deum interponens, manus ejus fortiter ligatas tenebat*, ne mundum in maligno positum jam tunc universali castigaret diluviô. Et ecce, ubi
Gen. 6. 13. Enoch raptus, & in paradisum translatus est, mox diluvium orbi intimatum
Clim. Gr. 38. est: *Finis universæ carnis venit coram me.* Hinc rectè & appositè S. Joannes Climacus: *Oratio*, inquit, *si vim, seu efficaciam ejus spectes, mundi conservatio est, Dei reconciliatio, propitiatio peccatorum &c.*

9. Cùm

9. Cùm vita noſtra CHRISTUS in cruce pependit, omnia elementa tunc erant parata ad ſumendam de peccatoribus vindictam: terra à fundamentis mota & concuſſa eſt, petræ ſciſſæ ſunt, monumenta aperta, ſol obſcuratus, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, & tota mundi machina videbatur tunc diſſolvi. Et quid interim patiens, ac moriens JESUS? ad orationem pro more ſuo ſolito confugit: *JEſus autem dicebat: Pater dimitte illis*: Et quid per hanc orationem impetravit, quam teſte Paulo cum clamore valido ac lacrymis dixit? Subjungit Apoſtolus: *Et exauditus eſt pro ſua reverentia.* Patrem enim cœleſtem per illam placavit, mundum jam collabentem, ab interitu conſervavit, homines redemit, peccatores cum Deo reconciliavit, Angelorum ruinam reparavit, mortem & diabolum devicit, ac cœli januas aperuit: *Impetravit*, ait S. Hieronymus, *quod petiérat Chriſtus, multáque ſtatim millia de Judæis crediderunt &c.* O quàm potens! quàm efficax erat hæc pientiſſimi Redemptoris noſtri oratio! O nos felices, ſi cum hac oratione Crucifixi JESU, & meritis illius intentiones & orationes noſtras conjungimus; ſic non poterit eſſe repulſa, ſi pro nobis loquantur tot amoris inſignia, ac ſanguinea illius merita.

Luc. 23. 34. Hebr. 5. 7. S. Hieron. ep. ad Hod.

Jonas de utero piſcis & de profundo maris oravit ad Dominum, & exauditus eſt, quia figuram, ut ait Hugo Cardinalis, Dominicæ Paſſionis præ ſe tulit: *De ventre inferi clamavi, & exaudiſti vocem meam &c.*

Jonæ 2. 3.

Ananias, Miſaël & Azarias de fornace ignis ardentis orabant ad Dominum, & in immani illo incendio ſervabantur illæſi: *Cecinerunt in medio camino ignis ardentis colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino &c.*

Dan. 3. 25.

Caſtiſſimam Suſannam, cùm innocens ad mortem duceretur, orantem exaudivit DEUS: *Exclamavit autem voce magna Suſanna, & dixit DEUS æterne, qui abſconditorum es cognitor &c.*

Dan. 13. 42.

Eliſæus, cùm hoſtilem Regis Syriæ exercitum ſibi & patriæ appropinquantem vidit, orabat impensè Dominum, ut omnes milites percuteret cæcitate, & ſine mora exauditus eſt: *Hoſtes verò deſcenderunt ad eum; porrò Eliſæus oravit Dominum, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque eos Dominus, ne viderent.*

4 Reg. 6. 18.

Centurio orat ad Dominum: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur*; & mox audire meruit: *Ego veniam, & curabo eum.* Ad eundem orbis Salvatorem clamat Chananæa mulier: *Miſerere mei, Domine, fili David; filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et licèt ab initio repulſam paſſa, ut fides illius magis probaretur; rediens tamen ſecundò, ac tertiò, ac præſertim dum ex humilitate ſe cani comparavit, optatam à Chriſto opem obtinuit;

Matth. 8. 6. Matth. 15. 22.

tinuit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Clamat denique in
Luc. 23. cruce latro: *Domine, memento mei*; & à benignissimo JESU mox audivit:
24. *Amen, dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* O Domine JESU! clamamus & nos ad te: *Domine, memento nostri &c.*

CONSIDERATIO XXIX.

De Ascensu in cœlum: per crucem ad lucem.

Pro Festo Ascensionis Dominicæ.

Et Dominus quidem JEsus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Marc. 16. 19.

1.

MIror, dum attentô animô perpendo, quòd olim Isaac Patriarcha locupletissimus filium suum Jacob unicè dilectum, velut quemdam pauperculum peregrinum, vili pastorico habitu indutum, solóque baculô munitum in Mesopotamiam, & ad terras tam remotas amandaverit, ut in Haram in cognatione sua optatam sibi quæreret, & seligeret sponsam; in quo periculoso itinere, cùm post solis occasum piissimus
Gen. 28. 19. juvenis in campo patenti super durissimum lectulum (quia ex lapidibus erat dispositus) somnum capesseret, scalam super terram stantem, & cacumen illius cœlum tangens conspexit. Tandem post expletos labores plurimos & sponsâ & divitiis, sed multô magis divina benedictione locupletatus *in baculo suo transivit Jordanem*, & qui solus quondam è patria exiêrat, nunc
Gen. 32. 10. cum duabus turmis ad eandem terram patriam, & ad Isaac optimum patrem suum, tunc adhuc viventem, cum gaudio reversus est.

Per hunc Jacobum rectè Christus unigenitus Dei Patris Filius præsignatus est, quem in Incarnatione Pater è patria sua cœlesti sine ullo comite prorsus inermem, pauperem, ac peregrinum in hanc lacrymarum vallem
Isa 6. 8. ablegavit: *Ecce ego; mitte me*, ut sibi sponsam Ecclesiam quæreret, ac seligeret. Jacob scalam illam prodigiosam vidit, & ipsum Dominum innixum scalæ; sed hic mysticus Jacob Christus Dominus noster hanc cœli scalam non vidit tantùm, sed & ipse eam ascendit, ut nobis mansionem & locum para-

pararet in cœlo. *Quia vado parare vobis locum*; scala autem ista teste S. Augustino non alia est, quàm Crux Dominica; *Crux*, inquit, *scala cœli est, per quam Christus hominem lapsum levavit ad Patrem.* Reversus est autem Jacob cum duabus turmis: *In baculo meo transivi Jordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.* Per duas istas turmas, quas secũ hodie Christus in gloriosa sua & admirabili Ascensione in patriam cœlestem traduxit, & Angeli, quorum ruinas implevit, ubi de torrente in via bibit, & homines, quos Sanguine suo redemit, & de limbo eruit, subaudiuntur; ita S. Thomas Villanovanus: *His duabus turmis*, inquit, *Angelorum scilicet & animarum stipatus, magnus ille Jacob revertitur in patriam suam, qui in baculo Crucis suæ quondam solitarius mundi hujus Jordanem transiêrat.* Ex quibus agnosce, homo Christiane, quòd Pater cœlestis neque dilectissimum Filium suum JESUM ad immensam illam cœlorum gloriam admittere voluerit, nisi post exantlatam Crucis & amarissimos Passiones dolores; adeóque nec tibi, ô mi lector, aliud cœlum pinget; per aspera venies ad prospera, & cœlum non aliâ monetâ, quàm crucis veris venale est. Plura in præsentiarum.

Jo. 14. 2. S. August. serm. 79. Gen. 32. 10. S. Thomas Villanov. conc. 1. de ascens.

2. Mirabilis erat illa visio, quam quondam habuit Ezechiel Propheta, ubi per apertum cœlum quatuor animalia, seu potiùs quatuor Cherubinos vidit, quorum quilibet quatuor facies præferebat, videlicet faciem hominis quasi primariam & eminentiorem, cui à dextris annexa erat facies leonis, à sinistris facies vituli, & sursum facies aquilæ: *Similitudo autem vultûs eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quis, obsecro, hanc mirabilem expendens visionem non obstupescat? & quid dices, per quadripartitam faciem nobis indicatum est? Omissis aliis DD. Patrum responsionibus & explanationibus, perelegenter nobis inservit S. Bonaventura, qui per diversas illas facies diversa redemptionis nostræ mysteria intelligit: *Christus* ait, *natus est ut homo*, formam servi accipiens, & habitu inventus est ut homo. *Passus est ut vitulus*, dum seipsum in ara Crucis in cruentam victimam pro mundi salute obtulit. *Resurrexit ut leo*, qui est fortissimus animalium, & ad nullius pavet occursum, in qua resurrectione de morte, diabolo, & inferno triumphavit. *Ascendit ut aquila*, dum videntibus Discipulis elevatus est in cœlum; & quemadmodum aquila pullos suos adhuc in nido hærentes, suo volatu ad volandum provocat, juxta illud Deuteronomii: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas.* Ita pretiosissimus orbis Reparator Christus hodierna luce in gloriosa Ascensione sua, evolans ad cœlum provocavit dilectos suos ad similem volatum, & ad sui sequelam. Unde non in monte Thabor, ubi priùs gloriosè transfiguratus est, neque in monte Sion, ubi ultimam cœnam cum Discipulis celebravit, sed in monte Oliveti ad cœlestem gloriam ascendere voluit, quia prius ibi-

Ezech. 1. 10. S. Bonav. in Ps. 90. Deut. 32. 11.

tinuit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Clamat denique in
Luc. 23. cruce latro: *Domine, memento mei*; & à benignissimo JESU mox audivit:
24. *Amen, dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* O Domine JESU! clamamus & nos ad te: *Domine, memento nostri &c.*

CONSIDERATIO XXIX.

De Ascensu in cœlum: per crucem ad lucem.

Pro Festo Ascensionis Dominicæ.

Et Dominus quidem JEsus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Marc. 16. 19.

1.

MIror, dum attentô animô perpendo, quòd olim Isaac Patriarcha locupletissimus filium suum Jacob unicè dilectum, velut quemdam pauperculum peregrinum, vili pastorico habitu indutum, solóque baculô munitum in Mesopotamiam, & ad terras tam remotas amandaverit, ut in Haram in cognatione sua optatam sibi quæreret, & seligeret sponsam; in quo periculoso itinere, cùm post solis occasum piissimus
Gen. 28. 19. juvenis in campo patenti super durissimum lectulum (quia ex lapidibus erat dispositus) somnum capesseret, scalam super terram stantem, & cacumen illius cœlum tangens conspexit. Tandem post expletos labores plurimos & sponsâ & divitiis, sed multò magis divina benedictione locupletatus *in baculo suo transivit Jordanem*,
Gen. 32. 10. & qui solus quondam è patria exiêrat, nunc cum duabus turmis ad eandem terram patriam, & ad Isaac optimum patrem suum, tunc adhuc viventem, cum gaudio reversus est.

Per hunc Jacobum rectè Christus unigenitus Dei Patris Filius præsignatus est, quem in Incarnatione Pater è patria sua cœlesti sine ullo comite prorsus inermem, pauperem, ac peregrinum in hanc lacrymarum vallem
Isa 6. 8. ablegavit: *Ecce ego; mitte me*, ut sibi sponsam Ecclesiam quæreret, ac seligeret. Jacob scalam illam prodigiosam vidit, & ipsum Dominum innixum scalæ; sed hic mysticus Jacob Christus Dominus noster hanc cœli scalam non vidit tantùm, sed & ipse eam ascendit, ut nobis mansionem & locum para-

pararet in cœlo. *Quia vado parare vobis locum*; scala autem ista teste S. Augustino non alia est, quàm Crux Dominica; *Crux*, inquit, *scala cœli est, per quam Christus hominem lapsum levavit ad Patrem.* Reversus est autem Jacob cum duabus turmis: *In baculo meo transivi Jordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.* Per duas istas turmas, quas secũ hodie Christus in gloriosa sua & admirabili Ascensione in patriam cœlestem traduxit, & Angeli, quorum ruinas implevit, ubi de torrente in via bibit, & homines, quos Sanguine suo redemit, & de limbo eruit, subaudiuntur; ita S. Thomas Villanovanus: *His duabus turmis*, inquit, *Angelorum scilicet & animarum stipatus, magnus ille Jacob revertitur in patriam suam, qui in baculo Crucis suæ quondam solitarius mundi hujus Jordanem transiêrat.* Ex quibus agnosce, homo Christiane, quòd Pater cœlestis neque dilectissimum Filium suum JESUM ad immensam illam cœlorum gloriam admittere voluerit, nisi post exantlatam Crucis & amarissimos Passiones dolores; adeóque nec tibi, ô mi lector, aliud cœlum pinget; per aspera venies ad prospera, & cœlum non aliâ monetâ, quàm cruciferis venale est. Plura in præsentiarum.

Jo. 14. 2. S. Augustſerm. 79. Gen. 32. 10. S. Thomas Villanov. conc. 1. de ascens.

2. Mirabilis erat illa visio, quam quondam habuit Ezechiel Propheta, ubi per apertum cœlum quatuor animalia, seu potiùs quatuor Cherubinos vidit, quorum quilibet quatuor facies præferebat, videlicet faciem hominis quasi primariam & eminentiorem, cui à dextris annexa erat facies leonis, à sinistris facies vituli, & sursum facies aquilæ: *Similitudo autem vultûs eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quis, obsecro, hanc mirabilem expendens visionem non obstupescat? & quid dices, per quadripartitam faciem nobis indicatum est? Omissis aliis DD. Patrum responsionibus & explanationibus, perelegenter nobis inservit S. Bonaventura, qui per diversas illas facies diversa redemptionis nostræ mysteria intelligit: *Christus* ait, *natus est ut homo*, formam servi accipiens, & habitu inventus est ut homo. *Passus est ut vitulus*, dum seipsum in ara Crucis in cruentam victimam pro mundi salute obtulit. *Resurrexit ut leo*, qui est fortissimus animalium, & ad nullius pavet occursum, in qua resurrectione de morte, diabolo, & inferno triumphavit. *Ascendit ut aquila*, dum videntibus Discipulis elevatus est in cœlum; & quemadmodum aquila pullos suos adhuc in nido hærentes, suo volatu ad volandum provocat, juxta illud Deuteronomii: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas.* Ita pretiosissimus orbis Reparator Christus hodierna luce in gloriosa Ascensione sua, evolans ad cœlum provocavit dilectos suos ad similem volatum, & ad sui sequelam. Unde non in monte Thabor, ubi priùs gloriosè transfiguratus est, neque in monte Sion, ubi ultimam cœnam cum Discipulis celebravit, sed in monte Oliveti ad cœlestem gloriam ascendere voluit, quia prius ibi-

Ezech. 1. 10. S. Bonav. in Ps. 90. Deut. 32. 11.

dem passionem suam inchoavit, sanguinem sudavit, & cohortibus militum se ultrò præbuit ligandum, atque ad mortem Crucis ducendum: *De monte Oliveti,* ait S. Cyrillus Hierosolymitanus, *in cœlos ascendit; illic maximum certamen incepit; hìc autem post certamina coronatus est.* Ibi & pedum suorum reliquit vestigia in petra impressa, ut hæc intuentes animemur ad sequenda alacriter ejus vestigia, juxta illud S. Petri: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus &c.*

S. Cyrill. Hierosol. Cath. 14.

2. Petr. 2. 21.

3. Magna quondam ob populum idololatrantem erat siccitas & sterilitas terræ, ita ut per tres años ac sex menses nec unica quidem aquæ stilla de cœlo caderet; tandem vidit Elias in monte Carmelo orans nubem quandam parvulam ad instar hominis de mari Mediterraneo in altum ascendentem: *Ecce, nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Et quid factum? Audi Scripturam: *Ecce, cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus; & facta est pluvia grandis.* Quòd hæc & similia illis in antiqua Lege existentibus facta sint in figura, Divus Paulus luculentô demonstrat testimoniô. Quid ergo, dices, per illam nubeculam, vestigium seu formam hominis repræsentantem, & de mari in cœlum ascendentem, ac tandem totum orbem terrarum irrigantem præsignatus est? Resp. Insignis Theologus Antonius de Rampelogis, nihil aliud, quàm Humanitas Christi hodie de hoc mari magno & spacioso hujus mundi super omnes cœlos & Angelorum choros ascendens, & in Dei solio collocata, ex qua nubecula *facta est pluvia grandis,* dum Christus in die Pentecostes pluviam magnam gratiarum, hoc est, Spiritum Sanctum in terram misit: *Nubecula,* inquit, *ascendens de mari fuit humanitas Christi, quæ de pœnalitate fluctuum nostræ iniquitatis ascendit ad cœlum semper associata divinitati, & postmodùm in Pentecoste facta est pluvia gratiarum in mundum, quia privatus extiterat per quinque millia annorum & ultra, & sic madefacta corda fidelium tali pluviâ germinaverunt velut campi fructus suavitatis, & odores gratos Deo, quibus mediantibus redditi sumus ad Salutis patriam, à qua prius exules fueramus.*

3. Reg. 18. 44.

1. Cor. 10. 11.

Anton. de Ramp. de Ascens. Dom.

De Elia recenset ulteriùs Sacer Codex, quòd, cùm curru igneo in cœlum raperetur, Elisæo ad eum in raptu succlamanti *Pater mi! currus Israël, & auriga ejus,* pallium suum, sed meloten ad sui memoriam & ad singulare solatium hujus sui dilectissimi discipuli demiserit, & sic *ascendit Elias per turbinem in cœlum.* En rursus perelegantem typum hodierni Ascensus Christi Domini in cœlum. Elias per currum fuit elevatus in cœlum; Christus per Crucem, quæ est currus Christianorum, quo vehuntur in cœlum. Elias per turbinem ascendit in Paradisum; Christus per turbinem passionis ad tam immensam gloriam evectus est. Elias ex hoc mundo discessurus peramanter Elisæo valedixit, ac benedixit; Christus *elevatis manibus suis benedixit eis, & ferebatur in cœlum.* Elias candidum suum pallium Elisæo in subsidium & solatium reliquit;

4. Reg. 2. 12.

Luc. 24. 50.

quit; Christus sub candido pallio seipsum in SS. Eucharistia omnibus Christicolis, ac dilectis fidelibus in peculiare reliquit solatium. *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* O diem felicem! de qua S. Gregorius ita scribit: *In hac solemnitate,* inquit, *deletum est chirographum nostræ damnationis, immutata est sententia nostræ corruptionis, illa enim natura, cui dictum est, terra es & in terram ibis, hodie in cœlum ivit.* Matth. 28. 20. S. Gregor. M. hom. 29.

4. Recordor hîc Jacob Patriarchæ nunc pleni dierum ex hoc mundo ad meliorem vitam discedentis, & filius Joseph, Ephraim & Manasse, paternè benedicentis, super quos manibus transversim positis Crucem fecit, & eos in veritate Crucis, quam prævidit, benedixit: *Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.* Umbram & figuram spectâsti hodie in discessu CHRISTI ex hoc mundo in cœlum adimpletam, de quo refert Lucas: *Benedixit eis, & ferebatur in cælum.* Sed quomodo dilectis suis benedixit Discipulis, ac primis fidelibus? Scriptura observat, *elevatis manibus*; ergo Crucem fecit, homo enim ambas elevans & extendens manus Crucem format. Ita jam olim in Lege veteri benedixit Aaron summus Sacerdos populum Israëliticum: *Et extendens manus ad populum benedixit ei.* Ita & CHRISTUS Dominus plusquam Aaron in hodierno abitu ex hoc mundo ad Patrem benedixit fidelibus suis: *Christus,* ait Didacus Stella, *elevavit manum, & factô super eos signô Crucis, benedixit eis.* Et quare signum Crucis fecit, & vulneratas eis ostendit manus? *Ut videlicet,* pergit idem Author doctissimus juxta ac pientissimus, *ostenderet eis, quòd illa vulnera asportabat in cœlum, ùt eorum ostensione pro eis supplicaret ad Patrem; ac per hoc ostenderet, quòd, qui sanguinem pluerat per vulnera illa in supplicio Crucis, pro ipsa eadẽ, tanquam per meritoria instrumenta abundantiam Spiritûs Sancti offunderet sublimatus in cœlum.* Luc. 24. 50. Levit. 9. 22. Didac. Stella in Luc. de Ascens.

Ascendit autem Christus in meridie, & sumptô prandio in cœlum: *Recumbentibus illis undecim apparuit.* Et paulò post: *Postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.* Et quare, dices, in meridie & post sumptum prandium? Adverte: In meridie Adam primus per inobedientiam, superbiam & gulam paradisum sibi & nobis clausit, in meridie Adam Secundus clave sanctæ Crucis eum de novo nobis aperuit. In meridie Adam primus manus ad fructum vetitum, & ad lignum scientiæ boni & mali extendit; In meridie Adam Secundus palmam Crucis ascendit, ut apprehenderet fructus ejus, & nunc in meridie summa cum gloria & majestate obsequio & Angelorum, & animarum Sanctarum comitatu stipatus cœlum ingreditur, ac qui priùs *se humiliavit, & factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ùt in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster JEsus Christus in gloria est Dei Patris.* Marc. 16. 14. ad Philipp. 2. 8.

tris. Quid tu ad ista, O delicate miles? Qui sine Cruce, sine sudore, sine labore, sine tribulatione, sine bonis operibus ad regnum vis pervenire æternum?
Luc. 24. 26. Quid tu, inquam, ad ista? Si sic *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: quomodo tu ad illam pertinges?

Observat autem S. Lucas in Apostolorum Actis, quòd post admirabilem illam glorioſissimi Redemptoris nostri Ascensionem in cœlum mox duo Angeli, humanam speciem & vestimenta candida induti, Apostolis & primis fidelibus apparuerint, non ut tam consolarentur illos, quàm & reprehenderent, quòd tam diu post Christi Ascensum in monte illo Olivarum remanerent, & fixis oculis, postquam jam Dominus sedem suam in cœlo paravit, adhuc in cœlum intuerentur: *Ecce, duo viri adstiterunt juxta illos, qui & dixerunt: Viri Galilæi, qui statis aspicientes in cœlum?* Et quare (quæres haud immeritò) Apostoli & primi Christiani à duobus istis Angelis in aëre se illis repræsentantibus, fuerunt reprehensi, quòd diutiùs oculos in cœlum levârint, ac abeuntem suum amorem contemplati sint? Et nunquid amor filialis hoc fecit, quo ad suum abeuntem adspirant thesaurum? Et quis, obsecro, hîc Discipulorum admirationem & animorum motus exprimat, aut mente concipiat? Stabant quasi attoniti omnes, & juxta mentem Melliflui plorabant præ lætitia inenarrabili, neque ampliùs præ tanti prodigii stupore se ipsos poterant capere, hinc stabant quasi extra se rapti. Et tamen reprehenduntur? & quare hoc?
Act. 1. 11.

Priusquam hanc solvamus quæstionem, oportet, ut ad montem Thaboræum transitum faciamus. Vidit ibidem Petrus Dominum suum mirum in modum clarificatum, ejusque faciem ad instar solis resplendentem, & juxta illum Moysen & Eliam apparentes, atque cum eo de excessu futuræ passionis colloquentes; ex qua visione Petrus adeò fuerat recreatus, ut mox tria discuperet ædificare tabernacula, Christo unum, Moysi unum, & Eliæ unum; sui tabernaculi & sociorum Discipulorum prorsus immemor: *Non enim*, ait Marcus, *sciebat quid diceret.* Et quomodo, inquies, non sciebat Petrus, quid diceret? An forsan delirabat, aut ebrius erat? Aut præ dulcedine hujus visionis rationis inops extitit? Quare ergo hîc Petrus propter ignorantiam arguitur & corripitur. *Non enim sciebat, quid diceret?* Observa: Petrus nimis præproperè suam æternam quærebat felicitatem, & adhuc in hac vita & lachrymarum valle constitutus, cùm tamen terra hæc sit locus exilii, passionum, certaminum & ærumnarum; priùs igitur debuisset loqui de laboribus, de Cruce, & generis humani redemptione, antequam loqueretur de perpetua mercede & mansione, proinde non immeritò ab Evangelista reprehensus est: *Non enim sciebat, quid diceret.*
Marc. 9. 5.

Ecce anime mi! eadem ratio pugnat pro priori nostro argumento, ubi differùimus, quòd Apostoli diutiùs, quàm oportebat, post Christi Ascensum in

cœlum

cœlum intuentes, à duobus Angelis fuerint correpti: *Viri Galilæi*, quod nomen idem significat, quàm *Transmigrans*, non hærens, sed pergens in virtute ac labore pro æterna obtinenda gloria; non enim sufficit oculos habere defixos in cœlo, & interim pigras inter se convolvere manus, sed laborandum nunc est, dum tempus habemus ad operandum bonum. Juvat hîc audire S. Archi-Præsulem Thomam Villanovanum: *Via*, inquit, *cœlorum patet, & janua Paradisi aperta est; quid ergo statis? Tanta vos gloria manet, & statis? Tantum vobis præmium repositum est, & hæretis? Talis vobis corona promittitur, & desidiosè pugnatis?* Hoc idem & vobis dico, ò tepidi Christiani! pugnandum nunc est, & laborandum pro æterna gloria; Otiosis non dabitur merces, & promissus à patrefamilias denarius. S. Th. Vill. conc. 1. de ascens. D.

6. Celebris ac magnificus fuit ille triumphus, quem quondam Rex Pharao Joseph Jacobi Patriarchæ filio decrevit, & adornavit. Erat priùs ille Joseph, licèt innocentissimus, omnibus fratribus suis odio, & ideo in cisternam ab illis projectus, & viginti argenteis Ismaëlitis in servitutem venditus; exinde in Ægypto per annos plures carceri mancipatus, ferreisque compedibus ut latro constrictus. Tandem ille Joseph (quis unquam credidisset?) una die ab imo in summum evectus est, cui Ægyptiorum Rex, quia somnium septem vaccarum & spicarum illi prudentissimè de septennio fertilitatis & sterilitatis futuræ explicavit, splendidissimum statuit & adornavit triumphum.

Ecce, inquiebat Rex ad eum nunc de carcere eductum, *constitui te super universam terram Ægypti, tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus; vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem aureum circumposuit, fecítque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum eum scirent universæ terræ Ægypti, vertitque nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi.* O quàm miranda hæc erat metamorphosis! pro sordido & squalido habitu indutus est stolâ byssinâ, pro servili vinculo donatus est torque aurea, pro annulo ferreo decoratus annulô regiô, & pro tetro squalore adeptus est ditissimum & amplissimum imperium, & qui priùs erat abjectissimum mancipium, nunc in triumphali & aureo curru, obstupescentibus omnibus, circumfertur ut Rex, ac velut alter Pharao Imperio potentissimus. Superi! quis unquam hanc exspectâsset rerum mutationem? Vide ex hoc, anima Christiana; quomodo gloriam semper præcedat humilitas, & quàm verum sit illud Veritatis: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Gen. 41. 41.

Ast ad quid ista enarro? altiùs attolle mentis oculos, quisquis es, ò mortalis homo! & ex hoc figurante disce cognoscere figuratum. Joseph ille nullum alium præsignabat, quàm Christum JEsum Dei, hominísque Filium, priùs per omnem vitam humiliatum, triginta argenteis in mortem venditum, & in Passione velut virorum novissimum reprobatum; sed nunc tandem in

glorioſa Aſcenſione ſua extulit caput, dum ſuper omnes creaturas, Angelorúmque choros à cœleſti Patre fuit exaltatus. Juvat hîc audire Cornelium:

Corn. hîc. *Joſeph*, inquit, *id eſt, Chriſtum, exaltavit Pater dicens: Hic eſt Filius meus dilectus. Stola byſſina eſt gloria corporis, qua veſtitur ejus innocentia. Annulum dedit, quia ignovit Pater. Torques aurea ſignificat dotes glorioſas corporis. Poſuit eum ſuper currum, quia omnia dedit in manus. Anteceſſit præco Joannes Baptiſta. Præpoſuit eum toti Ægypto, id eſt, mundo. Dedit ei judicium & nomen, Salvator mundi, ac ſponſam Eccleſiam.* Hæc Cornelius, & optime. Diſcite hîc mortales omnes, quia venit poſt laborem quies, poſt nubila Phœbus, poſt tenebras lux, poſt hyemem æſtas, & cruentam pugnam optata victoria. Audi hîc pro tuo ſolatio & Sanctum Auguſtinum:

S. Aug. lib. Confeſſ. 8. cap. 3. *Triumphat*, ait, *victor Imperator; & non viciſſet, niſi pugnaviſſet; & quantò majus periculum fuit in prælio, tantò majus eſt gaudium in triumpho. Jactat tempeſtas navigantes, minatúrque naufragium, omnes futura morte palleſcunt; tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus, & vena ejus malum renuntiat; omnes, qui eum ſalvum cupiunt, ægrotant ſimul animô: fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus; & ſit tale gaudium, quale non fuit, cùm antea ſalvus & fortis ambularet &c.* En hîc faciem exantlatæ tribulationis, & quomodo per aſpera veniatur ad proſpera, & per Crucem ad lucem. O felices nos! ſi hîc cum Chriſto compatimur, quia veniet tempus, ut & cum illo conglorificemur.

7. Ex quibus hactenus enarratis facilè capio & illam pulcherrimam parabolam, quam Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis à Jericho pergens Hieroſolymam

Luc. 19. 21 in via propoſuit: *Homo quidam Nobilis abiit in regionem longinquam, acciS. Baſil. in Catena. pere ſibi regnum, & reverti &c.* Homo iſte Nobilis Chriſtus ipſe fuerat; ita S. Baſilius: *Chriſtus*, inquit, *nobilis eſt, non ſolùm ſecundùm Deitatem, ſed etiam ſecundùm genus humanum, ex ſemine David ſecundùm carnem exortus.* Hic abiit in regionem longinquam, dum de cœlo in hanc lacrymarum vallem, ut in medio terræ noſtram operaretur ſalutem, deſcendit; nunc denique conſummata paſſione de morte redivivus revertitur in regnum ſuum cœleſte immenso Sanguinis ſui pretio comparatum, ut ibidem tanquam Dominus univerſorum accipiat poſſeſſionem ac Dominium; ò quanto omnium Angelorum & Electo-

Act. 1. 11. rum cum gaudio! Attende hîc, quisquis es: *Hic JEſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Veniet, inquam, & revertetur in terram ad judicii diem, ut minas ſuas ſive talenta tibi diſtributa cum lucro recipiat; væ tibi, ſi hîc negligens & ſomnolentus fueris inventus, & minam tuam ſine lucro & non auctam in ſudario repoſuiſti: *Negotiamini, dum venio.*

In hac triumphali Chriſti Aſcenſione adimpletum fuit illud illuſtre Iſaiæ va-

Iſa. 63. 1. ticinium: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus*

mosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ita adventantem Dominum suum post devictum Satanam, mortem & peccatum alloquebantur cœlestes Spiritus; quibus orbis triumphator Christus respondit: *Ego, qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum.* Ad quod responsum ulteriùs Angeli: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Ad quod rursus pretiosissimus Salvator: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Per istud torcular communiter SS. Patres Christi Passionem & Crucem subaudiunt, per quam sibi & nobis victoriam peperit, hostes occidit, & morte sua mortem omnium, si velint, superavit; idcirco purpurascentes vulnerum cicatrices, quasi trophæa, triumphans cœlo intulit. Sed cave, peccator, si te non emendaveris, severam ultionem de hoc Sanguine suo pro te tam largiter effuso requiret: *Dies enim ultionis in corde meo.* Isa. 63. 4.

8. Pro dictorum coronide agglomeremus adhuc aliqua argumenta. Cùm David de cæde Goliathi Philistæi ut victor glorioſus ingrederetur civitatem Solymæam, occurrebant ei turmatim ex aliis vicinis oppidis juvenes & virgines, senes cum junioribus, cives ac mulieres cum tympanis & sistris, aggratulantes ei tam insignem victoriam, chorósque ducentes, & læto animo cantantes: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. 18. 7. O si hodie vidissemus ingressum Christi JEsu Filii Davidis in cœlestem Jerusalem post devictos hostes suos ad Patris solium ascendentis, & in occursum huic victori optimo maximo universam supernorum spirituum Curiam, & beatam illam civitatem Jerusalem ruentem, ac applaudentem, quid, obsecro, pensâsset mens nostra? Et quis est, qui ineffabile hoc gaudium poterit verbis explicare, vel mente concipere? *In hac die*, ait S. Laurentius Justinianus, *tota civitas cœlestis Jerusalem rosis coronata est, respersa odoribus, floribus redimita, ornata monilibus, decorata gemmis, auró depicta, & circumquaque septa cantoribus; adeo ut per omnes vicos & plateas, atque super ipsius muros dulcisonè laudantium perstreperent voces.* S. Laur. Just. serm. de ascen. Dom. Obstupuit, & attonitus hæsit S. Fulgentius Episcopus, ubi aliquando Romam triumphantem, & superbissimum triumphi apparatum vidit; & quid dixisset, si hodiernum spectâsset Filii Dei in cœlum ingressum ac triumphum? unde in has voces non sine profusis devotè lacrymis prorupit: *Quàm speciosa potest esse Jerusalem cœlestis, si sic fulges Roma terrestris? Et si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem: qualis gloria & honor præstabitur Sanctis diligentibus veritatem!* Surius in vita.

Pastori illi bono congratulabantur quondam amici ob inventam perditam oviculam, & mulieri ob repertam drachmam amissam: *Hodie*, ait S. Epiphanius, *Christus ingenti gaudio triumphans ovem humanæ naturæ humeris impositam patri obtulit &c.* Proinde & amicos ac vicinos suos, id est, Angelos convocavit, dicens illis: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam,* S. Epiphan. de ascens. Luc. 15. 6.

quæ perierat. O Christe JEsu! O Amor meus, Deus & omnia! Ovis illa perdita & ego sum, quam tot annis summo cum labore quæsîsti, ac tandem in cruce reperisti; nunc post consummatam Passionem, Pastor optime! nunc, inquam, *veniens domum*, & mei miserrimi recordare peccatoris, & non sinas me æternùm perire, quem tantô Sanguinis pretio redemisti &c.

CONSIDERATIO XXX.

De vitando Mendacio, & dicenda Veritate in omnibus.

Pro Dominica 6. post Pascha.

Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis. Jo. 16. 26.

1.

Jo. 8. 44. SI serpens ille infernalis & antiquus est pater mendacii, juxta illud Veritatis: *Mendax est & Pater ejus*, profectò Eva est mater mendaciorum, quæ in Paradiso mentiendo vix non diabolum superavit; quid proinde mirum, quod etiamnum inter Evæ filios tot reperiantur mendaces, quia proles sequitur ventrem & matrem, plerumque filii matrizare assolent: unde rectè Bellarminus: *Mendacium*, inquit, *est primum odinariè peccatum actuale, quod pueri committunt.* Et Jeremias de hoc hæreditario peccato asserit: *A Propheta usque ad Sacerdotem, cuncti faciunt mendacium*, & Oseas: *Maledictum & mendacium inundaverunt.* Hujus abominandi vitii gravitatem agnoverunt, ac execrati sunt & ipsi Gentiles; unde Periander Ethnicus, Corinthorum quondam Princeps, ut mendacium subditis redderet exosum, inter alias leges etiam hanc dictavit; *Quisquis, aut vir, aut mulier in detrimentum alterius mendacium dixerit, integri mensis spatiô lapillum in ore gestato; non enim æquum est, loquendi libertate frui, qui in mentiendo effrænis est.* O bonum Numen! si adhuc ista lex inter modernos vigeret Christianos, quis, quæso, sine lapide in ore inveniretur? Quid enim magis in ore & more versatur quàm mendacium? Hinc Psaltes ille Regius non sine peculiari causa dixit: *Omnis homo mendax*; & licèt Propheta in excessu mentis hoc effatus sit, nihilosecius mendacium adeò inter mortales invaluit, ut pauci ab illo excipiantur immunes; & quod summè dolendum,

Bellarmin. in Psal. 57.
Jer. 8. 10.
Oseæ 4. 2.
Stanihurst. in Tess. die 28. April.
Ps. 115. 2.

eô

eò usque deventum est, ut non ampliùs hoc abominandum vitium inter homines curetur, hinc tot quotidie agglomerantur mendacia. Juvat hîc audire S. Thomam Villanovanum: *Hoc tempore,* inquit, *nihil mendaciò licentiosius; expende, quæso, temporum nostrorum malitiam, quando tam avidè mendacia audiuntur, & veritas cunctis exosa est, & omnibus fastidio, maximè Magnatibus.* Subdit exinde Sanctissimus Antistes: *Non est veritas in mundo, non est, qui loquatur verum cum proximo suo; quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est.* O tempora, O mores! *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et hoc est, quòd hodie Veritas Christus in Sacro Evangelio insinuavit, ubi dilectis suis Discipulis ad Patrem in cœlum iturus Spiritum Sanctum, qui propriè est Spiritus veritatis, promittit: *Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis*; Quod ansam nobis præbet plura de veritatis virtute & mendacii vitio differendi. *Qui ex Deo est, Verba Dei audit.*

S. Th. Vill. conc. 3. de Advent.

Psal. 4. 3.

Jo. 36. 26.

2. Cùm pientissimus orbis Salvator Christus à perfidis Hebræis ad Romanum Judicem Pilatum fuisset adductus, ut ab ipso tanquam læsæ Cæsareæ Majestatis reus propter affectatum regnum Israël (prout illum iniquissimè accusabant) ad mortem crucis condemnaretur, varias Romanus ille Judex hac super re quæstiones cum Christo instituit: *Tu es Rex Judæorum?* ad quod mitissimus Redemptor: *A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* Et interjectis aliis repetiit Judex priorem: *Ergo Rex es tu?* Et Christus: *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et ut hanc veritatem ac virtutem summè ad salutem necessariam illi magis exaggeret, adjecit Christus: *Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.* Per quod tacitè Dominus Pilatum veritatis & justitiæ admonuit, ut verè & justè causam suam decideret, nec criminationibus & importunis accusationibus Judæorum se vinci sineret. Verùm homo ille gentilis, qui Christum non aliter quàm hominem Philosophum, aut Prophetam de veritate & sapientia more Philosophico speculantem considerabat, ut citiùs hunc discursum & filum sermonis abrumperet, surgens de sede sua judiciaria ad Christum per transennam dixit: *Quid est Veritas?* Et hoc dicens non exspectans ampliùs à Christo responsionem exivit ad Judæos, illis dicens: *Ego nullam invenio in eo causam.* Exspecta hîc tantisper Præses Romane, & ab ore Veritatis responsum accipe. Sed actum ajo, abiit Pilatus, & foras erupit; & quæ causa hujus subitanei & insperati discessûs? In promptu causa est, quia nauseabat veritatem, hinc illam noluit nisi post tergum audire, ubi adimpletum est illud: *Corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in oblivionem.* Observant hîc aliqui, quòd Pilatus cum Christo Linguâ Latinâ, quia Romanus erat, fuerit collocutus: *Quid est Veritas?* O iniquissime Judex! vis audire anagramma super prædicta verba:

Jo. 18. 33.

Isai. 59. 14

Jo. 14. 6. *Quid est Veritas*? Muta parumper litteras,& habebis: *Est vir, qui adest*; Ipse enim hic vir dicit de se; *Ego sum Veritas.* Sed noluit Pilatus audire veritatem, dum eam tanquam mortuum canem in platea jacentem aspiciebat, unde per mera mendacia *Vita* & *Veritas* ad mortem Crucis condemnata est. O mendacium, tu larva es Diaboli, lepra pessima, virus pestiferum, moneta spuria, & ipsa Satanæ synagoga, quia inter omnia vitia societati humanæ maximum inferre soles detrimentum; proinde rectè monet S. Ambrosius: *Cavete, fratres, cavete mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filii sunt Diaboli, non naturâ, sed imitatione.*

S. Ambros. lib. 5. Hexameron.

Jonæ 3. 4. 3. Sed progrediamur ulteriùs. Jonas ubi civitati Ninive ex speciali Dei mandato interitum prædicavit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur,* post obitam hanc Legationem, & peractam prædicationem illicò de civitate egressus, sedit contra Orientem sub umbraculo, ut ibidem interitum urbis ac populi spectaret præsens; sed quia quadragesimo die nunc finito effectum non vidit, & insuper advertit, à benignissimo Numine propter pœnitentiam Ninivitarum mutatam esse excidii sententiam: *Et misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*; idcirco Jonas, prout observat Scriptura, afflictus est afflictione magna, ita ut magis sibi mortem, quàm vitam exoptaret. *Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam à me, quia melior est mors, quàm vita.* Et quare, dices, hîc Jonas adeò contristatus & exacerbatus est, ubi vidit, Deum parcere pœnitentibus Ninivitis? Respondit in hunc locum Theodoretus, & communiter alii, ideò Jonam Prophetam adeò fuisse afflictum, ne vir mendax in mundo haberetur; vidit enim oraculum suum, quo civitatem prædixerat evertendam, nunc reddi vanum & falsum, ac proinde se imposterum habendum esse falsum ac mendacissimum Prophetam, hinc adeò afflictus est, ut mori potiùs quantocyus optaverit, quàm diutiùs cum hac ignominia vivere: *Tolle*, ait citatus Theodoretus, *animam meam, vitâ defungi malo, quàm vivere cum ignominia; vereor, ne mendax habear.*

Jonæ 4. 3.

Theodor. in hunc loc.

Vide hîc, ac considera, quo horore abominatus sit Jonas vel unicum mendacium, & ne in gente sua mendax videretur; ò Deum immortalem! qualis est nunc mundi & rerum facies? Transi ad aulas Principum, & quid videbis, nisi mendacia, fraudes, technas & dolos? Petrus vel semel ad aulam Caiphæ Principis Sacerdotum venit, & quid didicit? *Cæpit detestari, & jurare, quòd non novisset hominem.* David in aula Regis Saul pulsabat citharam, veritatis symbolum, interim *tenebat Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete.* Gratus erat Herodi & aulæ ejus Joannes præcursor Domini, quamdiu Regem & aulicos non arguit: *Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Sed ubi concionator ille altiùs veritatis tubam inflavit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui,* mox mutato animo alia sententia secuta est: *Et misso speculatore præcepit afferri caput ejus in disco; & decollavit eum in carcere.*

Matth. 26. 74. 1. Reg. 18. 10. 11. Marc. 6. 20.

Transi

Transi ad Magistratus & Tribunalia, ad Consiliarios & Causidicos, ad Judices & Officiales, ò quot videbis & experieris mendacia? quot ejusmodi hominum videntur fronte Catones, & corde sunt Nerones, exteriùs benigni, justi, pii, interiùs sævi & crudeles, versuti, injusti, deceptores, versipelles & omnium fraudum architecti. Achitophelem attende se omni tempori, occasioni & personis accommodantem, & nunc pia pio Davidi, nunc impia impio Absoloni subministrantem consilia; & quid tandem huic mendaci diaboli ministro evenit? *Dispositâ domô suâ suspendiô interiit*, & æternùm periit. 2. Reg. 17. 23.

Transi ad mercatores & cives, ad opifices & agricolas, ad milites & satellites, ad divites & pauperes, ad servos & pueros, perlustra illorum agendi modum & vitam, & quid in omni statu reperies nisi mendacia & fallacias, perjuria & jurgia, imprecationes & blasphemias: Tollat me hic & ille, fiam cæcus, terra me absorbeat, mille me rapiant Diaboli, morte peream subitaneâ, si hoc vel illud verum non est, & tamen heu! nonnisi mera sunt mendacia. Et hoc inter Christianos? O sancta Veritas! ubi modò est locus tuus? Christo recens in lucem nato non erat locus in diversorio: sic & tibi etiamnum accidit ô bona Veritas! omnes tibi occluduntur portæ! ah misera, cogeris exulare: *Corruis in platea veritas.* Vis probam? Luc. 2. 7. Isa. 59. 14.

4. Venerat aliquando mitissimus JEsus in patriam & civitatem suam Nazareth, ubi erat nutritus & pluribus annis in laboribus educatus; ibi ergo die quodam Sabbati se contulit in Synagogam, & facta oratione petiit à Ministro Synagogæ Scripturam, qui illi tradidit Librum Isaiæ Prophetæ, quem aperiendo illicò in hunc locum Dei nutu ductúque incidit: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum & diem retributionis.* Et cùm plicuisset librum, Ministróque dedisset, Judæis ex hoc Scripturæ loco ad oculum demonstravit, se illum verum esse Messiam à Deo Patre orbi in salutem quondam promissum, & nunc submissum; & ubi pluribus illis ostendit argumentis, nullum Prophetam in sua patria esse acceptum repleti sunt omnes furore *& surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatẽ, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent illum, ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Unde, obsecro, ille furor Judæorum in JEsum? & quid peccavit mansuetissimus Agnus in concives suos? Respondeo causam hujus tumultûs & indignationis non fuisse aliam, quàm quia illis incredulis & ingratis civibus veritatem emphaticè prædicavit, eos in concione redarguens per duo exempla, Viduæ in Sarepta, & Naamanni leprosi ab Elisæo sanati, quam veritatem ubi audiêrunt, cunctos se esse existimantes, mox statuerunt unanimiter, Christum eliminare, eumque ut blasphemum in saxa præcipitare; sed JEsus invisibi- Isa. 61. 1. Luc. 4. 18.

visibilem se faciendo transiens per medium illorum ibat, decebat enim adhuc aliis prædicare Evangelium, & tandem ex Patris decreto Hierosolymæ crucifigi, & non in Nazareth præcipitari. *Ita*, subintrat hîc Simon Cassianus, etiamnum hodie faciunt illi Christiani, *qui veritatem, rectumque sermonem & dulcem reprehensionem ejiciunt extra mentes, & Christum & omne, quod rectum est, de se ipsis præcipitant per superbiæ montem.* O quàm bene in hanc rem & in modernum sæculum citatus Divus Thomas Villanovanus: *O nostri sæculi perditionem! ò mundi pessimam corruptelam! ò mundum mendaciis & adulationibus plenissimum! non est veritas in mundo; non est, qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est, docuerunt enim linguas suas loqui mendacium; in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, ut discerent fallere, mentiri, adulari, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes. Hæc civilitas, hæc affabilitas; & inurbanus est, qui suis fallere & mentiri non novit. Si quis verax, si quis fidelis & probus, rusticus & stupidus reputatur.* Hæc Sanctus ille Archi-Præsul. Et pro nostris temporibus quid melius?

Sim. Cass. l. 8. c. 14.

S. Th. Vill. tr. de Adv. Dom.

§. Ad Christum patientem, & in Aula Caiphæ protervè illusum me confero. Magna sine dubio, imò & ferina fuit illa barbaries Judæorum, qua sputa & phlegmata putida & horrida in Divinissimam Christi JEsu faciem ab omnibus creaturis adorandam intorserunt; & exinde, prout observat S. Lucas, eandem sacratissimam faciem sordido panno velârunt, ut eò liberiùs eam vexarent, illuderent, ac colaphis cæderent: *Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes, Prophetiza, quis est, qui te percussit?* Luit, inquam, hæc atrox, imò atrocissima vilissimorum istorum homuncionum in Christum Dei Filium audacia, contumelia ac ignominia. Sed ad quid impiissimi illi scurræ faciem JEsu velaverunt? Observat S. Hieronymus & alii, quia Majestas Christi etiam in illis Passionis tenebris radiebat in vultu, quam impii illi Deicidæ & mendacissimi nebulones ferre non poterant; ne ergo Divini vultûs radiis, abinde promanantibus, absterrerentur, Veritatem illam Divinam, quæ toties ipsos in concionibus benignè correxit, ac eorum vitia improbavit, turpissimo velo obducere non abhorruêre. O Christiani! ô filii hominum, quid agitis? Vos estis illi impii & execrandi sycophantæ, qui fallaciis ac mendaciis vestris Divinissimam solis justitiæ faciem atro ac sordido velo discupitis obducere; quasi verò ille, qui fecit oculum, non consideret: Audite in hunc Scripturæ locum Eminentissimum Cardinalem Hugonem: *Velant*, inquit, *Christi faciem, qui non permittunt sibi ostendi veritatem, neq; pœnarum, neq; judicii &c.* Sed pergunt in mendaciis suis, & à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur; ò miseri, de quibus verissimè dixit Jeremias Propheta: *Veritatem non loquentur; docuerunt enim linguam suam loqui*

Luc. 22. 64.

Hugo Card. hic.

Jerem. 9. 5.

menda-

mendacium, ut inique agerent, laboraverunt. O miseri Christiani! si veritas speculum est nemini fallax, omnibus fidum, nulli inimicum, quare in illo vos non consideratis? Si regina est serenissima, quæ super omnia vincit, ac prævalet, cur illam non veneramini? si magnes est, quare ad illum ferrea vestra pectora non attrahuntur? Si gemma est, & pretiosa illa margarita, pro qua mercator cœlestis Christus dedit omnia, ut compararet eam, quare illam non queritis? Si oleum est omnibus supernatans humoribus, quare illud non maturè cum prudentibus Virginibus vobis comparatis? Si lilium denique est candore & odore conspicuum, cur in illius odorem non curritis? *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati?* Gal. 3. 1. Ah quàm malè timeo, ne etiamnum hoc temporum intervallo in plerisque Aulis, si non etiam in caulis, verificetur illud Ludovici Undecimi Galliarum Regis prudentissimum effatum? *In Aula mea,* inquiebat, *omnibus rebus abundo, exceptâ unâ*; & cum ab Aulicis rogaretur, quænam hæc res esset? Respondit: *Veritas.* Ita est, ô sancta Veritas! jam pridem in platea corruisti, & pedem fregisti, quid proinde mirum est, quòd adeò nunc claudices?

6. De S. Petro Apostolorum Principe & Summo in his terris Christi Vicario recensent sacræ Litteræ, quod in nomine Sacratissimi Nominis JEsu plura ac stupenda patrârit prodigia; Claudo ab utero matris suæ gressum & membrorum usum restituit: *In nomine JESU Nazareni surge & ambula.* Act. 3. 6. Tabitham præmatura morte defunctam ad vitam revocavit: *Et conversus ad corpus dixit: Thabitha surge. At illa aperuit oculos suos; & visô Petrô resedit.* Act. 9. 40. Simoni Mago non duntaxat interminatus est perditionem: *Pecunia tua tecum sit in perditionem &c.* Act. 8. 10. Sed & illius in cœlum volatum conantis crura confregit. Ab Herode comprehensus, ab Angelo à carcere & pœna capitis liberatus est: *Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.* Actor. 12. 11. Mitto quàm plurima alia, quæ fecit prodigia, inter quæ illud non prætereundum, quòd illius umbra miseris & ægris mortalibus apprimè fuerit salutaris: *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis &c.* Act. 5. 15. Hic tamen ac talis universæ Ecclesiæ sollicitus Pater ac Princeps, ubi Ananiam & Saphiram uxorem ejus ob pretium defraudati agri vel una vice speciosè mentientes advertit, absque ulla mora eos uno verbo prostravit, & morti tradidit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & exspiravit.* O Deum immortalem! quis mortalium hîc rigorem Sancti Petri considerans non obstupescat? Quis hunc procedendi modum non demiretur? Si ager ad Ananiam & Saphiram pertinebat, quare ob defraudatum modicum pretium, & unicum factum mendacium tam severè mulctantur?

Inter alias rationes, quas assignant SS. Patres & Scripturarum Interpretes, & ista non minima est, ne mendacium pessimum hoc lolium imposterum in pluribus fidelium cordibus pullularet, & radices ageret; proinde hæc pœna ad terrorem novellæ Ecclesiæ divinitus inflicta est, ut crescente fidelium numerô meliùs sanciretur disciplina publica, & cæteri à mendaciis Reipublicæ Christianæ summe noxiis absterrerentur: *Dum de pretii quantitate,* S.Aug.de div.ser.14. ait S. Augustinus, *mentiuntur Apostolo, mortem sibi falsitate mercati sunt.* Ubi insuper observandum, quòd Petrus ad Ananiam dixerit: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Et quare dicitur: quòd Ananias Spiritui Sancto sit mentitus? Ratio est, quia Spiritus Sanctus est *Spiritus Ve-* Joan. 16. 26. *ritatis,* prout in hodierno Evangelio à Christo fuit nuncupatus: *Mittam vobis à Patre Spiritum Veritatis,* mendacium autem quàm maximè contrarium est veritati, & per consequens Spiritui Sancto. Notent hoc sibi mendaces omnes, qui non verentur momentis singulis prorumpere in mendacia: *Nunquam,* ait S.Aug. lib. de Mend. 6. memoratus S. Antistes Hipponensis, *pro cujusquã temporali vita mentiendum est;* imò præstat perire orbem universum, quàm ut veniali mendacio offendatur DEUS summè bonus, summè dilectus. Et tu toties audes mentiri? An ignoras, quòd mendaces cœlo excludantur? *Foris canes & venefici, &* Apoc. 22. 21. *impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Audis hoc? Sed pergamus ad alia.

7. Cùm pientissimus JEsus gravissima cruce oneratus, & toto corpore ex flagellatione & coronatione saucius, fessus, fractúsque viribus ad Calvariæ montem tandem perveniisset, ubi sese Patri æterno pro nostris & totius mundi delictis in gratissimam & placabilem victimam in ara Crucis offerret, interim dum parabatur Crux & fossa, in qua hoc signum triumphale erigeretur, Judæi Christo non nihil quiescenti porrigebant vinum felle mistum: *Et de-* Matth.27. 34. *derunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Observa hîc, anime mi! inauditam Judæorum barbariem; moris enim erat, quòd reis ad mortem damnatis vinum optimum & aromaticum, tam sapore quàm odore suavissimum porrigeretur, juxta illud Sapientis: *Date siceram morientibus, &* Prov. 31. 6. *vinum his, qui amaro sunt corde;* sed impii illi Deicidæ ad majus tormentum & ludibrium hoc vinum Christo amarissimo felle corrumpebant, proinde *cùm gustâsset, noluit bibere*; qui in Cruce tamen Passionis calicem, quem miscuit ei Pater, in salutem nostram usque ad fœces voluit ebibere. Sed quæres hîc, quare ministri illi Satanæ optimum illud vinum amarissimo felle corruperunt, & amaricârunt?

S.Isidor. Pelus.lib. 11. hic. Respondet S. Isidorus Peluſiota: *Quia implacabili odiô Judæi oderant linguam illam, quam talibus ordinaverunt amaricari saporibus; memores enim erant, quoniam damnatos illorum mores arguebat,* sæpius illis veritatẽ in faciem obtrudendo, mendacia eorum castigando, & sceleratam vitam eorum redar-

guen-

guendo, hinc lingua illa benedicta, & os Veritatis in præmium non aliam tulit mercedem, quàm amariſſimum fel. Vide hîc, & conſidera, quale odium pariat candida & ſancta veritas; cum enim jam omnia Chriſti membra vulneribus eſſent ſaucia, & nunc manus & pedes ferreis ac trabalibus eſſent perforandi clavis, voluerunt illi perverſi filii Diaboli, ut & lingua Chriſti alicujus animalis amariſſimo felle amaricaretur; unde queritur ipſe Chriſtus: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* O Psal. 68. 22. Chriſtiane! quid aliud agis, dum quotidie ex turpiſſima conſuetudine in mendacia prorumpis, quàm quòd de novo linguam illam Veritatis amariſſimo felle & aceto potes? Si unicum voluntarium mendacium majus malum in conſpectu Dei, quàm omnia alia mala temporalia collectivè ſumpta; qua igitur fronte audes, & audebis impoſterùm mentiri? An neſcis, quòd Sapiens dicit: *Os, quod mentitur, occidit animam?* Auſcultemus pro dictorum confirmatione adhuc unum conceptum. Sap. 1. 11

8. Primus infirmus, quem Chriſtus in hac mortali & humana carne converſans, à corporali ſua infirmitate curavit, erat homo leproſus: *Et ecce, leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare;* quem mitiſſimus Dominus, ut ſuum in eum monſtraret affectum, manu tangens non à lepra duntaxat corporis, ſed & animæ ſanavit: *Volo; mundare.* Et quare, dices, pretioſiſſimus ille orbis Redemptor à deſcenſu de monte, ubi populum Evangelicam Legem docuit, inter omnes alios primò hunc leproſum ſanavit? cur non priùs mortuos ſuſcitavit, ut majorem ſibi in gente tam incredula conciliaret fidem & authoritatem? Priusquam hanc ſolvimus quæſtionem, oportet, ut adhuc antiquum conſulamus Teſtamentum. Matth. 8. 1.

Venerat Naaman Princeps Syrus locupletiſſimus, ſed leproſus ad Eliſæum Prophetam, ut illius conſiliô & operâ à fœdiſſima corporis mundaretur lepra; qui ei mandavit, ut ſepties ſeſe in Jordanis lavaret flumine. Lavas is ſe, mundatus eſt, & retrogreſſus cum gaudio ad Eliſæum, ei in ſignum grati animi regia præſentavit munera; ſed noluit quidquam accipere pauper Eliſæus, quia ſolum quærebat Deum; quod videns Giezi ſervus ejus, tempus opportunum ſe ditandi ratus, poſt Naaman cucurrit, & ſpeciosè ei mentitus eſt: *Et ſecutus eſt Giezi poſt tergum Naaman: quem cùm vidiſſet ille currentem ad ſe, deſiliit de curru in occurſum ejus, & ait: Recténe ſunt omnia? & ille ait: Recte: Dominus meus miſit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices.* Quod flagitavit Giezi, liberali manu à Principe impetravit. Sed poſtea, quid accidit? propter mendacium illud tam ſpeciosè ſubornatum etiam Naamani lepram hæreditavit: *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo usque in ſempiternum. Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.* Ite nunc mendaces filii hominum, ite, ite, & mendacia mendaciis cumula- 4. Reg. 5. 21.

mulate; sed considerate miseri, quàm fœdissimâ leprâ animam vestram contaminetis.

Nunc capio, quare Christus dictum leprosum in Lege Evangelica inter omnes, quos curavit infirmos, primò sanaverit. Rationem subministrat S. Chrysostomus, quia lepra Symbolum est mendacii; sicut enim lepra carnem hominis fœdè variat, & commaculat, ita & mendacium, dum per linguam exteriùs falsum dicit, & tamen interiùs in mentè verum apprehendit: Meritò igitur, pergit citatus Sanctus Doctor, primò omnium locò sanandus fuit leprosus, quia ei, qui progressum vult facere in virtutibus, necessum est, ut priùs hanc curet infirmitatem spiritualem. O Christe JEsu! quot hoc tempore sunt ejusmodi leprosi, qui fœdissimâ mendacii leprâ sunt aspersi? Extende, obsecro, manum tuam salvificam, & sana eos ab hac spirituali infirmitate, quia unicum veniale mendacium commaculat totum hominem: *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, quia spernit Divinum Legislatorem, qui præcepit: *Sit autem sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantiùs est, à malo est.* Proinde omni conatu fuge mendacium, quia *mendacium*, sunt verba S. Bernardini, *causa est innumerabilium scelerum & malorum.* Et Vates Regius: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

S. Chrys. c. 11. 1. ad Corinth.

Jacobi 2. 10.

Matth. 5. 37.

S. Bernardinus t. 1. s. 31. a. 2. c. 7.

Psal. 5. 7.

Coronidem huic Considerationi imponat piissimus Rex Ezechias, qui cùm in morbum lethalem incidisset, & nunc ei Isaias prædiceret: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; plenus in Deum fiducia ob animum sibi bene conscium, & quia mendax inventus non est, ad Deum Judicem suum oravit: *Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Vide hîc, ac perpende, qualem fiduciam in agone pariat, fuisse in vita veracem. O Domine JESU! *Emitte lucem tuam & veritatem tuam*, hoc est, Spiritum veritatis, quem hodie Discipulis te missurum promisisti, ut in veritate & justitia coram te ambulemus, & sic transeamus per ista temporalia, ut non amittamus æterna.

Isaiæ 38. 3.

Psal. 42. 3.

CON-

CONSIDERATIO XXXI.

Cur Spiritus Sanctus in figura Ignis apparuit.

Pro Dominica Pentecostes.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. Actor. 2. 3.

1.

QUis non miretur mirabilia opera Domini, quòd eodem die DEUS, quo olim, post 50. dies à tempore agni Paschalis immolati Moysi in monte Sinai legem dedit, in novo quoque Testamento Spiritum Sanctum ad Apostolos in monte Sion congregatos ablegârit. Fulgebat tunc, dum Lex Mosaica promulgabatur, totus mons Sinai adinstar ignis fulgurantis, ex quo omnis populus ingenti metu percussus est: *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne.* Exod. 19. 18. Ita pariter Spiritus Sanctus inter fulgura & tonitrua in specie ignis hodie in montem Sion descendit, ut non tantùm (prout eleganter observat Theophylactus) ostenderet se ejusdem naturæ cum illo esse, qui olim super rubum in specie ignis visus est, sed ut corda quoque fidelium heu nimium frigida ac tepida Exod. 3. 2. novo Divini amoris igne inflammaret, & universam terræ faciem sua præsentiâ & gratiâ renovaret; unde Vates Regius: *Emittes Spiritum tuum, & renovabis faciem terræ.* Psal. 103. 30.

Nota est illa columna nubis & ignis, quæ quondam Israëlitas non duntaxat de nocte, & in tenebris illuminavit, verùm etiam per desertum securè in Palæstinam traduxit, cui columnæ rectè pro lemmate inscribes: *Dux certa salutis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut Dux esset itineris utroque tempore.* Quod olim Hebræis hæc columna nubis & ignis fuit, hoc omnibus fidelibus est Exod. 13. 21. gratia Spiritûs Sancti: *Columna ignis*, ait S. Drogo Episcopus Ostiensis, *per noctem Spiritus Sanctus est, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caliginẽ illuminat, & sursum erigit, ut sapiamus ea, quæ sursum sunt, non quæ super terram.* S. Drogo Ep. cit. à Mans. disc. 10. Et quemadmodum columna ista typica Israëlitas in terram desiderabilẽ lacte & melle manantem feliciter induxit; ita per Spiritum

ritum Sanctum ducem, comitémque vitæ nostræ tuti ad cœlestem patriam pos-
Psal. 142. 10. sumus pervenire: *Spiritus tuus bonus, Domine, deducet me in terram rectam.* Ita quondam David, & nos hodie rogamus.

Samson, ubi septem capillos capitis sui perdidit, mox omni fortitudine
Judic. 16. 19. spoliatus est: *At illa* (hoc est, Dalila) *dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput: vocavítque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à se repellere; statim enim ab eo fortitudo recessit.*
S. Paulin. in ep. 4. ad Severam. Philipp. 4. 13. S. Paulinus per septem istos crines gratiam Dei, & septem Spiritûs Sancti dona intelligit. Væ nobis, si nos deserat Spiritus Sanctus, sine gratia enim illius sumus viva cadavera, econtrariò cum gratiâ illius *omnia possumus in eo, qui nos confortat.* De qua veritate plura in præsentiarum tractabimus, ac præsertim, quare idem Spiritus Sanctus hodie in forma ignis voluerit apparere. Spiritûs Sancti gratia illuminet sensus & ✝ corda nostra, ut ego congruenter loquar, & vos me bene ad salutem vestram intelligatis.

2. De fortissimo Israëlitarum Duce Gedeon referunt sacræ Litteræ, quòd cuilibet ex trecentis suis selectis militibus, ubi contra Madianitas erat pugnandum, tubam, lagenam & lampadem subministraverit, quibus armis instructi contra immensum illorum exercitum feliciter pugnârunt; cùm enim sub medium noctis silentium tubarum clangor fortiter circa castra hostilia insonaret, vasáque ingenti fragore comploderentur, ac insuper ardentes tædæ subitò apparentes, velut fulmen Madianitas adhuc super faciem terræ securè dormitantes consternerent, tantus subitò terror illorum animos pervasit, ut in fugam quantocyùs conversi sese invicem protriverint, atque confecerint: *Divisítque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenásque vacuas, ac lampades in medio lagenarum*; & quid sequitur: *Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, ululantésque fugerunt.*
Judic. 7. 16.

Omnia hæc illis contingebant in figura. Sed collige ex his, prudens
Exod. 19. 16. lector, pulcherrimum SS. Trinitatis typum. Per tubam Deum Patrem subaudi, qui quondam clangentibus tubis in montem Sinai descendit, ut legem suam Divinam populo intimaret, cujus quoque vox, velut tuba & tonitru à populo in templo audita est: *Venit ergo vox de cælo*; *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Per lagenam testaceam & complosam S. Gregorius Magnus Christi humanitatem intelligit in Passione & Cruce per tot vulnera confractam, & per lucernam ardentem Spiritum Sanctum, qui in die Pentecostes tanquam ignis de cœlo delapsus est: *Convenienter*, ait Joannes de Matta, *nonnulli per hydrias Salvatoris nostri humanitatem intelligunt, quo in Cruce concusso, & Lux Spiritus Sanctus effulsit.* Et sicut hæc lucerna in bello contra Madianitas Israëlitas de nocte illuminavit, hostes autem confudit, atque contrivit; sic Spiritus Sanctus Divino amoris sui igne fidelium corda mirè illustravit, & econtrà infernalium Madianitarum castra evertit, eliminavit:
Joan. 12. 22.
Joan. de Matta in triumpho D. N. I. C. conc. 9.

ideo,

ideo, ait S. Antonius Paduanus, *missus est Spiritus Sanctus in Apostolos in forma ignis, ut eos calefaceret ad alios incendendos; quia qui non ardet, non incendit.* S. Anton. Pad. serm. 2. Pent.

3. Aliam, & non minùs elegantem audiamus figuram. Cùm populus quondam Israëliticus à Nebuchodonosore in Persidem captivus duceretur, prima Sacerdotum cura fuit, ut ignem sacrum, quem DEUS primitùs Aaroni summo Sacerdoti in primo sacrificio dederat, in loco tuto inter bellorum motus & tumultus conservarent, quem proinde sacrum ignem in valle quadam in profundo puteo sollicitè abscondebant, spe freti, quòd benignus DEUS post populi è captivitate Babylonica reditum hunc cœlestem ignem esset resuscitaturus. Et ecce post longissimum annorum tractum, ubi tandem populus cum pace in patriam rediît, & novum templum ac altare construere cœpit, prima Nehemiæ cura fuit, ut hic sacer ignis in puteo absconditus quæreretur, cujus loco non ignem ampliùs, sed crassam aquam invenerunt, quâ inde sublatâ sacrificium jam in altari paratum copiosê asperserunt. Et ecce ingens prodigium, ubi tempus adfuit, quo sol super sacrificium refulgere cœpit, absque mora luculentus ignis divinitus in altari apparuit, qui holocaustum ingenti totius populi cum jubilo absumpsit: *Et accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* 2. Machab. 1. 22. Quis hîc non obstupecat, quòd ex aqua crassa ignis in altari succensus sit? Et quid, quæso, magis sibi invicem contrarium, quam ignis & aqua? quomodo aqua potuit transire in ignem?

Observat hîc pereleganter S. Ambrosius, quòd per hunc sacrum ignem cœlitùs datum, nihil aliud quàm Spiritus Sanctus fuerit præsignatus, dum in specie ignis hodie in die Pentecostes de cœlo descendens super Apostolos sedit, eisque corda & linguas quasi igneas indidit, ut universum orbem hoc igne superno ascenderent, hominésque instar aquæ crassæ frigidiores ac tepidos pariter igneos efficerent: *Ille ignis*, sunt verba hujus Ecclesiæ Doctoris, *typus Spiritûs Sancti fuit, qui descensurus erat post Domini Ascensionem, & remissurus peccata omnium; qui quasi ignis inflammat animum ac mentem fidelem.* S. Ambros. libr. 1. Offic. c. 14.

Non absimile illud est, quod sapientissimo Regi Salomoni, & omni populo in dedicatione recens exstructi templi accidit, ubi pariter ignis de cœlo venit, qui spectante & admirante omni populo victimas super altare positas inflammavit & absumpsit. Lætum hoc omni populo omen fuit Divinæ reconciliationis; unde corruentes omnes, in terram proni Divinam Majestatem, quæ locum repleverat, ejúsque infinitam adorârunt bonitatem: *Cúmque complêsset Salomon, fundens preces, ignis descendit de cælo, & devoravit holocausta & victimas, & Majestas Domini replevit domum &c.* En rursus insignem Spiritûs Sancti typum, hodie ad preces primorum fidelium, ac 2. Reg. 18.

præ-

præsertim SS. Deiparæ, tanquam ignis de cœlo descendentis, & holocausta, hoc est, pia credentium corda non tam inflammantis, quàm & ab omni peccati sorde expurgantis. Ita Lyranus & alii.

4. Progrediamur ulteriùs. Cùm quondam populus Israëliticus diu in fide titubâsset, quisnam, ut verus DEUS ac rerum omnium conditor esset colendus, an DEUS Hebræorum, an verò Balaam idolum Pseudoprophetarum, Elias ad omnem populum congregatum alta voce exclamavit: *Usquequò claudicabitis in duas partes? si Dominus est DEUS, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum?* Et cùm populus super hac propositione altum teneret silentium, Elias duo altaria ex lapidibus erigi jussit, & duos superimponi boves, unum ex parte Baalitarum, alterum ex parte Israëlitarum, cum hac propositione & conditione, ut super quam aram & victimam ignis de cœlo descendisset, illâmque devorâsset, ipse quoque verus DEUS ab omnibus esset colendus & adorandus: *Optima propositio*, succlamabat populus, quia miraculô hæc lis à Deo vero erat decidenda. Interim clamant Baalitæ & eorum Prophetæ plenis faucibus: *Baal exaudi nos;* sed non erat vox, nec qui responderet; & ut idolum illud Acheronticum ad vota sua flecterent, cultris quoque & lanceolis sese vulnerabant. Verùm incassum omnia. Tandem & Elias ad preces confugit, & ubi Deum verum & vivum demissè adoravit, & illius opem imploravit: *Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens. Quòd cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est DEUS, Dominus ipse est DEUS.*

3. Reg. 21. 21. & seqq.

O Christiani! en pulcherrimam figuram hodie in Missione Spiritûs S. adimpletam. Tu, o Spiritus alme! inquam, es hic sacer & cœlestis ignis consumens, & mundans: *Fervor Spiritûs Sancti*, ait S. Chrysostomus, *tanquam ignis omnia consumit.* Sed & mundat omnia: *Nemo*, inquit S. Laurentius Justinianus, *mundatur à sordibus delictorum sine Spiritûs S. gratiâ.* Et hoc est, quod Christus Dominus ante Passionem suam Discipulis suis intimavit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Per quem ignem communiter SS. Patres Spiritum Sanctum, ejúsque dona, videlicet charitatis, fervoris, veri zeli, & sinceræ devotionis intelligunt; hinc Ecclesia orare solet: *Illo nos igne, quæsumus, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster JESUS Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi.*

S. Chrys. hom. 34. sup. ep. ad Hebr.
S. Laur. Just. de Triumph. c. 1.
Luc. 12. 49.
Ecclesia in Missa Vigiliæ Pent.

5. De Isaia Propheta recenset Scriptura, quòd, cùm vir pollutis labiis esset, eò quòd Oziæ Regis ac Procerum, populíque peccata, tanquam Propheta à Deo missus non satis corripuerit, per calculum ignitum, seu ut habet textus Hebraicus, per carbonem, vel prunam ignitam in labiis ob taciturnitatem fuerit mundatus: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Et quid hoc est, per calculum?

Isaiæ 6. 6.

Adver-

Adverte: Ignis vehementem habet purgandi virtutem; sic videmus, quòd ignis in fornace succensus tanta vehementiâ agat in paleam, ut eam quasi momentô redigat in cinerem; econtra aurum ab omni sorde & fece terræ purgat, illúdque luminosum ac splendidissimum efficit. Imò & aërem à peste mundat, cùm enim in Græcia pestifera quondam grassaretur lues, plurésque Provincias horrendum in modum devastaret, Hippocrates Medicus in Regione ingentes excitari voluit ignes, per quos pestilens ille aër purgatus, & aura salubris in Provincias de novo inducta est. O Divine Paraclete! tu es hic ignis, animam non tam à peccatorum peste purificans, quàm & gratiam copiosam in eam infundens: Tu, inquam, es ille pretiosus calculus ignitus, qui animam Isaiæ tunc verè pœnitentis ac contriti velut aurum in igne probatum splendidissimam effecisti; ita S. Ambrosius: *Calculus hic ignitus Symbolum erat Spiritûs Sancti gratia, quæ à peccatis Isaiæ, & cujusvis pœnitentis animam purificat & sanctificat.* De igne insuper constat, quòd habeat virtutem conservativam & calefactivam! Sic videmus, quòd ignis seu calor naturalis corpus humanum tam diu in vivis conservet, donec tandem deficiente hoc igne naturali & ipsum corpus humanum & vita deficiat. Talis ignis in anima est Spiritûs Sancti gratia, quæ tam diu in omni bono hominem conservat, quamdiu Spiritus Sanctus in eo habitat, quo discedente anima pereat necesse est; unde Ecclesia: *Sine tuo Numine nihil est in homine.*

S. Ambros. l. 1. de Spir. S. c. 9.

6. Olim præceperat Deus, ut ignis in altari perpetuô arderet: *Ignis autem in altari semper ardebit,* proinde hoc altare sumi Numinis semper die ac nocte fumans spectabatur, lento igne sacrificium evaporans, ut sic Divina Majestas perenni sacrifici crematione & suffitu coleretur. Altare hoc, homo Christiane! cor tuum esse debet; væ tibi, si hæc Divina flamma per noxam mortalem in te extinguatur: *Mentem,* ait S. Antonius Paduanus, *quam Spiritus Sanctus inflammat, nec ignis adversitatis,* nec *flamma diabolicæ persecutionis consumere potest.*

Lev. 6. 12.

S. Anton. Pad. serm. 6. post Pascha.

Solet autem & ignis virtutem habere accensivam, dum & alterum lumen sine sui detrimento accendit, unde lemma: *Lumen de lumine.* Item virtutem habet illuminativam, dum tenebras dispellit, & post obscuræ noctis caliginem clarum diem reducit, quod quotidie in sole, tanquam in fonte Inminis, intuemur, quo discedente omnia languent. O SS. Spiritus! tu es ille ignis ardens & accendens, illuminans & illustrans mentis humanæ tenebras: *Sicut ignis,* pergit idem Divus Antonius Paduanus, *urit, purgat, calefacit, illuminat: Sic Spiritus Sanctus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuminat.*

Idem serm. 1. Pent.

De civitate Constantinopoli commemorat Zonaras, quod cum arcta obsidione premeretur, & per potentissimam classem navalem cincta, cùm amnasii.

Zonaras in vita Athanasii.

ampliùs tot armatis hostium navibus resistere non posset, & jam ad deditionem cogi videretur, per Psoilum insignem Mathematicum mirandum in modum ab interitu fuerit liberata; hic, cùm non ignoraret, quòd radii solares reflexi & incompositi essent potentissimi ad ingentem accendendum ignem, plura specula rotunda ex chalyde polito sibi fieri curavit, quæ tersa & combustoria specula in facie solis in urbis mœnibus è regione classis hostilis appendit; eo felici rerum successu, ut per solem non duntaxat vastissimus ignis in navibus excitaretur, sed & brevi tota classis à voracibus flammis consumpta in aquis interiret. Tu, ô Spiritus Sancte! es ille ignis consumens, & illuminans. *Dominus Deus tuus ignis consumens est*, qui hostiles classes mundi, carnis & diaboli evertisti, idololatriam eliminâsti, & corda Apostolorum vehementi amoris igne succendisti, ut, qui priùs ad vocem unius ancillæ trepidabant, nunc ut ardentes leones in consessu Principum veritatem, omni posthabito vitæ periculo, generosè prædicarent: *Hic ignis*, ait S. Chrysostomus, *mundi peccata, quasi lignum exussit &c.*

Deut. 4. 24.

S. Chrysost hom. 2.

Ignis insuper virtutem habet elevativam, sempérque sursum tendit quod in qualibet scintilla & flamma quoditie spectamus; proinde ejusmodi igni non incongruè pro lemmate inscribes: *Nunquam deorsum.* Ita est, nunquam deorsum. Sic mens nostra erga Spiritum Sanctum sit parata: *Nunquam deorsum* ad temporalia & carnalia, sed *sursum corda.* Eliam considerate in curru igneo ad paradisum elevatum: *Ecce currus igneus, & equi ignei divisérunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Spiritus Sanctus animæ fideli & auriga & currus igneus est, quo mediante & ducente ad cœlestem paradisum securè poterit perenire.

4. Reg. 2. 11.

7. Daniel vir desideriorum vidit aliquando Antiquum dierum, hoc est Deum Patrem in throno igneo Majestatis suæ residentem, & *fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus* Econtra in novo Testamento vidit S. Joannes eundem fluvium à throno Dei & Agni procedentem non ampliùs igneum, stallinum: *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum procedentē de sede Dei & Agni.* Quæres hìc haud imeritò, quisnam hic vitæ fluvius fuerit, nunc igneus, nunc crystallinus.

Dan. 7. 10.

Apoc. 21. 1.

Rupertus Abbas per utrumque hunc fluvium intelligit Spiritum Sanctum à Patre & Agno, hoc est, Filio procedentem; fluvius igneus est, quia corda hominum congelata suo ardore accendit. *Et ignis à facie ejus exarsit*, dum videlicet Christus ascendit in cœlum, hoc est, ait Hugo: *Extra se arsit*, dum foras prodiit ascendente Christo Spiritus Sanctus: *Et carbones succensi sunt ab eo*, id est Apostolorum corda ab illo Spiritu quasi ignea reddita sunt. Est autem Spiritus Sanctus & fluvius aquæ perlucidæ & crystallinæ; quia mundat & lavat sordida mortalium pectora, refrigerat & mitigat

Rup. Abb. hic

Ps. 17. 9.

Hug. in Psal. 17.

gat affectus, cujus *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, dum non gra- Ps. 45. 5.
tiæ duntaxat, sed & gloriæ, felicitatis, & voluptatis fons est uberrimus.

Aliam visionem habuit dilectus Christi Discipulus, dum quadam vice Angelum conspexit ante altare in conspectu DEI in cœlo stantem & aureum thuribulum habentem: *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de* Apoc. 8. 5. *igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces & fulgura.* Et quid hoc est? quid, obsecro, hîc latet mysterii? Adverte; Per hunc Angelum S. Ambrosius Christum Dominum magni consilii Angelum subaudit, nunc ad cœlos assumptum & Spiritum Sanctum Paracletum in terram mittentem: *Angelus* S. Ambr. in *itaque est Christus, thuribula, id est, corda Discipulorum de igne altaris, id est,* c. 8. Apoc. *de Spiritu Sancto implevit, quando post Ascensionem suam in cælum decimo die Spiritu Sancto misso de cælo corda Discipulorum implevit.* Et auditæ sunt voces, id est, Dei laudes, fulgura quoque & tonitrua, dum de cœlis in montem Sion Divinus ille in Apostolorum cœtum illapsus est ignis & singulorum capitibus linguæ specie insedit. O quis enarret uberrimos advenientis Paracleti fructus & effectus? Corda Apostolorum Divino amore succendit, adversus omnia tormenta, ipsamque mortem eos firmavit, solidavítque, linguam ad omnem sermonem erudiit, & in alteros viros omnes mutavit. Nunc palàm & intrepidè concionatur Petrus, ac prima vice tria, & paulò post quinque Hebræo- Act. 2. 41. rum millia ad Christi fidem convertit, qui priùs ad unius ancillæ vocem in atrio Caiphæ trepidavit: *Certè*, subintrat hîc S. Gregorius M. *iste ipse pastor* S. Gregor. M. hom. *Ecclesiæ, ad cujus sacratissimum corpus sedemus, quantæ debilitatis, quantæ-* 30. in Ev. *que formidinis ante adventum Spiritûs fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat; una enim mulieris voce percussus, dum mori timuit, vitam negavit.* Sed viri ste tantæ formidinis qualis post adventum Spiritûs Sancti fuerit, scimus. O Christiani! considerate ex hoc quantùm nobis opus sit hoc divinissimo igne, ut pari modo mentis nostræ illuminentur tenebræ ad declinanda consueta peccata, & ut in amore tam in Deum, quàm in proximum magis accendamur; adjuva hîc nos, ô Spiritus alme Deus, sine tuo enim Numine nihil est in homine.

8. Vis plura & diversa de Spiritu Sancto argumenta ac conceptus ex Sacra Scriptura petitos? attentas præbe aures. Ubi Angelus, qui Gedeoni apparuit, Deo in petra sacrificium obtulit, ignem per virgam suam ex valida petræ collisione produxit: *Ascendítque ignis de petra & carnes azymosque* Jud. 6. 21. S. Greg. M. *panes consumpsit.* Per hanc petram S. Gregorius Christum intelligit: *Quæ alium,* 3. Mor. 17 inquit, *signat petra, nisi eum, de quo per Paulum dicitur: Petra autem erat Christus*; Ascendit autem ignis de petra hac mystica, quando Spiritus Sanctus in igne ab eodem Christo in cœlum assumpto Discipulis missus est.

Dum Christus in monte Thaboræo transfiguratus est, apparuit quoque nubes candida ac perlucida, quæ Christum, Eliam & Moysen obumbrabat, de qua vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus.* Per hanc splendidissimam nubem gloriâ & majestate plenam, teste Origene, præsignatus est Spiritus Sanctus; ita Cornelius: *Spiritus Sanctus apparuit in nube, Pater in voce, Filius in Divino splendore.* Dives ille Epulo sedens nunc in flammis gehennæ ignis à patre Abrahamo impensissimè hanc gratiam flagitavit, ut de sinu suo Lazarum sibi submitteret in solatium: *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, qui crucior in hac flamma.* Et quare, dices, infelix ille inferni titio in loco tormentorum petiit, ut vel digitô minimô in aqua intinctô relevaretur ardentissima sitis? Barradius per hunc digitum subaudit Spiritum Sanctum: *Appellamus,* inquit, *Spiritum Sanctum dexteræ Dei digitum. Habet digitus hac cœlesti aquâ intinctus vim ad consolandum maximam.* Hinc & Ecclesia de illo cantat: *Digitus paternæ dexteræ &c.* Et Christus ipse: *Si in in digito Dei ejicio Dæmonia &c.*

Orig. tr. 3. hîc.

Luc. 16. 24.

Barrad. tr. 4. cap. 7.

Luc. 11. 20.

9. Cæterum miretur orbis universus insolitam Samsonis fortitudinem, dum ruptis vinculis unâ asini maxillâ mille Philistæorum occidit; per 150. faces ad caudas trecentarum vulpium alligatas Philistæorum segetes succendit; Gazæ circumsessus ambas portæ fores cum postibus suis & sera humeris impositas ad verticem montis portavit; in templo Dagon concutiens duas domûs columnas principes, & tria hominum millia momentô obruit; Leonem obvium sine hasta, & gladiô intermis agressus, sola manu apprehensum dilaceravit, & plura alia fortitudinis insolitæ monumenta reliquit. Sed unde, quæso, tales ac tantæ corporis & animæ vires? Rationem assignat Scriptura: *Irruit Spiritus Domini in Samson &c.* in cujus virtute hostes suos superavit, vicit, debellavit. Anime mi! si vis hostes tuos, leonem & leænam, ac præsertim hostem tuum domesticum, quotidie te infestantem, feliciter superare, invoca gratiam Spiritûs Sancti, qui non patietur te tentari supra id, quod potes, sed faciet etiã cum tentatione proventum, ut possis sustinere: *Ejice Spiritum Diaboli,* ait S. Augustinus, *& Spiritum mundi hujus, & accipies Spiritum DEI.* Juvat hîc audire S. Laurentium Justinianum: *Datur,* inquit, *Spiritus Sanctus in præsenti, ut justificet impios, roboret debiles, innocentes repleat pietate, doceat ignaros, pugnantes adjuvet, custodiat patientes, erudiat dubios, intelligentes illuminet, amantes succendat.*

Jud. 14. 6. 1. Cor. 10. 13.

S. August. Man. c. 27.

S. Laurent. Just. de fasciculo amor. c. 6.

Coronidem huic nostræ Considerationi imponat magnus ille Propheta Ezechiel, cui aliquando Dominus ostendit campum amplissimum siccis & aridis mortuorum ossibus refertum, ad quem hæc vox de cœlo delapsa est: *Fili hominis, putásne vivent ossa ista?* Ad quod Propheta: *Domine Deus, tu nôsti-*

Ezech. 37.

nôsti. Et iterum Dominus: *Ecce, ego intromittam in vos Spiritum, & vivetis.* Et quid tandem factum est: *Et ingressus est in ea Spiritus, & vixerunt, steterúntque super pedes suos; exercitus grandis nimis valdè.* Et qualis, obsecro, fuit illè Spiritus tam potens ac vehemens, ut ad illius adventũ mox ossa hæc arida reviviscerent? Observa hîc pulcherrimũ typum Spiritûs Sancti omnia vivificãtis, & etiam ossa arida, siccáque vehementer, hoc est, peccatores ad vitam gratiæ resuscitantis. O Spiritus alme, affla & nobis Spiritum vitæ, ut à morte peccatorum resurgamus, da Spiritum gratiæ, ut justificemur, & tandem da gratiam finalem, ut æternùm salvemur.

CONSIDERATIO XXXII.

De Fide vera à Christiano Operibus demonstranda.

Pro Feria 2. Pentecostes.

Qui non credit, jam judicatus est. Joan. 3. 18.

1.

VEnerant aliquando ad Sapientissimum Regem Salomonem duæ mulieres, de filio vivente & mortuo, cujusnam esset inter se acerrimè litigantes, & quia deerant testes, aliaque indicia & probationes, hinc ingenti vocibus & clamoris contentione præsente Rege & Proceribus certabant. Audiens hanc litem prudentissimus Monarcha, ut exploraret, in qua matre verus ac maternus resideret erga filium vivum affectus jussit gladium afferri, & prolem vivam in duas partes secari: *Dividite*, inquit, *infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni & dimidiam partẽ alteri.* 3. Reg. 3 25. Sed mox naturalis affectus & compassio veram matrem indicavit, proinde Salomon hanc æquissimam tulit sententiam: *Date huic infantem vivum, & non occidatur, hæc est enim mater ejus.*

Homo Christiane! Talis contentio etiamnum est inter Orthodoxos & Hæreticos, de fide viva & mortua; contendunt hi, certant & illi: *Filius meus vivit, & filius tuus mortuus est.* Sed Sapientissimus Salomon, imò, *qui plus quam Salomon*, Christus Dominus ore virtutis & verbô vitæ jam pridem hanc litem & causam pro sua Ecclesia Chatholica super petram fundata decidit, in qua sola vivi ac veri filii, quia Mater cunctorum fidelium est, sunt inveniendi, cæteri, quia fide viva & formata, quæ per charitatem operatur, in Christum & Ecclesiam non credunt, habentur, & sunt ut filii mortui: *Qui* Matth. 12. 42. Matth. 16. 18. Gal. 5. 6. Jo. 3. 18.

non credit, ait hodie veritas, *jam judicatus est*. Ratio est, quia sola fides viva est humanæ salutis initium, basis virtutum omnium, petra est & fundamentum, supra quod ædificata Ecclesia, ac radix omnis justificationis, sine qua im-
Jac. 2. 17. possibile est placere Deo, si autem bona non habet opera, *mortua est in semetipsa*, quam veritatem catholicam evidentibus probabimus argumentis. Attenti estote, tepidi Christiani, quorum salus hîc unicè quæritur. Aderit Deus, ut congruenter & in commodum vestrum loquar.

2. Cùm pientissimus Orbis Salvator Christus paulò ante SS. Passionem suam, hoc est, ante Parasceven die tertio in Civitatem Hierosolymam contenderet, in via, ut humanam demonstraret naturam & infirmitatem, esuriem sentire occœpit, proinde videns ficulneam secùs viam plantatam, & virentibus foliis turgentem, ad eam propiùs, ut fructum ex illa optatum decerperet, accessit; verùm spe frustratus, cùm nil nisi virentia & inania repe-
Matt. 21. 19. risset folia, indignatus infructuosæ ficui zelo prorsus insolito maledixit: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, in quam Divinam imprecationem ficulnea illa, mox subtracto omni humore, qui prius animabat arborem, in ictu oculi, delapsis foliis, radicitus arefacta est: *Et arefacta est continuò ficulnea*. O mitissime JEsu! quid in te peccavit infelix hæc ficulnea; nondum erat ficorum tempus, quomodo ergo illos poterat progerminare fructus? quare
Marc. 11. 12. ergo arbori insonti maledixisti: *Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet?*

O anime mi! En habes hîc typum hominis quidem Christiani, sed solidis virtutibus ac bonis operibus destituti, qui fide sola, nuda & mortua in
Orig. apud Corn. Beda hom. 7. in Quadrag. tom. 7 hîc Christum contentus vivit: ita antiquissimus Origenes: *Ficus foliata*, inquit, *sed carens ficubus, notat fideles, qui habent folia professionis fidei sed carent solidis virtutum functibus, ideóque à Christo maledicentur*. Juvat hîc audire & Venerabilem Bedam: *Arefecit*, ait, *Dominus arborem maledictô, ut homines hæc videntes, sive audientes multò magis intelligerent, sese Divinô condemnandos esse judiciô, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis velut de sonitu & tegumento blandirentur viridantium foliorum.*
Ezech. 15. 1. Et nunquid Dominus jam olim per Prophetam Ezechielem ligno vitis comminatus est: *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum*? Et paulò post ait Vates Divinus: *Ecce, igni datum est in escam.* Et cur igni in escam? Resp. Quia non fecit fructum suum; & quia neque præcisum erat aptum ad aliquod opus, ut ex illo paxillus, aut aliqiud aliud fabricaretur, hinc justo DEI judicio igni consecratum est. Hoc lignum vitis tu es, homo Christiane, frigide ac tepide, qui DEO tuo in vinea Ecclesiæ opta-
Matth. 7. 19. tum non affers fructum bonorum operum & quid tandem fiet de te? Audi Veritatem: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem*

ignem mittetur. Si vis, Lector prudens, Lemma prædictæ ficulneæ arefactæ, aut viti infructuosæ adjicere, rectè utrique inscribes: aut fructum, aut ignem; aut Deo inserviendum, vel æternùm ardendum. Elige.

3. Observamus in rem nostram perelegantem figuram. Recenset Nec-mias, quòd cùm Israëlitæ post tot acceptas clades & excidia eandem benigniore rerum facie aspirante Jerusalem civitatem sanctam discuperent reædificare, & jamjam operi manus admovissent, omnes laborantes gladio stipati, armis instructi ad hoc opus grande perficiendum comparuerint. Et quid factum est? una manu filii Israël tenebant gladium, ut hosti in insidiis latenti, & subitò irrumpenti fortiter in omni occasione possent resistere, altera autem manu laborabant, tractantes & disponentes lapides, cæmentum & quidquid ad fabricam erat necessarium; sic cicatricem muri reficiebant, domos & mœnia ædificabant, & una simul hostem ab urbe, quoties assultum tentavit, armata manu propulsabant: *Una manu* (Israël) *faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Per arma & gladium fidem subaudi, ita attestante Apostolo: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium Spiritûs, quod est verbum Dei.* Per manum autem laborantem opera bona intellige, quæ, si cum fide conjungantur, sine dubio ad cœlestem Jerusalem nobis viam sternent securissimam, atque mansionem in cœlo parabunt perpetuam. *Ædificantes*, ait V. Beda, *gladiô accinguntur renes, qui bonis insistunt operibus &c.* Et S. Jacobus in Epistola canonica: *Quid proderit*, inquit, *fratres mei, si fidem quis dicat habere, opera autem non habeat?* Talis fides sine operibus est Dæmoniaca: nam & Dæmones credunt, & contremiscunt. Et nunquid servus piger, deses & otiosus à Christo damnatus est: *Serve male & piger &c.* Quid prodest, si arbor florem fert & non fructum? Quid est corpus sine anima, nux sine nucleo, lampas sine oleo, palea sine tritico, & homo Christianus in sua lege instructus sine bonis operibus?

2. Esdræ. 4. 17.

Ephes. 6. 13.

Jac. 2. 14.

Matth. 25. 26.

Non sine causa investigant SS. Patres rationem, quare illa columna nubis & ignis, quæ tanto tempore populo Israëlitico per desertum præluxit, & usque ad ducatum fortissimi juxta ac plenissimi belli Ducis Josue perduravit, in ipso ingressu in terram Chananæam subitò disparuerit, quam exinde terram desiderabilem melle & lacte manantem Israëlitæ armata manu debuerunt expugnare: *Nunquam defuit columna nubis &c.* Cur ergo tunc defuit, cùm Hebræi Palæstinam ingressi sunt: *Hæc omnia contingebant illis in figura;* Per hanc columnam populo prælucentem, eúmque ad Palæstinam ducentem, fidem veram, orthodoxam & Catholicam, quam Christus docuit, & omnes Sancti tenuerunt, rectè subaudies, quæ sola hominem Christianum ad

Exod. 13. 22.

1. Cor. 10. 6.

ad cœli portam perduxit; sed adverte, ipsa fides dux nostra & viæ comes usque ad supremum vitæ nostræ halitum, non intrat cœlum, quia ibidem fides
1. Cor. 13. 12. non erit ampliùs, cùm Deum *facie ad faciem videbimus*, sed sola ibi regnat charitas. Itaque ad expugnandam hanc cœlestem Palæstinam nunc, dum tempus gratiarum affulget, manus adhibendæ sunt, & bona opera facienda, quæ in meritis & sanguine Christi JEsu, unde valorem habent, intingamus, secùs terram illam desiderabilem non videbimus, multò minus intrabimus,
2. Petr. 1. 10. unde S. Petrus: *Satagite fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: Vis plura? dic, cur olim Deus electum populum suum in manu Moysis & Aaron duorum fratrum ex Ægypto in terram desiderabilem
Num. 33. 1. voluerit traducere: *Egressi sunt de Ægypto per turmas in manu Moysis & Aaron?* Supra quod pereleganter antiquissimus Origenes: *Ad exeundum ergo de*
Orig. de hoc loco. *Ægypto utraque manus necessaria est, ut scilicet inveniatur in nobis non solùm legis, fideique cognitio, sed etiam actuum, operúmque perfectio.* Opera, opera simul cum fide requiruntur. Audis, & capis hoc? Idcirco quinque illæ Vir-
Matth. 25. 3. gines fatuæ à cœlesti Sponso fuerunt excluſæ, quia non habuerunt oleum in vasis suis: *Non sumpserunt oleum secum*, id est, prout illũ Scripturæ locũ exponunt
Dydim. hic in Jac. S. Bern. ser. 24. Cant. S. Augustinus, Hieronymus, Hilarius & alii plures S. Patrum, non habuerunt bona opera, sine quibus mortua & extincta est fides; unde Dydimus: *Fides*, inquit, *mortua, non est fides, sicut homo mortuus, non est homo*; & Mellifluus:
Apoc. 14. 13. *Credis*, ait, *in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua.* Et quid hominem post mortem sequitur? Audi dilectum Christi discipulum in utramque tibi aurem occlamantem: *Opera enim illorum sequuntur illos.*

4. De filio prodigo nunc pœnitente, & præ angustia famis ad se denuò revertente recenset Lucas, quòd, cùm in amantissimi parentis sui amplexus ruisset, veniámque delictorum suorum humiliter rogâsset, ipse pater misericordiâ & naturali affectu motus super collum ejus ceciderit, illúmque paternô dignatus sit osculo; sed neque his benevolentiæ & amoris signis contentus pater, pœnitenti insuper filio pretiosissimum in digitum annulum misit, tanquam securissimam certi ac pristini amoris paterni arrham: *Date an-*
Luc. 15. 22. V. Bed hic. *nulum in manu ejus.* Quid agis, pater amantissime? an deliras? filius tuus summè famelicus non annulum petit, sed ut ventrem inanem, & vix præ fame non contabescentem optatô cibô sopiat; proinde frustum panis vel carnis illi potiùs porrige, & melius, quàm annulus aureus in manu placebit; Sed aliud hîc eruendum est mysterium. Adverte, anime mi! Non frustra benignissimus pater filio suo ad frugem redeunti annulum aureum in dignitum misit; causam hujus mysterii assignat Beda Venerabilis: *Annulus*, inquit, *sinceræ fidei signaculum est*, qui manibus, hoc est, operibus admovendus est, non enim fides sola ad salutem illi sufficit, qui æternùm desiderat

mane-

manere in domo patris sui, sed & opera requiruntur. Ita glossatur & Rabanus: *Annulus*, ait, *est signaculum fidei, & in Evangelio: Date annulum in manum ejus, id est, & fidem in opere suo*; & Hugo Card. *Fides in opere, est annulus in manu*, manus enim ad laborandum & operandum à Deo creata est. En non satis est habere fidem, nisi & vita sit fidelis, & opere illud compleat, quod corde credit, & ore confitetur: *Vera fides est*, sunt verba S. Gregorii Magni, *quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.* Rabanus in allegoriis. S. Greg M hom. 20. in Evang.

O quoties nunc Christiani moderni moribus suis Orthodoxæ fidei suæ contradicunt! Verum est, multi *confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.* Ah quantùm emarcuit in ipsis Catholicis fidei vigor & fervor! ubi est charitas nostra in Deum & proximum, sine qua fides nostra mortua est. Ubi amor in crucifixum JESUM, quem magis quam ipsi Juæi inhonoramus, & de novo crucifigimus? Ubi pietas nostra in orando, dum vix ipsi scimus, quidnam oremus, & quid per orationem nostram tam tepidam à Deo petamus? Ubi digna æstimatio & honor SS. Evchariſtiæ debitus? O quam dormiunt hîc multi, dum moribus ac factis abundè demonstrant, quòd in SS. Hostia Christi præsentiam non credant. *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Et dic, obsecro, sodes! si vera ac Catholica fide in Deum credis, quomodo audis verbum Dei? quem fructum hactenus in te produxit? Quomodo credis æternitatem, quam vilissimâ ac momentaneâ vendere voluptatula non dubitas? Quomodo credis vitam æternam, quam vix cogitas? Quomodo judicium supremum, quod non poteris evadere? Quomodo inferni pœnas, quas vites? Et hoccine est per bona opera suam comprobare fidem, & vocationem certam facere? Et quid mirum est, si justissimus DEUS ob tam tepidam fidem & negligentiam nostram à multis Regnis ac Provinciis fidem veram ac sincerè Orthodoxam abstulit, & in ultimas terræ oras transvexit? Audi ipsam veritatem: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Tit. 1. 16. Malach. 1. 6. Luc. 18. 8.

§. Ad roborandam hanc veritatem appositè inservit, quod de Jehu Rege perhibent SS. Scripturæ, qui, dum in agro Jonadab Belli-Ducem sibi obviam habuit, ad eum in curru suo conversus dixit: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? & ait Jonadab: Est. Si est*, inquit, *da manum tuam; qui dedit illi manum suam: at ille levavit eum ad se in currum.* Observa hîc, prudens Lector! Pari ratione recum aget justissimus omnium arbiter DEUS: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* Si rectum est? da manum, ostende opera, non solam fidem; non enim hic districtissimus Judex de fide, (quia *qui non credit, judicatus est*) sed de bonis operi- 4. Reg. 10. 15. Joan. 3. 12.

Joan. 5. 29. operibus universale judicium instituet: *Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii.*

O Hæretici! ô tepidi Christiani! ubi tunc *sola* fides vestra stabit? Mendicus ille, qui in centonibus suis sine ullo vestium ornatu ad regias nuptias venire ausus fuit, ligatis manibus ac pedibus tortoribus traditus est, Matth. 22. 12. ad quem Rex: *Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?* Et quare amicus vocatus est? En typum vestræ fidei: *Vocatur amicus, ait* Lyra- Lyran. hîc. nus, *propter fidem informem, quæ Dei dönum est, licèt non sufficiat ad salutem.* Per vestem autem nuptialem charitas, per opera bona se demonstrans subauditur, quæ teste eodem Lyrano: *Dividit inter filios regni & perditionis.*

Auditis hæc, ô Sectarii! & vos præsertim tepidi Christiani Catholici? Matth. 25. 11. Non sufficit dicere: *Domine, Domine aperi nobis,* sicut quondam fatuæ succlamant Virgines, sed oportet, ut & oleum & lumen charitatis ac bono- S. Hieron. hîc. rum operum habeatis, si ad cœlestes nuptias desideratis pervenire? *Quid prodest,* ait S. Hieronymus hîc: *voce invocare, quem operibus negas?* Sicut enim non sufficit, ut nauta oculos in navi apertos habeat, quibus imminens periculum vel prævidet, vel jam præsens intuetur, sed & oportet, ut manus quoque habeat ad laborandum & remigandum, ut per laborem etiam improbum naufragii evadat periculum, aliàs in furentibus maris fluctibus, & in profundo freti submergendus: Sic pariter non sufficit oculus fidei, nisi & manus admoveas bonorum operum: *Si Christianus es,* ait S. Chry. soſt. hom. 4. in Matth. S. Chrysostomus, *Christo crede; si Christo credis, per opera mihi fidem demonstra &c.*

Gen. 24. 47. 6. Rebecca formosissima, priusquam in sponsam Isaaci eligeretur, pretiosis inauribus aureis & armillis à servo Abrahami donata est: *Suspendi itaque inaures ad ornandum faciem ejus, & armillas posui in manibus ejus.* Et quid inaures istæ & armillæ, non enim sine peculiari causa à Spiritu S ista in sacra Scriptura notata sunt? Adverte: Inaures sine armillis dedecent Spon- Quaresm. to. 4. c. 3. sect. 1. sam Christi; inaures enim, teste S. Augustino, Quaresmio & aliis, fidem, & armillæ bona opera significant, uterque ornatus in Sponsa Christi seu anima est necessarius, *quia fides in Sponsa Christi inutilis & mortua est sine operibus.*

Diu quondam optavit, & exspectavit Christi in carne adventum justus Simeon, & cùm tandem desideratus ille gentibus in templo apparuit, Patri in sacrificium matutinum se oblaturus, non satis fuit pientissimo illi se- Luc. 2. 28. ni Christum oculis vidisse, *sed & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum.* En Homo Christiane! non sufficit fide cognoscere Deum, nisi & illum manibus & ulnis complectaris, hoc est, bonorum operum exercitiô; quid enim prodest credere Deum, & interim vivere, ut Ethnicum? Chri-

stum

ſtum pleno ore & linquâ fateri, factis autem negare? *Qui non ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth. 10. 38.

Nota eſt illa in Divinis Litteris de vinea parabola, ad quam excolendam Paterfamilias diverſo tempore diverſos conſtituit operarios, ſed tandem facto veſpere nulli mercedem dedit, niſi qui in illa vinea egregiè laboravit: *Voca operarios, & redde illis mercedem*; non dixit: voca otioſos, deſides, arrogantes, avaros, libidinoſos, blasphemos, invidos, guloſos &c. ſed operarios, quo exemplo omnes edocentur Chriſtiani, quòd à Patre cœleſti & æquiſſimo judice Chriſto nullam poſſint ſperare æternam mercedem, ſi tempus, quod miſeratio Divina illis ad ſalutem obtinendam communicavit, tam nequiter, fraudulenter, otiosè & ſine bonorum operum fructu in vinea Domini, hoc eſt, in Eccleſia Dei, impenderint. Matth. 20. 8.

Vidit aliquando Ezechiel Propheta in ſpiritu elevatus ingentem quendam campum, qui plenus erat mortuorum oſſibus: *Erant autem multa valde ſuper faciem campi, ſicáque vehementer &c.* Homo Chriſtiane & peccator! ſi fidem habes in Deum, & non opera, os aridum es, & mortuum, ſiccúmque vehementer: *Sic & fides*, ait S. Jacobus, *ſi non habeat opera, mortua eſt.* Supra quod pereleganter Divus Bernhardus: *Quaſi non habens animam, ipſam dilectionem, qua vegetetur, & moveatur ad opera.* Ezech. 37. 2. Jac. 2. 17. S. Bernh. Epiſt. 42.

7. Horrenda erit illa ſententia, quam Chriſtus Dominus omnium Judex diſtrictiſſimus in ſupremo judicio contra reprobos fulminabit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Et nunquid, Domine, multi iſtorum reproborum (ſaltem qui ex Chriſtianis erant) in te crediderunt? & hoc ſine dubio; quare ergo hîc nullam fidei illorum facis mentionem? Reſp. S. Auſtinus: *Nec increpat, quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt.* Unde & S. Joannes in Apocalypſi refert, quòd Beatos in morte non fides, ſed opera bona ſequantur ad præmium adipiſcendum æternum: *Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos.* Ubi, obſecro, tunc Hæreticorum ſola & nuda fides ſtabit? Ubi & Catholicorum tepidorum, qui nec frigidi, nec calidi ſunt? Potuiſſent hi quidem bene agere, ut fidem ſuam vivam vivis demonſtrarent ac comprobarent operibus, ſed noluerunt miſeri, ideò digni, ut ex ore Dei evomantur in infernum: *Diſcedite à me, maledicti.* Supra quod S. Hippolytus Martyr glorioſiſſimus ſupremum illum Judicem ita loquentem & exprobrantẽ inducit: *Ego vos formavi, & adhæſiſtis alteri. Ego terram, mare & omnia propter vos creavi, & vos iis in mei contumeliã abuſi eſtis. Diſcedite à me operarii iniquitatis, non agnoſco vos, alterius Domini operarii facti eſtis, hoc eſt, Dia-* Matth. 25. 41. S. Aug. l. de mendacio. c. 15. Apoc. 14. 12. Apoc. 3. 15. S. Hippol. Mart. tr. de conſum. ſæculi.

Diaboli. Possidete cum eo tenebras atque ignem, qui non extinguitur, & vermem, qui non dormit, ac stridorem dentium &c.

Quid ergo consilii in hoc summo negotio, ex quo nostra, omniúmque salus pendet? Audite dilectum Christi Discipulum ita quondam jussu Dei Episcopo Laodiceæ Ecclesiæ scribentem: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ.* Sed quid hoc aurum ignitum? Resp. Richardus à S. Laurentio: *Hoc aurum*, inquit, *nempe fidei debet esse ignitum per charitatem, probatum per tribulationem. Et hoc aurum emitur pretiô desiderii, & bonorum operum exercitiô.* Voluit insuper DEUS, ut Episcopus ille albis induceretur vestimentis ad omnem avertendam confusionem. Et quid sibi volunt alba ista vestimenta? Resp. Vestes albæ castitatem, vitæ puritatem, & cætera opera bona designant: *Et vestimentis albis induaris*, hoc est, inquit Cornelius, *innocentiâ, vitæ puritate, sanctis & puris virtutum operibus.* Non ergo hîc locum habet fides sola sine operibus, & licèt Apostolus dicat: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, intelligendum est de operibus Legis Mosaicæ, prout ibidem idem Apostolus insinuat, & non de operibus Legis Evangelicæ & Christianæ. Unde Christus illi adolescenti interroganti: Quidnam boni faceret, ut vitam obtineret æternam, respondit: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Supra quòd S. Cyprianus: *Credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere præcepit? aut quomodo perveniet ad præmium fidei, qui fidem non vult servare mandati?* Eja igitur, Christiani & Catholici omnes, comprobate fidem vestram, dum adhuc tempus est, bonis ac sanctis operibus, quia veniet tempus, in quo non possumus ampliùs operari: *Satagite fratres, ut per bona opera certam vocationem & electionem faciatis.*

Apoc. 3. 18.

Rich. à S. Laur. l. 11. de laud. B. V.

Cornel. hîc in Apoc.

Matth. 19. 17.

S. Cyprian lib. de unit. Eccl.

2. Petr. 1. 10.

CON-

CONSIDERATIO XXXIII.

Exemplô Christi magnæ nobis curæ sit Zelus animarum.

Pro Feria 3. Pentecostes.

Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiûs habeant.
Joan. 10. 10.

I.

INfinitus DEUS, unus in essentia & trinus in personis, cùm per immensam potentiam suam unicô verbô: *Fiat*, universam mundi machinam & creaturas omnes ex nihilo sui produxisset, tandem sexta die ad creationem hominis descendit, in cujus productione stylum & modum immutavi, dum eum non per verbum *Fiat* creavit, sed quasi consiliô initô, hoc verbo usus est: *Faciamus*. Ita enim habet Liber primus Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Et quare, haud immeritò interrogabis, DEUS in creatione hominis dixit: *Faciamus* hominem, & non *Fiat* homo?

Respondet S. Basilius, quòd per *Tò faciamus* DEUS Pater suum Filium & Spiritum Sanctum allocutus sit quasi Collegas suos, & ejusdem secum naturæ, potentiæ, & operationis, & quasi deliberaret & consultaret, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Ex quibus verbis rerum consideranti patet, quantæ sit dignitatis ac pretii anima hominis, quia ad imaginem & similitudinem Dei creata est: *Consilio SS. Trinitatis*, ait Mellifluus, *ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tantò eum ardentiùs diligeres, quantò mirabiliùs ab eo te conditum intelligeres.* S. Basil. Rup. Corn. & alii hic in Genes. S. Bern. c 49. de int. dom.

Hoc non latuit stygium & antiquum serpentem, quapropter omnibus viribus allaboravit, ut hanc pulcherrimam Dei imaginem (animam hominis in justitia originali creatam) per peccatum fœdaret & conspurcaret, non absimilis illi simiæ, de qua recenset Marius Bignoni, quòd celeberrimus quidam pictor, cui nomen Buffalmacco, Bononiæ in Italia astutissimam quandam simiam in ædibus suis nutriêrit, quæ Dominum suum pingentem imagines Bignoni in Encyclopædia.

gines sæpiùs considerans,& ipsa in absentia Heri sui hanc artem pictoriam tentavit, proinde sollicitè miscuit colores, & arreptô penicillô,quæ pulchra & artificiosa erant in imagine, vel delevit, vel fœdè destruxit. Bilem hoc movit pictori acerbam, & quia explorare non poterat hujus rei authorem & violatorem, discessum simulans, se interim sub cortina abscondit, ut hunc novum pictorem & deprehenderet, & condignè castigaret. Et ecce, de novo adest simia, præcingens se semicinctiô, & caput suum pictoris regens capillari, commixtis inter sese coloribus, rursus pingere incipit, vel potiùs conspurcare & sordidare imaginem, quòd clanculùm advertens, & videns Buffalmacco, disruptâ præ indignatione cortinâ, in conclave cum gladio irrumpit. Et quid tu agis, inquit, mala bestia? siccine me ac meam excultam illudis imaginem? Rapiat te malus Dæmon ad tartara; vade, & posterùm ab hoc opere desiste; & sic simiam verberibus satìs unctam dimisit.

Hoc, inquam, fecit & malus Dæmon, simius faverrimus, qui Dei imaginem (animam) per peccatum originale & subsequentia delicta protervé deturpavit! sed misertus illius unigenitus Dei Filius per vitam, Passionem & Sanguinem suum eam misericorditer reparavit; proinde & hodie se offert tanquam ostium omnibus pervium: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Et ut magis suum erga animas in peccatis deperditas declararet amorem ac zelum, paulò post adjecit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Hunc zelum pro possibili imitentur Sacerdotes & animarum Curatores omnes, imò & cuncti Christiani, quia cuilibet de proximo suo mandatum est. Plura de hac veritate summè hoc temporum intervallo necessaria, adjuvante Numine benigno, in præsenti explicabimus.

Joan. 10. 9.

2. Inter alia memorabilia sapientissimi Regis proverbia, quæ orbi universo reliquit ponderanda, illud non minimum est, ubi præcepit, ut proximo, si fortè innocens ad mortem raperetur, aut traheretur, ex lege charitatis succurramus: *Erue eos*, inquit, *qui ducuntur ad mortem; & qui traduntur ad interitum, liberare ne cesses.* Si hoc quondam erat in lege sanctè cautum, ut hominem à morte corporali, si per injustitiam fortasse ad interitum raptus est (ut cum Susanna accidit & aliis) pro viribus liberaremus; quantò magis charitas Evangelica jubet, ut anima hominis, si à Dæmonibus, malis sociis, mundo, carne, &c. ad spiritualem raptatur mortem, ut eam ab interitu pro omnibus viribus eripiamus: Quare hîc summopere attendant omnes Superiores, Pastores, Sacerdotes, Religiosi, Prædicatores, Confessarii, Parentes, Præceptores, imò & Christiani omnes, ut, si cernunt aliquem ad peccata mortalia currentem, periculúmque illius æternæ imminere

Prov. 24. 11.

nere damnationis, maturè illi ob animæ inæstimabile pretium succurrere satagant, verúmque animarum hîc zelum demonstrent, semper illorum prædictorum verborum sapientis memores: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui traduntur ad interitum, liberare ne cesses.*

Non imitemur hac in parte impium fratricidam Cainum, qui, cùm à Deo interrogaretur: *Ubi est Abel frater tuus?* Divinæ Majestati protervè respondit: *Nescio; num custos fratris mei sum ego?* En primum reprobum, qui de proximi sui salute nihil curavit, unde præceps in desperationis barathrum, ac tandem in profundum inferni delapsus est; & licèt ei DEUS intimâsset: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, abiit miser parvi pendens, quòd tam abominandum fratricidii scelus commisisset. O Christiane! noli cum hoc sceleste dicere: *Num custos fratris mei sum ego?* Quid ad me illius pertinet salus? Viderit ipse, ætatem habet, non ignorans, quid facere eum oporteat? Noli, inquam, hoc dicere, & cum illo Legisperito quærere: *Quis est meus proximus?* Ad quod ex sensu & doctrina Christi tibi respondetur, quòd omnis homo tibi sit proximus ob vitæ humanæ communionem, ob creationem, quia ad eundem finem, sicut tu, à Deo creatus est, ob Redemptionem per Christum, qui omnes vult salvos fieri, & pro omnibus passus est; ob vocationem ad eandem gratiam & gloriam, & quia DEUS *mandavit unicuique de proximo suo.* Proinde si per aliquam malitiam & datô studiô animæ proximi tui negligis, & spernis salutem, eandem aliquando à Deo audies sententiam: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?*

Gen. 4. 9.

Luc. 10. 29.

Eccl. 17. 12.

Gen. 4. 10.

3. Magnam curam habuit Eliezer, ut bene suô fungeretur officiô, quod ei Abraham ob acquirendam filio sponsam commiserat, qui licèt ab itinere oppidò fessus, juxta ac famelicus, nullam tamen prius panis buccellam degustare voluit: *Non comedam*, donec in domô Bathuelis conjugii tractatum stabiliret, & audiret: *En Rebecca coram te est, tolle eam, & sit uxor filii Domini tui.* Si ita cordi fuit fidelissimo servo Abrahami impositum negotium, quantò magìs Curatores animarum, imò & omnes veri ac sinceri Christiani curare debent, ut negotium animæ suæ, & aliarum suæ curæ commissarum cordi semper habeant, & earum æternam salutem pro omni possibili modo procurent? Apage ergo hîc corporis commoditates, discursus inutiles, potum & escam, & alias quascunque recreationes, donec animam periclitantem à via perditionis reduxeris, & Christo JESU tanquam novam sponsam lucratus fueris, dic proinde cum Eliezer: *Non comedam, donec loquar sermones meos &c.*

Gen. 24. 51.

Josue invictissimus ac pientissimus sacri Belli-Dux, antequam civitatis Jerichuntinæ adornaret obsidionem, duos viros exploratores in abscondito

in

in urbem misit, quos Rahab in domo sua benignè exceptos refecit; & cùm Jerichuntini rem odorati illos armatâ persequerentur manu, cautè & sollicitè eos occcultavit, ac tandem de nocte intempesta securos de mœnibus ope funis dimisit: Qui exploratores, ut sese huic suæ benefactrici exhiberent gratos, signum ei dederunt, ut funiculum coccineum de fenestra appenderet, sic domum & familiam non communi civium ruinæ involvendam. *At illa respondit, sicut locuti estis, ita fiat: dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* Sed ad quid, ô Rahab! tam citò hic funiculus coccineus pro signo? Adhuc tempus est, nondum enim Josue cum exercitu suo Jordanem transivit, nec dum civitatem Jericho obsidere cœpit; Longa hæc inter interjacet mora; & tu nihilo secciùs hunc coccineum de fenestra appendis funiculum? Resp. Baëza: *Novit sapiens mulier, quòd religatio funiculi ad fenestram erat sitæ salutis medium; ideo non distulit: nullum æstimavit aptiùs tempus, quàm præsens.* Audis hoc? nulla mora interponenda est, quando poteris lucrari & salvare animam. Si Rahab tam sollicita fuit de conservanda anima sua, quid tu moras nectis de emendatione vitæ, & de conservatione hujus, vel illius animæ? *Si occurreris*, ait DEUS, *bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum;* quantò magis animam à via veritatis & salutis toto cœlo aberrantem? An nescis: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte?* Et si anima plus est quàm mundus, imò quàm ipsum cœlum, *propter quod enim unumquodque tale, & illud magis tale,* cœlum enim propter animam creatum est; pensa est hoc immensum quoddam lucrum, quod facis, si animam reducis ad frugem: *Omnium,* ait S. Dionysius Areopagita, *divinarum divinissima extat perfectio, Dei cooperatores esse in salute animarum ad suum Creatorem.*

Josue 2. 21.

Baëza t. 3. l. 14. c. 17. §. 7.

Exod. 23. 4.

Jacob. 5. 20.

S. Dionys. Areop. c. 3. de cælesti Hierarch.

4. Sed proh dolor! multi de facto sunt in Ecclesia Dei, qui majorem ventris sui, divitiarum, honorum, voluptarum & statûs rationis habent curam, quàm ut suam & proximi procurent aut promoveant, animæ salutem. Achitophel majorem domûs & familiæ suæ curam gessit, quàm propriæ animæ suæ, maluítque æternùm perire, quàm suas divitias hæredibus non relinquere. *Abiit in domum suam, & civitatem suam; & dispositâ domô suâ suspendio interiit.* Absolon comptulus ille ac formosus, ne aureos suos perderet capillos, è quercu pendulus exspiravit, & rectà in Orcum delapsus est: *Cúmque ingressus fuisset multus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui; & illo suspensô inter cœlum & terram mulus, cui insederat, pertransivit.* Potuisset sine dubio hic Princeps regius gladio suô, quo eratà latere præcinctus, sibi ipsi resecare crines; & ita seipsũ à morte temporali & æterna per veram

2. Reg. 17. 23.

2. Reg. 18. 9.

ram pœnitentiam redimere; sed noluit, ait Alvarez, quia crines perdere timuit, & sic corpus & animam perdidit. Alvarez. in Ioſ. Illuſt. 92.

Et nunquid Abimelech plùs punctum honoris, quàm animam suam habuit? cum obsideret oppidum Thebes, & ipse turri munitissimæ, ad quam cives confugerant, ignem subjiceret: *Ecce, una mulier fragmen molæ desuper jciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* Sed quid in hoc funesto casu Abimelech? Num fortasse de malè actis pœnituit? Num gratiam Divinam invocavit? Num animæ suæ memor à Deo justissimo scelerum vindice delictorum suorum veniam petiit? minimè gentium, sed potiùs, cùm in cænum & terram prolapsus jam animam ageret, armigerum suum ad se vocavit, esque voce semimortuâ præcepit: *Evagina gladium tuum, & percute me; ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sim.* Judic. 9. 53.

En, plus gloria vana & punctum honoris apud Abimelech valuit, quam anima, de cujus salute neque in vita, neque in morte aliquam curam habuit, & sic quoad corpus & animam periit. O Christiani! quid cum aranea inanes captatis muscas? *Tabescere feciſti*, ait Vates Regius, *sicut aranеam animam ejus; verumtamen vanè conturbatur omnis homo.* Videte & considerate, quomodo laboret aranea huc illuc currendo, texendo & perficiendo sua reticula, ut levissimam capiat prædam, nunquam quieta est, donec tandem deficiat, extenuetur, & tabescat. Hæc sunt mundanorum studia, curæ & labores, temporalia quærunt, & æterna negligunt, corpus curant, & animæ obliviscuntur, non absimiles Esau, qui pro vili esca & lentis edulio primogenita sua vendidit, & perdidit: *Et abiit parvi pendens, quòd primogenita vendidisset.* Et vos, ò miseri mundani! pro vana gloriola, pro exiguo interesse, pro momentanea voluptatula, & pro quolibet peccato mortali primogenituram vestram, animã nobilissimam, ah pretium sine pretio, venditis diabolo in igne gehennali æternum cruciandam? *O filii hominum! usquequò gravi corde?* Ps. 38. 13. Gen. 25. 34.

5. Ad majoris ponderis, anime me, procedamus argumenta. Et quis, obsecro, nostræ poterat magis ponderare, & æstimare animæ pretium, quàm ipse Creator ac Redemptor noster, Deus & homo Christus? attentam aurem & mentem requiro. Sedet defatigatus ab itinere mitissimus JEsus in meridie supra fontem, & à Photina muliere Samaritana haustum aquæ frigidæ desiderat: *Da mihi bibere.* Subintrat hîc Hugo Cardinalis: Quasi diceret: *Cito convertere, & me potabis: tu sitis ad culpam, & ego sitio te ad gratiam; tu sitis tuam damnationem, & ego tuam salutem.* Joan. 4. 7. Hug. Card. hic.

Paulò post ex urbe adventant Discipuli, cibósque apponunt paratos; & quia & ipsi ab itinere fessi optabant manducare, sed id facere ob reverentiam Magistri non audebant, ideò officiosè rogabant eum: *Rabbi manduca*; quibus mansuetissimus Salvator: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Jo. 4. 31.

S. Cyrill l. c. 103. Equalis hic erat cibus? Resp. S. Cyrillus Alexandrinus: *Perditorum hominum conversio*, horum enim JEsus esuriebat salutem.

Idem mitissimus orbis Reparator Christus, ut adhuc magis suum erga animas in peccato perditas demonstraret affectum & zelum, parabolam illam composuit de bono pastore, nonaginta novem oves in deserto dimittente, & unam amissam tam diù quærente, donec tandem eam inveniret:

Luc. 15. 6. *Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Ad quid, quæso, dixit hic optimus pastor: *Congratulamini mihi*? Nunquid magis dicere decebat: *Congratulamini ovi*: hæc enim perierat, & quia à faucibus luporum erepta est, hinc multò magis illi erat congratulandum? Resp. hîc memoratus Hugo Cardinalis: *Mi-*

Hug. Card. hic. *hi dicit, non ovi: ex quo apparet, quantùm de hominis reparatione gaudeat, & propterea salus nostra gaudium ejus est.*

6. Progrediamur ulterius. Venerat aliquando Christus Dominus ad par-

Matth. 16. 14. tes Cæsareæ Philippi, ibi interrogabat Discipulos suos: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*? Diversæ hîc erant & Discipulorum & vulgi opiniones: *At illi dixerunt: alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam.* Et quare, dices, Christus solùm cum his tribus viris fuit comparatus? Cur non cum innocente Abele, justo Noëmo, fideli Abrahamo, laborioso Jacobo, casto Josepho, mansueto Moyse, aut cum aliis ex Prophetis virtute & sanctitate ac miraculorum gloriâ conspicuis? Respondetur ex mente Cornelii & aliorum Interpretum, quia tres prædicti Sanctissimi Viri: Joannes Baptista, Elias & Jeremias honoris Divini & promovendæ animarum salutis semper in vita sua fuerunt studiosissimi, juxta ac zelantissimi; unde Christus Joanni Baptistæ videbatur in ætate, sanctitate vitæ & prædicatione persimilis; Eliæ propter

Eccli. 48. 1. miracula & ardentissimum zelum, quia *verbum illius quasi facula ardebat*; & Jeremiæ, quia erat speculum patientiæ & charitatis, vitam suam sæpe numero summo exponenti periculo, ut aberrantem populum ad vitam salutis æternæ posset reducere. Disce ex his, anime mi, verum Christi zelum: *Domi-*

Exod. 34. 14. *nus zelotes nomen ejus.* Zela pariter honorem Divini Nominis, & salutem animarum præsertim periclitantium: *Omnia*, dicebat quondam Gentium Doctor,

2. Tim. 2. 10. *sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo*

1. Cor. 2. 9. *JEsu, cum gloria cælesti.* Et quod præmium exinde consecutus est? *Quod oculus non vidit; nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*, qui nimirum zelant honorem Dei, & salutem proximi cordi habent. Ergo

Esther. 7. 10. Quærant alii cum Amano honores ac dignitates; & quid hic consecutus est? Cùm esset in summo honorum apice: *Suspensus est in patibulo, quod para-*

Num. 25. 7. *verat Mardochæo.* Quærant alii carnis suæ illecebras vel potiùs abominandas spurcitias cum Zambri; & quid factum est? *Quòd cum vidisset Phinees filius Elea-*

zari

zari filii Aaron Sacerdotis surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum in lupanar, & perfodit ambos &c. Quærant alii suum interesse ac divitias, velut ille in Evangelio à Christo denominatus dives, cujus ager uberrimos attulit fructus; & quid inopinatò de nocte audivit? *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti, cujus erunt?* Supra quod egregiè Cajetanus: *Ecce*, inquit, *verè imprudens, quia non providit sibi de necessariis ad salutem animæ.* Quærant denique alii, quidcunque placet oculis eorum, & cum omnibus his invenient vanitatem & afflictionem Spiritûs; porrò unum est necessarium quærere Deum, & zelari honorem ejus; & per consequens etiam salutem proximi nostri, quia ipse *mandavit unicuique de proximo suo.* Luc. 12. 20. Cajetan. hîc. Eccles. 17. 12.

7. Et vultis adhuc plura, eáque validissima argumenta, qualem zelum pretiosissimus Redemptor noster circa animarum nostrarum salutem demonstraverit? Appropinquante jam Passione ascendit pientissimus Dominus in Jerusalem, ubi per octo dies celebratur festum tabernaculorum. Et ecce, cum nunc dies octavus & festivitatis ultimus advenisset, omnisque populus nunc in templo esset collectus, JEsus zelo magno & voce sonora ad populum clamavit: *Si quis sitit, veniat ad me; & bibat &c.* Et quare benignissimus Dominus cum clamore valido hæc verba ad abeuntem populum dixit? Resp. Cornelius, ut toti populo abeunti fui desiderium, ac de sua religione scrupulum, imò ingentem aculeum injiceret, ut magnô zelô & studiô, dum adhuc gratiarum tempus affulget, animarum suarum quæreret salutem; hinc dixit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*; nullum hîc misericors Dominus excepit, omnes ad se paternè invitavit, cunctis indifferenter sua bona obtulit; & ecce immensam ejus bonitatem: Idem gratiarum fons, SS. Cor JEsu adhuc patet omnibus: *Nemo ergo*, subintrat hîc S. Augustinus, *misericordiæ tempus perdat, nemo oblata remedia Divinæ pietatis abjiciat; jam patet nobis fons misericordiæ, Redemptor noster, toto hunc pectore bauriamus.* Et hanc ob causam voluit etiam vitæ obitum crudeli militis lanceâ referari sibi pectus, ex quo Sanguis & aqua non mixtim, sed separatim profluxerunt, in quo etiam mortuus salutis nostræ zelum ostendit, dum immensum hunc thesaurum nobis subministravit, ait memoratus Divus Augustinus, *Sacramenta Ecclesiæ, sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur.* Joan. 7. 37. Jo. 19. 34. S. Aug. ser. 120. in Joan.

8. Pro coronide hujus considerationis inservit nobis, quod S. Matthæus de pretio Sanguinis Christi enarrat. Cùm vidisset Judas Ischariotes, quòd JEsus ad mortem crucis iniquissimâ sententiâ esset damnatus: pœnitentiâ ductus non verâ, sed coactâ, cruciante & desperabundâ, retulit triginta argenteos Principibus, ut sic rescinderet contractum cum illis priùs initum; sed quia Principes illi nolebant recipere pecunias, projecit eas proditor in templum, & abiens laqueô ex ficu se suspendit; Principes autem Sacerdo-

tum noluerunt prædictos triginta argenteos in sacrum inferri ærarium, hanc
Matth. 27. 6. assignantes rationem: *Quia pretium sanguinis est.* Laudo in hoc, licèt iniquissimos Sacerdotum Principes, quòd hoc pretium Sanguinis Christi noluerint commiscere cum aliis pecuniis, sed emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.

Hîc sta, & considera, quisquis es, homo Christiane! Scísne, quid sit
S. Aug. in Ps. 102. pretium animæ tuæ? Resp. S. Augustinus: *Sanguis Christi*, qui te quidem potuisset primâ Sanguinis sui guttâ in circumcisione redimere, sed dedit ultimam in Cruce pro anima tua; *jam pretium solvit*, pergit idem S. Augustinus, *sanguinem fudit unicus DEI Filius. O anima, erige te, tanti vales.* Et tu, ò homo inanis & vanus, quanti tu æstimas animam tuam? Ergo hoc *pretium Sanguinis* Christi, quod est pretium sine pretio, vis mittere in carbonam, ad usuras, ad tuum interesse, ad lusus, ad luxus, ad libidines, ad escam & potum, ad res vilissimas & iniquissimas? Ergo non pluris apud te valet anima tua? Siccinè imensum Sanguinis Christi pretium proculcas pedibus tuis?

Nautæ illi, cùm in mari mediterraneo, nunc decumanis fluctibus agitato, de vita & salute sua periclitarentur, mox statuerunt, & hanc fecerunt resolutionem: Melius est, si merces, vasa & onera nostra quantumvis pretiosa
Jonæ. 1. 5. pereant, quàm vita & anima nostra: *Et timuerunt nautæ, & clamaverunt viri ad Deum suum, & miserunt vasa, qui erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis.* O chare Lector! fac hanc pariter resolutionem & conclusionem, eamque stylo ferreo memoriæ ac pectori tuo inscribe:

Omnia si pereant, Animam servare memento.

CON-

CONSIDERATIO XXXIV.

De Deo Trino, & Uno ſummè colendo & amando.

Pro Dominica SS. Trinitatis.

Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Matth. 28. 19.

I.

ACcidit mihi hodierna luce, quod quondam Ezechieli Prophetæ evenit. Erat is per Angelum ductus ad aquas ê latere dextro templi Solymæi largo impetu promanantes, & ſenſim, ſenſimque profundiores; primò traduxit eum Angelus per aquam uſque ad talos, ſecundò ab eodem cœleſti Genio & comite per eandem aquam ductus eſt usque ad genua; Tertiò usque ad renes & femora, ac tandem ad torrentem profundiſſimum, qui, ne ſubmergeretur, ampliùs ſuperari non poterat: *Intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt transvadari &c.* Ita, inquam, & mihi hodierna luce accidere aſſolet, quò magìs enim cogito & recogito de altiſſimo SS. Trinitatis myſterio, video ſenſim me devenire ad torrentem, qui transvadari non poteſt, imò potiùs ad immenſum mare, cujus profunditatem nullus intellectus poterit perſcrutari, quod conſiderans gentium Doctor exclamavit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Ezech. 47. 5. Rom. 11. 13.

De Iſaia Prophetarum Principe referunt Sacræ Paginæ, quòd aliquando viſione planè admirabili Deum T. O. M. non ſolùm quà unum, ſed etiam quà trinum in auguſtiſſimo Majeſtatis ſuæ ſolio reſidentem viderit, & Seraphinos triſagio ſuo eum laudantes, & humiliter adorantes. Interim dum hæc fiebant, unus de Seraphim ad eum volabat, qui carbonem vel prunam ignitam aureo forcipe de altari accepit, & labia hujus Prophetæ candente hoc calculo aduſſit: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Et quare Angelus ille labia Iſaiæ, Deum trinum & unum, quaſi Regem & Judicem in illuſtri & regali ſolio videntis, ignito carbone aduſſit? Obſerva hîc ex Cornelio, quòd Isa. 6. 6

labia prædicti Vatis non realiter per prunas fuerint adusta, quia sic factus fuisset blæsus & ad prædicandum inutilis, sed potiùs per illum ignitum carbonem, (SS. Trinitatis Symbolum) purgata & parata erant illius labia ad laudandum Deum, & spiritu prophetico eum deinceps intrepidè Regibus ac populis prædicandum.

O Domine Deus, Unus & trine! quid ego hodie pulvis & cinis, imò
Jerem. 1. 6. nihilum dicam de te? *A a a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer sum ego*, quo trino suspirio & lamento Propheta olim SS. Trinitati suam confiteri voluit infantiam. Et quid ego? ah quid ego peccatorum miserrimus, & toties reus gehennæ ignis hodie de tanto ac tam immenso dicam mysterio? quibus elogiis, quibus laudibus, quibus nominibus SS. Trinitatem celebrem? nun-
S. Dionys. de Divin. nom. quid juxta mentem S. Dionysii magis castô veneranda erit silentiô, quàm exili depressæ mentis celebranda eloquiô? Verùm enim verò, si licet balbutire infantibus, liceat mihi hodie saltem in umbra figurarum & conceptuum aliquid in laudem hujus SS. Trinitatis dicere. Deus, qui infantium linguas facit disertas, aderit mihi, ut congruenter loquar.

2. Pulcherrima possunt formari symbola, quibus hoc Divinissimum Sacrosanctæ Trinitatis mysterium homini Christiano rationem habenti perbellè ob oculos ponitur. Solem considera radios in subjectum speculum vibrantem, à speculo rursus in aquam limpidam, ubi tres cernes Soles, & tamen unus, idémque Sol est: primus in cœlo Patrem adumbrat, secundus in spe-
Sap. 7. 26. culo Filium, *qui est speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis ipsius*: & tertius Spiritum Sanctum, qui à Patre, Filióque procedit: Unde rectè pro lemmate huic trinuni Soli impones: *Est tamen unus.*

Vis aliud non minùs elegans de SS. Triade Symbolum? Arcum, seu iridem attende, quem Deus terminatô diluviô Noëmo in signum pacis & pacti Divini tesseram de non ampliùs inducendo diluvio in superiore aëris regione
Gen. 9. 13. coruscantem monstravit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Observa: Arcus ille erat (& etiamnum est, quoties illum in cœlo intuemur) perfectissimum Symbolum SS. Trinitatis; sicuti enim in una iride tres diversæ speciei videntur colores, videlicet viridis, ruber & igneus; sic Deus noster unus est in Deitate & naturâ, & trinus in relationibus, seu personis. Per colorem autem viridem spes adumbrari solet; spes nostra est Deus
2. Cor. 1. 5. Pater, verè *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, quem Vates Regius iteratò spem suam appellat: *Quoniam tu es, Domine, spes mea &c.* Per
Ps. 90. 9. Isa. 63. 2. rubrum iridis colorem Dei Filius præsignatur, de quo Isaias ait: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Per colorem igneum Sanctum Spiritū intelligimus, qui in igne Apostolis apparuit, de quo etiam in Deuteronomio legimus: *Dominus Deus ignis consumens*

est,

est. Proinde ejusmodi arcui cœlesti non inconcinniter pro lemate inscribes: Deut. 4. 24
Uno lumine Trinus.

Et si lubet fortasse aliud de hac SS. Triade notare Symbolum, Oceanum attende longè profundissimum ac maximum, & in pluribus locis nullâ bolide dimetiendum; quod vastissimum mare in duo alia sese effundit, hoc est, in sinum maris Rubri, & Mediterranei. En perelegans Symbolum SS. Trinitatis: Deus Pater Oceanus est omnium gratiarum ac benedictionum, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat;* hinc lemma: *Dat & redundat;* qui Oceanus exinde sese diffundit in mare rubrum, per quod præsignatur Filius Dei, ipse enim per mare rubrum Passionis suæ traduxit nos in terram rectam ac desiderabilem, unde à Sponsa vocatur *dilectus meus candidus & rubicundus*, candidus propter innocentiam, rubicundus propter Passionem, & per mare Mediterraneum, quod est mare medium in orbe nostro, denotatur Spiritus Sanctus, qui è Patre, Filióque procedit, & qui inter utrumque medius est quasi vinculum & amor; cui Oceano uni & trino pro epigrapha inscribo: *Trinus & Unus.* Juvat hîc audire Magnum Aurelium Augustinum: *Totus Pater,* inquit, *in Filio & Spiritu Sancto est: totus quoque Spiritus Sanctus in Patre est & Filio; nullus eorum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas &c.* O abyssus gratiarum, donorum & omnium beneficiorum. Jacob. 1. 5. Cant. 5. 10. S. Aug. de fide ad Petrum lib. 1. cap. 1. S. Athanas. in Symb.

3. Dic mihi sodes, quot columbas Noëmus diminutô, ac tandem finitô diluvio ex arca emiserit, ut felix sibi nuntium ferrent sedatæ tempestatis & pacis cœlum inter & terram initæ? Resp. Noëmum non unam, sed tres emisisse columbas, primam cum corvo, quæ, cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus (erat enim tunc terra adhuc limosa, fœtida & cadaveribus plena) sine mora ad eum reversa est in arcam. Secundam exspectatis ultra septem diebus dimisit, ut optatum ferret nuntium, an penitus cessâssent diluvii aquæ, quæ *venit ad eum vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis.* Tertiam denique post alios septem exspectatos dies amandavit, quæ non ampliùs ad eum reversa est; ex quo Noë non obscurè agnovit, nunc tandem post anni circulum cessâsse penitus diluvii aquas, Deúmque cum terra esse reconciliatum, proinde cum suis securè ex arca egressus est, & Deo Salvatori suo in ara recens extructa in summam ac debitam gratiarum actionem mundas immolavit victimas: *Obtulit holocausta super altare; odoratúsque est Dominus odorem suavitatis &c.* Observa; omnia hæc facta sunt illis in figura, scripta sunt autem propter nos; quid enim aliud per tres istas prædictas columbas nobis adumbratum est, quàm SS. Trinitatis Myste- Gen. 8. 11.

Mysterium? Per primam, quæ non invenit, ubi in terra limosa, sordida & aquosa requiesceret pes ejus, Patris personam subaudi, qui non habitare so-
Psal. 5. 5. let in mentibus impuris & peccato subjectis; ipse enim est *Deus non volens iniquitatem.* Per secundam Filium Dei intellige, qui post cruentum Passionis diluvium venit ad arcam (Eccclesiam suam in monte Sion congregatam) cum ramo olivæ, pacis & victoriæ, annuntians nunc verè cœlum cum terra per olivam Crucis esse reconciliatum. Per tertiam columbam, quæ non ampliùs in arcam rediit, sed in nova & nunc purgata terra habitare cœpit, Noëmúmque ex arca feliciter eduxit, rectè in umbra Spiritum Sanctum fuisse præfiguratum senties, ipse enim suâ potentia, ardore & amore renovavit faciem universæ terræ; unde in Baptismo Christi in specie colombæ apparere dignaMatth. 3. 27. tus est: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam &c.* Et jam à mundi primordio: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Arabica Biblia legunt;
Gen. 1. 2. *Volitabat*, quasi columba leviter se alarum agitatione liberando &c.

4. Prædictis subnecto alias pulcherrimas de SS. Trinitate figuras. Vidit quondam Pincerna Regis Pharaonis in carcere constitutus per somnium vi-
Gen. 40. 9. tem quandam in tres palmites se extendentem: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines.* Bonum omen, subjungebat Joseph tunc cum prædicto Pincerna concaptivus, bonum omen: *Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum.* Per istam felicissimam vitem, unam & trinam in propaginibus, haud obscurè SS. Triadem fuisse præsignatam advertes, quæ una est in essentia, & trina in personis, in cujus Mysterii virtute memoratus Pincerna è carcere eductus, & à morte liberatus est.

Cùm Balthasar Rex lautissimum agitaret convivium, & genio suo, licèt à Cyro & Persis obsessus, liberaliter cum suis Optimatibus indulgeret, ut per hoc ostenderet, se ne quidem Persarum curare exercitum; ecce subitò manum Divinam & tres digitos hæc tria verba: *Mane, Thecel, Phares* in pariete scri-
Dan. 5. 5. bentem advertit: *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Et quid factum est? audi Scripturam: *Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Ad quid ista insolita formido, ò Rex? hostiles non times exercitus civitatem tuam obsidentes, & manum istam scribentem formidas? ejа apprehende arma & scutum, stringe gladium, dissека manum, aut saltem tres istos tibi fatales decurta digitos; ut quid contra te scribant amaritudines?

Verùm

Verùm aliud hîc latet Myſterium, & Rex nimio terrore perculſus ne quidem muſtare audet, manus enim iſta erat divina, tres in ea digiti ſacroſanctiſſimam & cunctipotentem præfigurabant Trinitatem, quæ Balthaſari æternæ damnationis in pariete ſcribebat ſententiam; iſti enim ſicut tres illi digiti, de quibus Iſaias Prophetarum Princeps ait: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Subintrat hîc Gloſſa: *Sunt*, inquit, *tres digiti SS. Trinitatis poteſtas.* Hinc non miror, quòd Balthaſar Rex ſacrilegus, cernens hîc diviniſſimum & arcaniſſimum Myſterium in umbra, adeò fuerit perturbatus. O Chriſtiane Lector! hanc quæſo potentiſſimam manum, & tres ſcribentes digitos & tu unà mecum expaveſce, ſcribent enim nobis aliquando, & fortâſſe brevi ah qualem ſententiam! ergo dum nunc tempus habemus, operemur bonum. Iſa. 40. 12.

§. Vidit aliquando Daniel Propheta Deum quaſi ſenem & antiquum dierum in throno Majeſtatis ſuæ reſidentem, cujus veſtimenta & comæ alba erant ſicut nix, de cujus facie fluvius igneus emanabat: *Fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus.* Mirabilis viſio, portentum ſtupendum! & quid per hoc Danieli inſinuatum eſt? Reſp. Senex ille & antiquus dierum Patrem præfigurabat æternum, quia ipſe eſt plenus dierum, dum ante omnes dies & tempora ab æterno extitit, de cujus facie egrediebatur fluvius igneus; per faciem Patris Filium Dei ſecundam in hac SS. Triade perſonam intellige qui eſt facies Patris; ſicut enim, qui faciem ſuam in ſpeculo conſiderat, ſeipſum videt, ſic Pater æternus in Filio ſuo, quem ab æterno genuit, tanquam in ſpeculo ſeipſum contemplatur; & ab utraque hac perſona proceedit tertia, ſcilicet Spiritus Sanctus, tanquam fluvius igneus rapidúsque, quia ut plurimùm in ſpecie ignis aparuit. Subintrat pro ſenſu morali Divus Bernhardus: Et hunc *Patrem & Filium cum Sancto Spiritu cognoſcere, vita eſt æterna, beatitudo perfecta, ſumma voluptas.* Dan. 7. 10. S. Bernh. lib. Med c. 1.

Nota eſt illa aurea ſtatua, quàm quondam Nabuchodonoſor Rex erigi, & in ea ab omni populo ſuæ dictioni ſubjecto adorari voluit. Recuſabant impiam hanc idololatriam tres Pueri Sidrach, Miſach, & Abdenago; quamobrem juſſu Regis in ardentem fornacem miſſi ſunt, ſed benignus DEUS illorum precibus exoratus mirum in modum eos tutatus eſt, dum per Angelum in medio flammarum illos ſervavit illæſos: *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis.* Adverte hîc, anime mi! mirabilem divinæ potentiæ providentiam, quæ in tali ac tanto periculo tres Sanctos iſtos Pueros tam mirabiliter defendit, & econtrà Chaldæos tortores & incenſores ſuccendit. Et quæ cauſa, dices, tanti prodigii? Reſp. Sanctus Zeno: *Sacramento Trinitatis tam potentis elementi ſubacta natura eſt &c.* Et S. Chryſoſtomus: *Edax ignis*, inquit, *in tribus* Dan. 3. 49. S. Leo ſerm. 4. S. Chryſoſt.

in Ps. 96. *pueris Sanctum & Divinum Ternarium reverebatur & tremebat.* Si vis ab æterno gehennæ incendio liberari, cole SS. Trinitatem.

6. De Rahab constat, quomodo exploratores à Josue in Jericho submissos per murum in funiculo coccineo salvârit: *Demisit ergo eos per funem de fenestra, domus enim ejus hærebat muro.* Ita & Jeremias ope funiculi de profundo & cænoso lacu liberatus est: *Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu.* Ecclesiastes de funiculo triplicato mentionem facit, quòd non facilè possit discerpi: *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Chaldæus hîc vertit: *Quam pulchri sunt tres justi in generatione, inter quos est pax sicut funiculus fimbriæ ex tribus chordis, qui non citò rumpitur.*

Josue 2. 15. Jer. 38. 13. Eccl. 4. 12.

S. Basil. lib. 5. contra Eunomium.

Verùm S. Basilius per ejusmodi triplicem funiculum SS. Trinitatem subaudit: *Trinitas*, inquit, *non dirumpitur, & est colenda in una & æterna gloria, eadem unam & solam Deitatem ubique circumferens, irrupta, insciissa, indivisibilis, adimplens omnia, omnia continens, omnibus existens, creans, gubernans, sanctificans, vivificans. Hic Divinus & maximè admirandus nexus non dirumpitur, ut scriptum est: funiculus triplex non dirumpetur.* Hugo Cardinalis per unam chordam prædicti funiculi triplicati potentiam Patris, per secundam sapientiâ Filii, & per tertiam bonitatê Spiritûs Sancti accipit, quo triplici funiculo ligatus est Diabolus, & homo, velut Jeremias captivus è lacu miseriæ & è luto fæcis extractus. Hic ergo triplex funiculus erit & nobis salutis signum, si vivâ fide in eam credimus, & mandata ejus servamus; sicut quondam funiculus coccineus domui Rahab & exploratoribus Josuæ saluti fuit. Proinde benedicta sit Sancta creatrix & gubernatrix omnium, Sancta & individua Trinitas!

Hugo Cardin. hîc.

Exurgant licet contra nos infensissimi hostes, Diabolus, mundus, caro, pessima trinitas; sed si Divinam ac SS. Trinitatem hanc devotè & humiliter invocabimus & adorabimus, illius ope facili conatu omnes inimicos nostros superabimus; per invocationem enim Patris cedet teterrimus Diabolus à tentatione; per Filium mundus, quia ipse est, qui vicit mundum; & per Spiritum Sanctum edomabitur caro rebellis: *Honora patrem meum*, dicebat quondam Christus ad S. Brigittam, *dilige me, obedi Sancto Spiritui meo*; huic enim Deo trino & uni omnis debetur honor & gloria. Et si viginti quatuor illi Seniores procedebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: *Dignus es, Domine DEUS noster, accipere gloriam, & honorem, & virtute tu, quia tu creâsti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Ah! quid nos misellos, in hac lachrymarum valle inter tot pericula constitutos, oportet facere? *Humilianimi igitur sub potenti manu Dei.*

Revel. 1. c. 3.

Apoc. 4. 11.

1. Petr. 5. 6.

7. Quinque illæ Virgines fatuæ, quæ ob defectum olei nimis seriò ad

cœle-

cœlestes Divini Sponsi venerunt nuptias, geminatis vocibus ac manibus aulæ æthereæ pulsârunt fores: *Domine, Domine, aperi nobis.* Sed non fuerunt exauditæ, neque aliud ab illo cœlesti Sponso reportârunt responsum, quàm illud triste? *Nescio vos.* O vocem sanguineis deplorandam lachrymis: *Nescio vos*; quod idem est dicere ac: Discedite à me in ignem æternum. Et quare, dices, Virgines illæ à gloria & regno cœlesti fuerunt repudiatæ? Resp. Hugo Cardinalis, quia tantùm bis *Domine, Domine*, clamârunt: *Tertium*, inquit, *Domine deest*; nemo enim potest dicere: Dominus JESUS, nisi in Spiritu Sancto, hunc ergo Dominum omiserunt, & ideò ad cœlestes nuptias non pervenerunt. Discite, ô mortales! à fatuis istis Virginibus meliùs orare, si cœlorum regnum vultis obtinere; discite, inquam, totam Sanctissimam invocare, & honorare Trinitatem: *Domine, Domine, Domine aperi nobis.* Proinde memoria nostra semper præsentem habeat Patrem æternum; intellectus Verbum, quod pro nobis Caro factum est; voluntas amorem nostrum Spiritum Sanctum: *Faciamus*, ait D. Augustinus, *voluntatem Patris, voluntatem Filii, voluntatem Spiritûs Sancti, quia Trinitatis hujus una voluntas, una potestas, una majestas.*

Matth. 15 11.

Hugo Cardin. hic.

S. August. tract. 22. in Joan.

Summoperè quondam Christus Dominus illius Centurionis, qui pro salute servi sui paralytici intercessit, commendabat fidem: *Et sequentibus dixit: Non inveni tantam fidem in Israël*; ex qua occasione (quia Centurio ille Gentilis erat) prædixit gentium conversionem & vocationem; Judæos autem reprobandos; proinde ad adstantes conversus ait: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.* Fulmen hoc erat Judæis ex Abraham, Isaac, & Jacob prognatis, quibus non duntaxat regnum terrenum, sed & spirituale æternæ gloriæ in cœlis erat promissum, nunc autem illis dictum est: *Filii autẽ regni ejicientur in tenebras exteriores*, hoc est, in gehennam. Quæres hîc, quare Christus dixerit: *Recumbent cum Abraham, & Isaac & Jacob in regno cœlorum?* Subintrat hîc Simon Cassianus: *In Abraham*, inquit, *Pater, in Isaac Filius, in Jacob Spiritus Sanctus ostenditur.* O felix regnum cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto æternùm regnare; ad quod allusit Vates Jessæus? *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et in alio loco: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Matth. 8. 10.

Sim. Cass. l. 5. c. 12. Psal. 16. 15. Psal. 35. 9.

8. Nunquam observâsti modum, prudens Lector, quo Angelus de cœlo B. Virginem in conclavi suo sedentem salutaverit, & Incarnationem Verbi annuntiaverit? Attentum te esse volo. Inter alia verba, quibus eam Paranymphus ille cœlestis allocutus est, & hæc erant sequentia: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideóque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Siste hîc gradum, & bene hujus cœlestis

Luc. 1. 35.

Legati verba pondera: *Spiritus Sanctus superveniet in te*; En habes unam in SS. Trinitate personam: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Habes hîc & personam Patris: quem Altissimum nominavit: *Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ecce habes & Filium, adeóque totam SS. Trinitatem ad hoc summum Incarnationis mysterium cooperantem. Et hoc est, quod Angelus ille intemeratam hanc Virginem salutaverit per Ave: quod verbum pariter SS. Trinitatem præsignabat: A. Alpha & Omega, qui est Pater æternus: V. Verbum incarnandum: E. Emissionem SS. Spiritûs ab utroque procedentis. Vide ex hoc, quomodo hanc summè admirandam Verbi Incarnationem tota SS. Trinitas operata sit, quia, ut ajunt Theologi, opera ad extra toti Trinitati sunt communia: Juvat hîc audire Concilium Toletanum: *Cùm Spiritum Sanctum superventurum in ea dicit, & virtutem Altissimi, qui est Dei Patris Filius, obumbraturam eam præmonuit, ejusdem Filii carni totam Trinitatem cooperatricem esse monstravit*, licèt hoc summum Incarnationis opus Spiritui Sancto approprietur, eò quòd ipse procedat ut amor nationalis Patris & Filii &c.

Concil. Toletan. 16.

9. Vultis pro dictorum coronide de hoc SS. Triadis Mysterio argumenta in uno manipulo colligata? Amicus ille pauper & mendicus fame ob adventum grati hospitis pressus, de nocte intempesta ab amico locupletete tres panes petiît: *Amice, commoda mihi tres panes*, quos etiam per importunitatem suam feliciter impetravit. Sed quid isti panes? Respondet S. Augustinus, quòd per dictos tres panes non obscurè SS. Trias fuerit adumbrata: *Cùm autem perveneris*, inquit, *ad tres panes, hoc est, cibum & intelligentiam Trinitatis, habes & unde vivas, & unde pascas; cibus & panis æternus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* O Christiani! omnes nos sumus mendici, ante januam magni Patris-familias stamus mendicantes: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; Mendicemos igitur à Christo JESU, & hoc Crucifixo, sub cujus hîc gratiosa umbra sedemus, ut tres istos panes (intelligentiam SS. Trinitatis) nobis pauperculis porrigat, quibus pasci possimus, & famen sedare animæ.

Luc. 1. 5.

Aug. serm. 19. de ver. bis Dom.

Ubi Christus quondam Judæos sacrilegos flagellô è templo eliminavit, ad reliquos circumstantes, & tanto ausu attonitos dixit: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Subintrat hîc S. Ephrem, quare in triduo? cur non momentô aut in ictu oculi? Et respondet sibi S. Pater: *Ob Mysterium Trinitatis.*

Joan. 2. 19.

Alia vice venerunt ad eundem pretiosissimum orbis Redemptorem turbæ plures, ut audirent verbum DEI, & sanarentur à languoribus suis; & quid mitissimus JESUS? *Misereor turbæ, quia jam triduô perseverant mecum; post quod triduum & ægris de sanitate, & sanis fame laborantibus abundè*

Matth. 15. 32.

de

de cibis providit. Sed dices, quare triduum exſpectavit? Reſpondet Venerabilis Beda propter Myſterium SS. Trinitatis, neſcit enim DEUS Trinus & Unus triduanos repellere clamores. Proinde illi optimè faciunt, qui in privata, vel publica neceſſitate conſtituti per triduum ad publicas preces confugiunt: *Quid enim potentius*, ſubintrat hîc pariter S. Ambroſius, *quàm Confeſſio SS. Trinitatis*? Davidem conſule in neceſſitatibus ſuis ad Deum Trinum confugientem: *Benedicat nos DEUS DEUS noſter, benedicat nos DEUS.* Conſidera hîc tres SS. Trinitatis perſonas; & ſubjungit. *Et metuant eum omnes fines terræ.* Vide hîc unitatem. Abraham tres vidit, ſed unum adoravit. Triplicis ſpeciei virgas, videlicet amygdalinas, populeas & ex platanis partim decorticatas Jacob ſuis ovibus in canalibus aquarum propoſuit, ex quarum intuitu oves diverſicolores conceperunt fœtus. Titulus ille in Cruce ſuper caput JESU affixus, tribus linguis erat ſcriptus: *Hebraicè, Græcè, & Latinè.* En ter Regem. Tribus quondam civitatibus DEUS in Lege jus refugii attribuit: *Tunc ſeparavit Moyſes tres civitates trans Jordanem ad orientalem plagam, ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum ſuum.* O SS. Trinitas! tu es illa triplex refugii civitas miſeris mortalibus, tu es *clypeus ſalutis omnibus ſperantibus in te*; quis enim peccatorum licèt miſerrimus à te derelictus eſt, qui in animo, ſeriò contrito & humiliato confugit ad te? unde finio cum Poëta

V. Beda, hîc.

Pſ. 66. 7.

Gen. 18. 1.

Gen. 30. 37.

Joan. 19. 20.

Deut. 4. 41.

Prov. 30. 5.

Gloria ſit Patri, ſed compar gloria CHRISTO;
Gloria ſit Sancto Spirituíque DEO.

CONSIDERATIO XXXV.

De Reverentia, quam debemus SS. Evchariſtiæ Sacramento.

Pro Dominica 2. poſt Pent.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. 14. 16.

1.

Esth. 1. & 2. MAgnum quondam ad vanæ voluptatis & gloriæ aucupium non tantùm Principibus, ſed & toti populo à minimo usque ad maximum adornavit convivium potentiſſimus Perſarum Rex Aſſverus, ad quòd cùm & Regina Vaſthi, ut oſtenderet Rex cunctis populis & optimatibus ſuis ejus pulchritudinem, eſſet per ſervos vocata, renuit illa ad Regis imperium venire, quapropter ob ſuperbiam, inobedientiam, & mariti contemptum à throno & thoro repudiata, & pro ea Eſther in Reginam aſcita eſt: *Fecítque eam regnare loco Vaſthi &c.*

Magnum etiam hodie homo quidam dives inſtituit convivium, ad quod multos per ſervos ſuos juſſit vocari; ſed plures arrogantiam Vaſthi imitantes ad hanc lautiſſimam venire cœnam detrectârunt: *Primus dixit ei:* Luc. 14. 18. *Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excuſatum.* Vide hîc inſignem hujus emptoris dementiam: Villam, inquit, ſe emiſſe, & poſtquam paratas pro ea exſolvit pecunias, primùm vadit ad illam videndam. O mortalium cœcitatem! quare non priùs hanc ſpectâſti villam? *Alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum.* Perpende hîc cœcam hujus hominis avaritiam, dum terrenis inhiat, & boves ſuos luſtrat, interim tranſiêrunt dies ſalutis, & gratia Dei cum eis, hinc meritò à cœna cœleſti excluſus eſt. Tertius dixit: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Adverte hîc ſummam hominis inurbanitatem; cæteri invitati ſuas prætendebant excuſationes: *Rogo te, habe me excuſatum,* hic adſtruit impoſſibilitatem: *Non poſſum venire:* & quid te ab hac cœna impedivit? In promptu cauſa eſt, homo libidinoſus erat, carnalis, magis inhians effrænatis ſuis amoribus quàm delitiis cœleſtibus nunquam perituris.

Sed

Sed apage cum his invitatis, quoniam indigni habiti ſunt, ut in hac cœna magna & Dominica comparerent. Cœna hæc magna juxta mentem SS. Patrum Sanctiſſimæ Evchariſtiæ typus & ſimulacrum extitit; & quid nobilius hac cœna? Audite B. Albertum Magnum: *Magna*, inquit, *dona Chriſti in hoc convivio, Corpus dedit in cibum, Sanguinem in potum, Animam in pretium, Deitatem in condimentum &c.* O vere cœna magna, qui à magno Deo nobis præparata. Agite mortales! ad hanc diviniſſimam cœnâ vos & invitati eſtis; nolite mihi dicere: *Non poſſum venire*: nullam hîc gratam habeo excuſationem; omnes vocati eſtis; proinde cui *honorem, honorem, cui tributum, tributum;* adeſt hîc Rex univerſorum: Quam ergo reverentiam & devotinem illi exhibebitis? dicam; attentos vos eſſe diſcupio. B. Albert. M. diſt. 1. t. 1. c. 1.

2. *Cui honorem, honorem*, rectè monet gentium Doctor Paulus. Verùm cui major debetur honor quàm Deo & homini Chriſto, qui ut immenſam ſuam erga nos demonſtraret charitatem, non tantùm in finem dilexit nos, ſed & tradidit ſemetipſum pro nobis; & dum iniqui illi machinabantur Crucem, ipſe interim in SS. Evchariſtia ſeſe totum illis tradidit in cibum & potum. O! quanta in hoc divino myſterio elucet divinæ dilectionis amplitudo: *Accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic eſt calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Adverte, nullus hîc adhibetur tropus aut figura; omnia verba clara ſunt: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hic eſt calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*, ſed non aliud Corpus pro nobis in Cruce traditum eſt, nec alius effuſus Sanguis, quàm Chriſti Domini, ergo neceſſariò ſequitur, verum Chriſtum Deum & hominem ſub ſpeciebus panis & vini in SS. Evchariſtia contineri; ac proinde ibidem ſummè eſſe honorandum, colendum & adorandum? *Dignus enim eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem in ſæcula ſæculorum. Cui honorem, honorem.* Rom. 13. 17. Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. Apoc. 5.

Qui Arcam Dei, in qua Manna de cœlo delapſum aſſervabatur, non debito cultu venerabantur, miſerâ & infauſtâ morte periêrunt. Ozam conſule à Domino ſubitanea percuſſum nece, quia Arcam divinam vel ſemel præſumpſit temerè attingere? *Iratúsque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi juxta Arcam.* Hinc diſce, ſubintrat hîc Cornelius, quanta puritate & reverentia accedendum ſit ad S. Evchariſtiam, in qua non eſt Manna terreſtre, quod erat in Arca, ſed cœleſte & divinum, imò ipſe Chriſtus DEUS & homo. Proinde in hoc SS. Sacramento cultu latriæ, id eſt, ſupremo, qui ſoli Deo debetur, eſt adorandus; fides enim præſentiæ Filii Dei in carne, & neceſſitas eum adorandi ſunt invi- 2. Reg. 6. 7. Cornel. hîc.

invicem connexa. Quam veritatem non agnovit tantùm, sed & perelegan-
Trident sess. 15 ter explicavit Tridentinum: *Illum eundem Deum*, inquit, *in hoc S. Sacramento adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt, quē denique in Galilæa ab Apostolis adoratum Scriptura testatur.* Cui honorem, honorem.

De eadem Arca Domini recensent SS. Paginæ, quòd ex mandato Dei per septem dies à Sacerdotibus in solemnissima processione & concursu totius populi Israëlitici per circuitum in obsidione & expugnatione Jericho fuerit portata. Præibant tunc omnes Hebræi bellatores armati, quos sequebatur Arca illa divina cum Sacerdotibus bajulis, & supremo Belli-Duce Josue. Agmen claudebat vulgus innumerabile. Tandem septimo die à
Josue. 6. 20. facie Arcæ fœderis, *& omni populo vociferante, & clangentibus tubis muri illico corruerunt.* Omnia hæc illis contingebant in figura. Arca, in qua Manna conservabatur absconditum, SS. Eucharistiæ typus fuit, quæ per hanc septimanam honori hujus divini Sacramenti dedicatam septies in pluribus Ecclesiis in solemnissima pompa à Sacerdotibus Dei & comitante omni populo orthodoxo summo cum jubilo exponitur, & circumfertur. Per Jericho corruentem hæresin & omnem contrariam Satanæ potestatem subau-
2. Reg. 6. 14. di. Ringatur licèt infelix hæresis, velut quondam arrogans Michol, dum humilem Davidem Regem coram Arca Dei jubilantem conspexit, & despexit; sed nihil efficiet omnis satanica & hæretica pervicacia, quia tan-
Psal. 67. 2. quam muri Jerichuntini cum cunctis inferni viribus concidet: *Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis; sic pereant peccatores à facie Dei, & justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.*

Cùm quondam magnificentissimum templum, à sapientissimo Rege immensis impensis intra septem annos ædificatum, Deo T. O. M. dedicaretur, & nunc à Sacerdotibus prædicta Arca fœderis in Sancta Sanctorum es-
3. Reg. 8. 10. set introducta, refert Scriptura, quòd *nubila implevit domum Domini, & non poterant Sacerdotes stare & ministrare propter nebulam; impleverat enim gloria Domini domum Domini.* Observant hîc Interpretes, nebulam illam fuisse candidam, lucidam ac splendentem, & ideò *gloria Domini* appellata est,
Cajetan. & alii. quæ Sacerdotum ministrantium oculorum aciem mirè obtundebat, & habetabat, & hoc ob reverentiam divinæ Majestatis sese per nebulam illam ostendentis. Quod ubi vidit prudentissimus Salomon, mysterium advertens clamavit: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*, dixit autem hoc Levit.
Forner. in Paradis. Evangel. Conc. 32. *16. 13.* Et quid, obsecro, præsignabat candida illa nebula, in qua olim habitabat DEUS cum hominibus? Resp. Reverendissimus Episcopus Hebronensis Fornerus, illam nebulam fuisse pulcherrimum typum SS. Eucharistiæ,

quia

quia ibidem quasi candida nebula latet Divina Majestas, ac ipse Dei Filius & homo Christus sub candidis panis speciebus absconditus: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationẽ sæculi.* O grande mysterium! Date igitur gloriam DEO super Israël, quia longè propiùs adest nobis, quàm quondam Hebræis: *Exulta igitur, & lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.* Matth. 28. 20. Isa. 12. 6.

4. Hebræis quondam in exitu Israël de Ægypto ad mare rubrum, ac dein per desertum usque ad introitum Palæstinæ, profisciscentibus columna nubis & ignis fidelissima dux, comésque itineris fuit; erat autem hæc columna illuminans, & protegens Hebræos, confundens autem, & obnubilans Ægyptios, de qua Sapiens: *Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ &c.* Exod. 14. 19. Sap. 18. 3.

Meminit & Vates Regius alterius columnæ nubis, in qua olim Deus Moysi & Aaroni coram Arca prostratis apparuit, eísque suam exposuit voluntatem: *Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos; in columna nubis loquebatur ad eos.* Contigit autem hoc Moysi, quando montem Sinai ascendit, ubi ei Dominus *in caligine nubis* locutus est: *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Alia vice locutus est Deus in tabernaculo fœderis, sed pariter in columna nubis: *Ingresso autẽ illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebatúrque cum Moyse cernentibus universis, quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi; stabántque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.* Psal. 98. 7. Exod. 19. 8. Exod. 33. 9.

Per utramque hanc columnam nubis & ignis, in qua magni consilii ille Angelus, imò ipse Deus dux itineris & instructor populi esse voluit, rectè juxta mentem quorumdam Interpretum adumbratus est Christus JEsus, & hic Eucharisticus, ita le Blanc: Ibi, inquit, hoc est, in SS. Eucharistia, Christus loquitur Sacerdotibus, ubi verè est, sed latens, & quasi sub nube candida, sub qua ejus abscondita est Deitas; unde & Isaias dicit: *Ecce, Dominus ascendet super nubẽ levem.* Est autem pientissimus Redemptor noster in SS. Eucharistia columna nubis, quia, ut columna illa veteris Testamenti ab hostium incursu nos protegit, defendit & adumbrat, atque in fideles suos gratiarum imbres largissimè effudit. Est & columna ignis, eosdem fideles suos benignè illuminans, mentes eorum frigidas igne amoris sui accendens & calefaciens, atque à sordibus purgans noxarum: *Deus tuus ignis consumens est.* O Christiani! resumite animos; si jam olim in umbra Deus & Salvator vester in columna nubis & ignis adeò clemens & propitius populo suo fuit, quid nunc sperare possumus à mitissimo illo Numine sub candida nubecula in SS. Eucharistiæ Sacramento recto, si debita cum veneratione tanto præsentes LeBlanc in Psal. 89. 7. Isa. 19. 1. Deut. 4. 24.

erimus mysterio? Proinde rectè S. Doctor Angelicus: *Sic nos visitat, prout illum colimus.*

5. Azotii, quia Arcam Dei inhonorârunt, eámque juxta impurum Dagon statuerunt, à Deo justissimo scelerum vindice gravissimâ & incurabili plaga fuerunt percussi: *Aggravata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Qualem, obsecro, pœnam merebitur ille luridus Christianus, qui ipsum Sanctum Sanctorum in Sacratissima Eucharistia non debito afficit honore? & Sacerdos ille, qui indignè sacrificat?

1. Reg. 5. 6.

Balthasar Rex, quia sacra prophanaverat vasa, quæ pater illius Nabuchodonosor de templo Solymæo transtulerat, à Deo gravissimè correptus est, dum Divina manus ei in pariete mortis & interitûs scripsit sententiam: *Mane, Thecel, Phares*; ubi paulò post sequitur: *Eâdē nocte interfectus Balthasar Rex Chaldæus.* Quid tibi eveniet, homo Christiane, si eadem temeritate non vasa sacra, sed ipsum Sanctum Sanctorum in SS. Sacramento realiter præsentem fueris aspernatus?

Dan. 5. 25.

Filii Heli, Ophni, & Phinees, quia Sacrificia Domini indignè tractarunt, miserrima morte periêrunt: *In die uno morientur ambo &c* Et ipse Heli pater, quia magis honoravit filios suos, quàm Dominum, & Sacrificia ejus, subitanea quoque morte exspiravit: *Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Qualis eos manebit pœna, qui indignè tractant Divinum Sacrificium, aut corde & ore polluto suspiciunt SS. Eucharistiæ Sacramentum? Heu qualis pœna?

1. Reg. 2. 34. 1. Reg. 2. 30.

6. Gedeon clam cum Phara de nocte intempesta jussu Dei in castra Madian descendens, mirum audiebat cujusdam Madianitæ somnium: *Vidi*, inquiebat is, *somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi & in castra Madian descendere; cúmque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.* At quod reposuit alter commilito & Madianitæ socius: *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Et quomodo, dices, ista inter se conveniunt, panis & gladius? quam insolita est hæc consequentia? R. Cornelius: Hic panis fuit typus Eucharistiæ, quæ Madianitas, id est, Dæmones, cæterósque hostes quasi gladius ferit, & dejicit; hic enim est panis, qui de cœlo descendit, & castra hostium subvertit. Dicitur autem gladius, quia gladiô se quis potest defendere, aut seipsum interimere; ita & SS. Eucharistia est vita bonis, mors malis, panis vitæ ritè dispositis, & gladius impiis, atque indignè communicantibus.

Judic. 7. 13.

S. Joannes dilectus ille Domini Discipulus in extasi quondam conspicatus est *thronum, de quo procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* In throno Eucharistico residet idem Deus & homo Christus. Cave, ô peccator & contemptor, ne similia in te procedant fulgura & tonitrua; unde SS. Eucharistia rectè appellari

Apoc. 4. 5.

pellari solet: *Tremendum ac vivificum Sacramentum.* Discant hîc elatæ cervices coram Deo Eucharistico sese humiliter demittere, & quem *adorant Dominationes, & tremunt potestates,* demissè adorare.

Panes propositionis olim supra mensam auream ac purissimam erant collocati, qui & panes facierum, seu bifrontes erant appellati: *Super mensam purissimam statues eos, ut sit tibi panis in monimentum oblationis Domini.* Lev. 24. 6 Galatinus lib. 10. de Arcanis. Præseferebant autem panes isti Sancti duplicem faciem, quia utrinque, ait Galatinus, habebant crustam, & non in furno, sed instrumentis aureis, sicut nos hostias consecrandas ferreis conficimus instrumentis, pinsebantur. Ecce mysterium: Christus in SS. Eucharistia sub specie panis nobis propositus duplicem quoque præsefert faciem, suavem, & torvam; suavem probis, torvam improbis: *Mors est malis, vita bonis.*

7. Obededom Gethæus, quia in domo sua Arcam Domini humanissimè excepit, coluit, ac veneratus est, à Deo multiplici benedictione est cumulatus: *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* 2. Reg. 6. 11. Dixi, per Arcam fuisse adumbratam SS. Eucharistiam, in qua non terrestre manna, sed cœleste & Divinum, imò ipse Deus & homo Christus est absconditus; quâ igitur reverentiâ, animi puritate & cultu latreutico erit colendus ipse Deus præsens.

Petrus, ubi ex ingenti piscium captura intellexit, ipsum Dominum suum in navicula esse præsentem, ob miraculum tam insolitum sacro horrore perculsus exclamavit: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* Luc. 5. 8.

Adam, ubi contra Dei mandatum deliquit, non ausus est ampliùs in conspectu DEI apparere, sed ingenti correptus timore coram præsente Numine inter fruteta paradisi se abscondit: *Vocem tuam audivi in Paradiso, & timui.* Gen. 3. 10.

Mulier illa, quæ tot annis sanguinis fluxum perpessa est, non audebat corã in manifesto ad Christum accedere, sed *accessit retrò & tetigit fimbriam vestimenti ejus; dicebat enim intra se: si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva vero.* Matth. 9. 20. Vide hîc, atque perpende, Anime mi! qualem reverentiam debeas exhibere Deo tuo Eucharistico, & quàm salutari in præsentia Christi debeas corripi timore, ne præsente ac spectante tali ac tanto Domino aliquid indigni committas. Audi S. Chrysologum: *Audiant Christiani*, inquit, *qui quotidie Corpus Christi attingunt, quamnam de ipso corpore possint sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem; sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere medicinam tollit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus.* S. Chrysol. serm. 34.

Discant hîc delicatuli coram Redemptore suo Eucharistico utrumque inflectere genu, ne magis videantur imitari Judæos ingratissimos, qui uno nixi poplite Christum proterve conspuebant, illudebant, & alapis cædebant:

Matth. 27. 29. *Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum.* Discant crassiores trunci coram pretiosissimo Salvatore ac supremo Judice sua humiliare capita, eúmque viva fide adorare, ac colere, si similem benedictionem cum Obededom, Petro, & Muliere sanata à benignissimo Numine velint obtinere &c. Discant mortales omnes Deum, ubi realiter præsens est, debito prosequi honore; sed fides docet, quod Deus in SS. Eucharistia realiter sit præsens, ergo debito illum prosequantur honore. O quàm pudendum! quòd bestiæ omni ratione carentes subinde Eucharistico Numini majorẽ exhibeant reverentiam (uti patet ex ovicula S. Francisci, & asino S. Antonii Paduani &c.) quàm ipsi homines Christiani ratione prædíti, ac fidei Orthodoxæ lumine illustrati. O quàm pudendum!

8. Moyses Hebræorum Legifer & Dux, ut notitiam de terra promissionis capesseret, duodecim exploratores in Chanaan ablegavit, qui explorarent, qualis esset terra, quàm fertilis, quàm lata, populosa ac munita. Et ut specimen aliquod raræ fertilitatis post quadraginta dies ad castra sua redeuntes re-

Num. 13. 24. Cornel. hic. ferrent, *abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Ex quo patet, prægrandem fuisse botrum illum, quem à duobus viris opus fuit portari. Omnia hæc illis contingebant in figura, per uvam Cornelius Christũ & hunc crucifixum intelligit: *Uva*, inquit, *pendens in vecte est Christus pendens in Cruce, hæc nata est in terra promissa, id est, B. Virgine, quam promisit Isaias c. 7. v. 14.* Ita sentiunt & Sanct. Augustinus, Sanctus Ambrosius, Sanctus Cyprianus & alii, quos citat, & sequitur dictus Cornelius. Verùm Clemens Alexandrinus per uvam illam Venerabile subaudit Eucharistiæ Sacramentum, de

Cant. 1. 13. quo & Sponsa: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engeddi.* Duo autem viri hujus uvæ bajuli duo præsignabant Testamenta, qui præibat, Judæos adumbravit, qui sequebatur, Christianos; in quo observandum, Judæos huic botro mystico, quia præcesserant, terga vertisse, adeóque parùm SS. Eucharisti-

Jo. 6. 61. am curasse, unde & dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Christiani verò Orthodoxi, qui sequebantur, & etiamnum sequuntur, eundem divinum botrum ante conspectum suum gerunt, & mysterium intelligunt, proinde Christum in illo præsentem humiliter adorant, qui & dulcis cibus ac po-

Jo. 6. 56. tus esse solet. *Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Observa *Tò verè*, non figuratè, non ænigmaticè, sed verè & propriè.

9. Cæterùm Hebræi in Lege Veteri, quia tot, ac tantis à Deo erant cumulati beneficiis, ut illis ore ad os per servum suum Moysen loqueretur, consolaretur afflictos, animaret pugnaturos, nutriret famelicos, & inter illos in castris in proprio habitaret tabernaculo &c. meritò gloriari, ac dicere poterant:

S. Th. Aq. in Offic. in solemn. *Non est alia natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis* Sed modò in Lege gratiæ longè propinquior est nobis Deus in SS. Eucharistiæ Sacramento; illis quondam Deus solùm per Angelum loquebatur

tur, ſed nunc per realem, Divinámque Filii Dei præſentiam: *Propter hoc ſciet populus meus Nomen meum in die illa; quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Quis ergo, ſi viva fide credit (prout decet quemlibet credere Chriſtianum) Deum ac Salvatorem ſuum in hoc SS. Sacramento perſonaliter præſentem non veneretur? non honoret? non adoret? *Si ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* & licèt ſit Deus abſconditus, cui tamen honorem, honorem. O Chriſtiani! O Catholici! reſumite animos, reverà *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Ut preces noſtras audiat, peccata dimittat, mala tollat, juvet afflictos, & omni gratia ac conſolatione nos in hoc Diviniſſimo Sacramento repleat: *Sacramentum Corporis Chriſti*, ait Hugo, à S. Victore, *dicitur propter ſui excellentẽ virtutẽ Euchariſtia, id eſt, bona gratia.* Quid ergo formidamus ad hanc bonam gratiam, imò ad ipſum gratiæ thronum accedere, ut miſericordiam conſequamur in tempore opportuno?

Corp. Chr. Iſa. 52. 6. Malach. 1. 6. Hug. à S. Vict. p. 307 Hebr. 4. 16.

Propheta ille Apocalypticus & dilectus Chriſti Diſcipulus vidit aliquando per oſtium cœli apertum viginti quatuor Seniores, quaſi Senatores magnificentiſſimos, imò & Reges potentiſſimos in ſedilibus ſuis ſedentes, & viventem in ſæcula ſæculorum humiliter adorantes; procidebant enim ante faciem ejus quaſi humum oſculaturi, mittebántque coram throno Dei, eíque Regnum ſuum, triumphos, victorias ac coronas referebant acceptas: *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorẽ, & virtutẽ &c.* Paulòpoſt, prout ſequens inſinuat caput, iidem Seniores coram Agno, qui proximus erat Deo, de nóvo procidebant, quos millia millium ſequebantur Angelorum, qui omnes læta voce conclamabant: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutẽ, & Divinitatẽ, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorẽ, & gloriam, & benedictionẽ &c.* En hîc typum habes, anima Chriſtiana, quomodo laudare, magnificare, ac benedicere debeas Diviniſſimum Agnum pro univerſorum ſalute in ara Crucis occiſum, & nunc viventem in ſæcula, & etiamnum nobiscum in SS. Euchariſtia præſentẽ: *Ecce, ego vobiscum ſum omnibus diebus usque ad conſummationem ſæculi.* Imitare pro fine aquilas, de quibus Veritas Chriſtus: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Supra quod S. Ambroſius: *Corpus Chriſti eſt in altari; aquilæ vos eſtis renovatæ ablutione delicti, juxta illud: Renovabitur ut aquilæ juventus mea. Pſ. 102. 5.*

Apoc. 4. 11 Apoc. 5. 12 Matth. 18. 20. Matth. 24. 28. S. Amb. de Sacram. l. 4 cap. 2.

CONSIDERATIO XXXVI.

In via Virtutis non proficere, est deficere.

Pro Dominica 3. post Pent.

Quærit diligenter, donec inveniat. Luc. 15. 8.

1.

PAlma quò annosior, eo & fructuosior. Cygnus quantò magis senescit, tantò suaviùs canere consuescit. Cedrus semper crescit, proinde de illa dicitur, quòd nunquam finatur ire in senectam, unde pro lemmate tulit: *Semper flore novo.* Ita & homo Christianus debet esse constitutus, qui quotidie viam virtutis debet incipere, si non velit in illa deficere; in hac enim non progredi, est regredi: *Nulli,* ait Doctor Mellifluus, *in eodem statu diu esse conceditur; aut semper proficiendum, aut deficiendum est.* O quàm turpe igitur est homini Christiano, si quoad ætatem singulis proficit momentis, & tamen virtuti nihil adjicit! Nonne cervus annis singulis cornibus suis unum ramum adjicere assolet, & tu, Christiane, semper in eodem statu permanes; Et quid hoc est, semper esse Joannem in eodem? S. Hieronymum audi: *Omne tempus,* inquit, *in quo te non meliorem senseris, hoc æstima perdidisse.* O grandis perditio! in quo non melior evasisti?

S. Bernard. ep. ad F. F. de vita solit

S. Hier. ad SS. Virgin.

De milvio recenset Geminianus & alii, quòd in juventute sua miro planè ardore ac solertiâ pinguiores prædari soleat aves; sed quo tandem annosior ac profectior hic prædator & terror volucrum fieri assolet, eò & segnior redditur & ad prædandum inhabilis; hinc in senectute sua parvulas tantumodo cogitur capere muscas & vermiculos, & sic miser tandem ob escæ defectum fame perit, aliisque rapacibus milviis in prædam cedit. Ita proh dolor! sunt multi etiamnum Christiani, qui bene quidem incipiunt, sed deniq ie malè finiunt, non absimiles illis ingratis & inconstantibus Hebræis, qui quondam Manna de cœlo delapsum prima fronte mirè suspiciebant: *Manhu? quid est hoc?* Tandē ejus nauseâ affecti dixerunt: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Ah nos miseros! sanè hoc calamitoso temporum ævo eò deveni-

Geminian. de Exempl. & Simil. l. 4. cap. 38.

Exod. 16. 15. Num. 21. 5.

venimus, de quibus jure merito dicere potest Veritas Christus: *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 24. 12.

Si hodiernus pastor in inquisitione ovis perditæ destitisset, si & mulier quærendô drachmam suam amissam non continuâsset laborem, neuter rem tantoperè desideratam invenisset; proin constanter laborandum est pro cœlo, pro Dei honore, pro animæ propriæ & aliarum promovenda salute, & quidem usque ad supremum vitæ halitum, *qui hîc deficit*, monet S. Paschasius, *& ad altiora non currit, ad inferiora descendit*; & S. Bernardus: *In via vitæ non progredi, regredi est.* De qua veritate plura in præsenti se offerunt examinanda. Si salutem tuam amas, attende, quia & te, ô mi Lector, tangit. S. Paschas. 5. in Thren. cap. 5. S. Bernard. 2. in Purif. B. V.

2. Olim mandaverat Deus, ut ignis in altari semper arderet, quem nutrire debebat Sacerdos, *subjiciens ligna manè per singulos dies.* S. Gregorius Magnus per hoc altare cor nostrum intelligit, in quo Deus vult, ut ignis divinæ charitatis semper ardeat; proinde quilibet Christianus hunc ignem quotidie nutrire studeat, si vult, ut in gratia Dei & virtutibus proficiat; & quemadmodum corpus quotidiano reficimus alimentô, ne pereat, ita & oportet huic igni cœlesti semel in altari cordis nostri excitato quotidianam subministrare annonam: *Hic ignis*, subintrat hîc Cornelius, *lignis, id est, exemplis Patrum, & præceptis dominicis quotidie fovendus & excitandus est, idque manè, id est, matutina oratione & meditatione (quod quàm utile sit, utinam intelligant, & re ipsa in praxi experiantur omnes, præsertim Ecclesiastici) estque in cordibus electorum inextinguibilis.* Sed quomodo in te? Levit. 6. 12 S. Gregor. lib. 25. Mor. c. 7. Cornel. in Levit. 6. 16

Ezechiel Propheta, ubi quatuor illa mystica animalia conspexit ex igne prodeuntia, & singula cum quaternis faciebus adinstar fulguris euntia, advertit, quòd nullo modo retrogrado, aut averso, sed rectissimo ambularent incessu, nunquam in cursu suo retrospicientes: *Et unumquodque eorum coram facie sua ambulabat; ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent.* En, forma hic tibi præscribitur, homo Christiane, quomodo non retrogrado, aut averso, sed recto incessu sit ambulandum: *Ibunt*, ait Vates Regius, *de virtute in virtutem.* Eliam imitare, qui ad Angeli visionem & monitum, ubi sub umbra juniperi pane subcineritio refectus est, non ampliùs acquievit, donec in fortitudine cibi illius usque ad montem Oreb ambulâsset. Sponsus ille sanguinum, verè candidus & rubicundus in Cantico à Sponsa capreæ, hinnulóque ceruorum assimulatus est, saliens in montibus, & transiliens colles. Tu illum pro possibili imitare, & sicut cervus in via virtutum perge. Et hoc est, quod David de seipso asserit: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Addit hîc S. Ambrosius, *ut bonus equus*, boni enim equi hæc nota est & indicium, quòd etiam stans Ezech. 1. 11. Psal. 83. 8. 3. Reg. 19. 8. Cant. 2. 7. Ps. 118. 12.

stans cursum meditetur, hinc pedibus terram pulsat, & impatienter tolerat, si non possit cursum perficere. Tali anhelitu, vult dicere David, ego post conversionem meam viam mandatorum Dei cucurri, *cùm dilatâsti cor meum*, non enim bene curritur, nisi corde dilatato; cor enim coarctatum & coangustatum non est habile ad currendum. Audis hoc, anime mi? Cor tuum dilatatum per mortificationem, fidem, spem, charitatem ac cæteras virtutes: *Cordis dilatatio*, inquit S. Augustinus, *justitiæ est delectatio &c.* Sed pergamus ad alia.

S. August. conc. 16. in hunc Psal.

Genes. 28. 12.

3. Jacob Patriarcharum decus, sed tunc temporis intervallô adhuc juvenis; cùm iram fratris sui Esau declinaturus, ex suasu matris in Mesopotamiam proficisceretur, in via de nocte intempesta super duros indormiens lapides ipsum Dominum procerâ scalâ, & usque ad cœlum pertingenti innixum conspicatus est per quam mirabilem scalam etiam Angeli in continuo motu & ascendebant, & descendebant. Ingens portentum! visum mirandum! quæ tamen omnia illis contingebant in figura. Sunt, qui per hanc mysticam scalam Dominicam subaudiunt Crucem, quæ miserorum ad cœlum scala est. Ita S. Augustinus: *Dominus*, ait, *scalæ incumbens est Christus in Cruce pendens.* Sunt, qui per eandem scalam Incarnationem Verbi & Christi generationem ex stirpe Jacobi oriundam subintelligunt, ita Rupertus, Vatablus & alii. Sunt, qui hanc ipsam per scalam beatissimam ac semper intemeratam Virginem & Dei GenetricemMARIAM præsignatam esse volunt, utpote quæ est scala peccatorum. Ita S. Bernardus: *Hæc*, inquit, *est scala Jacob, quæ duodecim gradus habet. --- Per hos gradus ascendunt Angeli, & sublimant homines. Sic disponuntur in corde ascensiones, sensim perficiendô, & pedetentim ascendendô.* Sunt denique, qui per hanc sæpiùs memoratam scalam viam Justorum & Electorum in cœlum præfiguratam esse contendunt, & optimè in sensu Tropologico, ita antiquissimus Tertullianus: *Scala*, ait, *hæc est via, quæ justi ascensiones in corde suo disponunt in cœlum*, cujus scalæ gradus sunt variorum præceptorum & virtutum ascensus, videlicet incipientium, proficientium & perfectorum, quibus se denique ipse Deus in vertice unit: *Vidi Dominum innixum scalæ.* Sed adhuc unum verbum, anime mi! Observat in hac elegantissima figura S. Doctor Mellifluus quòd nemo Angelorum in illa mystica scala fubstiterit, nullus sederit, aut moratus sit, sed ambulabant omnes, & quare hoc? Audi, & perpende illius verba: *Vidit*, inquit, *Jacob in scala Angelos descendentes, & ascendentes. Nunquid stantem quempiam sive sedentem? aut ascendas, necesse est, aut descendas. Si attentas stare? ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult, & ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Audis hoc? *In hac vita*, ait idem Mellifluus, *inter profectum & defectum nihil est medium*; quapropter hîc laborandum est, & si non proficis, necessariò deficis, & quo hîc negligis, per omnem æternitatem non ampliùs poteris recuperare, proinde *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.*

S. Bern. t. 1. de B. 11. pag. 394.

Tertullianus contra Marcionem.

S. Bernard. Epist. 91.

S. Bernard. epist. 233.

Eccl. 9. 10.

4. Re-

4. Recordor hîc S. Petri Apoſtoli in transfiguratione Chriſti in monte Thaboræo à pientiſſimo Domino humiliter poſtulantis, quatenus ſibi liceret in hoc amœniſſimo loco tria ædificare tabernacula, in quibus cum Chriſto, Moyſe, & Elia jugiter poſſet permanere, & vitam quietam, atque ab omni mundano ſtrepitu immunem ducere: *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe.* Matth. 17. 4. Textus Arabicus habet: *Bonum eſt, ut maneamus hîc.* Verùm nihil impetravit bonus Petrus, *neſciens*, ait Lucas, *quid diceret.* Et quomodo *neſciens*? Luc. 9. 33. An fortaſſe in illa gloria ut ebrius loquebatur, dum inſolitô & cœleſti gaudiô abſorptus, ſe ipſum capere non poterat? Ita eſt, loquebatur ut *neſciens*; Cauſam aſſignat S. Joannes Damaſcenus: *Non eſt*, inquit, *tibi bonum, ô Petre! quòd Chriſtus ibi moretur; non enim obtineres claves Regni, nec mors abolita eſſet tyranni; ne quæras ante tempus felicia, ut Adam Deificationem.* S. Damaſcen. hîc apud Cornel. Audi in hanc rem & Theophylactum: *Ne dixeris*, inquit, *cum Petro: Bonum eſt nos hîc eſſe; nam oportet ſemper proficere, & non permanere in uno gradu virtutis, & contemplationis, ſed ad alia tranſire.* Theophyl. hîc. Audis hoc, ô Clerice! ô Religioſe! ô Chriſtiane!

De Jonatha recenſet primus Regum Liber, quòd ſolus cum armigero caſtra invaſerit Philiſthinorum, & magnam inter hoſtes ſtragem causârit; Oportebat autem eum aſcendere per præruptas & altiſſimas petras: *Aſcendit autem Jonathas & manibus & pedibus reptans, & armiger ejus poſt eum.* 1. Reg. 14. 13. Juvat hîc audire doctiſſimum Mendozam: *Jonathas*, ait, *viam arduam ingreſſus, ſed ſemper progreſſus, exemplum præbet iis, qui virtutis viam aggrediuntur, ut ſemper progrediantur.* Mendoza hîc annot. 20. ſect. 1. Et Hugo Cardinalis: *Tota*, inquit, *vita juſtorum eſt aſcenſus; è converſo tota vita impiorum deſcenſus eſt &c.* Hugo Cardin. hîc. Quid tu facis, qui hæc legis? an aſcendis? vel deſcendis? fortaſſe neutrum de te dici poteſt; quid ergo erit in fine vitæ? fac ipſe concluſionem, & audi Doctorem Angelicum: *Qui*, ait, *non ſtudet ad proficiendum, eſt in periculo deficiendi: videmus enim, quòd, niſi remiges conantur aſcendere, navis ſemper deſcendit.* S. Tho. Aq. in 2. Cor. 13. lect. 3

5. Vis hujus veritatis probam? Saulem primum Iſraëlitarum Regem conſule, de quo ſacræ teſtantur Paginæ, quòd in omni populo Iſraël, nemo illo melior fuerit: *Et erat ei* (Cis patri ejus) *filius vocabulo Saul, electus & bonus; & non erat vir de filiis Iſraël melior illo.* 1. Reg. 9. 2. Cùm ad Regem poſtularetur, quæſivit latibula, & in antris abſcondit ſe, ne ad regiam eveheretur dignitatem, Verbo: Spiritus Sanctus erat cum illo, unde & cum aliis prophetavit Prophetis. Et tamen talis, ac tantus vir non duntaxat terreſtri, ſed & cœleſti regnô excidit. O caſum ſummè deplorandum! Et vis ſcire, anime mi! tam miſerandi lapſûs cauſam? Audi Samuelem ei ſententiam dicentem: *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* 1. Reg. 13. 13.

Quod si non feciſſes, jam nunc præparâſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. Collige ex his, quisquis es homo Chriſtiane! quomodo in cœpta vitutum via tibi ſit impoſterùm ambulandum? pergendum, pergendum, proficiendum, proficiendum quotidie eſt: *Semper adde*, ait Divus Aurelius Auguſtinus, *ſemper ambula, ſemper profice, ſemper aſcende; noli in via remanere, noli retrocedere, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retrocedit, qui ad ea revolvitur, unde jam abſceſſerat; deviat, qui apoſtatat.* Virgines illæ fatuæ, quia in fine carebant oleô, à Divino Sponſo reprobatæ ſunt: *Clauſa eſt janua, neſcio vos.* Per quod Incarnata Sapientia omnes ſuos erudire voluit fideles, eósque præmaturè monere, quòd, ſi ad æternas Agni nuptias velint pervenire, ſemper in virtutibus non tam proficiant, quàm & oleum charitatis ac bonorum operum usque ad ſupremum vitæ exitum diligentiſſimè conſervent, *non enim aliquod coiniquinatum intrabit regnum cœlorum.*

S. Aug. ſup. Pſal. 122.

Matth. 25 10.

Apoc. 21. 17.

6. Jacob, de quo priùs mentionem fecimus, paulò ante obitum ſuum omnes filios ſuos convocari juſſit, quibus non tam paternè benedixit, quàm & poſteris eorum bona, vel mala, quæ illis eſſent eventura, prophetavit: *Congregamini, & audite, filii Jacob, Iſraël patrem veſtrum.* Cùm igitur ad filium ſuum Ruben primogenitum, ſed immorigerum veniſſet, eum jure primogenituræ ſpoliavit, eíque clariſſimis verbis prædixit: *Non creſcas; quia aſcendiſti cubile patris tui*; ad Joſephum autem filium morigerum dixit: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens.* Bone DEUS! quàm diſſimilis eſt hic benedicendi modus! de uno vaticinatur Jacob: *Non creſcas*, & de altero, ut creſcat non tam in ſe, quàm & in filiis ſuis in longitudinem dierum, proinde bis dixit: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens.* Omnia hæc illis facta in figura, ſcripta ſunt autem propter nos. Ruben illos ſignificat, qui Chriſti quidem per fidem ſunt filii, ſed propter teporem, mentísque languorem non creſcunt in bene cœptis, bonis propoſitis ac virtutibus; hinc meritò cum Ruben, tanquam filii immorigeri primogenituâ, ſeu jure cœleſti privantur hæreditatis. Econtrariò per Joſeph illi indicantur, qui accreſcunt quotidie in virtutibus, & de virtute tranſeunt in virtutem, donec videatur DEUS Deorum in Sion; de quibus & S. Paulus ait: *In omni opere bono fructificantes, & creſcentes.* Et Sapiens: *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.*

Gen. 49. 2.

Pſ. 83. 7. Col. 1. 10. Prov. 4. 18.

Et quemadmodum aurora ſenſim creſcit, & pedetentim intenditur usque ad perfectum diem, unde lemma: *Senſim lucidior*; & ſicut Luna nova ſemper magis, magisque ſolet accreſcere, donec tandem ſplendore ſuo adimpleat ſuum orbem; hinc lemma: *Perfectum creſcit in Orbem*; Ita converſatio

satio sancta justorum est adinstar auroræ, vel Lunæ, dum eorum justitia & sanctitas semper ac sensim crescit: *Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* S. Cant. 2. 17. Fursium virum miræ sanctitatis consule, qui aliquando raptus in extasin Angelos vidit sibi occurrentes, & læto concentu sibi occinentes: *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur DEUS Deorum in Sion.* Erige te, ô anima Christiana! & totis viribus pro immarcessibili illa corona & æterna gloria, dum adhuc tempus gratiarum affulget, labora, non respiciendô post aratrum, aut post Sodomam cum uxore Lothi, sed viâ rectâ procedendo, donec venias ad illam beatam Patriam, ubi *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Cornel. in Prov. 4. 18. Ps. 103. 7. Matth. 13. 43.

7. Cæterùm non sine peculiari causa illuminatissimus gentium Doctor Paulus viam quotidiani profectûs & perfectionis cuidam stadio, seu ut Romæ vocant, *cursui* ad acquirendum bravium destinavit, assimilavit: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis.* Et dic, obsecro, Sodes, si quis in medio cursu gradum sisteret, nec ampliùs conaretur ad præfixam currere metam, an talis optatum præmium & bravium obtineret: Minimè gentium, sed oportet, ut in cursu semper proficiat, donec terminum attingat: *Sic currite, ut comprehendatis.* 1. Cor. 9. 24.

Abraham singulare virtutis & perfectionis speculum hîc nos oportet intueri, ad quem olim DEUS: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Et quomodo perfectus? Resp. quia citò & sine ulla tergiversatione fecit omnia, quæ mandaverat ei DEUS, semper in virtutis semita proficiens, Deúmque semper præsentem, & operum suorum inspectatorem sibi præfigens; unde quando Dominus ei in Mambre juxta tabernaculi sui fores in ipso fervore diei sedenti apparuit, ubi tres vidit, & unum adoravit, sine mora in occursum illorum cucurrit, Saræ conjugi interim præcipiens: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes,* ipse verò *festinavit, & cucurrit ad armentum, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, dedítque puero, qui festinavit, & coxit illum.* Ad quid, obsecro, ista festinatio in domo Abrahæ? *Tota domus,* ait Hildebertus, *festinat, tota fervet obsequio, nihil negligenter fit in domo justi*; & Origenes: *Nullus piger,* inquit, *est in domo sapientis.* Formam hîc habes, anime mi, quomodo te oporteat servire Deo, & in omni virtute cum Abrahamo proficere, imò & cum illo festinare ad majores quotidie profectus, *quoniam tempus breve est.* Gen. 17. 1. Gen. 18. 6. Hildebert. Epist. 60. Orig. hic.

Cùm electus Dei populus ex Ægypto egrederetur in Palæstinam, nullam moram interposuit itineri, sed omnia debebant fieri festinanter: Agnum Paschalem manducaverunt cum festinatione: *Comedetis festinanter: est enim Phase (id est, transitus) Domini.* Cum celeritate trajicebant mare rubrum, Pharaonem à tergo instantem formidantes; & licèt hoc mare rubrum Exod. 12. 11.

sex circiter leucas latum sit, illud tamen tres hominum milliones, in quibus & multi pueri ac puellæ fuerant, unius noctis dimidiæ spatio decurrerunt:
Exod. 14. 22. *Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris &c.* Supra quod egregiè D. Ambrosius: *Transeundum est*, inquit, *hoc mare impigrè, vix transitur à vigilantibus. Si quis autem dormiverit, transire non poterit; sed demergitur, ut Ægyptius, cujus & anima & corpus interiit.*
S. Ambros. serm. 4. in Psal. 118. 23.

Accedit, quòd populus ille Israëliticus per desertum ab una ad alteram transierit mansionem, donec tandem post 40. annos ad terram promissionis pervenerit. Sic & te oportet Anima Christiana, ire de virtute in virtutem, & ab una ad alteram pervenire mansionem, ut per variarum virtutum exercitium tandem ad terram promissam venias & ad montem Sion, ubi
Hebr. 12. 1. DEUS habitabit cum hominibus: *Curramus*, ait S. Paulus, *ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem &c.*

8. Pro dictorum coronide adhuc aliqua coacervemus argumenta. Salomon Regum prudentissimus pretiosissimum sibi jussit parari thronum,
3. Reg. 10. 20. quem duodecim ad latus stipabant leunculi aurei gradatim ascendentes: *Et duodecim leunculi stantes super sex gradus binc atque inde*, duos autem majores leones ex auro purissimo conflatos, tanquam custodes sui corporis juxta sedile suum in summitate graduum voluit collocari: *Et duo leones stabant juxta manus singulas.* Ad quid, quæso, tot leones? Resp. Leo est Symbolum vigilantiæ, unde apertis indormit oculis; & fortitudinis, quia ad nullius pavet occursum; Adverte, anime mi! utrámque hanc virtutem ille colere, imò & habere debet, qui aliquando cœlestem thronum discupit con-
Marc. 13. 33. scendere. Nunc, nunc vigilandum: *Videte, vigilate, & orate.* Nunc, nunc
2. Tim. 2. 5. cum leunculis, seu passionibus confligendum, *non enim coronatur, nisi qui legitimè certaverit.* Nunc, nunc gradatim, & de die in diem, de virtute in
1. Cor. 15. 58. virtutem proficiendum: *Fratres mei dilecti*, ait Apostolus, *stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Proinde nulla dies nobis transeat sine linea. Consideremus, quòd nec ipse summus mundi opifex DEUS quiescere voluerit, quousque opus suum die septimo creandô, distinguendo, & ordinando complevit, dies autem septimus Sabbathinus & quietis est. Et nunquid de Chri-
Luc. 2. 52. sto dicitur: *Et JESUS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ?* Et quomodo, dices, proficiebat, qui à primo conceptionis instanti plenus erat gratiâ, &
Joan. 1. 16. *de cujus plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia?* Observa, Evangelista per *Tò proficiebat* non aliud insinuare nobis voluit, quàm continuum, quem in vita nostra spirituali, & in omni virtute procurare debemus progressum, & profectum; Christus enim in omnibus nostrum prototypon

&

& exemplar fuit, quem imitari debent Christiani omnes; *nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Luc. 9. 62.

Ex quibus omnibus hactenus ex Sacræ Scripturæ fontibus adductis argumentis satìs supérque liquet, quomodo in hac mortali vita pro æterna acquirenda gloria sit laborandum. Non hîc licet in circuitu ambulare; nam *impii in circuitu ambulant;* Supra quod rectè Mellifluus: *Qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed nihil proficit; væ homini, qui sequitur hunc circuitum.* Omortales miseri, & in bonis propositis, ac bene cœptis heu nimiùm inconstantes: *sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* O confusibiles operarios, qui in initio conversionis opus vestrum inchoâstis ex auro, & nunc consummatis in luto! Ambulate ergo, dum lucem habetis, & *DEUS omnis gratiæ, qui vocavit vos in æternam suam gloriam in Christo JESU, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabítque, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.* Psal. 11. 9. S. Bern. ser. 12. sup. Ps. qui habitat. Gal. 3. 3. 1. Pet. 5. 10.

CONSIDERATIO XXXVII.

De Verbo DEI audiendo, & Opere exequendo.

Pro Dominica 4. post Pent.

Cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent Verbum DEI.
Luc. 5. 1.

1.

MIra vis succini est, quòd electrica virtute calefactum, per halituum emissionem de longè ad se paleas attrahit. Sed longè major vis Christi in his terris quondam ambulantis fuit, dum non duntaxat viles paleas; sed & ferrea peccatorum pectora ad se suaviter traxit; ubicunque enim mitissimus Redemptor, sive in Synagoga, sive intra, vesiextra urbis mœnia vel in ipsis morabatur desertis, semper ingenti hominum turmâ stipatus fuit; cujus divini succini mirandam vim attractivam considerans S. Lucas, hodie emphatico verbo usus est: *Cùm turbæ irruerent* Luc. 5. 1.

ruerent in eum. Observato: *Irruerent;* & quis obsecro, non miretur hoc ingens populi desiderium, dum omnibus laboravit viribus, ut ejus frui posset præsentiâ? si monetas aureas ac argenteas, si panes & vina pretiosa, si boves & oves igne tostos, si pannos & frumenta, atque alia in populum illum distribuisset utensilia, prout Anno 1711. Mense Decembri Francofurti ad Mœnum in solemnissima coronatione Caroli Sexti Imperatoris Augustissimi, juxta ac Potentissimi spectavimus, nulla tanti ac tam insoliti accursûs admiratio nostrum subiret animum: sed quòd turbæ illæ, rebus posthabitis omnibus, in fame & siti, in gelu & æstu Christum secutæ sint, neque ab ejus charissima voluerint separari præsentia, hoc equidem satis demirari non possum.

Causam subjungit S. Lucas: *Ut audirent Verbum DEI.* Ecce, in quanto pretio tunc fuerit Verbum DEI. Sed ô temporâ! ô mores! Considera, anime mi, hoc carnale sæculum, & quid videbis? multos quidem Christianos in Urbibus & Pagis statutis temporibus à Pastore suo Verbum DEI audientes, sed paucos ex illius auditione emendatiores; laudant hi mundani divina eloquia, probántque meliora, sed re ipsa sequuntur deteriora. O Christiani tepidi, nec frigidi, nec calidi! Quid juvat turtures, (ita quondam
S. August. serm. 218. de Temp. argumentabatur magnus ille Aurelius Augustinus) si ova sua non absque labore & difficultate pariant, & exinde ea deferentes, permittant refrigerari? Ad quid juvat apiculas, si in carpendis & colligendis floribus solummodô tempus terant, & ex illis optatum mel non conficiant? Ad quid juvat hominem, si necessariis quidem pascatur escis, & stomachus eas non valeat retinere? Pari modo & ratione quid juvat Verbum DEI audire, si desideratum exinde non percipis fructum, neque mel ex his floribus conficis, neque animæ cibum in corde retines? Ruminandum, ruminandum Verbum DEI est; iterum dico, & inculco: Ruminandum Verbum Dei est, hinc solùm illud animal in lege mundum æstimabatur, quod divisam habebat
Levit. 11. 2. ungulam, & cibum ruminabat: *Omne, quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.* Per divisam ungulam binam subaudi charitatem, Dei videlicet & proximi, & per rumination em Verbum DEI dignam ponderationem & masticationem: *Beati,* inquit Veritas, *qui audiunt verbum DEI,* sed
Luc. 11. 28. hoc solum non sufficit, nisi *custodiant illud,* & S. Jacobus: *Estote,* ait, *factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* De qua veritate,
Jacobi 1. 22. ex qua salus nostra pendet, plura in præsentiarum dilucidabimus; si ex Deo estis, Verba DEI audite.

2. Attonitus hæreo, quoties attentâ mente considero mirandam illam Solimæi templi structuram, cui ædificando Regum sapientissimus septem

annos

annos cum immenso propemodum thesauro impendit ; & quod haud immeritò rerum ponderanti insolitum, imò & impossibile videtur, illud est quòd nullus malleorum ictus in extruendo hoc magnificentissimo fuerit auditus : *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Et quomodo, dices, hoc possibile fuit ? an non templum illud ex marmore solido erat extructum ? & hoc sine dubio ; ergo subjunges, debebant lapides malleis, securi & ferro poliri, & quadrari ? Adverte, quid in hunc Scripturæ locum Interpretes communiter respondeant, quòd videlicet in lapidicinis & petrosis montibus, ubi saxa exscindebantur, omnes ejusmodi lapides ita priùs fuerint dolati, quadrati, ac ad debitam mensuram ab architectis coaptati, ut postea in extruendo templo nil opus fuerit instrumentis malleorum & securium. Fateor, appositè quoad litteram, sed mysterium hîc ac sensum mysticum inquiro. 3. Reg. 6. 7.

Respondet peraccommodè ad intentum nostrum S. Bruno, quòd per hoc templum Hierosolymitanum sine malleo, securi & ferramento constructum nil aliud, quàm Ecclesia Dei subaudiri debeat, quæ à Christo, *qui plus est quàm Salomon*, non vi gladii, strepitúque armorum & instrumentorum bellicorum, sed sola verbi divini virtute & prædicatione erecta, atque fundata est : *Meritò*, sunt verba dicti S. Brunonis, *in domo Domini, quando ædificata est, malleus aut securis, aut vox ferramenti audita non est, quia Ecclesia Dei, quæ per eam significabatur, non ferro, sed lingua ædificanda erat.* En mirabilè vim & efficaciâ divini verbi, per quod Ecclesia non solùm erecta, & hactenus conservata, sed & novi orbes ab idololatria ad agnitionem veri Numinis conversi sunt : *Verbum Dei*, ait Hugo Cardinalis, *tribuit ægris medicinam, cæcis lumen, famelicis panem, sitibundis vinum, infrigidatis ignem, impugnatis clypeum, desolatis medicinam &c.* Matth. 12. 42. S. Bruno. serm. 4. de laude Eccl. Hugo Cardin. in Pſ. 57.

3. Cùm Josue invictissimus Israëlitarum Archistrategus urbem Jerichuntinam suæ potestati & ditioni discuperet subjicere, non ferreos arietes, ut olim Romani, non validissimas balistas, & catapultas, ut quondam Macedones, nec immania ex ære fusa bellica tormenta, prout nunc fieri assolet, ad expugnandos illius munitionis & urbis muros adhibuit, sed tubas tantummodò aliquas, ad quarum sonitum sine mora Jericho collapsa, cum incolis sepulta, & cum omnibus ædificiis solo æquata est : *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis muri illico corruerunt &c.* Quis, quæso, mortalium hîc non obstupescat insolitam harum tubarum Sacerdotalium virtutem, ad quarum sonitum & clangorem urbs universa unico prostrata est momento ? Josue 6. 20.

Adverte homo Christiane ; Omnia hæc illis quondam contingebant in figura. Josue typus JESU & nomine & omine extitit, qui cum Apostolis

lis ac Prædicatoribus non vi, ac strepitu armorum, sed solâ Evangelicâ Divini verbi tubâ totum terrarum orbem, per Jericho præsignatum, subjugavit, idololatriam evertit, & regnum Principis tenebrarum extirpavit. Juvat in hanc rem audire S. Augustinum: *Sicut*, inquit, *tunc canentibus tubis muri illicò ceciderunt, ita & nunc oportet, ut civitas mundi, id est, superbia cum suis turribus, avaritia scilicet, invidia atque luxuria simul cum populis, id est, omnibus concupiscentiis malis assidua Sacerdotum in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocē tuam, & annuntia populo meo scelera eorum &c.*

S. August. serm. 106. de Temp.

4. De Ezechiele Propheta refert Scriptura, quòd à Spiritu Domini aliquando in amplissimum campum ductus fuerit aridis mortuorum ossibus undequaque refertum, cui imperavit Dominus, ut etiam his marcidis & siccatis ossibus ac calvariis Verbum DEI prædicaret: *Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida, audite Verbum Domini.* Res stupenda! ad quid, & in quem finem Vates ille Divinus ossibus aridis ac siccis cadaveribus, animâ, intellectu, auribus ac omnibus sensibus carentibus Verbum DEI prædicare debuit?

Ezech. 27. 4.

Observa hîc grande mysterium. Per hæc ossa arida, ad Dei verbum ac prædicationem Ezechielis paulò post reviviscentia, hujus sæculi peccatores adumbrati sunt, qui ob commissa in Deum delicta, velut ossa arida & sicca cadavera mortuorum in conspectu Dei habentur, & sunt; *anima enim, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et ecce stupendam divini verbi potentiam, ad cujus prædicationē ipsi quoqe mortui resurgant: *Ecce tibi*, ait doctissimus Mansius, *quæ verbum Dei parat miracula, nimirum defunctorum ossa revivicat, & revirescere facit, atque ex frigidis cineribus integros armat exercitus.* Et sicut vita nostra sine respiratione non subsistit, ita quoque, ut spiritualiter vivamus, necesse est, ut spiritu verbi Dei sustentemur, sine quo viva sumus cadavera; unde Veritas: *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

Ezech. 18. 4.

Manss. to. 4. ter 83. disc. 13.

Joan. 6. 64.

Davidem consule, à via salutis longissimè aberrantem, quem unica, sed gravis concio ad pœnitentiam reduxit: *Et dixit David ad Nathan: peccavi Domino.* Sardanapalum illum lascivum & effœminatum in Ninive cum omni populo unica Verbi Dei prædicatio ab interitu liberavit: *Et pervenit verbum ad Regem Ninive &c.* Magdalenam notam illam peccatricem unica Christi concio compunxit, illuminavit, & ad salutem reduxit, proinde inposterum *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius &c.* Quis unquam obstinatior populus, quàm perfidi Judæi, qui vel ipsi Filio Dei non parcebant? Sed ubi vel semel verbum Dei à S. Petro in die Pentecostes audiebant, illuminati, & conversi sunt: *His autem auditis, compuncti sunt corde &c.*

2. Reg. 12. 12.

Jonæ. 3. 6.

Luc. 10. 39.

Actor. 2. 37.

5. Desi-

5. Defideras plurà de hac veritate argumenta? Obſervat pulcherrimè S. Joannes dilectus ille Domini diſcipulus, quòd Chriſtus plerumque ad gazophylacium in templo Hieroſolymitano verbum Dei Hebræis prædicare conſueverit: *Hæc verba locutus eſt JEſus in gazophylacio, docens in templo.* Et cur ad gazophylacium? Quid comũne habent pecuniæ cum verbo Dei? Bene, ſubintrat hîc antiquiſſimus Origenes, Chriſtus Dominus ad gazophylacium verbum Dei prædicavit, *quia gazophylacium ſeu potius gaza ſunt divini ejus ſermones.* Unde & Regius Vates verbum Dei omnibus mundi Theſauris prætulit: *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.*

Jo. 8. 20.

Orig. hîc. apud Corn' Pſal. 118. 127.

Olim mandaverat Deus in lege, ut ad tabernaculi fores labrum æneum ex ſpeculis mulierum appenderetur, in quo ingredientes ſe ſe priùs inſpicerent, & maculas in corpore, ſi quas habebant, detergerent: *Fecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum.* Et quare, dices, de ſpeculis mulierum & non virorum? Obſerva: aliter vir, aliter mulier in ſpeculo ſe contemplari ſolent; Vir obiter tantùm in ſpeculum intuetur: *Conſideravit enim ſe*, ait S. Jacobus, *& abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit*; Mulier autem, dum ſe ornat, & comit, ſolicitè in ſpeculo ſe ſe conſiderat, ut ſic omne, quod fœdum eſt, corrigat, & abſtergat. Ita, ſubinfert Cornelius à Lapide, debet eſſe conſtitutus verus Chriſtianus, qui ſpeculum verbi Dei aſſiduè & ſollicitè hîc inſpicere debet, ut juxta illud mores ſuos depravatos reformet, & quod fœdum eſt, abſtergat: *Eloquia Domini*, ait Caſſiodorus, *neſciunt cum aliqua ſorde miſceri.* Joſephum Jacobi Patriarchæ Filium conſidera, in flore juventutis, & in medio nationis pravæ atque in præſentiſſimo periculo ob leænam domeſticam conſtitutum, quid ipſum conſervavit incontaminatum? Audi Pſaltem: *Eloquium Domini inflammavit eum.* Jahel fortiſſima illa mulier Siſaræ Iſraëlitarum hoſti, in papilionibus dormitanti, clavum ferreum per tempora adegit, & terræ affixit, *qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.* Siſara atteſtante B. Alberto Magno, humani generis hoſtis diabolus eſt, per malleum ac clavum verbum Dei ſubaudi, quod vires diaboli frangit, & enervat: *Verberat*, inquit, *ad cordis contritionem præcipuè ſermo divinus; iſte eſt malleus, quo Jahel perforavit tempora Siſaræ; Jahel enim aſcenſio Dei interpretatur, & ſignificat eam, quæ altiùs præ cæteris in verbo Dei aſcendit, & diabolo caput perforavit &c.*

Ez. 38. 8.

Jac. 1. 24.

Corn. hîc.

Caſsiod. in Pſal. 11. 7.

Pſal. 104. 29.

Jud. 4. 21.

B. Albertus Magnus in Luc. 6. 19.

6. Quòd Gedeon ſtrenuiſſimus Hebræorum Dux olim Madianitas per tubarum vocem mirum in modum de nocte intempeſta conſternaverit, ex Sacro Codice liquet; Sed ſi rem attentiore animo perpendimus, etiam lampades ardentes in lagenis abſconditas adhibuit, quorum exinde fulgore & coruſco lumine hoſtilem illum exercitum penitus eliminavit. *Tenuerunt ſiniſtris manibus lampades & dextris ſonantes tubas &c.* Et quid hoc? Per tubas

Judic. 7.

Rup. l. 1. in Judic. 6. 11. Matth. 5. 16. Jerem. 23. 29. ait Rupertus Abbas prædicationem verbi Divini intelligimus, per lampades bona opera & exempla; unde veritas: *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* En effectum verbi Dei auditi, si non opere correspondeat, omnia transierunt cum sono tubæ: *Verba mea sunt ignis, dicit Dominus* apud Jeremiam, & quare ignis? Attende: Si venatores in obscuro nemore media de nocte ignem succendunt grandiorem, mox ad eum aves, prout ipse vidi, turmatim advolant, ubi in propinquioribus arborum ramis sedentes Creatorem suum diverso vocum modulamine, velut si dies adesset, laudari incipiunt; lupi, econtra, apri & ursi, leones & tigrides, vulpes & taxi ac similia nociva animalia longè ab igne ardente & lucente diffugiunt.

En discrimen inter animas & electas reprobas. Anima fidelis, quæ Deum suum unicè ac sincerè quærit, ad verbi Divini ignem etiam in mediis hujusmodi tenebris succensum cum gaudio venire solet, ut discat exinde magis, magisq; Dominum ac Deum suum laudare, venerari, ac pro viribus ipsi in observandis Divinis mandatis inservire, non ignorans, quòd homo ad hunc finem creatus sit, *ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat*, quam veritatem S. Ignatius S. J. Fundator fundamentũ hominis Christiani appellat. E contrariô illi homines solo nomine Christiani, qui moribus lupi, vulpes, leones, tigrides, ursi, apri similésque bestiæ sunt, Divi-
Job. 3. 20. ni verbi lucem fugiunt: *Non veniunt ad lucem, ut non arguantur opera eorum.* Aut si subinde ad hunc ignem accedunt, non calefiunt, eò quòd ad alia objecta se vertant, ne intus illuminentur; vel sic verbum Dei audiunt, ac si ad illos non pertineret. O monstra Christianitatis! Christianum se profiteri, & verba ac legem Christi non curare.

7. Hujuscemodi verbi Divini auditores mihi videntur, ut quondam Urias Hethæus, cui David litteras propria manu & Sigillo Regio munitas dedit, & eas ad Joabum supremum belli ducem, tunc Rabba civitatem Amonitarum
2. Reg. 11. 4. obsidentem deportaret: *Factum est ergo manè, & scripsit David Epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ.* Quid Urias ad has litteras? Non dubito, quin sibi de tali ac tanta congratulatus fuerit felicitate: Unde, amabo, ita secum discurrebat, in via mihi indigno hic favor regius, & gratia tam insolita? Heri Regis conviva, imò & socius in epulando & potando fui, crastina luce, quis dubitat? ad altiorem inter primos militiæ strategos promovebor gradum, hoc enim, & nihil aliud mihi præsagiunt istæ, quas mecum defero, Regiæ litteræ &c. O miserande! quid pensas? mortem, non vitam portas; introspice paulisper per transennam Regis litteras, & quid invenies? *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, ut percussus intereat.*

Dic

Dic homo Christiane! quid verbum Dei aliud est, quàm epistola, digito Dei exarata, & ad nos per Prædicatores missa & explicata? Hinc Paulus ad Thessalonicenses: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus Sanctis fratribus.* Quoties ergo conciones audis, toties à Deo litteras accipis, eásq; tecũ domum deportas, ut in eis videre queas, quidnã agendum, quidnam committendum sit; Sed væ tibi, si contra te ipsum has deferas litteras, neque opere verbum Dei compleas, non enim tibi proderit in die ultionis adiisse missam venatoriam, & verbum Dei neglexisse, aut non in opus redegisse: *Non minùs reus erit*, ait S. Augustinus, *qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui Corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.* 1. Thess. 5. 27. S. Aug. de verb. Apostoli. serm. 13.

Verbum objiciet hîc nonnemo: Ego ipsa in lege doctus sum, Biblia Sacra & alia spiritualia ad manus habeo volumina, ex quibus me quandoque possum consolari, verbúmque Divinum, velut ex fonte delibare, quid ergo necesse est adire, & audire conciones? Audi bone vir, quisquis tandem es, respondeo tibi in forma: Et nunquid David in lege doctus fuit? imò multò doctior ac sapientior quàm tu, quia Spiritum Sanctum in pluribus habuit Præceptorem? Hic tamen ac talis vir, si non audiîsset Nathanis Prophetæ concionem, ejusque salutaria monita, imò & increpationes patienter tulisset, sine dubio æternùm periisset, hinc toties in Psalmis decantavit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, quod enim lumen viatori à vero tramite aberranti in tenebris est, hoc David ob nota delicta à toto cœlo declinanti verbum Dei fuit. 2. Reg. 12. 1. Psal. 118. 105.

Sed Concionator, repones, sine floribus & sine sale est, nec delectat, nec movet auditorem? Et quid inde? Nunquid etiam corvus crocitans & voce raucus tempore famis Eliæ Prophetæ panem in deserto attulit æquè bonum ac sanum, ac si illum columba candida, vel Noëmica tulisset? Veritas hîc attendenda est, & authoritas legislatoris, non verborum ornatus, aut lenocinia: *Corvi quoque deferebant ei panem &c.* 3. Reg. 17. 6.

Sed turpe est, urgebis ulteriùs, si propria culpa Doctorem redarguit: multa enim dicunt, & non faciunt? Quæso, neque hoc te anxium reddat. An non Samson ex fœtido ore leonis dulce mel collegit: *Et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis*? An non idem ex arida asini mandibula fontem vivum in salutem suam prosilire conspexit: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus haustis, refocillavit Spiritum, & vires recepit.* Hoc fac & tu, ô Mome! ô Zoile! & verbi Divini contemptor, audi Sapientem: *Audiens sapiens, sapientior erit.* Judic. 14. 8. Jud. 15. 19. Prov. 1. 5.

8. Incidit hîc mihi ad propositum, quod Massenius de Concionatore quodam Italo commemorat, qui, cùm Bononiæ in Italia per quadragesimam Massen. lib. 2. argut.

Fontem repugnantium. § 3.

mam ab initio in concionibus suis paucos numerâsset auditores, eis tandem insinuavit, quod elapsâ nocte sibi diabolus apparuisset, qui miranda de hoc & altero mundo narrâsset, de quibus omnibus se crastina die pro concione dicturum. Res mira: Altera die civitas ferè tota ad templum hujus Prædicatoris affluxit; Tunc concionator seriô vultu & gravi voce ad populum: Sæpè, inquiebat, hactenus verbum Dei explicare vobis conatus sum, pauci semper adfuistis; Nunc quia dæmonis figmenta vobis annuntianda percepistis, frequentissimi adestis; ergóne verbum diaboli est vobis gratius verbo Dei? ergóne filii diaboli estis? *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Argutè & benè.

Jo. 8. 47.

O utinam non similis farinæ homines etiam in hac nostra civitate reperirentur, qui potius scurrilibus fabulis & figmentis diaboli, quàm verbo Dei audiendo sunt intenti: *viæ Sion lugent*, dicebat quondam Jeremias, *eò quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Quid nunc diceret Vates ille sanctissimus: si subinde in templo plures canes, quàm verbi Divini probos auditores cerneret? quid, inquâ, diceret, si nunc videret, quòd Verbũ Dei, aut plurimùm sine ullo fructu prædicedetur, cùm hic dormiat, alter garriat, hic circumspiciat, alius rideat, alter venustiores sexûs alterius facies consideret, ille cum cane ludat, aut, nescio, quid aliud agat? O Christiani! *quousque gravi corde?*

Thren. 1. 4.

S. August. Tract. 119. in Joann.

Dicite, quare JEsus non aliam, quam crucis necem elegit? R. S. Augustinus, quia crux cathedra Christi erat, ubi ultimam concionem brevem quidem (quia septem tantùm verba erant) sed toti mundo saluberrimam fecit: *lignum crucis*, inquit, *ubi fuerunt fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*; per quam, licèt brevissimam concionem plurimi auditores fuerunt conversi: *Et percutientes pectora sua revertebantur.* Idem Dominus ac pretiosissimus orbis Redemptor in cruce clamans expirare voluit: *JEsus autem iterum clamans, voce magna emisit spiritum.* Cur, quæso, clamans, & prout observat S. Paulus: *Cum clamore valido*? R. quia Verbum erat, ideò clamans expiravit, ut si potentem aculeum per hunc clamorem validum in omnium cordibus relinqueret, quomodo & verbum Dei libenter audire, & promptè exequi debeant. O anime mi! vis scire, an in numero illorum sis, pro quorum salute JEsus in cruce moriens clamavit, & Patrem rogavit? Audi ipsam Veritatem: *Amen, amen dico vobis, quia, qui verbum meum audit, habet vitam æternam.*

Luc. 23. 48.

Matth. 27. 50.

Hebr. 5. 7.

Joan. 5. 24.

CON-

CONSIDERATIO XXXVIII.

De Dignitate & Fructu SS. Missæ Sacrificii.

Pro Dominica 5. post Pent.

Si ergo offers munus tuum ad Altare &c. Matth. 5. 23.

I.

DIversa legis antiquæ fuerunt sacrificia, inter quæ celeberrimum illud erat, quòd juge vocabatur, quod singulis diebus manè & vespere Deo T.O.M. publicis populi impensis immolabatur; erat autè hoc sacrificium Agnus immaculatus, & anniculus, qui pro populi salute unà cum simila & vino Deo in odorem suavitatis offerebatur; *Hoc est, quod facies in Altari. Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter &c.* Per quod juge sacrificium Cornelius & alii rectè juge sacrificium Christi in Eucharistia intelligunt, quod in Ecclesia Orthodoxa omnibus offertur diebus, & usq; ad finem mundi offeretur, de quo vaticinatus est Malachias Propheta: *Ab ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Offerebatur autem cum Agno illo legali & simila, & vinum, per quod significabatur, quòd Agnus ille incontaminatus & Divinus non solùm in altari crucis pro nostris, totiúsque mundi peccatis voluerit occidi: *Oblatus est, quia ipse voluit*, sed etiam in ipso jugi missæ sacrificio nobis reliquerit Sacramentum Corporis & Sanguinis sui sub specie panis & vini, quo anima nostra mirificè alitur, confirmatur, & roboratur.

Exod. 29. 38. Cornel. hic. Malach. 1. 11. Isa. 53. 7.

Est autem hoc SS. Missæ sacrificium *Latreuticum*, eò quòd soli Deo, tanquam primo principio & ultimo fini nostro in summum & supremum cultum, in contestationem immensæ ejus excellentiæ & Majestatis, & nostræ debitæ servitutis soleat offerri. Est *Propitiatorium* pro peccatis & pœnis debitis, quia est idem Sacrificium, quod olim pro salute nostra in Ara crucis peractum est, solâ ratione offerendi diversâ, quòd in hoc missæ sacrificio Christus incruentè immoletur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Est *Eucharisticum* pro omnibus beneficiis, donis & bonis nobis collatis, aut conferendis ab ipso Deo, ut summo benefactore; Eucharistia enim, quod est græcum nomen, idem est Latine, quàm *gratiarum actio*. Est denique *Impetratorium* tam bonorum spiritualium, quàm & temporalium, unde & peccata

eata ritè disposìtis remittit, & Divinæ gratiæ in nobis causat augmentum, cujus vis non duntaxat viventibus, sed etiam mortuis prodesse solet, ut & illi
2. Macha. 12. 46. suo modo *à peccatis solvantur*. Ita Machabæorum liber 2. cap. 12. vers. 46.

Evigila igitur, anime mi! & exsurge in spem magnam; per hoc enim divinissimum sacrificium & placabilem aram & culparum tuarum & pœnarum,
1. Jo. 2. 2. quas promeritus es, poteris obtinere remissionem: *Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, unde & S. Synodus Tridentina docet: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus,*
Tridentin. sess. 22. c. 2. *gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Et hoc est munus tuum, de quo hodie Evangelium, juxta mentem D. Bonaventuræ, mentionem facit; munus, inquam, tuum omnium longè præstantissimum, Deo, supremo universorum Domino prædictis quatuor modis hu-
Idem. sess. 22. cap. 1. militer offerendum, *in quo SS. Sacramento*, ait præfata Synodus, *Salvator noster divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.* Plura de hac veritate & SS. Missæ Sacrificio in præsenti examinabimus. Si prudens es, attende, & disce hoc augustissimum mysterium æstimare impensiùs.

Quàm gratum Divinæ Majestati fuerit Sacrificium, quod justus Abel jam à mundi primordio ei in recognitionem supremi dominii & debitæ subjectionis suæ obtulit, abundè sacræ declarant litteræ. *Et respexit Dominus ad Abel,*
Genes. 4. 4. *& ad munera ejus.* Quantô magis, subintrat hîc Abulensis, erit Deo acceptabile sacrificium Christi in Eucharistia, quod Abel hoc suo præsignabat, &
Abulen. hîc. præcurrebat sacrificio?

Noë, ubi terminato diluvio cum omnibus suis ex arca egressus est, mox in signum debitæ gratitudinis & servitutis, Deo servatori suo Aram in patenti campo extruxit, in qua plura munda animalia illi in holocaustum litavit:
Gen. 8. 20. *Ædificavit autem Noë altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare: Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ &c.* Si hoc sacrificium ex vitulis, ovibus & avibus Deum generi humano iratum adeò placare, & tranquillare potuit, ut maledictionem usq; ad finem mundi coërceret. Quid dicemus de illo divinissimo sacrificio, in quo Patri cœlesti unigenitus ejus Filius pro generis humani salute quotidie offertur, & incruentè immolatur?

David Israëlitarum Rex, ubi vidit Jerosolymam civitatem suam regiam brevissimo temporis intervallo ob gravissimam pestilentiam in cœmeterium
2. Reg. 24. 25. esse redactã, ob tantã subditorum stragem commotus, animitùs statuit pro eorum salute publicum offerre sacrificium: *Et ædificavit ibi David altare Domino*

mino, & obtulit holocausta pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël. Supra quod egregiè Eminentissimus Cardinalis Bellarminus: Si, inquit, illa sacrificia, quæ tantùm respectu SS. Sacrificii nostri umbra & nuda figura extiterunt, tam insignes à Deo gratias & miseris mortalibus beneficia poterant impetrare; quantò æquius est, ut similes, imò & majores à Patre æterno speremus gratias ac dona, quando ei in missa offerimus, & sacrificamus dulcissimum Filium JEsum? Bell. to. 2. l. 2. c. 3. de sacrif. miss. æ.

3. Cùm Angelus ille vastans in noctis medio omne primogenitum Ægyptiorum percuteret, intactas illorum Hebræorum domos reliquit, qui jussu Dei priùs agnum immaculatum & masculum immolabant, & de sanguine ejus ad evadendum percussorem utrumque postem illiniebant: *Transibit enim Dominus percutiens Ægytios; cúmque viderit sanguinem in superliminari & in utroq; poste, transcendet ostium domûs, & non sinet percussorẽ ingredi domos vestras, & lædere.* Si hoc olim in ũbra, quid nunc in veritate & lege gratiæ? Per quẽ agnũ legalẽ adumbratus fuit Christus JEsus hic Crucifixus & Eucharisticus, ita S. Leo, S. Cyprianus & alii SS. Patrum, quos hîc citat Cornelius: immolationem, inquiens, illius Agni Ægyptiaci non minùs exhibuisse typum sacrificii Eucharistici, quod fit in missa quàm sacrificii crucis; in utroque enim sacrificio Deo offertur, & immolatur Agnus Dei, sed modo, prout dictum est, diverso; qui ergo devoto animo missæ interest sacrificio, una cùm Presbytero offerente Deo Patri omnipotenti hunc immaculatum offert Agnum, de quo Præcursor Domini: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Et quemadmodum agnus ille legalis Deo acceptissimum fuit sacrificium, ita & longè excellentiori modo ipse Agnus Divinus Deo Patri in missa oblatus, erit sacrificium omnium gratissimum, per cujus virtutem ab Angelo vastante erimus immunes, & animæ nostræ, imò & ædes nostræ hoc pretioso Agni cruore illinitæ mille replebuntur benedictionibus; *Illo tempore,* ait Orator Aureus, *quo Agnus Dei pro te immolatur, cum Sacerdote omnes incorporeæ virtutes pro te intercedunt;* & Concilium Trid. *Per sacrificium missæ fieri, ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in tempore opportuno.* Exod. 12. 23. S. Leoser. 7 de passione S. Cyprian. de cœna. Jo. 1. 29. S. Chrysost. serm. de Eucharistia. Trid. sess. 22. c. 2.

4. Venerat aliquando ad Christum Dominum Mulier quædam Chananæa, impensissimè eum rogans, quatenus filiam suam ab infernali dæmone miserè vexatam, benignè dignaretur liberare: *At illa venit, & adoravit eum dicens: Domine adjuva me.* Verùm multoties hæc fœmina repulsam passa est, quæ tamen non destitit, neque spem abjecit, sed fortiùs rogando institit, ut pientissimum Dominum in suam partem flecteret, & optatam ab eo obtineret opem: Qui respondens ait: *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Vide hîc, & considera anime mi, quomodo Matth. 15. 25.

do & qualiter Christus hanc mortificaverit Gentilem. Et quid illa ad hæc, cùm cani à Domino assimilaretur? *At illa dixit: Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Quasi diceret: Agnosco, mi JEsu! vilem me esse canem & indignam, cui panis cum filiis præbeatur; proinde tantùm micam gratiarum flagito, quæ de mensa tua cadere solet. Et qualis hæc mensa ac mica? ℟. doctissimus Mansius: *Micæ, quæ cadunt de mensa Eucharistica, sunt multa beneficia & gratiæ Dei*, proinde, qui sunt Christiani devoti, quotidie hanc mensam altaris, in qua panis consecratur Eucharisticus, non aliter, ac catelli famelici circumstant, ut decidentes ab illa gratiarum micas ad animæ corporisque utilitatem colligant: *Qui missam audivit*, ait eruditus Discipulus, *prosperabitur in illa die in laboribus, in artificio, in emptionibus, in peregrinationibus, & Dominus confortat eum in corpore & anima.*

Mans. tom. 3. tr. 48. disc. 9.

Discip. fer. 48.

Recordor hîc Josephi quondam Ægyptiorum Pro-Regis, qui tempore summæ egestatis non duntaxat fratribus suis liberaliter frumenta ad necessarium vitæ sustentaculum distribui, sed & inter triticum eorum pecunias, pro illius pretio persolutas, clam in saccis abscondi jussit, quas ubi domum redeuntes invenerunt, attoniti & stupefacti ad se invicem dixerunt: *Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?* O Christiani, quid agitis? En longè liberalior est verus ille Joseph Christus JEsus, & hic Eucharisticus, ubi in medio tritici, hoc est, in SS. Sacramento altaris non tantum pecunias & vitæ necessaria, sed & infinitum gratiarum thesaurum invenietis; Quærite proinde, & invenietis: *Salvator noster*, inquit Tridentinum, *Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit*: Quærite ergo illum, dum inveniri potest.

Gen. 42. 28.

Trid. sess. 22.

Progrediamur ulteriùs. Cùm benedictus Dei Filius, velut maledictus in ligno crucis penderet vulneratus & morti proximus, breve ante obitum suum testamentum condere voluit, hinc peccatoribus legavit veniam: *Pater remitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Latroni pœnitenti consignavit paradisum: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.* Joanni dilecto discipulo suo commendavit afflictissimam Matrem suam: *Ecce Mater tua.* Militibus, qui eum cruci suffixerunt, vestes suas distribui voluit: *Acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem & tunicam.* Denique Patri suo æterno commendavit sanctissimam animam suam: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et hæc dicens expiravit cum clamore valido. Siste hîc, anime mi, & perpende, quare moriens JEsus sacrosanctum corpus suum nulli commendavit? Et nunquid tanquam testator novi testamenti etiam de corpore suo aliquam debuisset facere mentionem, quomodo ac qualiter, & in quo loco fuisset terræ mandandum?

Luc. 23. 34.

Luc. 23. 43.

Jo. 19. 27.

Jo. 19. 23.

Luc. 23. 46.

℟. Do-

℟. Doctissimus Salmeron, quia Christus jam in ultima cœna de hoc SS. Corpore suo disposuit, in qua prima Missa illud fidelibus suis reliquit, & in cibum dedit: *De eo*, inquit præclarissimus Salmeron, *in cœna nobis in pastum animarum tradendo jam disposuerat, quando dixit: Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Quia ergo in cruce nulli ampliùs hoc SS. Corpus suum consignavit, per hoc monstrare voluit, ipsum non ampliùs in sua fuisse potestate & dominio, quia cibus manet, & transit in potestatem & substantiam aliti. Et ecce illud ipsum sacrificium, quod Christus quondam in ara crucis cruentus exhibuit, nunc omnibus mortalibus quotidie exhibet in Missa incruentus. Hæc quanta sint, cogitate, hæc in statera cordis vestri perpendite, ut totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus est affixus in cruce. Hinc discite, ô laici! qua devotione ac reverentia huic SS. Missæ Sacrificio assistere debeatis. Discite & vos cumprimis Sacerdotes venerandi, qua præparatione & animi puritate ad hoc diviniſſimum mysterium vos disponere debeatis: *Nullus profecto*, subintrat hîc S. Laurentius Justinianus, *valet humano explicare eloquio, quàm locuples fructus, quantáque ex hujus oblatione, ac participatione Sacramenti spiritualia exuberent dona. Reconciliatur quippe peccator Deo, justus autem justificatur adhuc, lætificantur Angeli, cumulantur merita, facinora remittuntur, augentur virtutes, reserantur vitia, diaboli machinamenta superantur, sanantur ægri, eriguntur lapsi, debiles refocillantur, famelici satiantur, & fidelesdefuncti effectu istius Sacramenti liberantur.*

Salmeron. to. tr. 46.

S. Laur. Just. lib. de obedient.

6. Vis plura & solida argumenta? Et nunquid verum est, quod ipsum os Veritatis effatũ est: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Et quale, dices, hoc corpus est, ad quod, tanquam ad prædam generosæ convolent, & involent aquilæ, ut illius vescantur, & pascantur esca? ℟. S. Hilarius: Corpus illud est Corpus Christi à morte redivivi, qui universale instituet judicium in eo loco, ubi priùs cadaver ejus pependit in cruce, puta propè Jerusalem in valle Josaphat, ad quod nunc in cœlis & per omnem æternitatem glorioſam præsertim in die judicii Electi omnes, velut aquilæ pennas assumentes, advolabunt: *Sanctos*, inquit, *de volatu spiritualis corporis aquilas nominavit, quorum congregantibus Angelis conventum futurum in loco passionis ostendit: Et dignè illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam æternitatis passione corporea humilitatis operatus est, &c.* Hæc S. Hilarius. Verùm Divus Ambrosius prædicta Christi verba de SS. Eucharistia & Missæ Sacrificio accipit, ibi enim est Corpus Christi, cui assistunt aquilæ, hoc est Angeli, Sacerdotes, & Sancti, qui sunt quasi aquilæ: *Forma corporis*, ait, *altare est, & Corpus Christi est in altari: Aquilæ vos estis renovatæ ablutionis.* Juvat hîc quoque audire S. Leonem Papam: *Ubicunque*, inquit, *fuerit corpus, ibi congregabuntur*

Matth. 24. 28.

S. Hilar. in hunc loc.

S. Ambr. l. 1. de Sacram. c. 2.

S. Leo apud S. Thom.

opusc. 58. c. 4. *& aquilæ: Circa Corpus Domini aquilæ sunt, quæ spiritualibus alis circumvolant, videlicet Angeli sancti, spiritus mundi, munditiam amantes, mundum Corpus Domini venerantes, & præsentes fideles protegentes.* Collige ex hoc, anime mi! hujus SS. & incruenti Sacrificii fructus, dignitatem & pretium: *Sicut mare guttis,* subjungit Doctor Seraphicus, *sicut firmamentum stellis, sicut cælum Empyreum Angelis: sicut Missa plena est mysteriis.* Contremiscat hîc Sacerdos luridè hoc divinissimum tractans mysterium; Et laicus sibi metuat, distractè & indevotè tanto assistens mysterio, ipsis Angelicis spiritibus summè venerando.

S. Bonav. Compend. Theol. ver. l. 6. c. 23.

Herodes quondam Christum alba veste indutum protervé cum suis illusit Palatinis: *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Cave, ô Sacerdos mime! & tu, ô Laice, dissolute! ne idem in Missa facias, ubi idem DEUS & Homo Christus sub candida panis specie præsens est. Vigilantissimus ille Paterfamilias zizania, quæ ausu nefando sese ultro electo immiscebant tritico extirpari, evelli, eradicari, in fasciculos ligari, in igne comburi jussit. Et cur hoc? Subjungit Veritas: *Zizania autem filii sunt nequam;* Per triticum Eucharisticum panem subaudi. Væ illis, qui sese hîc indignè immiscent. Thronum Regis Sapientissimi semper vigilantes stipabant leones: *Et duo leones stabant juxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* Cujus & candidissimum *lectulum sexaginta fortes ambiebant ex fortissimis.* En plus hîc in SS. altaris Sacrificio, quàm Salomon, ubi ipse Rex Regum in throno suo eburneo, & in regio lectulo candidissimo præsidet; Attende hîc quisquis es, quia etiam hîc circumstant, & latus summi Regis stipant Leones vindices & Angeli fortissimi, *omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi,* ne propter irreverentiam tuam de te sumant, & expetant vindictam: *Intellige verba hæc, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo.*

Luc. 23. 11.

Matth. 13. 38.

3. Reg. 10. 19.

Cant. 3. 7.

Dan. 10. 11.

7. Olim DEUS legem sanxit, ut si vel homo, vel bestia montem Sinai, in quem ipse Dominus erat descensurus, ut Moysi legem traderet, audacter & irreverenter tetigisset, sine mora à populo tanquam sacrilegus & immundus lapidibus obruetur: *Cavete, ne ascendatis in montem, nec eum tangatis fines illius: Omnis, qui tetigerit montẽ, morte morietur: manus non tangat, sed lapidibus opprimetur.* Et quare nunc tẽporis non insurgunt omnes zelosi Christiani contra illas insensatas & seminudas bestias ac sacrilegos earum amatores, qui Templum & Altare Domini nefandis suis ausibus & libidinibus non abhorrent contaminare? Ad quid comptuli isti & comptulæ ad tremendum sese conferunt Missæ Sacrificium, nisi ut videant, & videantur, & amoribus suis indulgeant? O quàm longè cor eorum à Deo Eucharistico est! Et quid fiet de illis?

Exod. 19. 12.

Beth-

Bethsamitæ, quia arcam Domini ex Philisthæa redeuntem, & velamentis suis nudatam curiosius inspexerunt, subitanea morte à Deo puniti sunt: *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent arcam Domini: Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Ecce tanta quondam erat hujus arcæ religio & æstimatio, quia in ea cœleste manna, SS. Eucharistiæ typus, continebatur, & quia sedes Dei erat & solium, ex quo miseris mortalibus ipsum piè invocantibus sua solebat conferre & elargiri beneficia: *Arca continens manna*, ait Cornelius, *repræsentabat Eucharistiam, quam qui irreverentur aspiciunt, & indignè sumunt, morte præsenti sæpè puniti, & semper æterna punientur.* Auditis hoc sacri templi prophanatores, & incruenti Sacrificii sacrilegi contemptores? 1. Reg. 6. 19. Cornel. hic

8. Vidit quondam Propheta Ezechiel varias in templo Dei fieri abominationes, & viros, qui tergum altari vertebant, ac ramo aliquo odorifero nares oblectabant, contra quos ira Dei summoperè efferveſcebat, unde ad præfatum Prophetam dixit: *Conversi sunt ad irritandum me; Et ecce applicant ramum ad nares suas: Ergo & ego faciam in furore: Non parcet oculus meus, nec miserebor: Et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* O Christiani! si tempore moderno idem vates divinus nostra visitaret templa, quid videret subinde ipso durante augustissimo Missæ Sacrificio, quàm similes fieri abominationes, garritus, risus, compressiones, stultiloquia, aspectus mutuos libidinosos, taceo reliqua. Et hoc inter Christianos? Si olim tam horrendum in modum illi Seniores Israël, Sacerdotes & Judices à Deo justissimo omnium malorum vindice castigati sunt, quia dorsum in templo Altari vertebant, & otiosi odoriferum olfacere solebant ramusculum; quid de illis fiet, qui nunc ipsi præsenti Deo Eucharistico dorsum vertunt, & ne præ nimio orationis fervore scilicet deficiant, tabacum nitratum, & in pulviſculos comminutum declinatis naribus applicant! ô sancta oratio! quis neget eam cœlos penetraturam? &c. *Quid est*, quærit Jeremias Propheta, *quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Ezech. 8. 17. Jerem. 11. 15.

9. Abraham cùm supremo Numini cruentum aliquando litaret sacrificium, advolantes, & inhiantes victimis aves baculo suo & manibus amovit: *Descenderûntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Formam hîc habes, ô Sacerdos Dei! quàm imiteris; noscis enim omnia ista veteris testamenti sacrificia, oblationes & holocausta figuram fuisse illius cruenti sacrificii, in Calvario monte à Christo Sacerdote, & simul victima peracti, & super incruenti illius Sacrificii in cœna ultima à pretiosissimo Redemptore nostro instituti: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quoties ergo te oportet, ô Sacerdos! hoc incruentum, ac planè divinum offerre sacrificium, & te Laicum illi assistere, priùs obsecro, aves, culices & muscas, id est, cu- Gen. 15. 11. Luc. 22. 11.

ras & mentis vestræ evagationes sedulò amovete, ut possitis & ritè accincti
1. Reg. 7. 3. stare in conspectu Dei vestri: *Præparate corda vestra Domino.*

Idem sanctus Patriarcha, ubi tertio itineris sui die ad montem Moria deveniſſet, ubi super struem lignorum, tanquam saper ligneum altare filium suum unigenitum Deo in holocaustum immolaret, priùs servos suos & asinum ad montis radicem exspectare jussit, ne sacrificantibus, & orantibus fierent impedimento: *Dixítque ad pueros suos: exspectate hîc cum asino, ego &*
Gen. 22. 4. *puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Per asinum corpus tuum intellige, per servos passiones tuas, & varios in variis appetitus sensuales, qui in hoc divino peragendo mysterio sæpiùs mentem perturbare assolent; hos, inquam, malos socios cum Abrahamo ad radicem montis, seu domi pro interim exspectare jube, donec hoc augustissimum sit peractum, & oblatum sacrificium: *Exspectate hîc cum asino.*

Jacob, ut ad sacrificandum summo Deo se, universámque domum
Gen. 35. 3. suam ritè præpararet, omnia priùs domesticorum idola abjecit: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, & mutate vestimenta vestra, surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo &c.* Hoc & nos faciamus, seu Missam lecturi, seu audituri: Abjiciamus à nobis Idola, Deos alienos, & opera tenebrarum, hoc est, vitia nostra, pravos habitus &
Oleast. hîc. inordinatos affectus: *Qui est*, ait Oleaster, *summo Deo litaturus, oportet eum mundari intus & extra.* Hoc fac, & vives.



CON-

CONSIDERATIO XXXIX.

De Virtute Patientiæ & Tolerantiæ.

Pro Dominica 6. post Pent.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. Marc. 8. 2.

1.

NOn sine peculiari causa Beatus Job invictæ patientiæ speculum nos ad scholam jumentorum & volatilium invitat, ut ab eis solidam addiscamus virtutem! *Interroga*, inquit, *jumenta & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi.* Et quid, obsecro, bestiæ ac bruta nos poterunt docere? Ita sanè multa ab illis, si illorum attentiore mente consideramus naturam, possumus addiscere. Ita ipsa Veritas Christus, qui nos ad serpentes mittit, ut ab eis veram comprehendamus prudentiam: *Estote prudentes sicut serpentes.* Supra quod S. Hieronymus: *Serpentis*, ait, *astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est, fidem integram & incorruptam servare studeamus.* Job. 12. 7. Matth. 10. 16. S. Hieron.

Mittit & eadem Veritas nos ad columbas, ut ab ipsis veram discamus, & sectemur simplicitatem: *Et simplices sicut columbæ.* In quem locum D. Remigius: *Simplicitas*, inquit, *sine prudentia facilè decipi potest, & prudentia periculosa est, nisi simplicitate temperetur.* Hinc columbæ, licet sint simplices, tamen & prudentes sunt, dum sine mora visâ accipitris umbrâ ad sua redeunt foramina & cavernas; sunt prætereà sine felle, injuriarum immemores, sine fuco, & licet orbentur pullis suis, ad eundem tamen locum & Dominum solent reverti. Ita & Christianos oportet esse candidos, sine felle, injuriarum oblivisentes, moribus placidos & sese invicem in charitate non ficta amantes. D. Remig. hîc.

Sapiens ad leonem nos ablegat, ut ab illo erudiamur in exercenda animi fortitudine: *Leo*, ait, *fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Supra quod egregiè Cornelius: *Princeps in Republica*, inquit, *Episcopus in Diœcesi, Abbas in Monasterio, Rector in Collegio vel Congregatione sit leo per fortitudinem & magnanimitatem, ut contra feras, id est, hæreticos, latrones, cæterósque sceleratos, rugiat & sæviat.* Prov. 30. 30. Cornel. hîc.

Jeremias ad milvum & alias volucres nos dirigit, ut ab eis discamus, quomodo tempus salutis nostræ debeamus observare: *Milvus*, ait, *in cælo cognovit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini.* In quem locum memoratus Cornelius: *Et vos*, inquit, *ô mortales! non cognoscitis tempus, id est, opportunitatem pœnitendi, Deum conciliandi, serendi bona opera, quibus æternam gloriam metatis?*

Jer. 8. 7.

Cornel. hîc.

Supra omnia autem nobis documento & exemplo esse debet mitis oviculà, cui sæpiùs in Scriptura ipse pretiosissimus orbis Redemptor assimilatus est. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescet.* Adverte hîc, Lector prudens! Ovis insigne est patientiæ symbolum, cui rectè pro lemmate inscribes illud Davidis: *Non habet redargutionem.* Ita & pientissimus Servator Christus factus est sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutionem; non enim maledicebat, cùm malediceretur, nec comminabatur, cùm paterentur, tacebat, cùm accusaretur, remittebat, cùm læderetur, unde docuit, quod ipse fecit. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* O chara patientia! tu clavis es paradisi, tu panis & sal, sine quo in convivio omnis cibus desipit; tu lignum illud dulce, quod aquas amaras de Mara fecit esse potabiles.

Isa 53. 7.

Ps. 37. 15.

Luc. 21. 19.

Exod. 17. 25.

Et hæc causa est, quare Dominus hodiernam turbam per continuum triduum fame permiserit vexari, ut illius devoti populi probaret patientiam, & quia illos patientes invenit, illorum quoque benignè misertus est inopiæ: *Misereor super turbâ, quia ecce jam triduo sustinent me*, quod mihi ansam præbet plura impræsentiarum de virtute patientiæ differendi; & dum hæc ago, & vestram imploro patientiam, quia *sustinentes Dominum; ipsi hæreditabunt terram.*

Marc. 8. 2.

Ps. 36. 9.

2. Miror, imò stupore obruor, quoties considero mirabilem illam apparitionem, quâ olim DEUS Moysi pastori, in deserto oves Jethro pascenti, inter horridas spinas, & pungentes sentes apparere dignatus est: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Et quare, obsecro, DEUS immensæ majestatis adeò se humiliavit, ut inter asperas & horrentes appareret spinas? si sese Moysi in magnificentissimo ac regali throno reddidisset spectabilem, prout olim Isaiæ Prophetarum Principi: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum;* non equidem ita obstupescerem. Sed DEUS inter spinas sedem suam figat? quis crederet auditu nostro, nisi veritas Domini hoc revelâsset?

Exod. 3. 2.

Isa 6. 1.

Resp. Theodoretus & alii, quòd secunda persona in SS Trinitate, nempe Filius Dei in spinoso illo rubo se præsentaverit, qui suo tempore in terram esset descensurus, & carnem nostram assumpturus, ut à servitute peccati & diaboli nos liberaret; ideò ad Moysen tunc dixit: *Vidi afflictionem populi mei*

Exod. 3. 7.

in

in Ægypto; & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum. Quod autem apparuerit in rubo densis sentibus horrido & non in splendidissimo throno, voluit per hoc non duntaxat nos docere in adversis patientiam esse necessariam, sed & futuram generis humani redemptionem, passionem & crucem, ita Cornelius: *Verbum Dei in rubo, est verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas.* Quam mirandam visionem ubi Moyses contemplatus est, & nunc propiùs ad prædictum rubum ardentem & incombustum accedebat, jussus à Deo est, ut citò calceos de pedibus exueret: *Ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis.* Et quare, dices, Moysi demandatum fuit, ut absque mora calceos de pedibus exueret, & sic excalceatus & nudipes ad Deum accederet? Adverte: *Servus non est major Domino suo,* si ergo ipse Dominus erat inter spinas, quare non etiam servus? unde Moyses in via ista spinis obsita non sine vulnere in pedibus ad montem Horeb ascendit, ut sic ad majorem erudiretur patientiam, imminentem tribulationem patienter ferendi, & nos unà simul instrueret, non aliam ad Deum & in cœlum esse viam, quàm asperam & sentibus ærumnarum, passionum, persecutionum & adversitatum refertam. S. Ambrosius, S. Isidorus, & S. Euthymius in hunc locum commentantur, ideò Dominum in rubo apparuisse, ut ubi spinarum abundantia, ibi etiam consolationis præsentiam esse, non enim pervenitur ad rosas nisi per spinas, ad mel, nisi per apum aculeos, & ad gaudia nisi per adversa. Juvat hîc etiam audire præfatum Cornelium, Deum in rubo illo spinoso contemplantem: *Quid hîc dicat Christianus?* inquit, *quid Religiosus? dicat sanè; Cùm Christum in cruce intueor, & lego: Cernis, ut in toto corpore sculptus amor; Libet exclamare cum Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi? Veniat tribulatio, veniat angustia; veniat fames, nuditas, contemptus; certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterit me separare & c. Dicat cum* S. *Ignatio; Ignis, crux, bestiæ, ossium confractiones, omnia tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar.* O chara patientia! multis amara, sed tamen dilectis Dei servis chara, quantum gloriæ pondus in nobis operaris? sed transeamus ad alia.

Exod. 3. 5. Joan. 13. 6. Cornel. hîc. Cornel. hîc.

3. Ubi protoparentes nostri serpentis astu seducti in paradiso vetitum degustârunt pomum, mox in justam sceleris vindictam à Deo justissimo malorum vindice ad labores, ærumnas, dolores, & mortem damnati sunt, in quem finem eos Cherubim ê paradiso eliminavit: *Ejecítque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ad quid DEUS Cherubim cum flammeo gladiô ad custodiam ante paradisi januas collocavit? Observa. Paradisus ille terrenus erat typus Paradisi cœlestis, & regni æterni; & sicut in illum paradisum terrestrem post Adami lapsum nemo ampliùs poterat intrare, nisi per flammeum illum gladium, atque versatilem, quem tenebat vel cujus

Gen. 3. 24.

curam

curam gerebat Cherubim, ita quoque ad cœlestem & sempiternam gloriam nemo poterit pervenire, nisi per aquam & ignem, per gladium flammeum, & tribulationes patienti animo exantlatas. Juvat hîc audire S. Bernardinum Senensem: *Cælum*, inquit, *non recipit, nisi probatum, id est, nisi transeat per flammeum gladium atque versatilẽ, qui Geneseos 3. positus est ad custodiendum lignum vitæ; sed hæc nullus facere potest, nisi qui patientiam habet in sua tribulatione; gladius quippe flammeus atque versatilis tribulatio est affligens, & crucians animam & corpus.*

S. Bern. To 2. ser. 66. a. c. 2.

Nota est illa scala mirabilis, quam quondam Jacob à terra usque ad cœlum pertingentem vidit, per quam non solùm Angeli Dei descendebant & ascendebant, sed & ipse Dominus hanc dignatus est tenere scalam: *Vidit Dominum innixum scalæ.* Ad quid quæso ipse Dominus hanc voluit tenere scalam? ingens hîc latet mysterium; audi S. Augustinum: *Dominus*, inquit, *scalæ incumbens, est Christus in cruce pendens*, qui jam tunc in umbra se Jacob præsentavit, scalam crucis tenens, viámque monstrans, quâ sit eundum in cœlum, per quam visionem Jacob mirè ad patientiam, & ut adversa omnia æquo & læto animo sustineret, animatus est. Subintrat hîc Cornelius: *Crux*, ait, *est scala & vita, per quam Christus, omnesque Christiani in cælum conscenderunt, & indies conscendunt.* Age, anime mi, audacter hanc scalam ascende, neque enim tibi DEUS aliam ad cœlum viam pinget, quam viam crucis & patientiæ.

Gen. 28. 12.

S. August. serm. 79.

Cornel. hic.

4. De eodem Jacob recensent Sacræ Paginæ, quòd propter amorem formosæ Rachelis Labano per septennium servierit, & omnes pastoralium curarum & laborum ærumnas læto animo devoraverit: *Serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Sed in fine à Labano turpiter deceptus est, dum loco pulchræ Rachelis Liam lippam illi in uxorem dedit. *Non est*, inquiebat ad Jacob, *in loco nostro consuetudinis, ut minores antè tradamus ad nuptias.* Non vacat hic locus insigni mysterio. Per Liam lippis oculis deformem, sed laboriosam, vita præsens laboriosa & lachrymosa designatur, per pulcherrimam autem Rachelem vita beata in cœlo; si vis, homo Christiane, hanc speciosam Rachelem aliquando in altero sæculo habere in sponsam, nunc priùs in hac mortali vita tua Liam lippam accipe, & patientiam cum illa habe; non enim moris est, & consuetudinis, ut ante laborem solvatur merces & præmium.

Gen. 29. 28.

Gen. 29. 26.

Samson non priùs favum mellis gustavit, nisi priùs cum rugiente leone egregiè decertâsset: *Declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce, exercitus apum in ore leonis erat ac favus mellis, quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via.* Ita & pretiosissimus orbis Repararor Christus non priùs dulcẽ mellis favum manducavit, nisi à mortuis jam redivivus; & postquã

Jud. 14. 8.

in

in cruce amariſſimum paſſionis vel guſtâſſet. *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis, & cum manducâſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis.* Luc 24. 42. Suprà quod antiquiſſimus Tertullianus: *Poſt fella*, inquit, *favos guſtavit, alludens ad favum mellis & acetum felle mixtum, nec ante Rex gloriæ à cæleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Judæorum proſcriptus in crucem.* Tertullian. de corona militis cap. 14. O Chriſtiane! nondum advenit tempus exaltationis tuæ; nunc, nunc debent præcedere labores, dolores, cruces, paſſiones, ægritudines, adverſitates, perſecutiones, quæ omnia, niſi velis perdere mercedem tuam, cum patientia ſunt ſuſtinenda. Audi Apoſtolum: *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut reportetis promiſſionẽ &c.* Hebr. 10. 36. Audis? *Neceſſaria eſt.* Priùs te oportet tranſire per ignem & aquam, & deinde in refrigerium. Granum frumenti, antequam farina & panis fiat, ſupra menſam dominorum apponendus, multas priùs debet ſuſtinere mortificationes & moleſtias. Uva nonniſi in torculari preſſa dulce ſubminiſtrat falernum; Aromata nonniſi in piſtrino tuſa amœnum ſpargunt odorem; aurum, ut juſtum inveniatur, in fornace ignis debet probari; ita & tribulationes, tentationes, & adverſitates probant hominis patientiam, an ex Deo & è numero prædeſtinatorum ſit: *Patientia*, ait S. Cyprianus, *quæ nos Deo & cõmendat, & ſervat, ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatẽ, in viduis laborioſam caſtitatem: in conjunctis & maritatis individuam charitatem. Facit humiles in proſperis in adverſis fortes, contra injuriam & contumelias mites. Docet delinquentibus citò ignoſcere; tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat.* S. Cypr. l. de patientia. Hucusque S. Cyprianus; & quid melius poterat ſcribere de patientia tantoperè non tantùm vitæ morali, ſed & politicæ neceſſaria?

5. Recordor hîc Gedeonis ſtrenuiſſimi belli ducis, quo modo populum ſuum in vehementiſſima ſiti & æſtu in ripa fluminis probaverit; qui aquam prono ore, ut boves & equi potabant, ut formidoloſos & guloſos rejecit, qui verò undam, ut canes linguâ ſolùm deguſtabant, ſeparari juſſit: quia neque iſti Deo placebant; qui autem manu volâ delibabant aquarum guttas, hos ſibi tanquam ſtrenuos & idoneos milites ad futuram pugnam contra Madianitas reſervavit: *Fuit itaque numerus eorum, qui manu ad os projiciente lamberant aquas, trecenti viri; omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad Gedeon: in trecentis viris, qui lamberunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* Jud. 7. 6. Quod & factum eſt; nam de nocte intempeſta Gedeon cum trecentis iſtis viris fortiſſimis in innumeros Madianitas irruit, & clangentibus tubis, lagenarum complosione &

inde effulgurantibus lampadibus adeò Madianitas perculit, ut se ipsos mutuâ cæde in castris trucidarent, è quibus 120. Millia cæsa sunt.

Omnia hæc teste gentium Doctore contingebant illis in figura. Quid ergo, dices, per ejusmodi militum probationem ad aquas nobis insinuatum est; Respondeo: multa sanè: Qui pleno ore sorbebant flumen, ut totum implerent ventrem, sunt Christiani illi impatientes, qui pro cœlesti gloria obtinenda non multum laborare volunt, sed potiùs genio suo & ventri indulge-
Phil. 3. 19. re satagunt, de quibus Apostolus ait: *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Qui autem genu flexo bibebant aquas, sunt timidi, inconstantes, & va-
S. Greg. 30 Moral. 33. cillantes in bene cœptis: *Qui cùm doctrinæ fluenta hauriunt*, ait S. Gregorius, *rectitudinem operum non inflectunt.* Qui verò stantes & manu volâ potabant modicam aquam, sunt Christiani illi, qui sunt tolerantiores, temperantiores, & expeditiores ad omnia certamina contra diabolum, mundum, carnem, peccatum, jam assueti solitâ, & firma patientiâ, qua omnia su-
Origen. hom. 9. perant tentamenta ac tormenta diaboli, de quibus Origenes: *Ille probabilis, ille electus est, qui posteaquam ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas & corporeas nescit, qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim sternitur pronus.* Et talem patientiam gentium Doctor Paulus omnibus
2. Cor. 12. 12. signis ac miraculis præposuit, unde ad Corinthios suos scripsit: *Signa Apostolatûs mei facta sunt super vos in omni patientia.* Et deniq; primùm addidit: *In*
S. Laurent. Justin. de virt. pat. c. 2 *signis & prodigiis.* Ecce tolerantiam & patientiam quantùm extulit Paulus? unde rectè S. Laurentius Justinianus: *Sine ferro*, inquit, *& flamma Martyres esse possumus, si patientiam veraciter in mente servamus: nam signis & miraculis majorem esse patientiam, non dubitemus.*

6. De Davide commemorat Sacra Scriptura, quòd cùm nunc à facie rebellis filii Absolonis fugam apprehenderet, & nudis pedibus ac aperto capite montem Oliveti ascenderet, ei in via occurrerit Semei, quasi rapidus canis
2. Reg. 16. 7. maledicens & allatrans David: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial; reddidit tibi Dominus universum sanguinem domûs Saul, quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manum Absalon filii tui; & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.* Magna sine dubio hæc erat Semei protervia, calumnia & impietas, ac proinde morte atrocissimâ dignissima, quia & lapides eruit, mittens eos in Regem & servos comites; unde tam insolitam impudentiam & maledicentiam admiratus Abisai, prædictum Semei ad justam mortem deposcebat: *Quare maledicat canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus.* Et ecce, dum jam gladium stringit, audit à Rege: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit, ut malediceret David.* Unde obsecro, talis ac tanta patientia in Rege tantoperè potente? Audi ipsum loquentem hac de re in

Psalmis:

Psalmis: *Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum; & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Et nunquid hoc erat fovere vitia & scelera subditorum? minimè gentium, alia hic latet causa & mysterium, quare Rex tolerantissimus non permiserit, ut huic impio Semei & subdito, imò cani impudentissimo Abisai caput amputaretur. Psal. 37. 14.

Observat hîc S. Chrysostomus Davidē, cùm ita à Semei malediceretur, & lapidibus peteretur, cogitâsse de peccatis suis, quibus hanc pœnâ à Deo meritus erat, proinde omnia patienter ferebat: *Cùm maledictis*, ait loco Davidis, *me incesseret Semei, peccatum à me cōmissum revocavi in mēoriam, considerans, quòd propter ipsum maledictis appetor, & punior, & regiâ expulsus fugâ cogor meæ saluti consulere.* Hoc fac & tu, quisquis es, homo Christiane! Si ut David malediceris, lapidibus opprimeris, aliísque sexcentis obrueris miseriis, dic in corde tuo: *Patientia! quia merui:* **Geduldt, ich habs verschuldt:** Ego sæpiùs lethaliter offendi Deum meum, Bonum summum, immensum & infinitum; ego toties ac toties per peccata mea meritus sum gehennam, mortem & damnationem æternam &c. Quare ergo non patienter feram hoc verbum mordax, hanc injuriam, hanc calamitatem, hanc persecutionem, hanc ægritudinem, imò hanc ipsam mortem temporalem? Nunquid justus est Dominus, & rectum judicium ejus? S. Chrysost. in Ps. 38. 2.

7. Consideremus modò thronum, quem sibi Regum prudentissimus curavit, ut in eo non tam magnificentissimè sedens videretur, audiretur & responsa daret, quàm & suorum subditorum lites, ut judex decideret: *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis.* Circa hunc thronum duos grandiores leones ex purissimo auro elaboratos & fusos collocavit, quia leo erat insigne tribûs Juda, ex qua ortus est David & Salomon filius ejus; & quia sex gradus erant, per quos ad illud regale Solium ascendebantur, voluit idem Rex, ut *duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde* collocarentur. Et cur tot, dices, leones hunc magnificum adornabant & stipabant thronum? Pulcherrimam rationem assignat Sylveira: *Ad regium thronum*, inquit, *non ascenditur, nisi multo certamine cum leonibus.* Tu anime mi, si vis ascendere usque ad cœlestem thronum, oportet te priùs hîc cum leonibus & adversitatibus decertare; & in patientia possidere animam tuam: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* 3. Reg. 10. 18. Sylveira in Matth. 20. 22. Act. 14. 21.

De pientissimo orbis Salvatore recensent Sacri Scriptores, quòd, cùm crucis palmam in Calvario monte plantatam nunc ascendisset, Judæorum vocibus sæpiùs instigatus fuerit, quatenus crucem rursus desereret, & ab illa descenderet: *Si Filius DEI es, descende de cruce.* Et iterum. *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* O pientissi- Matth. 27. 40.

me JEsu! ô amor crucifixe! En bona & felicia vero nova: Gens ista perversa & incredula Judæorum, gens adultera atque viperarum vult tandem in te, tanquam Messiam à Deo missum credere, doctrinam tuam amplexari, & Evangelii sectari leges, hoc unum obstat impedimentũ: *Descende de cruce.* O stultissimi Judæi, ô filii tenebrarum! quid dicitis? quid insani postulâtis? ut Filius Dei descendat de cruce? O gens absque consilio, utinam saperes, ac novissima provideres. Ideo JEsus & nunc à vobis in crucem proscriptus priùs Patris sui æterni in cœlo sinũ reliquit, ut in cruce pro salute universorum moreretur, Crux enim non illi dedecus, sed solium gloriæ fuit, ita attestante Vate Regio: *Dominus regnavit à ligno.* Audi & considera auream linguam D. Chrysostomi: *Si Filius Dei es, descende de cruce, nam ideò venit, ut crucifigeretur pro nobis.* Cui sancto Doctori adjungo & doctissimum Salmeronem: *Si Christus*, inquit, *hîc non perseverâsset in tormentis? Quis Christianus in bonis operibus?* Audiamus & Rabanum in hunc locum comendantẽ: *Si enim tunc de cruce descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret, sed exspectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam.*

S. Chrysost. ser. de pass.

Raban. 17. in Matth.

Ex quibus omnibus hactenus enarratis collige patientiam tibi summè tum quoad mortalia, tum etiam quoad politica esse necessariam. Imitare proinde Reginam Esther, quæ cùm non vocata ad Assuerum Regem ingressa esset, terribili ejus aspectu perculsa, semel atque iterum quasi exanimata corruit, cui Rex in signum gratiæ & benevolentiæ auream suam virgam extendit, imò & collo ejus imposuit: *Tulit auream virgam, & posuit super collum ejus, quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus.* Hoc, inquam, illustre exemplum & tu imitare, homo Christiane! si te visitat Deus variis tribulationibus, si contra te virgam furoris sui extendit, si te percutit, si eandem virgam collo tuo imponit, ne despondeas animum, sed contra audentior ito; virga aurea est, non ferrea, quæ omnes adversitates tuas mutabit in aurum optimum, probatum & purgatum. Proinde erige te cum Esther, & *accedens osculare summitatem virgæ ejus*, atque ad omnem patientiam te dispone: *Et in patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Esth. 15. 15

Esth. 5. 2.

Luc. 21. 19.

CON-

CONSIDERATIO XL.

De vitanda hypocrisi, & falsa mundi politia.

Pro Dominica 7. post Pent.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Matth. 7. 15.

1.

NOn sine peculiari causa in veteri quondam lege cygnus à DEO tanquam immundum animal tam à sacrificio, quàm ab esu (ne illius carnibus vescerentur Israëlitæ) repudiatus est: *Hæc sunt, quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquilam & gryphem, cygnum &c.* Ratio est, quia licèt cygnus niveis ac candidissimis contegatur plumis, intùs tamen nigerrimam pellem fovet: *Prohibetur*, ait antiquissimus Origenes, *inter alia animalia cygnus Israël, qui, cùm albus sit foris, intùs nigerrima carne cooperitur.* Cygnus hic symbolum sustinet hominis hypocritæ & Pseudopolitici, ita Deo inservientis, ut tamen diabolum non offendat, proinde foris candidus, intus in animo nigerrimus est: *Animum*, pergit idem Origenes, *sic solent hypocritæ habere, qui dum castitatem exterius prædicant, intùs teterrima tabe luxuriæ maculantur.* Levit. 11. 15. 18. Orig. hom. in lib. Num

O tempora! ô mores! oportet nos hic clamare cum Eminentissimo S. R. E. Cardinale Bellarmino: *Nolo hîc esse Cham, & verenda patrum detegere*, sed quia res ipsa clamat, & mundus ejusmodi falsis fratribus plenus est, necessarium est, ut & ipsi perstringantur: *Væ vobis scribæ*, ait Veritas Christus, & *Pharisæi Hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intùs autem pleni estis rapinâ & immunditiâ.* Gen. 9. 22. Matth. 23. 25.

Talis pseudopoliticus & hypocrita similis est Vertumno, de quo lemma: *Formas mutatur in omnes*; similis Scorpioni, qui amplexatur, ut perdat; similis Aspidi, qui mordet in silentio; similis Basilisco, qui aspectu & halitu mortem infert; similis Upupæ, quæ pulcherrimis decorata pennis nidum inter stercora collocat; similis Chamæleonti omnes calores ex vicinis objectis

imitanti, præterquam album, unde lemma: *Solùm non induit album*; similis Tarantulæ, quæ sub luce & stellato corpore lucem tegit; similis aleæ, quæ
Matth. 23. quô plura superiùs exhibet, eò pauciora inferiùs numerat. Similis sepulchro
27. dealbato, quod à foris paret hominibus speciosum, intus verò plenum est ossibus mortuorum, & omni spurcitia &c. Attendite proinde, ô mortales omnes! ab ejusmodi falsis Prophetis, Pseudopoliticis, Hypocritis & falsis amicis,
Matth. 7. *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.*
= 25. De quibus plura; & si salutem tuam amas, attende.

2. Severè quondam præcepit Deus, ne Israëlitæ vestem ex materia varie-
Lev. 19. 19 gata contextam induerent: *Veste, qui ex duobus texta est, non indueris.* Et in
Deut. 12. alio loco: *Non indueris vestimento, quod ex lana linóque contextum est.* Ad
11. quid, obsecro, Deus adeò se demisit, ut Judæis etiam modum sese vestiendi præscriberet, ac vestimenta ex lana & lino contexta illis prohiberet? Resp. in
Cornel. in hunc locum Cornelius: *Vestem & lana & lino contextam induunt, qui lo-*
Lev. 19. 19 *quuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* O hypocritæ! ò pseudopolitici! ò falsi amici, an non vos ejusmodi duplici veste ex la-
Greg. M. na & lino contecti estis? Audite S. Gregorium M. *Veste ex lana linóq; contextam*
lib. 8. *induit, qui in locutione, vel actione, qua utitur, intus subtilitatem malitiæ*
Mor. 51. *operit & simplicitatem foris innocentiæ ostendit.* Sed maledicti vos à Domi-
Matth. 23. no, quibus toties in Evangelio Christus comminatus est: *Væ vobis Pharisæi,*
13. 14. *Hypocritæ &c.* O quàm pauci sunt modò sinceri ac veri Jobi reperiendi, qui
Job. 1. 8. hoc insigne à Deo promerentur encomium: *Homo simplex & rectus ac timens*
Orig. l. 1. *Deum, & recedens à malo!* Supra quod egregiè memoratus Doct. Origenes:
in Job. *Vir simplex*, inquit, *non fictus, non erat in illo duplicitas, non loquebatur aliud in ore, aliud verò cogitabat corde.* Et quid nunc? dicat, qui potest? Pergo ad alia.

Et quis non miretur, quòd Rex ille, qui quondam latissimas filio suo parabat nuptias, ad quas omnes peramicè invitaverat, solum illum mendicum, sine veste nuptiali in regio convivio apparentem, tam severè castigaverit, &
Matth. 22. ligatis manibus ac pedibus in exteriores tenebras eum præcipitari jusserit? *A-*
12. *mice*, inquiebat, *quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Ad quid, obsecro, Rex ille potentissimus hunc hominem amicum vocavit, quem mox ad tartarum ablegavit? quomodo amicus & reprobus? Et quis hunc mirabilem procedendi modum attentiore mente considerans non obstupescat? *Mi-*
S. Gregor. *randa est*, ait S. Gregorius Magnus, *quod hunc & amicum vocat, & reprobat,*
hom. 38. *ac si apertiùs dicat: Amice, & non amice.* Et respondet sibi ipsi prædictus Mo-
in Evang. ralis Ecclesiæ Doctor: *Amicus per fidem, & non amicus per operationem.*

Hinc

Hinc patet, quòd hypocrita fuerit, fingens in veste lacera & absoleta vitæ sanctitatem, mundi & sui contemptum, interim erat lupus rapax, qui in veste ficta ovis videri volebat qualis minimè erat: *Propterea,* subintrat hîc etiam Divus Ambrosius, *ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non solùm quia peccator erat, sed quia cùm peccator esset, sanctitatis sibi meritum vendicabat.* O falsi fratres! ô pseudopolitici! ô hypocritæ! attendite, qualis pœna vos maneat. Audite Isaiam Prophetarum Principem contra vos fulminantē: *Possedit*, inquit, *tremor hypocritas, & quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* sed pergamus ulteriùs, quia video, quòd ista vobis non placeant.

S. Ambros. serm. 4. in Domin. 2. Advent.

Isaia 33. 14

3. Venerat aliquando ad pretiosissimum orbis Redemptorem legis quidam peritus, & prædicatione & miraculis illius motus instanter petiit, ut & ipse Christi fieri posset discipulus? proinde Domino abitum jam paranti, & transfretum eunti dixit: *Magister, sequar te, quocunque ieris.* Sed ingratum à pientissimo Domino recepit responsum: *Et dixit ei JEsus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nudos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Sic spe frustratum dimisit inanem. Et quis, obsecro, hîc non obstupescat, quòd Christus Dominus hunc supplicantem non ad suam admiserit societatem & sequelam? Nunquid notos, imò & publicos in gratiam recepit peccatores, Matthæum in telonio, Zachæum in sycomoro, Latronē in patibulo, Magdalenam in convivio, adulteram in templi Atrio? & cur non etiam hunc legisperitum tantoperè illius affectantē amicitiam? Verùm aliud hîc latet mysterium: Doctor ille hypocrita fuit & mundi politicus, cujus Christus latens ulcus insigniter detexit, dum eum vulpi dolosæ assimilavit; sperabat enim, per hanc Christi sequelam rem suam se posse augere, ad honores promoveri, & seculi lucra sectari; sed non amat Veritas ejusmodi politicos, imò nec pati potest ejusmodi exosum hominum genus, proinde eos toties in Evangelio severissimo anathematis fulmine perstrinxit: *Væ, væ vobis, hypocritæ,* cùm tamen aliorum peccatorum vitia sæpiùs sub silentio vel abscondit, vel dissimulavit: *Hypocritarum genus,* ait S. Laurentius Justinianus, *plusquam cæteros prosecutus est Dominus, eorum cauteriatam patefecit conscientiam populis, atque æternum supplicium illos manere testatus est.*

Matth. 8. 19.

Matth. 23. 13.

S. Laurent. Justin. lib. de humil. cap. 15.

4. Et vis ulteriorem hujus veritatis probam? Revoca, si lubet, in memoriam decem illas Virgines à Sponso quondam cœlesti ad regias Agni nuptias solemnissimè invitatas; & ecce, cùm silentium tenerent omnia, & nox in medio suo cursu esset, venit de cœlo clamor: *Ecce, sponsus venit, exite obviam ei,* ad quam vocem quinque virgines prudentes sine mora sese accingebant itineri, & quia paratas habebant ardentes lampades, à sponso ad nuptiale hoc gau-

Matth. 25. 6.

maledicti sunt in æternum, ut fructus afferre non possint. Loquitur hîc sub typo maledictæ ficulneæ de perditis Judæis & hypocritis tunc temporis intervallo existentibus, sed non minores de facto sunt, de quibus S. Bernardus: *Qui speciem sanctitatis habent, & virtutem non habent in mente.* O iterum væ! væ! væ ejusmodi hominibus, qui humiles esse volunt, sed sine despectu; egeni, sed sine defectu; patientes, sed sine cruce & tribulatione; obedientes, sed sine coarctatione; pœnitentes, sed sine afflictione; virtuosi, sed sine labore; sancti, sed sine solida & consummata virtute; O portenta! ô monstra! sic & corvus albus apparet, cùm tempore hyemali in arbore sedens nive cooperitur, sed avolans se ipsum prodit, quòd idem sit, ac permaneat nigerrimus corvus. Proinde non abs re Justi Lipsii querela contra nostri temporis mores hîc locum habet: *Irritamus*, inquit, *quotidie magnum illud Nomen, & quasi puniendi justæ causæ non sint, damus novas. Quando luxus, fastus, libido major, impunitior? & religio passim nunc in ore, improbitas in corde; verba pietatem sonant, facta ambitionem, avaritiam, nec in uno alterove, sed apud quemcunque ordinem, ætatem, sexum.* O DEUS! quid hoc?

S. Bern. serm. 10. in cœna Dom.

Just. Lips. centur. 2. ep. 6.

7. Et nondum creditis huic veritati? Audite ab ipso dæmonio testimonium. Postquam ingratissimi Nazareni Christum concivem suum duxerunt usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut eum ex summo in imum præcipitarent, mitissimus Servator transiens per medium illorum ibat, & descendit mox in Capharnaum civitatem Galilææ, ubi in Synagogis docebat turbas. Erat autem ibidem homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna: *Sine, quid nobis & tibi JESU Nazarene? venisti perdere nos; scio tu quis sis, Sanctus Dei.* Hoc est Dei Filius, quem à tot millenis annis exspectavit orbis universus, quia *ipse erit expectatio gentium.* Sed quid ad hoc Christus? *Et increpavit illum JESUS*, dicens: *Obmutesce, & exi ab eo*; S. Marcus addit: *Et comminatus est ei*, dicens: *Obmutesce.* Et quare hoc? nunquid dæmon ille veritatem in Synagoga palàm edixit, quòd sit *Sanctus Dei*? quare ergo Dominus increpavit eum, imò & minas addidit, nisi taceret?

Luc. 4. 34.

Gen. 49. 10.

Marc. 1. 25.

In promptu causa est: Hypocrita ille fuit diabolus, sicut fuit ab initio, sub hac enim speciosa hypocrisi juratus ille Dei hostis proto-parentes nostros in paradiso seduxit, & nunc de novo Christo adulari vult, ut aliquod vanæ gloriæ desiderium in pectore illius excitaret; sed noluit pati hunc antesignanum omnium hypocritarum pientissimus JESUS, proinde eum ejecit, & in tartarum misit. Unde rectè Scholiastes apud S. Chrysostomum: *Obmutesce*, ait, *laus mea sit silentium tuum; non me laudet vox tua, sed tormenta tua; pœna tua laus mea est; non quia laudas, gratulor, sed quia exis gratulor.* Tales linguas diabolicas etiamnum habent moderni hypocritæ, auli-

Cornel. hîc in Marc. 1. 25.

aulici, & pseudopolitici, amicitias loquuntur, & vindictam intus in pectore coquunt, servos se appellant paratissimos, sed obsequium ut præstent, longè ab eis est; laudant in faciem, & post tergum maledicunt; ô crocodilli! *Devorant, & plorant.* Heu! quousque nunc rerum facies & mundi status devenit? O quàm pauci sunt modò! de quibus potes dicere, quod olim Veritas Christus de Nathanaële effatus est: *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Joan. 1. 47.

8. Venit hîc mihi in mentem regius ille Princeps Absalon, comptulus & formosulus, omniúmque oculis gratiosus; sed videte, quàm bellè noverit pseudopolitiæ leges. Affectaverat hic rebellis Princeps patris jam senescentis regnum, & quid non molitus est? quas fraudes & technas non excogitavit? Fecit sibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui eum præcederent; & manè consurgens stabat juxta introitum portæ civitatis, ubi omnem virum, qui habebat negotium in judicio regio expediendum ad se vocabat, benignè audiens ejus causas ac rationes, ac demùm illi adblandiens, & manus ejus exosculans dicebat: *Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & justè judicem?* O versipellem! Et quid accidit? ubi sollicitavit populum & corda virorum Israël, atque illorum affectus sibi conciliavit, sub specie singularis pietatis & religionis ab optimo parente licentiam petiît in Hebron proficiscendi: *Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron &c. Dixítque ei Rex David: Vade in pace.* O impium & execrandum politicum! quis te non omnibus diris devoveat: Et ecce, dum hæc fiunt, ipso authore & mediatore adornatur contra Davidem & regnum horrenda rebellio, & conjuratio populi: *Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalon in Hebron.* Ast quis tandem hujus speciosæ duplicitatis finis exitit? ruina populi & interitus illorum Ducis, dum in arbore pendens à Joab tribus lanceis confossus interiît, & impiam animam in Orcum efflavit. Hic nimirum est exitus pseudopoliticorum & hypocritarum: *Væ duplici corde &c.* Hypocrisis, ait S. Petrus Chrysologus, est subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis, moneta falsa, quæ intus ferrea, exteriùs verò deaurata est, lignum putridum, & cariosum nocte relucens, & quasi res pretiosa apparens, de die verò ejus vilitas & corruptio proditur: *Sic erit in consumatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus & stridor dentium.* Intellexistis hæc omnia, ô hypocritæ! ô semi-athei! ignoscite verbo: duro nodo durus quærendus est cuneus: *Increpa eos durè, ut sani sint.* 2. Reg. 15. 4. Eccl. 2. 14. Petr. Chrysol. serm. 7. Matth. 13. 49. Tit. 1. 13.

9. De Cuthæis refert Scriptura, quòd ex Assyria translati in Samariam non solùm verum Deum Israëlis, sed & simul deos Assyriorum coluerint: *Et cùm Dominum colerent, diis quoque suis serviebant.* Vide hîc & admirare grandem 4. Reg. 17. 33.

dem Cuthæorum stultitiam, & ideò Hebræis Deum solum colentibus quasi anathemata, fuerunt exosi. O vespertiliones Æsopici! qui cum avibus propter pennas, quas habent aves esse volunt, & cum muribus mures, quia corpore muribus sunt similes. Tales sunt moderni Politici, qui hæreticos cum Catholicis conjungunt, & sic fidem & simul rempublicam evertunt, dum cum Catholicis catholicè, & cum hæreticis hæreticè loquuntur, cum piis castè, cùm impiis & impudicis impudicè. O chamæleontes bilingues! adulantes præsentibus, absentes autem lacerantes. Tales antipolitici similes sunt Caino sub specie fraterni consortii Abelem fratrem in agrum invitanti: *Egrediamur foras*: cúmque essent in agro, consurrexit adversùs eum, & interfecit. Similes Joabo officiosissimè Amasam salutanti: *Salve, mi frater*, interim simulato amicissimo amplexu lethale ei vulnus inflixit. Similes Herodi tribus SS. Magis cultum, & adorationem recèns nati Salvatoris suadenti: *Ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum*; interim impius hypocrita & vulpes illæ divinæ illius prolis machinabatur necem & interitum. Similes Judæ Ischariothi amicitiam summam erga Christum fingenti: *Ave Rabbi; & osculatus eum*, interim dedit asseclis suis signum, ut JESUM caperent, dolo tenerent, & occiderent. Similes Pilato innocentiam Christi publicè attestanti: *Nullam causam mortis invenio in eo.* His tamen non obstantibus eum condemnavit ad mortem. Similes Judæis Prætorium Pilati, ne in Paschate contaminarentur, intrare recusantibus: *Ipsi non introiérunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha;* interim sine scrupulo manus suas in innocentissimo Divini Agni sanguine cruentârunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros &c.*

Gen. 4. 8. 2. Reg. 20. 9. Matth. 2. 8. Math. 26. 49. Luc. 13. 22. Joan. 18. 28. Matth. 27. 25.

O Hypocritæ! O Pharisæi! O Sycophantæ! O Antipolitici! O Athei! extremùm nunc vos alloquor: Christus quondam cunctis Electis suis octo promisit, & assignavit beatitudines: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.* In vos autem octo fulminavit maledictiones: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Legite, obsecro vos, si salutem vestram amatis, mente attentiore capitulum S. Matthæi vigesimum tertium, incipiendo à versu 13. usque ad versum 29. inclusivè, ubi octies incorruptus ille & justissimus Judex hoc triste væ, væ in vos intonuit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ*, per quod væ omnibus pseudopoliticis non duntaxat grave supplicium sceleribus imminens, puta mortem & excidium, sed & gehennam intentavit. O igitur infelices hypocritæ! infelices *ut octo*, itaos Domini locutum est.

Matth. 5. 3. Matth. 23. 13.

Quid igitur restat, nisi, ut omnem duplicitatem, falsitatem, simulationem, pseudopolitiam & hypocrisin deponamus, atque in corde vero ac sincero Deo & Salvatori nostro Christo JESU inserviamus, qui ideò crudeli

lan-

lancea in cruce pectus suum aperiri voluit, ut pateret omnibus in SS. Corde JESU nullam unquam fuisse duplicitatem, & simulationem, sed quòd potiùs totum cor suum, prout loquitur Doctor Seraphicus, nobis tradiderit: *Præ nimio*, inquit, *sui amoris fervore voluit lanceâ suum latus aperiri, ut demonstraret, quod tibi tradidit cor suum.* Hoc fac & tu, quisquis es, homo Christiane, depone omnem dolum, mendacium, simulationem & duplicitatem, & soli amori tuo Christo JESU crucifixo consigna cor tuum juxta illud: *Fili, præbe mihi cor tuum.*

S. Bonav. in stim. amor.

Prov. 23. 26.

CONSIDERATIO XLI.

De cavenda Detractione, & indiscreto Judicio.

Pro Dominica 8. post. Pent.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius. Luc. 16. 1.

1.

IMmensus DEUS, qui omnia suaviter ordinare in suum finem assolet, noluit quondam sibi in sacrificium fermentum, & mel offerri: *Nec quidquam fermenti, aut mellis adolebitur in sacrificio.* Rationem assignat doctissimus Oleaster, quia utrumque, si crematur, mali odoris est; nihil autem magis Deo displicet in homine, quàm, si malæ famæ & odoris sit, proinde jubet DEUS per os Siracidis: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Ex quo infert Doctor Angelicus, & concludit: *Auferre alicui famam valde grave est, quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo à multis benè agendis.* Accedit quòd juxta jura honor & vita in pari passu ambulent.

Levit. 2. 21. Oleast. hic

Eccl. 41. 15.

S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2.

Anna pientissima illa Samuelis mater, cùm ab Heli Pontifice crederetur temulenta: *Usquequò ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades*; multam curam adhibuit, ne famâ bonam apud Sacerdotẽ perderet: *Nequaquam, Domine mi: nam mulier infelix ego sum, vinumq; & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Judith fortissima illa heroina

1. Reg. 1. 14.

roina ingentem famæ & boni nominis sui curam per omnem vitæ cursum
Judith. 8. 8. gerebat, unde testatur de illa Scriptura: *Erat hæc in omnibus famosissima; quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum.* Hæc cura famæ omnibus quidem incumbit Christianis, sed quam maximè Superioribus, Prælatis, Pastoribus, animarum curam gerentibus, viris Re-
Rom. 12. 17. ligiosis, ut tota subinde religio malè audiat ob infamiam unius mali Religiosi &c. Proinde rectè Apostolus: *Providentes*, inquit, *bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et hinc in jure cautum est, quòd ille injustus & crudelis censeatur, qui famam & bonum nomen suum negligit.

Et hæc causa est, quòd hodiernus Villicus, qui apud Dominum suum diffamatus est, quasi dissipâsset bona ipsius, omni modo allaboraverit, quo-
Luc. 16. 3. modo bonum nomen & honorem adhuc posset retinere: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* & licet non adeò justus fuerit ac Domino suo injurius, famæ tamen suæ curam habuit, non ignorans, quòd hac perditâ omnia sint perdita. O quàm crudelis est igitur ille Christianus, qui indiscreto judicio proximi sui famam lacerat, ejúsque bonum nomen
S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2. arrodit! & quid de facto communiùs? *Hoc specialiter vitio*, ait S. Thomas Aquinas, *periclitatur totum genus humanum.* Et S Augustinus: *Maxima pars*
S. August. serm. 102. de temp. *generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta & parata esse probatur, cùm tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios ju-*
S. Hieron. ad Cel. ep. 14. *dicare.* Cui sententiæ etiam subscribit S. Hieronymus: *Tanta*, inquit, *hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Proinde opus est, ut plura de hac veritate tractemus; qui habet aures audiendi, audiat, ut se imposterùm emendet &c.

Sap. 1. 11. 2. Rectè Sapiens: *à detractione parcite linguæ*, quia sicut serpens linguâ suâ venenosâ & triscula trina uno morsu infligit vulnera, ita lingua detrahens, tanquam serpens virulentus tres una vice sauciat, se, cui detrahit, & audientem, unde lemma: *Uno tria vulnera morsu*; proinde parcite linquæ à detractione, cujus officium est laudare Deum & proximum, quare ingens fit linguæ injuria, si homo eâ ad vituperium Dei, vel proximi abutatur. Epulonem consulite, olim quidem divitem, sed nunc miserrimum, & etiam-
Luc. 16. 24. num hodie inter tartareas flammas exclamantem: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Maldonatus ait, fuisse hunc Epulonem in vita insignè detractorem, ideóque ardentis suæ & pessimæ linguæ adhuc hodie persolvere pœnas, cujus opinionis & Cornelius à Lapide est: *Laxa-*
Cornel. in Sap. 1. 11. *bat*, inquit, *linguæ maledicæ frœna in Lazarum & Deum, in utrúmquè durè,*

sed

ſed duriùs in ſeipſum deſæviens, unde poſitus in gehenna linguæ ſuæ ardentipetiit guttam aquæ, nec impetravit, quia Lazaro negavit micam panis.

Hoc idem monet S. Jacobus Apoſtolus: *Nolite detrahere alterutrum, fratres mei.* Ubi obſervandum, quòd omnes Chriſti fideles *fratres* appellet, ut per hoc admoneantur, ut fraterno ſeſe invicem diligant affectu, nec ullus præſumat fratri ſuo detrahere, quæ detractio eſt alienæ famæ injuſta violatio, vel denigratio, ita Doctor Seraphicus. Abſit ergo hoc ab homine Chriſtiano, quia verbum, teſte Melliſluo, leviter volat, ſed non leviter vulnerat. Davidem conſiderate, cùm quondam Saulem inimicum capitaliſſimum in ſpelunca Engaddi latrantem inveniſſet, clam ad eum accedens, non quidem lethaliter eum ſauciavit, vel occidit, ſed ſolummodò oram chlamydis ejus abſcidit, cujus facti poſteà, cùm rem attentiore animo perpendiſſet, eum ſummoperè pœnituit: *Poſthæc percuſſit cor ſuum David, eò quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Et quare, dices, David adeò indoluit, quòd auſus ſit Domini ſui & Regis Saulis veſtem conſcindere? & nunquid jus habebat, ut talem ac tam infeſtum hoſtem è medio tolleret? Reſp. Doluit, quia Majeſtatem regiam temeravit, quod illius conſcientiam exinde vehementer pupugit. Verùm non ſenſum hîc litteralem, ſed moralem inquiro; ſubintrat hîc S. Gregorius Magnus, qui in dicto caſu per Davidem detractorem ſubaudit, dum proximo ſuo furtivè oram veſtimenti, hoc eſt, honorem præſcindit, & amputat, ubi quidem eju smodi detractor & calumniator non vult proximum ſuum interficere, ſed recenſendo defectus ejus occultos boni nominis honeſtate illum denudat: *Non volunt*, ait citatus S. Doctor Moralis, *occidere, libenter tamen oram chlamydis præcidunt, hoc eſt, honorem, veſtem ſi non lacerant, diminuunt.* Et quot ſunt tales in aulis & caulis, in choro & foro, in oppido & tugurio, in officinis & culinis, in tabernis & cavernis, in ſalo & ſolo? O quot ſunt tales! dicat, qui poteſt, quia *totus mundus in maligno poſitus eſt.*

Jacob. 4. 11.

1. Reg. 24. 6.

S. Gregor. M. 3. part. Paſtor. Admon. 5.

1. Joan. 5. 19.

3. Dic mihi Sodes, quare olim à Deo Iſraëlitæ in deſerto ignitis fuerunt caſtigati ſerpentibus: *Quamobrē miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*: Movet hanc quæſtionem S. Bernardus: *Quare*, inquit, *à ſerpentibus perierunt?* & reſpondet Melliſluus, *quia ſerpens venenoſus eſt, & omnis, qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua;* quia ergo illi Hebræi murmurationibus & detractionibus in Deum & Moyſen peccârunt, & *acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes*, ideò per ignitos ſerpentes puniti ſunt. Juvat etiam hîc audire S. Hieronymum: *Serpens*, ait, & *detractor æquales ſunt; quomodo enim ille occultò mordens, venenum inſerit; ſic iſte clàm detrahens virus pectoris ſui infundit in fratrem, & nihil habet à ſerpente minùs.*

Num. 21. 6.

S. Bern. ſerm. de modo bene viv.

Pſal. 139. 4

S. Hieron. in Alcui.

Sponſus

Sponsus ille cœlestis non sine peculiari causa dilectæ suæ Sponsæ præ-
Cant. 2. 15. cæpit, ut vulpes adhuc teneras & parvulas in vinea sua caperet: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam, nam vinea nostra floruit.* Et quare non mandavit, ut vulpes grandiores caperet? fortâsse quia annosa vulpes, cùm sit astutissima, vix laqueo capi potest, parvulæ autem utpote inexpertæ facilè possunt decipi, & capi? Sed aliud hîc latet mysterium. Per ejusmodi vulpes parvulas & petulcas detractores & susurrones intelliguntur, qui demoliuntur vineam Ecclesiæ; & quemadmodùm vulpes parvæ summoperè nocent vitibus in vere miro odore florentibus, dum earum flores decarpunt, vellicant, & arrodunt, terrámque juxta radices suffodiunt, ut vites necessariò destitutæ humore arescant, ita & vulpinis detractorum ac susurronum linguis proprium est flores virtutum in proximo suo, quasi in vite mystica arrodere, vastare, devorare: *Pessima vulpes*, ait S. Bernardus, *est occultus detractor &c.* & Cornelius à Lapide: *Parvæ vulpes*, inquit, *sunt detractores & susurrones, æquè ac adulatores, qui vineas, id est, cœtus & societates dissociant, ac fidelium animas subvertunt.* O pessimæ vulpes! dignæ, ut capiantur, & tradantur diabolo.

S. Bern. serm. 6. in Cant. Cornel. in Cant. 2. 15.

4. Et vultis plura de hac veritate argumenta, quàm exosi apud Deum & homines sint detractores? audite me. In Numerorum libro legitur, qualiter Maria, soror Moysis, virgo & Prophetissa, aliàs Deo grata & acceptа, nihilo seciùs turpissimâ lepra fuerit percussa: *Et ecce, Maria apparuit candens leprâ, quasi nix.* Et quid, obsecro, peccavit mulier tam sancta, quòd ex dente lepra fuerit correpta, & ab hominum habitatione & convictu separata? Respondet ad hanc quæstionem ipsa sacra Scriptura, quia mitissimo fratri suo Moysi cum Aarone detraxit, unde hanc pœnam ab ipso Deo vindice, tunc in columna nubis ad introitum tabernaculi præsente audire meruit: *Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi: iratúsque contra eos, abiit.* Ex quibus collige, anima Christiana, quàm congrua hæc detractionis, murmurationis, & indiscreti judicii pœna fuerit; sicut enim lepra, si semel hominem inficit, semper in carne ulteriùs proserpit, donec totum corrumpat corpus, ita & detractio ac murmur totam congregationem, cœtum, familiam, & communitatem inficit; proinde rectè S. Ephrem: *Et teterrima*, inquit, *Mariæ Prophetissæ lepra docemur, quàm grave ac detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod leprâ infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat macula. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus, nam sicut illa defecerat à fratre suo: ita & ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret.*

Num. 12. 10.

S. Ephrem de morbo linguæ.

Tales

Tales detractores similes sunt Scarabæis, qui non floribus aut rosis delectantur, sed stercoribus: Ita detractores flores virtutum in proximo non tangunt, sed, si quendam defectum deprehendunt, quasi immundi scarabæi hoc nutriuntur fœtore. Similes sunt vespis ad alveare volantibus, & si quid mellis multo labore argumentosæ apes congesserunt, ejusmodi devorare assolent vespæ prædatrices. Similes noctuis, quarum oculos lux obfuscat, & nox tenebrosa illustrat. Similes ranis, quæ absente homine inconditum excitant clamorem, eo verò præsente & inspectante silent. Similes canibus, qui à tergo viatorem latenter accedunt, & pedibus ejus ex improviso venenatum infigunt morsum. Similes hyenæ, quæ mortuorum ossa è sepulchris eruit, ac devorat; ita & detractor nec mortuis parcit. Similes sui, qui non pretiosis, sed immundis delectatur, & ideò inter immunda quoque animalia olim à Deo reputatus est: *Inter immunda reputabitis & suem &c.* Supra quod Hugo Cardinalis; *Sus significat illum, qui gaudet esse in luto, ut est detractor, qui semper in luto, id est, in vitiis aliorum immoratur.* O quàm turpe ergo est, & quàm probrosum esse detractorem, & alterius famæ ac honoris denigratorem; & si non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ubi ergo tales impii parebunt, cùm inter mille vix unus ablatum restituere soleat honorem; Qualis ergo stultitia est aliorum vitia cernere, obliviſci suorum? Levit. 11. 4. & 7. Hugo. Cardinalis hic.

§. Sed nondum se sistit hîc sermo meus; plus ultra. Miserat quondam David Rex legatos suos ad Hanon Regem Ammonitarum, ut eum super morte patris consolaretur, & amicitiam veterem, quam cum Naas defuncto Rege & parente ejus priùs habuit, renovaret, confirmarétque. Et ecce vix in terra Ammonitarum prædicti advenerunt Regis Davidis legati, mox inter aulicos Ammonitas exortum est tacitum murmur & temerarium judicium, legatos illos Israëlitas non amicitiam Regis Hanon, sed regni potiùs inquirere interitum; quapropter ad Regem venerunt: *Putas*, inquiebant, *quòd propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, & non ideo ut investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam?* Gravissima hæc erat detractio, & eò probrosior, quò indigniùs postea Hanon istos legatos tractavit: *Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos.* Observa hîc, quàm grandis hæc fuerit ignominia, quam Hanon contra omne jus gentium legatis Davidis ad se consolandum missis irrogavit. Et quid factum est? David, licet aliàs mansuetissimus, severissimam tamen hîc statuit vindictam; idcirco sine mora aciem instruxit, contra Ammonitas exercitum movit, Rabbath civitatem eorum obsedit, & tandem armata manu expugnavit, quam cum Rege & subditis penitùs evertit, ac solo æquavit, & quod horrendum est auditu, *populum quoque ejus adducens serravit, & circumegit super eos serrata carpenta;* 2. Reg. 10. 3. 2. Reg. 10. 31.

divisitque cultris, & traduxit in typo laterum. Tantam stragẽ potuit causare
Jac. 3. 5. unica detrahens lingua; ô lingua, modicum quidem membrum, sed magna exaltans: *Ecce, quantus ignis, quàm magnam sylvam incendit! & lingua ignis est, universitas iniquitatis.* O quot moderno tempore etiam inter Orthodoxos similes reperiuntur detractores, qui Ammonitis crudeliores proximo suo nõ vestes aut barbã, sed ipsũ præscindunt honorẽ, quô homini nihil charius, nihil gratius, nihil pretiosius esse potest. Væ igitur ejusmodi detractoribus, de quibus
Ps. 139. 12. Ps. 30. 10. jam olim vaticinatus est Psaltes Regius: *Virum injustum* (glossa legit *detractorem*) *mala capient in interitu;* & in alio loco: *Erubescant impii, & deducantur in infernum; muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversùs justum iniquitatem.*

6. De Cham filio minore Noëmi refert Scriptura, quòd optimum parentem suum, cum eum post diluvium post excultam vineam in tabernaculo ebrium dormientem ac nudatum vidisset, protervè & petulanter illuserit, at-
Gen. 9. 22. que illius nuditatem fratribus deridendam proposuerit: *Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.* En typum genuinum omnium detractorum, calumniatorum, & susurronum &c. proximorum suorum defectus non pallio discretionis obtegentium, se ubique propalantium, & quid tandem illis eveniet? paucis dico: eadem maledictio, quam Noë de somno evigilans in filium hunc suum immorigerum fulminavit: *Maledictus Chanaan &c.*

Desideratis plura è Sacro Codice testimonia? Michol considerate filiam Regis Saulis Davidi marito & Regi suo proterve & publicè detrahentem: Cùm enim in processione publica illum ante arcam Domini saltantem, & solo ephod sine veste Regia indutum vidisset, non abhorruit nec Regiæ Majestati de-
2. Reg. 6. 20. trahere: *Et egressa Michol filia Saul in occursum David ait, quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris?* Observa, anime mi: *Quasi unus de scurris*; quid impudentius fœmina illa impudens Regi tali ac tanto poterat objicere, & ad aliorum aures devolvere: *Quasi unus de scurris*; Ex quibus abunde colligo, quòd detractio neque intimis parcat consanguineis, nec amicis, nec domesticis, imò nec Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus &c. Sed pœnam luit infelix illa mulier: *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*, quod summum in antiqua illa lege erat conjugibus oppro-
S. Abros. l. 4. ep. 30. brium: *sterilitatis damnata*, ait S. Ambrosius, *non edidit sobolem regiam, ne superbos crearet*, & sibi similes detractores.

Et si lubet progredi ulteriùs, vobis in exemplum propono Core, Dathan & Abiron cum omni substantia sua, uxoribus, liberis ac tentoriis totáque fa-

mi-

milia in conſpectu totius Iſraël à terra abſorptos; *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, devoravit illos.* Et quid peccârunt miſeri iſti, quòd in eos adeò ira Dei deſæviit? Reſp. Illos omnes, qui Moyſi ſervo Dei famam & honorem injuſtè denigraverunt, horrendo fuiſſe caſtigatos ſupplicio, inter quos & prædicti nominantur rebelles, Deo & Duci ſuo Moyſi injurii, impiſque detractores. Nota hîc, anime mi, pœnam murmurantium & detrahentium à terra abſorptorum in deteſtationem tanti criminis, & in exemplum modernorum detractorum, qui paulò poſt eos ad infernum ſequentur. O linqua detrahens! quàm graves olim lues pœnas? ſi fræno equos domare poſſumus, ſi naves modico gubernaculo, ſi omnia animalia domantur & domita ſunt à natura humana, & quare linguam nullus hominum domare poſſit? ò inquietum malum! *In ipſa benedicimus Deum & Patrem, & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt: ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio &c.* O lingua! ò lingua! Num. 16. 31. Jac. 3. 9.

7. Non ſic pretioſiſſimus orbis Salvator Chriſtus, non ſic. Veneratis aliquando, cùm vicos & caſtella docendo turbas ſalutis viam obiret, ad civitatem Samariæ, ubi laſſus ex via in meridie juxta puteum ſedebat: *JEſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*, mittens interim diſcipulos in urbem, ut panem & cibos coëmerent, quia volebat, uti viatores pauperes facere ſolent, juxta illum puteum prandere, & aquam ex illo bibere. Et ecce, dum hæc fiunt, venit ad eum mulier ex civitate, Photina nomine, cum qua ſolus longum miſcebat diſcurſum, in quo eam docuit Deum adorandum in ſpiritu & veritate, ſéque eſſe promiſſum orbis Meſſiam. Hæreo hîc attonitus, quare mitiſſimus Dominus huic ſacro diſcurſui diſcipulos ſuos non voluerit eſſe præſentes, ſed omnes interea amandaverit in civitatem, ut cibos pro prandio coëmerent? Et nunquid unus pro illo ſacro collegio ſuffeciſſet ad comparanda victui neceſſaria? quare ergo dimiſit omnes? Reſp. Salmeron, *ut pudori ejus ſolitudine conſultum eſſet*; loquebatur enim Chriſtus cum muliere illa Samaritana plura mentis arcana, proinde converſurus hanc peccatricem noluit Apoſtolos eſſe præſentes, ne coram illis manifeſtare deberet mulieris flagitia, præſertim de materia lubrica, ut diſcamus, quanta cum cautela de proximo debeamus ſermocinari, ne illius tangantur vitia, ſed ut ſemper ejus ſtudeamus conſulere honori & pudori: *Ut pudori ejus ſolitudine conſultum eſſet. Grande vitium eſt*, ſubintrat hîc Hieronymus, *detrahere fratribus, tacere non poſſe; circuire cellas, aliis detrahere. Ego peccator ſum, iſte peccator eſt. Quid ad te? te ipſum conſidera, ne cadas. Quid in alterius ruina exultas? nunquid ſi ego cecidero, tu ſtabis? licet ruina mea ſit, ruina fratris timor tuus eſſe debet, non exultatio.* Jo. 4. 6. Salmer. to. 4. tr. 20. S. Hier. in Pſal. 149.

8. Audite, quid hac in re Joseph Ægyptiorum Pro-Rex fecerit. Cùm fratres nunc secundò cum Benjamin frumenti in Ægyptum causâ descenderent, & optimè eos Joseph agnosceret, se tamen ipsis non manifestaret, antequam eos ad colloquium suum familiare admitteret, cunctos priùs Ægyptios, in
Gen. 45. 1. aula sibi tanquam Pro-Regi assistentes, foras egredi jussit: *Præcepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.* Quo facto non ampliùs se poterat cohibere Joseph, sed elevavit vocem cum fletu, quam audiêrunt Ægyptii, omnísque domus Pharaonis, & dixit fratribus suis: *Ego sum Joseph.* Et quare dices, Joseph præcepit, ut omnes priùs ex cubili suo egrederentur Ægyptii, antequam fratres suos in gratiam reciperet? Neque in hoc solo erat contentus mitissimus Joseph, sed mandavit insuper, ut egressis Ægyptiis fratres sui propiùs ad se & thronum suum accederent: *Accedite, inquit ad me.* Et quid, obsecro, illis in aurem dixit? Adverte primam vocem: *Ego sum Joseph,* etiam Ægyptii, qui foris stabant, attoniti audiêrunt; verùm nunc aliud secretum fratribus voluit intimare; & quodnam illud? *Ad quos ille clementer: accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè; Ego sum, ait, Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* Et quare, obsecro, Joseph hîc nullum
Rup. Abbas l. 9. in c. 11. mortalium voluit præsentem? Resp. Rupertus Abbas: *Quia non alienis communicanda erat domestici notitia sceleris* Et Lyranus suprà illud: *Accedite ad me*
Gen. Lyr. hic. *&c. Istud,* inquit, *volebat eis dicere submissè, & ideò fecit eos propè venire, ne Ægyptii audirent proditionem, quam fecerant, & sic eos despicerent.* Collige ex hoc, prudens Lector, quem cautè olim Joseph processerit, ut famam & honorem suorum fratrum, licet proditorum apud Ægyptios, conservaret. Sic & tu age cum fratre & proximo tuo, si peccaverit forte in te, corrige eum inter te ipsum solum, & defectus ejus non aliis manifesta, ne ei apud alios, rem & de-
Jac. 4. 11. fectus ignorantes, detrahas, & sic famam illius minuas, quia, *qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem; non es factor legis, sed judex. Unus est legislator & Judex, qui potest perdere, & liberare; tu autem quis es, qui judicas proximum?*

9. Imitare proindè Dismam, latronem bonum, cùm alterum latronem Hesmam à sinistris in cruce pendentem, & Christo pientissimo Redemptori
Luc. 23. 40 nostro detrahentem audiret, sine mora acriter in eum invectus est: *Increpavit eam dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es; & nos quidem justè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit.* Hoc, inquam, exemplum & nos imitemur; si proximum nostrum ab alio audimus diffamari, promptè illius defensionem & excusationem in nos suscipiamus, illiúsque causam, præsertim si injustè diffamatus est, propriam reputemus, quia
1. Cor. 12. 26. *sumus*, ut ait Apostolus, *invicem membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

Noverat sine dubio incarnata Patris Sapientia & Veritas Christus sacrilegi impiis-

impiissimi Judæ machinationes, quæ & quàm horrenda contra se in pectore coqueret facinora, his tamen non obstantibus cum aliis discipulis ei sordidos pedes abluit, & diviniſſimo epulo eum refecit, ut sic famam illius & honorem apud cæteros Apostolos, quamdiu erat possibile, tueretur. Hoc & dilectus Christi discipulus in ultima cœna fecit; cùm enim mitissimus Salvator ei soli aperiret, quisnam futurus esset traditor, altum ille tenuit silentium ac sigillum: *Hoc autem nemo scivit discumbentium*, ne prædictum traditorem proderet, & sic aliquo modo charitatem proximi læderet. Disce ergo, quisquis es, ò mortalis homo, linguæ tuæ parcere, eámque in discursibus refrænare, ut non canis instar proximum invadat: *Vade*, ait Esdras, *pondera mihi pondus ignis.* Ignis iste lingua nostra est: *Et in labiis ejus ignis ardescit;* & S. Jacobus: *lingua ignis est, universitas iniquitatis;* hanc igitur linguam, priùsquam erumpat in verba detractoria &c. bene ponderare debemus, juxta illud Sapientis: *Verba autem prudentium statera ponderantur.* Coronidem huic nostræ Considerationi imponat Vates ille regius, universo orbi hanc quæstionem proponens: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Et respondet sibi Propheta: *Probibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Hæc considera, & vade in pace.

Jo. 13. 28.

Esdr. 4. 5.

Prov. 16. 27.

Jac. 3. 6.

Eccl. 21. 28.

Ps. 33. 13.

CONSIDERATIO XLII.

De Reverentia, quam DEO in Templo debemus.

Pro Dominica 9. post Pent.

Domus mea domus Orationis est, vos autem fecistis illam spelunca latronum. Luc. 19. 46.

1.

Esther. 3. 2. REspectum ego hodie quæro, respectum. Aman primus Aulæ Minister apud potentissimum Persarum Regem Assuerum ne quidem latum unguem à suo respectu recessit: Quid? dicebat: *Cuncti servi regis, qui in foribus palatii versantur, flectunt genua, & adorant me (sic enim præceperat eis Imperator) & solus Mardochæus non flectit genu, neque adorat me?* Ego docebo illum respectum & punctum honoris, aut hunc mihi deferat, aut pereat cum gente sua: *Stat imq; in Susan pependit edictum. Rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus &c.* Hoc fecit respectus vanus & inanis.

Respectum meum & ego quæro, dicebat quondam Saul licet à Deo justissimo scelerum vindice jam reprobatus. Venerat ad eum Samuel, increpans illum, quòd à Deo jussus delere Amalec, Agag Regi & melioribus jumentis pepercerit, & sic propter inobedientiam se ipsum jure regni privaverit.
1. Reg. 15. 30. Quid ad hoc Saul? *At ille ait: Peccavi; Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël, & revertere mecum, ut adorē Dominum Deum tuum.* Observa, Lector prudens! *Sed nunc honora me coram Senioribus populi mei, & coram Israël.* Omisérum Regem! quamvis à Deo jam esset repudiatus, respectum tamen suum & punctum honoris mordicùs defendit: *Honora me.*

Respectum meum & ego quæro dicebat olim Pharao ad pincernam & pi-
Gen. 40. 2. storem: *Iratúsque contra eos, misit eos in carcerem.* Et quid peccârunt contra Regem? Respondeo, quod propter inobedientiam aliqualiter Regis offenderint respectum, & quia aliorum, prout observat Cornelius, erant præfecti, ne illorum peccatum aliis subditis fieret in scandalum & pravum exemplum, ideò sine mora ad carcerem condemnati sunt. O respectus humanus quanto-

rum

rum es causa scintilla malorum! unde obsecro, tot jurgia & lites, tot duella & bella, tot tumultus & insultus, tot processus & recessus, nisi ex puro puto altùm mentibus humanis impresso respectu? Hoc tangit punctum honoris, hoc concernit respectum meum, connivere non possum, multò minùs ut cedam huic bestiæ? Quid? ego? ego cedam? ita est: *Cædam- - - non cedam: Quos ego* - - - Siste furorem, anime mi; *sed motos præstat componere fluctus.* Ita mundus modernus & antiquus discurrit de vanissimo respectu; sed alium ego hodie quæro respectum, non humanum, sed divinum, & qualem illum? Evangelium audite, Evangelium considerate.

Venerat hodie pretiosissimus orbis Servator Christus ad Olivarium montem, in quo, ubi regiam civitatem Hierosolymam conspicatus & contemplatus est, in amaras lacrymas solutus, ei brevi imminens excidium & interitum prædixit: *Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Intelligitis me, animæ Christianæ, qualem hodierna luce quæram respectum? Respectum templi, respectum domûs Dei, ubi Deus Eucharisticus habitat cum hominibus, hic inquam, respectus apud plerósque Christianos aut perditus aut diminutus est; proinde oportet, ut hunc hodie inquiramus. Qui zelũ honoris Dei & Divini templi ejus habet in se, suámque amat salutem, attentas præbeat aures. Luc. 19. 45

2. Peccaverat quondam Angelus in cœlo, quia Divinæ naturæ appetebat similitudinem: *Similis ero Altissimo.* Peccaverat & primus homo in terrestri paradiso, eandem affectans Divinitatem: *Eritis sicut Dii.* Ex quibus rerum consideranti patet, quòd uterque, & Angelus, & homo, superbiæ peccato in Deum gravissimè deliquerit. Videamus modò utriusque pœnam; in Angelum mox fulminata est irrevocabilis æternæ damnationis sententia: *Veruntamen ad infernum detrahêris in profundum laci*; & S. Petrus: *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Econtra in Adamum primum hominem prævaricatorem longè benignior sententia lata est, dum post admissum crimen Deus in medio paradisi obambulans, eum ad pœnitentiam invitavit: *Adam ubi es?* & quia se reum agnovit, culpam tamen suam palliare, & in fœminam retorquere voluit: *Mulier, quam dedisti mihi &c.* Supra quod S. Augustinus: *Si Adam se non excusâsset, à paradiso non exulâsset*; proinde solo temporali exilio fuit punitus: *Ejecítque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim &c.* Deum immortalem! quid hoc est? si simile delictum, quare non similis pœna; nunquid *pro mensura peccati erit & plagarum modus?* quare ergo Angelus acerbiùs, quàm homo castigatus est? Respondet ad hanc pulcherrimam quæstionem S. Petrus Chrysologus, rationem ex diversitate locorum, ubi uterque peccaverat, esse desumen- Isa. 14. 13. Gen. 3. 5. Isa. 14. 15. 2. Petr. 2. 4. S. August. serm. 99. de SS. Gen. 3. 24. Deut. 2. 5. 2

sumendam; homo in terrestri delinquit paradiso, ubi Deum præsentem non viderat, sed Angelus in cœlo, hoc est, in templo gloriæ, & in conspectu ipsius Altissimi non abhorruit peccare, & sic cœleste templum suo scelere contaminare, hinc nullo asyli jure gaudere poterat, nec spem veniæ impetrare:

S. Chrysol. serm. 26. *De cælo cadit*, ait citatus S. Chrysologus, *in cœlestibus qui deliquit, desperatus diabolus pœnam incurrit, quia in ipsis Dominantis oculis offendit, & excusatione caret, qui facinus ipso Judice teste committit; aut quam defensionem sperat, quem testimonium Conditoris accusat?*

Ex quibus abundè patet, qualis ac quanta sit peccatorum nostrorum enormitas, dum in facie ipsius Dei præsentis in templo peccamus, quia templum Dei sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est: Unde Vates Regius:

Psal. 28. 9. *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Idcirco non immeritò exclamavit Jacob, ubi in somno scalam vidit, cui ipse Deus innitebatur, & Angelos Dei ascendentes & descendentes per eam: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam;*

Gen. 28. 16. *pavénsque, quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hîc aliud nisi domus Dei & porta cœli;* quæ verba S. Doctor Mellifluus considerans, & Ecclesiis Orthodoxorum aptissimè applicans, ait: *Terribilis planè locus & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli Sancti frequentant, quem sua quoque præsentiâ Dominus ipse dignatur;* proinde hîc habendus est respectus, respectus.

S. Bern. ser. 6. dedic. Eccl.

3. Quàm gravi quondam pœna Deus Heli in lege summum Sacerdotem & duos filios ejus Ophni & Phinees corripuerit, satìs luculenter sacræ perhibent litteræ: *Hoc autem erit signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees, in die uno morientur ambo &c.* Et quid in Deum peccârunt Pater & filii? Resp. quia in facie tabernaculi, ubi Arca Dei præsens erat, deliquerunt, dum varias ibidem instituerunt cum oblatis sacrificiis insolentias: *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino*; & quia Heli nimis leniter hos filios suos corripuit, ideò & ipse eâdem mortis pœnâ effectus est. Disce ex hoc in domo Dei, ubi non Arca fœderis, sed ipse Deus Deorum præsens est, cautè ambulare, & Deo ibidem pro omnibus viribus inservire; absint illic omnes insolentiæ, risus, confabulationes, compressiones, mutui præsertim alterius sexûs aspectus &c. quia horum omnium erit severissimus vindex Deus; *Si*

1. Reg. 2. 34.

1. Cor. 3. 17. *quis autem*, ait Gentium Doctor Paulus, *templum Dei violaverit, disperdet ipsum Deus* Supra quod S. Antoninus Archi-Episcopus Florentinus: *Perdet animam suam ad inferos judicando.* O horrendum fulmen!

De Heliodoro constat, quia in deposita sacra jussu Regis in templo Hierosolymitano involavit, quòd ab Angelis severissimè fuerit castigatus, &

2. Mach. 3 26. flagellatus: *Apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, & ex utraq; parte flagellabant sine intermis-*

sione

sione multis plagis verberantes. Et cur, quæso, DEUS in dato casu Angelos adhibuit ministros, qui in impium Heliodorum animadverterent? Quare hanc commissionem non tradidit dæmonibus?

4. Priusquam hanc enodemus quæstionem, oportet pro interim alium non inelegantem considerare, & dilucidare conceptum. Cùm tentator ille generis humani, hostísque capitalissimus diabolus in assumpta humani corporis forma pretiosissimum orbis Redemptorem Christum post quadragenarium in deserto jejunium triplici tentatione aggrederetur, observat Scriptura, quòd Christum super fastigium, seu summitatem templi statuerit: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: si filius Dei es, mitte te deorsum*, quare, dices, infernalis dæmon mitissimum Salvatorem non introduxit in templum ad eum ibidem tentandum? cum eum supra templi statuit pinnaculum? Matth. 4. 5.

Resp. S. Basilius, diabolum non ausum fuisse ipsum ingredi templum, ut illud suis prophanaret tentationibus, sed Christum foris tentavit, ne alii inde sumerent scandalum; ita S. Basilius: *non audet*, inquit, *diabolus tentare Christum in Ecclesia, ubi communis conversio poterat scandalizari &c.* Et tu audes, homo Chrstiane, quod non ausus est diabolus? tune homo Christiane? ergone illum vitiis tuis non abhorres contaminare locum, in quo ipse DEUS habitare solet cum hominibus, & cui *millia millium & decies millies centena millia* assistunt Angelorum? *Quid est*, quærit Jeremias Propheta, *quòd dilectus meus in domo meo fecit scelera multa?* In illa, inquam, domo, de qua David: *In conspectu Angelorum psallam tibi; adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo?* Quandò ergo magis nunc credendum est innumeros in templis nostris esse præsentes cœlestes spiritus, ubi Creator omnium & Angelorum & hominum in throno Evcharistico verè, & realiter residet? *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum.* O Christiani! hoc non vobis cordi sit? S. Basil. in hunc loc. Dan. 7. 10. Jer 11. 17. Psal. 137. 1. & 2. Apoc. 7. 11.

Ex præmissis colliges, anime mi! quare olim DEUS impium Heliodorum sacrosancti templi sui sacrilegum prophanatorem non per dæmones, sed per Angelos voluerit castigari, ratio est, ut ex hoc, & per hoc magis patesceret orbi enormitas patrati sceleris & sacrilegii in templo Solymæo commissi, Angeli enim Ecclesiis præesse assolent, suntque severi & justi prophanatorum Ecclesiarum vindices; hinc non poterant ampliùs sese inhibere, quin in sceleratum involarent, & inveherentur Heliodorum, eumque exquisitis torquerent, & flagellarent plagis. Et quid dico? Si ipse Dominus JESUS sibi fecit flagellum ex funiculis, & vendentes & ementes è templi atrio eliminaret: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis &c.* Quid ni & Angeli domum Dei tutabuntur, & vindicabunt? Joan. 2. 16.

S. Vincent. Ferr. ser. de incarn. t.

bunt? *Hinc apparet*, subintrat hîc S. Vincentius Ferrerius, *quantùm displiceat ei* (Deo) *qui tangit Ecclesiam suam.*

5. Cæterùm sæpiùs hactenus miratus sum, quare Christus, verè mitissimus Dominus notam istam adulteram in flagranti deprehensam, & à Pharisæis accusatam, tam benignè defenderit, atque in foro soli coram populo, & in foro poli coram Deo absolverit, quod patet ex illis verbis: *Vade & jam amplius noli peccare*?

Joan. 8. 11.

Simile quid enarrat Divus Lucas de Publicano adultero cum Pharisæo quondam ad templum Solymæum ascendente. Stabat Pharisæus ille inter primos propè Altare, cervice erecta, oculis ad cœlum intentis orans, & confidens in suis meritis dicebat: *DEUS, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum; raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic Publicanus.* Publicanus autem stabat ad ostium templi à longè pavidus, faciéque in terram dejecta; neque audebat suspicere in cœlum, sed confidens peccata sua, percutiebat pectus suum, dicens: *DEUS, propitius esto mihi peccatori.* Brevis quidem oratio, sed efficacissima, quia *descendit hic justificatus in domum suam*, Pharisæus autem cum omnibus operibus suis reprobatus, & æternum damnatus est. O quàm paradoxa sunt ista! & quæ causa, quòd prædicta adultera in templo, & notus ille Publicanus tam citò à Deo in gratiam fuerint recepti, & è contra Pharisæus æternùm rejectus?

Luc. 18. 11.

Relictis aliis SS. Patrum responsionibus, assigno solummodò istam, quia Pharisæus iste jactabundus in ipso templo coram Arca Dei & Propitiatorio peccavit, ubi se potiùs emendare, & peccata sua humiliter confiteri, & emendare debuerat, hinc justo Dei judicio reprobatus est, ubi adimpletum fuit illud Jesæi Vatis: *Et oratio ejus fiet in peccatum;* mulier autem prædicta & Publicanus nullo modo in templum peccaverant, sed potiùs in animo contrito & verè humiliato ad divinam confugerunt misericordiam, à qua & delictorum veniam & gratiam meruerunt recipere. Collige ex hoc, quo animo sit frequentandum templum, quod est locus refugii, asyli & propitiationis, ita ipsa veritas DEUS ad Salomonem: *Audivi orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificii: Si clausero cœlum & pluvia non fluxerit, & mandavero. & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum; oculi quoque mei erunt aperti & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oravit; elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

Ps. 108. 7.

2. Paral. 7. 12.

6. Vidit

6. Vidit aliquando Prophetarum Princeps Isaias Deum in templo sibi apparentem quasi magnificentissimum Regem & Judicem in splendidissimo ac regali Solio residentem & Seraphim ei acclamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, & ea quæ sub lipso erant, replebant templum: Seraphim autem divinum thronum tanquam alicui stipantes, alis suis ob vultum Dei facies suas velabant, *præintima reverentia,* ait Cornelius, *quòd tantùm divinitatis jubar irretorto oculo aspicere non possent*, ut exinde discamus, quo sacro timore, casto pudore & reverentia ad Deum in throno Evchariſtico residentem in orationibus nostris debeamus accedere. Aliam causam subjungit doctissimus Mansius, quare prædicti Seraphini faciem suam velaverint: *Absconde-bant,* inquit, *pennis alarum oculos suos, quasi erubescentes de abominationibus; quæ committebantur in templo:* de quibus abominationibus fusè refertur ad Prophetam Ezechielem: *Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hîc &c.* O si similes haberemus oculos, prout memoratus Ezechiel, quales, quæso, in nostris templis cerneremus abominationes? Isa. 6. 1. Cornel. hic. Manss. 10. 1. tr. 20. disc. 15. Ezech. 8. 9.

De Simeone Sancto seniculo recenset Scriptura, quòd in Spiritu venerit in templum, ut in hoc sacro loco Deum ac Dominum suum humiliter adoraret, & Christum infantulum cunctis gentibus desideratum in ulnas suas reciperet; nunc multi ad sacras ædes veniunt non in spiritu Simeonis, sed in spiritu ambitionis; non propter Christum, sed propter Lazarum; non propter S. Amantium, sed propter amasium; non propter Martham, sed propter Bertham; non propter Magdalenam, sed propter Lenam; O tempora! O mores! hîc adimpletur illud Amos Prophetæ: *Væ, qui opulenti estis in Sion, ingredientes pompaticè domum Israël.* O mortales! O Christiani! ergo domus Dei facta est vobis in lupanar & in theatrum vanitatis? Vide anime mi, ac perpende, quâ pompâ ac superbiâ potentiores hujus sæculi hodie templum Dei ingredi soleant? quomodo pedes figant, ac quàm ridiculè ad Deum orent? vide modernas matronas, etiam vulgares, quo fastu & syrmatis ostentatione ad Ecclesiam Dei veniant, ut reliquis contemptis ipsæ solæ pavones & pappi esse videantur; & hoc inter Christianos? Luc. 2. 27. Amos. 6. 1.

Tres illi Reges Gentiles, ubi in stabulo Divinum Infantem in præsepio, aut in gremio Matris Virgineæ recumbentem conspicati sunt, superiore spiritu illustrati, mox prono corpore in terram prostrati, eum ut Dominum Deum suum adorârunt: *Et procidentes adoraverunt eum.* O summam Christianorum confusionem! credimus eundem Dei Filium in SS. Evchariſtiæ Sacramento esse realiter in templo præsentem, & tergum illi vertimus? Angeli circumstant Evchariſticum thronum attoniti, & nos ridemus, confabulamur, jocamur? & hoc coram infinita illa Majestate, in cujus nomine omne genu flectitur? & hoc coram supremo Numine, *sub quo curvantur, qui portant orbem?* Matth. 2. 11. Joan. 9. 13.

7. Recordor hîc Regis Anthiochi à vermibus quondam miserandum in modum corrosi, & cum fætore intollerabili in montibus infelicem animam in Orcum expirantis. Rogavit hic quidem à Deo peccatorum veniam, doluit de commissis sceleribus, vota insuper multa sacra fecit si in tantis malis à Deo pientissimo exaudiretur, & eriperetur: sed incassum omnia; mox enim subjungit Scriptura: *Orabat autem hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et quare nullam ampliùs à Deo gratiam efficacem, & hanc finalem impetravit? nunquid immensa Dei bonitas & pietas omnes illos amplectitur peccatores, qui in animo contrito & humilitato ad eum confugiunt? nunquid verum est, quod per os Ezechielis orbi promulgari jussit: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet, & non morietur?* Quare ergo Rex nullam ampliùs à Deo obtinuit misericordiam: *Orabat autem hic sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus?* Causam subjungit Scriptura, quia templum sanctum priùs spoliaverat, & prophanaverat; *intravit enim in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis &c.* Proinde nullo modo mirandum est, quòd à Deo ob prophanatum templum, & violatum Sanctuarium tam horrendo supplicio hîc in vita fuerit castigatus, ac tunc demum æternùm reprobatus. Et nunquid hodie in Sacro Evangelio audistis: *Et ingressus in templum cœpit ejicere vendentes in illo & ementes?* Et quare dicit Evangelista: *Cœpit ejicere?* Adverte mysterium; quemadmodum olim ejusmodi Ecclesiæ violatores & sacrorum contemptores Christus, Judex à Patre constitutus ejecit, & imposterùm ejiciet, ex gratia sua, ex vita & gloria sempiterna: *Cœpit ejicere? Visitabo super omnes, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo.*

Matth. 9. 13.

Ezech. 18. 21.

1. Mach. 1. 23.

Luc. 19. 45.

Sophon. 1. 9.

8. Huic infelici Regi Antiocho adjungo alium & scelerum, & pœnarum socium. Balthasar est, qui, cùm ab hoste Cyro obsideretur, præfisus suis viribus, militibus & urbis munitionibus lautissimum convivium adornavit, in quo mille apparebant Principes ac Optimates, ut sic ostenderet se Persas urbem obsidentes non metuere, imò nec curare. Et ecce cùm unusquisque secundùm suam biberet ætatem, & Rex jam temulentus mensæ assideret: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ; & Rex aspiciebat articulos manûs scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur. &c.* Et quid tibi accidit, triste, o mi Rex! ergo crapula jam evaporata est? quare adeò omnibus contremiscis artubus? quin imò apprehende arma, scutum & gladium, & seca manum istum fatalem, quæ tibi mortis & æternæ damnationis in

Dan. 5. 5.

parie-

pariete ſcripſit ſententiam. Ad quid iſti tres digiti? Reſume animum, mœſtumque mitte timorem. Verum enim verò aliud hîc latet myſterium. R. Lyranus per manum iſtam ſcribentem, & tres ejus apparentes digitos SS. Trinitatẽ fuiſſe præfiguratam: *Scribens*, inquit, *eſt DEUS Pater, manus Filius, nam per Filium omnia operatur: Omnia per ipſum facta ſunt. Joan. 1. Digiti Spiritus Sanctus; unde dicitur: Exod. 8. Digitus Dei eſt hic.* Et quare, dices, ipſa SS. Trinitas huic temulento Regi, mortis æternæ damnationis ſententiam in parietem ſcribere voluit: *Mane, Tecel, Phares?* Cauſam ſubjungit Scriptura, quia prophanaverat ſacra vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus de templo, quod fuit in Jeruſalem, ut biberent in eis Rex, & Optimates ejus, uxorésque ejus & concubinæ: *Inſultabat*, ait S. Hieronymus, *vaſis templi Dei, & ſtatim ultio conſecuta eſt*; unde in eodem convivio peremptus eſt Balthaſar, & Babylon capta. Lyran. hîc.

9. Ite nunc ſacrilegi, ite Eccleſiæ Dei violatores, ite ſacrorum contemptores! Aſſuerus Rex ubi Amanum vidit ſuper lectulum Eſther Reginæ corruiſſe, mox irâ percitus exclamavit: *Etiam Reginam, me præſente, vult opprimere in domo?* proinde illum ſine mora ad crucem condemnavit. Per hanc Eſther Aſſueri ſponſam præſignata eſt Eccleſia Sponſa Chriſti ſummi Regis; væ illi, æternùm væ, qui hanc Reginam præſumpſerit dehoneſtare, & templum Dei prophanare! Eſther. 7. 8.

Nadab & Abihu Aaronis ſummi quondam in lege Sacerdotis filii, cùm aliquando Sanctuarium fuiſſent ingreſſi, ut ſuper altare thimiatis adolerent incenſum, & Deum ſibi ac populo redderent placabilem, ſubitò igne cœleſti afflati interfecti ſunt: *Egreſſúsque ignis à Domino devoravit eos.* Et quid (haud immeritò quæres) hi duo Aaronis filii in Deum peccârunt? nunquid miniſterium ſuum exercebant? nunquid Deum pro ſuis ac populi delictis volebant placare? Cur ergo tanta cum ſeveritate fuerunt puniti? R. Scriptura, quia offerebant coram Domino non ignem ſacrum & de cœlo lapſum, ſed ignem prophanum & alienum, quod eis vetitum erat. O quot ſunt de facto Chriſtiani, qui in Eccleſia Dei in thuribulo cordis ſui non ignem ſacrum, ſed alienum & prophanum Deo offerunt! *Ignis alienus* ait Cornelius *eſt quævis cupiditas, quæ igni ſacro, id eſt, charitati, eſt contraria, charitas enim eſt ignis è cœlo miſſus, & animæ à Deo inditus; ignis verò alienus eſt, cum anima ardet irâ, avaritiâ, luxuriâ, &c.* Apage hunc ignem. Levit. 10. 2. Cornel. hîc.

Finem hunc noſtræ conſiderationi faciat piſcatio Petri & Apoſtolorum, de qua refert Lucas, quòd per totam noctem laborantes nihil cœperint; aſt ubi ad verbum Domini retia ſua duxerunt in altum, ingentem piſcium multitudinem cœperunt, & ne rete rumperetur, piſcésque evaderent: *Annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos.* Obſerva: Luc. 5. 7.

Annuerunt sociis. Et quare non clamârunt ad tam prodigiosam piscium capturam, ut socii sibi venirent in auxilium? cur muti hîc facti sunt omnes? R Dionysius Carth. *Præ reverentia JESU, qui aderat, non audiebant loqui.* Si talem reverentiam erga JESUM habuerunt Discipuli in navicula Petri, quid nos in navi templi, ubi idem JESUS præsens est? Proinde respectus, respectus!

Dionys. Carth. hic.

CONSIDERATIO XLIII.

Cur Preces nostræ sæpè á Deo non exaudiantur.

Pro Dominica 10. post Pent.

Duo homines ascenderunt in Templum, ut orarent, unus Pharisæus, & alter Publicanus. Luc. 18. 10.

1.

ABraham Patriarcharum Princeps ac decus, ut fœdus suum cum Deo de impetrando hærede & filio sanciret, illi in gratiarum actionem vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trinum, turturem quoque & columbam in victimam obtulit. Et ecce dum hæc sacrificia in honorem Dei litabat, advolabant volucres rapaces, invadentes & vellicantes victimas. Et quid ad hoc Abraham? baculum & flabellum apprehendit, quô aves illas prædatrices sacrilegas abegit, ne illas sacras & Deo T. O. M. dicatas victimas macularent, & dilacerarent: *Descenderunt que volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.* Homo Christiane! si ad sacrosanctum te confers Missæ sacrificium, ubi unigenitus Dei Filius pro peccatis totius mundi Deo Patri quotidie offertur; vel si ad horas Canonicas, aut aliam faciendam orationem te componis, attende, Abrahamum imiteris, ejusmodi vellicantes aves & muscas, hoc est, curas carnales & sæculares, omnésque distractiones pro viribus abigas, mentémque ita recolligas, ut nihil in oratione & observatione ad Deum te possit facere distractum. S. Gregorius Magnus ille Pontifex & Doctor Ecclesiæ moralis, per prædictos aves circumvolantes, à Dæmone immissas hominis cogitationes malas rectè intelligit, qui Dæmon nunquam magis videtur esse occupatus, quàm

Gen. 15. 11.

S. Gregor. M. lib. 16. Mor. c. 19.

quàm cùm homo ad Deum preces fundere assolet, ut illarum possit impedire fructum & salutarem effectum: *Sæpè*, ait Sanctissimus Pontifex, *in ipso orationis sacrificio importunæ cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare contendunt. Unde Abraham cùm ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves ne oblatum sacrificium raperent, studiosè abegit. Sic nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quòd mens nostra offerre se Deo utiliter sperat.*

Et hoc est, quòd hodie Christus in sacro Evangelio de oratione Pharisæi & Publicani proponit exemplum. Pharisæus ingentem præseferebat in oratione sua virtutum perfectionem, quasi jam summum Sanctitatis attigisset gradum: jejunabat sæpiùs, humi dormiebat, decimas persolvebat, bona sua egenis impertiebatur, longo tempore in sacco & cincere sedebat, Deo secundùm faciem gratissimus; & quid tandem meruit? cum his omnibus bonis operibus, ait S. Chrysostomus, naufragium passus est, & Publicano humilis & contrita criminum accusatio facta est criminum remissio: *Venerunt*, inquit, *duæ naves habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, sed Publicanus pulchrè in portum appulit, Pharisæus autem naufragium perpessus est, ut disceret, quantum malum sit animi tumor.* Disce ex hoc, quomodo ac qualiter in oratione te habeas, ut preces tuæ à Deo exaudiantur; imitare proinde non arrogantem Pharisæum se ipsum potiùs quàm Deum laudantem, sed humilem Publicanum præ verecundia, & animi contriti dolore, nec supercilia sua ad cœlum levare audentem, hinc summa cum submissione percutiens pectus suum dicebat: *DEUS propitius esto mihi peccatori.* Vide hîc, ac perpende orationem quidem verbis brevem, sed sensu & efficaciâ magnam, quam ideò Christus hîc expressit, ut nos doceret modum ad Deum bene & fructuosè preces fundendi, quas si non statim exaudit, exaudiet tamen illas in tempore opportuno. Quæ veritas mihi hodie ansam præbet examinandi ulteriùs causas & rationes, quare subinde mitissimus DEUS preces nostras non exaudiat; habeo hîc opus flagello Abrahami, quibus aves & muscas circumgyrantes mentisque evagationes dispellamus. Agite, rem magnam tracto, attentionem magnam requiro.

S. Chrysost. 4. de verb. Isa.

Luc. 18. 13.

2. Venerat aliquando ad pretiosissimum orbis Redemptorem in hac mortali carne versantem centurio quidam sectâ gentilis, professione verò miles, homo, ut paucis loquar, egregiùs; & quia servum habebat fidelem sibi, sed nunc gravissima paralypsi affixum lecto, & proximum letho, ideò pro illius salute compassione, & charitate motus Dominum impensè rogare cœpit: *Rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Ad quam insinuationem & primas preces mitissimus Dei

Matth. 8. 5.

Filius

Filius sine mora in propria persona ad accedendum, & curandum istum infirmum se obtulit: *Et ait illi JESUS: Ego veniam, & curabo eum*; quod tamen ex singulari animi humilitate Centurio ille non permisit, indignum se reputans, ut talis ac tantus hospes pedem in domum suam inferret: *Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus, &c.*

Ad Regulum in Capharnaum venio, ad eundem orbis Servatorem pro salute filii sui, lethaliter tunc ægrotantis, accedentem, & demissè eum rogantem, ut in propriâ persona dignaretur ad domum suam descendere, filiúmque suum, unicum patris deliciolum è mortis faucibus eripere: *Rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus incipiebat enim mori.* Quid ad hanc orationem exspectas responsi? *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Et quare Dominus hunc Regulum increpavit? quare ad domum ejus ire noluit, licet impensissimè rogaretur: *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus*? ad servum centurionis visitandum ultrò se obtulit: *Ego veniam, curabo eum*; Regulum verò vix responso dignatus est. O bone DEUS! quàm paradoxa sunt ista, & mundi stylo contraria!

Joan. 4. 47.

Observa hîc, prudens lector, utriusque orantis discrepantiam; Centurio plenus fide oravit Dominum, credens firmissimè, Christum esse Deum ac hominem, atque Messiam Judæis quondam promissum, proinde omnem spem & fiduciam recuperandæ sanitatis in illo collocavit; Regulus verò in fide & spe multum vacillavit: *Accessit ad eum*, ait Dionysius Carthusianus *non credens, sed tentans, volens experiri, quis aut qualis esset, & quantùm posset*, hinc meritò à Christo reprehensus, & alter vicissim à Christo laudatus est: *Amen dico vobis: non inveni tantam fidem in Israël.*

Dionys. Carth. in hunc. loc.

Ex quibus collige, anime mi! qualis fides & spes requiratur ad orationem tuam, ut à Deo mereatur axaudiri & respici: *Postulet autem in fide*, ait S. Jacobus, *nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur; non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino*; ita hæsitavit quondam Hebræi populi Dux & Legifer Moyses, ubi plebi rebelli ex durissima petra aquam deberet producere: *Num de petra hæc poterimus vobis aquam ejicere?* hinc ibi in deserto morte punitus est, nec terram permissus ingredi desiderabilem. Sic hæsitavit & Petrus, ubi supra maris fluctus ambulans ventum validum advertit, jamjam in profundum mergi cœpit, unde à Christo audivit: *Modicæ fidei, quare dubitâsti?* Quare si vis fructuosè orare, priùs *ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*, per orationem enim, quæ sine vera intentione, & fide cum fastidio & tepiditate peragitur, non tam DEUS placatur, quam ad iram provocatur; hinc talis orans à Jeremia dicitur: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*; Septuaginta legunt: *negligenter*; proinde

Jacob. 1. 6.

Num. 20. 10.

Matth. 14. 31.

Eccl. 18. 23.

Jer. 48. 10.

priùs

priùs cum centurione humilia animam tuam, excitando firmam in Deum fidem ac fiduciam; dic cum Apoſtolis: *Adauge nobis fidem.* Et cum patre lunatici: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Luc. 17. 5. Marc. 9. 24.

3. Sed progrediamur ulterius. Non eſt illa Evangelica parabola de decem virginibus, quinque fatuis, & quinque prudentibus, quæ à ſponſo peramicè ad nuptias fuerunt invitatæ. Et ecce, cùm medium ſilentium tenerent omnia, & nox in medio ſuo curſu eſſet, clamor factus eſt: *Ecce Sponſus venit, exite obviam ei.* Ex quibus prudentes virgines ſine mora cum accenſis lampadibus ad excipiendum ſponſum ſeſe parârunt, quæ ſine ulteriori difficultate ad cœleſtes illas nuptias fuerunt admiſſæ. Tandē venerunt & reliquæ virgines, pulſantes cœli januas, & clamantes: *Domine, Domine aperi nobis.* Sed nihil cum vacuis ſuis lampadibus impetrârunt miſeræ: *Amen dico vobis, neſcio vos.* O Domine, quare tam durus & aſper erga has fatuas extitiſti virgines? Matth. 25. 6.

Ad magis elucidandum hunc Scripturæ locum inſervit nobis, quod idem orbis melioris Reparator Chriſtus enarrat de homine quodam egeſtatis tempore media de nocte fores amici ſui pulſante, & tres panes ad refocillandam animam ab eo flagitante: *Amice, commoda mihi tres panes,* qui prima vice loco reſponſi ab illo patrefamilias accepit, quòd non poſſit ſurgere, & dare panes deſideratos, ne expergefaceret filios, totámque turbaret familiam. Sed quia importunus ille amicus & pulſando & clamando perſeveraverit, tandem panes, quotquot habebat neceſſarios, ab illo recepit. Luc. 11. 5.

Siſte hîc, anime mi! & conſidera, quare virgines illæ fatuæ de nocte media cœli fores pulſantes à Sponſo fuerint repulſæ, & hic homo importunus de media nocte impulſando & rogando exauditus? Rationem aſſignat Chriſtophorus Vega ſequentem: *Excluduntur,* inquit, *virgines, non quod aliquid mali fecerint, ſed quòd in ſua petitione & deprecatione non perſtiterint;* debuiſſent enim conſtanter in oratione ſua perſeverare, ſed, quia mox deſperârunt, à Sponſo rejectæ ſunt. Econtrariò homo ille & amicus egenus, cui panis defecerat, conſtantiſſimè in oratione ſua opportunè, & importunè perſeverans ad votum exauditus eſt. Ex quibus rerum conſideranti abundè patet, quòd Deus velit, ut in orationibus noſtris usque ad importunitatem ſimus perſeverantes, & magno apud eum inſtemus affectu, pulſando, cantand, plorando, urgendo, dolendo, & quaſi Deum ad dandum cogendo: *Hæc vis*: ait Tertullianus, *Deo grata eſt*; proinde nunquam cadamus animo, licèt non ſtatim, imò per plures annos in orationibus noſtris non exaudiamur: *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Christoph. Veg. in cap. 1. Jud. §. 15. n. 93. Tertull. lib. de orat. Matth. 11. 12.

4 Pro confirmatione hujus veritatis alium ponderemus Scripturæ locum. David Iſraëlitarum Rex, ubi culpam ſuam ob admiſſum adulterii & homicidii crimen agnovit, veniámque à Deo per humilem confeſſionem impetra-

vit, mox triste hoc nuntium ab aulicis accepit, parvulum ex Bethsabee natum febri, aut alio corporis languore lethaliter decumbere. Quid hîc agit, solicitus pater? deprecatur Dominum pro parvuli hujus salute, orat instantissimè, & non sine lachrymis, jejunat rigidè, humi cubat, nec cibum capit præ animi amaritudine, ut sic faciliùs à Deo vitam ulteriorē huic filio suo impetret. Sed incassum omnia; die enim septima ab ægritudine, quæ à Medicis critica appellatur, & ordinariè ægrotantibus periculosior esse solet, me-
2. Reg. 12. 16. moratus parvulus vitâ excedit: *Deprecatúsque est David Dominum pro parvulo &c.* Et quid sequitur? *Mortuus est puer.* Bone Deus! quare non exaudisti tam humiles Regis Davidis preces? nunquid cor contritum & humiliatum, Deus despicies?

Observa hîc prudens Lector, peculiarem Divinæ bonitatis providentiam. Parvulus iste per illicitum amplexum progenitus, filius extitit peccati, scelerísque paterni objectum, fuisséque patri per omnem vitam opprobrio & dedecori, quem omnes subditi, & fortè extento etiam digito notâssent: *Ecce, hic ille nothus est, quem Rex noster ex illicito thoro progenuit &c.* Ne ergo à tali spurio nomen Davidis infamaretur, & subditi scandalizarentur, Deus illum immaturâ morte sustulit in summum bonum parvuli, quia accepta circumcisione adhuc salvatus est, & in majus bonum Davidis ac totius Regni, quia paulò post benignus Deus alium legitimum, & longè præstantiorem filium, vide-
Theod. hîc Hugo hîc. licet Salomonem illi dedit. Ita pulcherrimè glossatur Theodoretus apud Cornelium: *Sic enim consultum fuit famæ & honori Davidis &c.* Et Hugo Cardinalis: *Exauditus*, inquit, *est Rex ad utilitatem, quia filius malus forsan evasisset &c.*

O miseri mortales! dicite, quid nonnunquam in orationibus vestris à Deo petitis? hic pro corporis sui salute supplicat; ille pro sanitate uxoris aut filiorum; hic pro conservandis pecoribus, alius pro frugibus: iste pro familia & villa, alter pro impetrando beneficio aut officio; alius denique pro alia re & munere, in quem finem etiam vota faciunt, & ad loca sacra ac remota excurrunt, & tamen à Deo nihil accipiunt. Cur, obsecro, ò bone Deus! horum supplicantium preces non semper soles exaudire? quænam causa tot
Jo. 16. 23. irritarum orationum? An non vera est Christi promissio? *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Audite à S. Jacobo fratre Domini respon-
Jacob. 4. 3. sum: *Petitis*, inquit, *& non accipitis, eò quòd malè petatis.* Sic infans cultrum à matre petit, quo se sauciat; sic æger in febri maligna ad frigidam anhelat, donec recidivus fiat, & pereat; Sic homo phreneticus vincula rumpens libertatem quærit, quâ obtentâ in aquis se submergit &c. Ita & nos miseri ex cœca nostra voluntate & concupiscentia sæpè noxia animæ petimus, quæ Deus nobis justè & misericorditer negat, ut per hoc summam suam ostendat clementiam ac providentiam, utpote qui nobis malum velle non potest, sed

omnia

omnia ſuaviter ordinat in ſuum finem. Ita S. Iſidorus: *Multos*, inquit, *Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad ſalutem.* Proinde in omnibus rebus orandum erit: Fiat voluntas tua, mi Domine, non noſtra cæcutiens, perverſa & ignorans voluntas, ſed tua fiat, ò mi Deus! S. Iſidor. l. 3. de ſummo bono. c. 7.

§. Tranſeamus ad Aulam regiam ſapientiſſimi Salomonis. Et quid video? Ecce, Regina Bethſabee mater Regis cum ſuperbo comitatu & ornatu primam & publicam à filio recens regnante expoſcit audientiam; excipitur talis mater, prout talem decebat filium, qui illi de throno ſurrexit in occurſum, adoravit eam ſe ipſi inclinando, filialem exhibendo reverentiam, quam & juxta ſe ad dexteram in throno collocari voluit. Quibus peractis, prout in aulis fieri aſſolet, ceremoniis, ad Regem converſa mater: *Petitionem*, inquiebat, *unam parvulam ego deprecor à te; ne confundas faciem meam.* Et quid eſt, ſubjungebat Rex, quod à me petis, Mater? non enim fas eſt, ut avertam faciem tuam: ad quod Regina: *Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.* Fulmen hæc erat petitio in auribus Salomonis; proinde mox in Adoniam fratrem ſuum hanc capitalem ferebat ſententiam; *Vivit Dominus, ----- quia hodie occidetur Adonias.* Et quare, obſecro, preces hujus Reginæ à filio non fuerunt exauditæ? cur matri tam dilectæ ejusmodi probroſam intimavit repulſam? 3. Reg. 2. 20.

Priusquam hunc S. Scripturæ ſolvamus conceptum, & dilucidemus myſterium, ad novum teſtamentum tranſeamus oportet. Salome mater filiorum Zebedæi paulò ante Dominicam paſſionem venerat ad orbis Salvatorem, eum adorans, & petens ab eo: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo;* putabat enim illa mulier, Chriſtum poſt mortem & reſurrectionem ſuam illicò in Iſraël regnaturum; quid ad hanc orationem Dominus? non matri, ſed filiis reſponſum fert: *Neſcitis, quid petatis*; & ſic illam matrem & filios dimiſit inanes. Et quare hoc, amantiſſime JEſu, an non ipſe dixiſti: *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis?* nunquid hæc mater Jacobi & Joannis optimè de te merita fuit, dum multas ad ſuſtentationem Apoſtolicæ tuæ familiæ ſubminiſtravit eleemoſynas? his tamen non conſideratis petitionis ſuæ ingratam retulit repulſam; & quæ cauſa, quòd Deus & homo Chriſtus & matris & filiorum ſubornatas preces non exaudierit? Reſpondet S. Paſchaſius, quia dicta mater pro uno filio cœleſte Regnum, & pro altero æternum væ & damnationem poſtulavit; ad dexteram enim in judicio ſtatuentur juſti, & ad ſiniſtram reprobi, hinc ipſa non intellexit, quid oraret, & peteret: *Nunquid non audiſtis*, ſubintrat in hunc Scripturæ locum S. Paſchaſius, *quod, qui à ſiniſtris erunt, maledicti erunt & reprobi? idcirco vos vocavi de ſiniſtris ad dexteram* Matth. 20. 21. Marc. 11. 24. S. Paſchaſ. hic. in Matth.

teram, ut semper in dextris permaneatis: & quid est, quòd vos vestro consilio rursus recurrere vultis ad sinistram:

Et hæc, vel similis ratio pugnat etiam pro solutione prioris argumenti & conceptûs de Bethsabee Regina, quare in oratione sua, dum pro Adonia Re-
3. Reg. 2. gem & filium Salomonem intercessit: *Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor*, nihil impetraverit, causam subministrat ipse Salomon: *Postula ei Regnum*, supra quod ita commentatur Cornelius: *Si postulas Abisag dari uxorem Adoniæ, postulas ei regnum; ipse enim ambit uxorem patris nostri Regis Davidis, ut per eam quasi reginam elevetur in celsitudinem regiam, fiátque Rex; præsertim, quia ad hoc ei auxiliantur Abjathar Pontifex, & Joab Dux militiæ &c.*
20. Cornel. hìc

En genuinam causam, quare Salomon preces matris suæ non exaudierit, quia sibi, ipsíque matri & regno universo summè fuissent noxiæ; ex his enim nuptiis illicitis, & juri naturæ repugnantibus extortæ fuissent rebelliones, contentiones & bella cruentissima; hinc rectè oratio Bethsabee non fuit exaudita. O Christiani; quid hoc calamitoso tempore in orationibus nostris à Deo petimus? *fiat pax in virtute tua &c.* Et tamen interim pacẽ Deo non permittimus, non servamus, dum eum quotidie per enormia peccata ad justam provocamus vindictam. Verum est, multæ fiunt in regionibus nostris orationes, publicæ instituuntur supplicationes, preces adduntur precibus, prædicantur jejunia, & eleemosynæ commendantur largiores &c. His tamen non obstantibus continuant bella, ac crescit annonæ caritas, & ingeminantur flagella; ò infelices nos! peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non
Osea. 13. 9. vitamus; quid proinde mirum, si & nobis dicatur: *Perditio tua ex te Israël; tantùm in me auxilium tuum.* Hic verificatur illud Isaiæ: *Cùm extenderitis*
Isa. 1. 15. *manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Vis nôsse hujus aversionis causam? *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt;* & quali sanguine, dices? citò dico, sanguine Domini
Hebr. 6. 6. nostri JEsu Christi, quem quotidie per peccata nostra crucifigimus: *Rursum crucifigentes sibimet Filium Dei.*

6. Nolo tamen per hoc, animæ Christianæ, ut despondeatis animum, vivit enim adhuc gratiarum Dominus, qui non sinet preces vestras omnino esse irritas. Audite casum & factum prorsus admirandum. Venit mitissimus Redemptor JEsus in regionem Gergasenorum, ubi ipsi per desertum eunti vir quidam energumenus, qui ab integra dæmonum legione possidebatur, ex sepulchris mortuorum occurrit, qui ruptis vinculis ad Christi pedes procidens eum liberè Filium Dei altissimi professus est; interrogavit autem illum Do-
Luc. 8. 30. minus: *Quod tibi nomen est?* ad quod diabolus primarius ex energumeno respondit: *legio*; hoc est, sex millia dæmonum, cœperúntque mox hi dæmones rogare Dominum, ut in gregẽ porcorum introire permitterentur: *Et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi.* Et quid factũ est? *Et permisit illis.*

Exie-

Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos; & impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, & ſuffocatus eſt. O pientiſſime Domine, quid hoc eſt? non me capio ampliùs hîc præ admiratione tam inſoliti eventûs.

Videamus interim, & perpendamus, quid gentium Doctori S. Paulo acciderit; de hoc recenſent ſacræ paginæ, quòd vehementi carnis ſtimulo ſæpiùs fuerit tentatus; audi ipſum loquentem: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Erubuit vir optimus juxta ac ſanctiſſimus ob importunum hunc & domeſticum hoſtem in propriis viſceribus latentem; in quem finem Deum T. O. M. frequenter rogavit, ut ab hoc moleſto ſtimulo liberaretur: *Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me.* 2. Cor. 12. 7. Et quid per orationem ſuam impetravit? Reſpondeo: Nihil, quia ab hac carnis moleſtia & tentatione liberatus non eſt, ſed ſolum hoc Divinum reſponſum accepit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* O bone JEſu! verè judicia tua abyſſus multa; cur, quæſo, preces diaboli infenſiſſimi inimici tui exaudiſti, & dilectiſſimum hunc Apoſtolum tuum, quem ipſe in vas electionis aſſumpſiſti, ne quidem attendiſti?

Ad hanc quæſtionem eleganter reſpondet S. Gregorius Magnus: *Paulus inquit, non exauditur, quia ſi liberaretur à tentatione, ei non prodeſſet ad ſalutẽ;* S. Gregor. M. Hom. 27. nã hæc ipſa tentatio ſanctiſſimo huic Apoſtolo ſtimulus omniũ virtutũ fuit, ut in propria virtute & vitæ ſanctitate non confideret, ſed ſolummodò de Divino auxilio & infirmitate ſua gloriaretur: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut habitet in me virtus Chriſti &c.* Econtra dæmon in oratione ſua à Chriſto, *exauditus eſt*, ſubintrat hîc S. Auguſtinus, *ad voluntatem, ſed ad damnationem*, dum mox ſubmerſo porcorum grege in abyſſum inferni præcipitatus eſt. S. Auguſt. tr. 7. in ep. S. Joan.

7. Diſce ex his hactenus adductis argumentis, quomodo impoſterùm ad Deum orare debeas. Pro exemplo tibi ſit Adomarus homo pius ac honeſtus, ſed oculorum lumine privatus; qui, cùm de prodigiis S. Vedaſti Epiſcopi Atrebatenſis audîſſet, magno impetrandæ ſanitatis deſiderio accenſus ad ſepulchrũ hujus S. Antiſtitis adduci voluit, ubi Deum humiliter rogavit, quatenus per interceſſionem hujus Divi oculorum lumen & uſum ſibi dignaretur impertire. Et ecce miraculum, in momento videt Adomarus, & lætus perſoluta gratiarum actione domum revertitur. Sed paulò poſt, ubi rem attentiore mente perpendit, an benè vel malè orâſſet, & an hic luminum uſus ad ſalutem animæ ſibi expediret, de novo Deum rogare cœpit: *Mi Domine*, inquiebat, *humiliter obſecro te, ſi hæc res ſaluti animæ meæ minùs conducit, redeat priſtina infirmitas, meliùs enim mihi eſt, cæcum intrare in regnum cœlorum, quàm duos oculos habentẽ mitti in ignẽ æternum.* Dixit, & in puncto rediit oculorũ caligo & cæcitas priſtina. O fortunatum Adomarum, cujus cæcitas & infirmitas magis ad æternã ſalutẽ, quàm optata corporis ſanitas & oculorum uſus profuit. Diſcite ex hoc, mortales omnes, quo animo, & qua intentione ad Ex vita. S. Vedaſt. Ep.

Deum orare debeatis. Discite imitari Abrahamum, qui ad montem Moria ascensurus, ut ibidem ad Deum impensiùs oraret, & in holocaustum ipsum suum offerret unigenitum, priùs ad radices montis servos suos & asi-
Gen. 22. 5. num exspectare jussit: *Exspectate hîc cum asino &c.* Hoc fac & tu ad orationem te paraturus, relinque priùs domi tuum asinum & omnes curas superfluas. Imitare in oratione Jacobum per violentiam precum benedictionem ab Angelo extorquentem: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Sic & tu per preces tuas cœlo vim infer, nam violenti rapiunt illud. Imitare denique pretiosissimum Redemptorem tuum in monte Olivario in faciem procidentem, & prolixiùs ad Patrem orantem: *Fiat voluntas tua &c.* Ita, inquam, & tu age, homo Christiane, non petendo, quod caro, aut mundus concupiscit, sed quod placet Deo: *Verè*, ait S. Augustinus, *novit rectè vivere, qui rectè novit orare.*

Matth. 26. 42.
S. August. hom. 4.

CON-

CONSIDERATIO. XLIV.

De recta intentione operibus noſtris præfigenda.

Pro Dominica 11. poſt Pent.

Suſpiciens in cælum, ingemuit. Marc. 7. 34.

I.

DE aquila reipublicæ volucrum pennatarum Regina recenſet magnum ac fulgidum Orthodoxæ Eccleſiæ jubar Auguſtinus, quòd non duntaxat irretorto oculo fulgentiſſimum aſtrorum Principem & mundi oculum, ſolem contemplari, ſed & proles ſuas ex ungue in aëre ſuſpendere, radiiſque ſolaribus opponere ſoleat. Quæ ergo inter illas ſolis radiantis ſplendorem fixis excipit oculis, hanc ut prolem ſuam agnoſcit legitimam; quæ autem acie palpitaverit, iſtam, ut partum ſpurium ab ungue dimittit, & ad petram præcipitat. Simili ferè modò Deus T. O. M. filios ſuos adoptivos probare aſſolet; illos, qui firmè hunc Divinum juſtitiæ ſolem per rectam intentionem (omnia ad Deum referendo) contemplantur, ut filios ſuos legitimos, & ad æternam gloriam electos agnoſcit; qui autem in dirigendo ad Deum rectam intentionem palpitaverint, eos non ſolùm dimittit inanes, ſed ad tartarum ablegat. Ex quibus patet, quòd veri & electi Dei filii ex bona intentione, quam ſuis præfigere ſolent operibus, præ reliquis ſpuriis & adulterinis dignoſcantur. Eſt autem recta intentio ſecundùm mentem D. Thomæ Aquinatis non aliud quàm *actus voluntatis, quo actiones hominis ad finem ſupernaturalem diriguntur.* S. Auguſt. tr. 36. in Jo. S. Th. 1. 2. q. 12 a. 1. ad 3.

Talis intentio recta eſt regula, ſecundùm quàm omnes actus noſtros ad Deum, tanquam ad ultimum noſtrum finem dirigamus; & quemadmodum artifices, architecti, ac præſertim fabri murarii & lignarii in extruendo ædificio ſemper ſuam regulam, & perpendiculum, vel amuſſim ad manus habere ſolent, quæ inſtrumenta, ne vitium in ſtructura committant, ſæpiſſimè conſulunt, & applicant; ita & nos oportet in actionibus noſtris infalſibilem regulam ac perpendiculum, hoc eſt, bonam intentionem ad Dei nutum ac beneplacitum ſemper applicare, & præfigere, ut in omnibus honorificetur, & laudetur benedictus Deus; unde Paulus gentium Doctor: *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: Omnia in Dei gloriam facite.* 1. Cor. 10. 31.

Et

Et hoc est, quod in hodierno Evangelio Veritas Christus nobis abundè insinuavit, dum in sanando muto & surdo priùs in cœlum oculos suos ad Patrem levavit: *Et suspiciens in cœlum, ingemuit.* Supra quod egregiè B. Albertus M. *Docet nos*, inquit, *ad cœlum dirigere intentiones nostras, cùm aliquid volumus impetrare*; Ita & Josaphat quondã fecit, qui in gravi necessitate constitutus ad afflictum populum peroravit: *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*; de qua veritate & recta intentione omnibus ad obtinendam æternam salutem perneccssaria, plura in præsenti dilucidabimus.

Marc. 7. 34. B. Albert. M. hîc. 2. Par. 20. 12.

2. *In Principio*, non æternitatis, non ævi, sed temporis, *creavit Deus cœlum & terram*, & intra sex dies omnia opera eorum, ubi Deus cuncta à se creata laudavit opera: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Cùm verò veniisset ad creationem hominis, quem produxit de limo terræ ad imaginem & similitudinem suam, ipse solus à Deo remansit illaudatus; non enim hîc additum est: *Vidit Deus, quod esset bonum.* Grande hîc latet mysterium, quòd omnia à Deo laudentur creata, & solus homo non laudetur? Respondet ad hanc pulcherrimam quæstionem S. Ambrosius, quia pulchritudo & bonitas aliarum rerum corporalium & animalium tota est posita in exteriori, & quod in oculos incurrit, non autem in perfectiori esse & intrinseco, ac propterea eos statim laudavit Deus; Atqui bonitas, perfectióque hominis non est in isto esse extrinseco & apparente, sed in interiore, juxta illud Psal. 44. Omnis gloria filiæ ab intus, hinc homo laudatus non est ab extrinseco, sed laudari debet ab intrinseco, quod est potissimùm ejus intentio; quidquid enim agant homines, intentio judicat omnes. Ex quibus luculenter patet, rectam & simplicem hominis intentionem esse radicem ac fundamentum bonitatis, perfectionis & omnium actionum humanarum apud Deum aliquid suo modo promerentium.

Gen. 1. 10. S. Ambros. l. Just. Virg. ad Eus. c. 9.

Et hoc est, quod Divinus ille Sponsus dilectæ suæ sponsæ intimavit: *Vulnerâsti cor meum, soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum.* Et quomodo dices, *in uno oculorum tuorum*? Adverte: Jaculator, ut meliùs ac certiùs suum attingat scopum, sinistrum oculum claudit, ac solum dexterũ aperit, ut non tantùm intensior reddatur visus, sed & ne hinc inde cum sclopeto aut sagitta vagando à meta præfixa aberret. Non absimili modo Sponsa illa dilecta, hoc est, fidelis anima sinistrum oculum erga mundana, terrena & illicita occludere debet, & solo dextro ad scopum suum, hoc est, ad cor Dei collimare, quod fit per veram, simplicem, ac rectam mentis intentionem, omnia videlicet opera sua ad hunc ultimum finem dirigendo, unde ait dilectus: *Vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum.* En anima Christiana habes hîc modum, quomodo in omnibus intentionem tuam ad DEUM referre debeas, & *si oculus tuus* (hoc est intentio tua) *fuerit simplex*

Cant. 4. 9.

Mat. 6. 22.

simplex, totum corpus tuum lucidum erit, quod enim est corpus sine anima, hoc est actio tua sine bona intentione. Juvat hîc audire primum Venetorum Patriarcham S. Laurentium Justin. *Omnes Christi servi*, inquit, *Deo placere cupientes, primordia diei & actionum conentur consecrare Altissimo, quatenus cætera secutura opera à suo non declinent principio. Quapropter mox ut somno evigilant, semper cor suum erigere intendant; prima vox, prima cogitatio, primus affectus Divinam resonet laudem, ignitam ad Deum dirigat supplicationem, & illi se sincero corde permittat, qui valet potenter de imminentibus periculis liberare.* Verùm pergamus ulteriùs in Thesi nostra. S. Laurent. Just. lib. de disc. cap. 10.

3. Post creatum cœlum & terram, cùm tenebræ adhuc essent super faciem abyssi, placuit SS. Trinitati eodem adhuc die producere lucem, sine qua omnia creata & creanda mansissent invisibilia: *Dixítque DEUS: Fiat lux.* Et quæso sodes, quæ utilitas fuisset in mundo sine luce? tolle solem, & omnia cæca erunt, hominésque, quasi talpæ inter atras caliginis umbras oberrabunt. Collige ex hoc, anime mi, pro te sensum moralem, quod enim macrocosmus, seu mundus magnus est sine luce, hoc est & microcosmus, id est, mundus parvus, qui est homo, absque recta intentione; ita quoque ait doctissimus Mansius, nisi opera nostra à recta intentione, & in fine bono lumen accipiant, tenebrosa, infructifera, imo & sæpiùs tenebris infernalibus digna erunt; unde rectè monet Apostolus, dicens: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione; sed induamini Dominum JESUM Christum*, ad quem semper nostra dirigatur intentio. Gen. 1. 3. Manss. to. 2. tr. 37. dis. 7. Rom. 13. 12.

De pretiosissimo orbis Salvatore recenset D. Lucas, quòd inter alia discipulis suis mandaverit, ut lumbos suos præcingerent, & lumen in manibus gestarent: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Per quod incarnata Patris Sapientia insinuare voluit, ut simus tanquam viatores semper expediti ad iter in cœlum, & ad bona opera, quia adhuc grandis nobis restat via. Sed quod etiam requisierit, ut ardentes in manibus lucernas teneremus, utiq; nonde materialibus locutus est lucernis, quæ in clara & meridiana luce nobis essent inutiles, sed potiùs locutus est Christus de lucernis moralibus, hoc est, de recta intentione, quam semper nostris operibus & actionibus præfigamus. Juvat hîc audire Lyranum: *Lucerna*, inquit, *hîc accipitur pro intentione recta: includit enim lumen fidei & ardorem charitatis, ad modum lucernæ ardentis. Sicut lucerna in alto posita illuminat ea, quæ sunt in domo materiali, sic intentio recta, ea quæ fiunt & disponuntur in domo Ecclesiæ, & etiam in domo Conscientiæ;* quis enim posset dijudicare, an hæc vel illa actio esset bona ac meritoria, nisi recta intentio ad Deũ, velut ad ultimũ finẽ ordinata faceret bonã? bona quidẽ est oratio cum eleemosyna & jejunio Luc. 12. 35. Lyran. hîc.

nio &c. sed si recta non influit intentio, quid apud Deum valebunt? *Bonum est sal. Si autem Sal evanuerit, in quo condietur? neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.* Per hoc sal bonam intentionem intellige, sine quo omnia opera tua apud Deum erunt insipida & inutilia, & ad nihilum valent ultra, nisi ut mittantur foras &c.

Luc. 14 3.

4. Moyses quamdiu virgam suam stupendorum prodigiorum operatricem, manu tenuit, & in cœlum levavit, virga eadem prodigiosa permansit; ast ubi illam à se se in terram projecit, mox in horridum anguem mutata est: *Et versa est in colubrum.* Huic virgæ Mosaicæ non absimilis est nostra mentis intentio; quamdiu eam tenemus in manibus, hoc est, in opere & actione, omnia ad Deum referendo, manet & manebit virga prodigiosa, & opera nostra cœlesti præmio digna; sin autem eam in terram incurii abjicimus, & propter alium finem terrenum, vel ob applausum, aut respectum humanum agimus, manebit virga venenata. Hinc non immeritò à dulcissimo Sponso suo Sponsa illa dilecta in Epithalamio comparata est ejusmodi virgæ: *Sicut virgula fumi.* Supra quod ad propositum nostrum peraccommodè Richardus à Victore: *Virgulæ*, inquit, *comparatur Sponsa propter intentionis puritatem & proficiendi velocitatem.*

Exod. 3. 4.

Cant 3. 6. Rich. à S. Vict. hîc.

De eadem Sponsa commemorat Scriptura, quòd aliquando dilectum suum candidum & rubicundum, atque electum ex millibus ex eo commendaverit, quòd caput aureum habere soleat: *Caput ejus aurum optimum.* Et quomodo, quæres, caput Sponsi poterat esse aureum? an fortâsse, quia cœsaries illius fuit aurea, aureisque inspersa ramentis? an quia comæ illius fuerunt fulgidæ, & instar auri speciosæ? an quia caput illius aureo erat redimitum diademate? Verum hîc inquiro rationem moralem. S. Antoninus per caput illud aureum veram & rectam subaudit intentionem: *Caput enim designat intentionem; quia sicut caput est principium corporis, ita intentio principium operis*, nec valet opus aliquod sine recta intentione. Hinc David ait: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Supra quod appositè prædictus Hugo à S. Victore: *Oculos*, inquit, *ad Dominum semper habet, qui per intentionem ad amorem Dei dirigit omne, quod agit; cujus nimirum pedes à laqueo evelluntur, quia mala actio esse non potest, cujus amor Dei origo est.*

Cant. 5. 11.

S. Antonin. p. 4. tit. 2. n. 4.

Ps. 24. 15. Hugo a. S. Vict. hîc.

5. Naas Rex Ammonitarum, cùm validissimum exercitum contra incolas abes Galaad in campum eduxisset, & nunc secundam expeditionem contra Judæos parâsset, videntes Judæi, quia viribus impares hostili huic exercitui non possent resistere, unanimiter decreverunt cum prædicto Naas rationabile fœdus & pactum inire: *Dixerúntque omnes viri Jabes ad Naas: habeto nos fœderatos, & serviemus tibi.* Verùm quid ad hoc superbus Naas? *Ad hoc*, repone-

3. Reg. 11. 1

reponebat, *feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrûm oculos dextros.* Quæres hîc, eruditeLector, cur Naas Rex potiùs oculos dextros, quàm siniſtros petierit eruendos? Reſpondet Joſephus, ut hac exoculatione Jebuſitarum omnes ad bellum redderet inutiles, in bello enim neceſſarius eſt dexter oculus, ſiniſter autem olim ſcuto tegebatur, ſed dextro illis opus erat, ut hoſtem viderent, declinarent, & ferirent. Et hæc cauſa eſt, ait memoratus Joſephus, quòd Naas Judæos dextro voluerit privare oculo, ut ſic penitùs ſuo ſubjiceret imperio. Joſeph. lib 6. Antip. c. 5. Verùm aliud hîc quæro myſterium. Subintrat hic S. Gregorius M. qui per dictum tyrannum Naas diabolum ſubaudit: Diabolus, inquit, dextrum oculum, quo cœleſtia & æterna intuemur, eruere ſtudet relicto ſolo ſiniſtro, quo carnalia & peritura ſpectemus; Lyranus autem per dextrum illum oculum rectam intentionem intelligit, quam depravare, imò tollere deſiderat diabolus: *Per oculum*, ait, *dextrum intentio ad bona ſpiritualia, per ſiniſtrum autem ad temporalia deſignatur: per hoc igitur, quòd Naas oculos dextros virorum Jabes quærebat eruere, ſignificatur, quòd diabolus intentiones virorum in charitate ſervientium quærit à bonis ſpiritualibus totaliter avertere.* S. Greg. hic. Lyran. hic.

Vide hîc anima Chriſtiana, ſubtiliſſimum hoſtis infernalis ſtratagema, qui ſi dextrum oculum, id eſt, rectam intentionem in noſtris operibus, cæteroquin bonis, tollit, facili conatu temporis nos in ſuam rediget poteſtatem; unde DEUS ad Abraham dixit: *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Supra quod S. Vincentius Ferrerius: *Ille ambulat coram Deo, qui quidquid facit, recta intentione pro Deo facit.* Gen. 17. 1. S. Vincent Ferr. ſerm. de SS. Trinit.

6. Et hoc eſt, quod olim DEUS in lege mandaverit, ut omne primogenitum ſibi offerretur: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Primogenitum illud, ait Rabanus, eſt bona & recta intentio, quam omnibus operibus noſtris ad Deum præmittamus; & Cornelius à Lapide: Primogenita, inquit, damus Deo, cùm ipſi primordia operum noſtrorum offerimus, ut cedant in ejus laudem & honorem, utque ab eo proſperentur, & benedicantur; quod ſanè non tantùm manè, ſed & per diem ſæpè in initio operis cujusque viri ſapientes & pii faciunt. Rationem ſubjungit Aggæus Propheta, qui de Hebræis ſic quondam vaticinatus eſt: *Seminâſtis multum, & intuliſtis parùm &c.* Quia illis Judæis bona & recta deerat intentio. Sic & S. Petro accidit, unde querelas movit: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sed ubi retia ſua meliori cum intentione, & ſub invocatione SS. Nominis JESU in altum duxit: *In verbo autem tuo laxabo rete*, maximam ſelectorum piſcium multitudinem concluſit. Ita & nos faciamus; ducamus in altum retia noſtra, hoc eſt, intentiones noſtras, omnia opera ad Deum dirigendo, ac referendo, ſic copioſam omnium gratiarum & beneficiorum Exod. 13. 2. Cornel. hic. Agg. 1. 6. Luc. 5. 6.

Prov. 3. 6. divinorum nanciscemur capturam: *In omnibus viis tuis*, ait Sapiens, *cogita il-*
Lyran. hic. *lum, & ipse diriget gressus tuos.* Supra quod citatus Lyranus: *Id est*, inquit, *in omnibus operibus tuis dirige intentionem tuam ad ipsum, & ipse diriget gressus tuos, id est, opera tua ad finem bonum.*

Ad hunc quoque finem collimavit ipsa Veritas Christus, ubi apud S. Lucam docuit, semper esse orandum, & nunquam in oratione deficien-
Luc. 18. 1. dum: *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Sed quomodo, dices, hoc intelligendum: *Oportet semper orare, & non deficere?* Nunquid possibile est, ut homo omni tempore ad Deum possit orare? si homini laborandum est manibus, si studendum, scribendum, comedendum, dormiendum &c. Quomodo ergo semper poterit orare? Respondetur ex mente S.
S. August. Augustini, quòd ille homo oret, qui in omnibus operibus suis semper bo-
in Ps. 34. nam ac rectam erga Deum formet intentionem, si propter Deum laborat,
28. studet, cantat, scribit, ambulat, fodit, arat, militat, manducat, bibit, dormit &c. Talis intentio, licet opera sint adiaphora tantùm, seu indifferentia, ac naturalia, est virgula Mydæ, quæ omnia, quæcunque tangit, in aurum convertit; hinc prædictus S. Antistes Hipponensis super Psal. 34. v. 28. *Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, totâ die laudem tuam*, ita ratiocinatur: *Vis*, inquit, *medium semper laudandi Deum? quidquid egeris, bene age, & laudâsti Deum.* En, quid possit bona, justa, ac recta intentio.

7. Sederat aliquando Christus Dominus post peractam in templo concionem contra gazophylacium, quod erat communis arca, in quam pecuniæ à populo Israëlitico ad usus templi, & alendos Sacerdotes ac pauperes conjiciebantur. Inter alios plures divites, qui aurum & argentum copiosum in illud mittebant gazophylacium, accessit & paupercula vidua, injiciens in cassam duo minuta, seu duo cupreos quadrinos Romanos, quorum quinque unum bajocum faciunt; quam cum mitissimus Dominus vidisset, ad
Marc. 12. discipulos & circumstantes Judæos dixit: *Amen, dico vobis, quoniam vidua hæc*
43. *pauper plus omnibus misit, quæ miserunt in Gazophylacium.* Et quomodo, dices, duo ista minuta pluris apud Christum ponderabant, quàm cæterorum divitum cunctæ aureæ & argenteæ oblationes? nunquid eleemosyna major est ex majori quantitate? Respondetur hîc: Christum potiùs intentionem hujus pauperculæ viduæ, quàm æs inspexisse; offerebant quidem divites cum profusione aurea & argentea numismata, sed non sine occulta arrogantia, adeóque ex intentione vitiata, hæc autem paupercula ex optima intentione mitens in arcam duo minuta, plus omnibus dedit, quia totum, quod habebat, dedit, plus datura, si plus habuisset, hinc se totam voluntati divinæ & ejus provi-
Luc Bostr. dentiæ commisit: *Eâ magnitudine*, ait Lucas Bostrensis, *& devotione duos*
in Luc. 21. *obulos, hoc est, omnia, quæ habebat, obtulit, ac si vitam propriam pro nihilo*
3. *ducerct.* Collige ex hoc, anime mi, quid apud Deum omnipotentem faciat,

ciat, ac valeat bona, ac recta intentio, qui non tam pensat donum, quàm donantis affectum; unde & S. Gregorius Magnus: *DEUS*, ait, *cor, non substantiam pensat, nec respicit quantum, sed ex quanto.* S. Gregor. hom. 5. in Evang.

Hinc servus ille, qui duo tantum à Domino acceperat talenta, & ex duobus istis acceptis talentis alia duo lucratus est, eâdem laude & præmio à Domino donatus est, ac ille, qui quinque talenta acceperat, & per illa alia quinque superlucratus est, dum ad quemlibet illorum dixit: *Euge, serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. 21. Et nunquid, quæres hîc, prior, qui quinque ad negotiandum acceperat talenta, & per illa alia quinque lucrifecit, majori debebat affici præmio alio, qui solummodò duo lucratus est? Subintrat hîc S. Chrysostomus: Ideò pari encomio & præmio fuisse affectos, *quia quoad diligentiam ambo pares fuerunt; proinde & eandem dignitatem & mercedem nacti sunt.* S. Chrysost. hom. 41. sup. Genes. Vide rursus ex his, anima Christiana, quid sincera ac recta apud Deum possit intentio; hanc enim DEUS spectat, & ab hac aut præmium pendet, aut supplicium.

8. Videamus nunc è contrario, quid mala ac siniſtra operetur intentio. Ezechias licèt Rex pientissimus, quia Legatis Regis Babyloniæ omnes suos ostenderat thesauros, ab Isaia Propheta audiit omnes illos à Babyloniis diripendos: *Audi sermonem Domini: Ecce, dies venient; & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem; non remanebit quidquam, ait Dominus &c.* 4. Reg. 20. 16. Et quis, obsecro, hîc non obstupescat quod Rex tam sanctus, Deo semper obedientissimus, ac ob excellentes virtutes charissimus, cui nullus similis inter Reges Juda inventus est, nihilo seciùs à Deo tam acerbè fuerit castigatus? Respondet Venerabilis Rodriquez, quia in hac ostensione thesaurorum suorum vanam intentionem habuit, vanámque gloriolam; talis enim vana complacentia & siniſtra intentio, quæ est meritorum tinea, Deo summoperè displicet. Cave proinde, quisquis es, ne ex dignitate, divitiis, doctrina, virtutibus, & felici actionum tuarum successu abripi te sinas, sed omnia ad Deum per bonam intentionem referas, cum Regio Psalte ex animo decantans: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ps. 113. 9.

Moyses quamdiu, pugnante interim Josue contra Amalec, manus suas in cœlum levavit, victoria ex parte Israël sterit, ubi autem lassas remittebat manus, victoria ex patre Amalec fuit: *Cúmque levaret manus Moyses, vincebat Israël, sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.* Exod. 17. 11. En hîc habes pulcherrimum typum, qualiter intentio nostra in cœlum & ad Deum sit dirigenda. Juvat hîc audire Didacum Stellâ pereleganter & appositè de hac veritate disserentè: *Sicut Moyses*, inquit, *cùm levabat manus, consequebatur victoriam Israël contra Amalec, sic cùm bona opera nostra, quæ per manus significantur, levamus,* Did. Stella in cap. 11. Lucæ.

mus, & dirigimus in Deum, victoriam de mundo, diabolo, & carne reportamus; si autem eas in terrena direxerimus, laudem humanam captantes, & inanis gloriæ desiderio flagrantes, ab inimicis superabimur; nam qui appetitu humanæ gloriæ ducuntur, & laudes hominum quærunt, in Deum opera non dirigunt: ideò Christus in omnibus suis actionibus oculos levabat in cœlum, insinuare volens, ut in omnibus nostris operibus intentionem elevemus in Deum.

9. In confirmationem hujus veritatis percipiamus, quid septuaginta duobus Christi discipulis acciderit. Supereant pretiosissimo Servatori nostro adhuc sex menses vitæ, & quia tempus, & passio appropinquans ipsum urgebat, præter duodecim Apostolos, quos apud se retinere voluit, ut vitæ suæ essent testes, modúmque prædicandi, ac gentes convertendi addiscerent, adhuc septuaginta duos elegit discipulos, quos binos & binos in diversas civitates ac regiones amandavit, ut hominum animos ad Messiam suscipiendum, & ad veram peragendam pœnitentiam præpararent. Tandem cùm peractâ prædicatione, & patratis quàm plurimis miraculis ad Dominum redirent, eíque referrent gaudentes: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, mitissimus Dominus loco responsionis eis exemplum de miserando Luciferi lapsu in medium produxit: *Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Etquæ, obsecro, hæc responsio; Cur minas & metum damnationis eis injicere voluit, dicens: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, quasi diceret. Videte, ne & nos simili modo, prout evenit Lucifero, gratiâ, cœlô & gloriâ vobis præparatâ, excidatis? Ratio est, quia initio horum 72. discipulorum non erat ex omni parte pura: *Videtur*, ait Cornelius, *aliquid vanæ laudis & ostentationis eis obrepsisse*; & licèt venialis hæc tantùm culpa fuerit, & vanitatis pulvis, quem Christus mox absterserit: *In hoc nolite gaudere; gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sint in cœlis*, eos tamen de recta & pura intentione, quomodo omnes actiones fructuosè ad Deum sint dirigendæ, instruere voluit. Habes hîc exemplum, optimè lector, vel auditor, quomodo omnia opera tua divinæ gloriæ substernas, & si quidem ex rectè factis humanæ laudis titillatio tibi subrepat, cogita, quòd nihil habeas, quod à Deo non *accepisti*; proinde omnia ad hunc ultimum finem tecum referas, necesse est, ne audire aliquando debeas, quod olim ad Episcopum Laodicensem dictum est: *Incipiam te emovere ex ore meo, quia dicis, quod divis sum & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Hoc & tu considera, anime mi! quia Episcopus ille, licet multa bona fecerit, & propterea se divitem apud Deum æstimârit, inventus tamen est minùs habens, & quem DEUS ore suo esset emoviturus, quia in eo recta defecit intentio omnia ad majorem Dei gloriam referendi, ideirco, *suadeo, tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.*

Luc. 10. 17.

Cornel. hic.

Apoc. 3. 17.

CON-

CONSIDERATIO XLV.

De vitanda Malorum & Perversorum Societate.

Pro Dominica 12. post Pent.

Homo quidam descendebat ad Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones. Luc. 10. 30.

1.

RECtè sapientissimus Siracides: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Ita Lucifer suâ superbiam cunctis suis Angelis affricuit; & Adamus eandem in omnes suos posteros transfudit; hinc tanta & Angelorum & hominum promanavit ruina. Sic videmus, quòd morbida facta pecus totum corrumpit ovile; quia communicat scabioso, eâdem scabie inficietur & tabe; pestifer & basiliscus ob transfusum subtilissimum venenum aspiciendo necant. Et nunquid oscitante uno illicò & vicinus oscitabit? Canis latrans, lupus ululans, & leo rugiens mox alios excitabit ad latratum, ululatum & rugitum. Disce proinde, quisquis es, ô mortalis homo! malorum subdolorum & discolorum cavere consortia, quia similis illis efficiêris; hinc optimè vates regius: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Modicum fellis totum vini poculum efficit amarum, & *modicum fermentum totam massam corrumpit*; sic unicus malus, fraudulentus & perversus socius, si non caveatur, plures poterit inficere; hinc rursus Psaltes: *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum.*

Eccli. 13. 1. Apoc. 12. 9. Ps. 17. 26. 1. Cor. 5. 6. Psal. 105. 35.

Hodie Ecclesia in sacro Evangelio hominem proponit viatorem, ab Jerusalem in Jericho descendentem, & in via in latrones incidentem. Est autem inter Jerusalem & Jericho quoddam desertum, in quo homines transeuntes à latronibus sæpiùs spoliabantur, & interficiebantur, ubi & Rex Sedecias profugus ab hostibus quondâ captus est: *Et persecutus est exercitus Chaldæorum Regẽ, comprehendítq; eum in planitie Jericho; & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.* In hoc ergo loco & viator noster à prædonibus captus, vestimentis & pecuniis privatus, multísque plagis ferè usque

4. Reg. 25. 5.

Luc. 10. 30. usque ad necé sauciatus est: *Et plagis impositis abierunt semivivo relicto.* Subintrat hîc Lyranus: Per Jerusalem, inquit, status virtutis designatur, per hominem autem descendentem ab Jerusalem in Jericho, peccator indicatur, qui relicta virtute transit ad vitium, in latrones verò incidit, dum se immiscet personis subspectis, malis sociis & perversis societatibus, à quibus tandem omnibus spoliatur bonis & donis, & in anima usque ad mortem vulneratur. De hoc ergo vitando periculoso consortio plura in præsenti occurrunt consideranda.

2. Miror, quare olim Abraham Patriarcharum decus, tam severè prohibuerit, ne filio suo Isaaco uxor de filiabus Chananæorum daretur in matrimonium; in quem finem servum suum primarium, quem ut legatum Gen. 24. 3. hanc ob causam dimiserat, ad juramentum coëgit, *ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum.* Et quare dices, sanctus hic Patriarcha adeò à Chananæis abhorruit mulieribus? R. Quia ex tali consortio plura prævidit inconvenientia; Chananæi enim, licèt Deum cœli colerent, idola tamen adorabant; hinc non immeritò Abraham timuit, ne ex consortio talis uxoris & filius Isaac paulatim ad vitia deflecteret; unde rectè in hunc locum Oleast. hic. Oleaster: *Ne daret juveni occasionem adorandi & colendi idola; si enim mulieri idololatræ junctus fuisset, in superstitiones facilè prolabi potuisset.* Ex quibus patet quàm cavenda sint & hæreticorum cum Catholicis conjugia, & cum impiis ac perversis hominibus consortia: *Mala conversatio*, sunt verba S. Cyprian. de singul. Cler. S. Cypriani, *corruptionem seminat, cupiditatem concipit, lasciviam pascit, nutrit petulantiam, malus socius perditionem seminat, & excitat peccata, quæ nunquam perpetrâsses.*

De Sara recenset Scriptura, quòd priùs apud maritum suum Abrahamum non acquieverit, donec Ismaëlem filium cum matre sua Agar è domo sua ejecerit: Gen. 21. 10. *Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Et licèt Abrabam hoc verbum durè acceperit, in hoc tamen uxoris suæ intentioni, ita instigante & dirigente Numine, obsecundavit, ut matrem & filium quantocyùs è domo sua eliminaret. Et quid, quæso, Ismaël & mater ejus Agar peccârunt? Observant Interpreres, quia Sara ut prudens mulier præsago spiritu timebat, ne Isaac filius suus per malum consortium & familiaritatem Ismaëlis cum eo ludentis supplantaretur, & seduceretur, atque ad colenda idola protraheretur, proinde Ismaëlem citò ab eo separari, & domo expelli voluit, ut omnis abscinderetur periculosa S. Cyprian. loc. cit. perversionis & offensæ Dei occasio: *Miraculum enim est*, ait dictus S. Cyprianus, *inter incendia vel non consumi, vel non incalescere.*

3. Jacob cùm apud Labanum expletâ longâ servitute tandem cum familia sua domum reverteretur, ab Esau fratre suo, licèt priùs ipsi offenso, sed nunc reconciliato, humanissimè exceptus, & ad domum paternam invitatus:

tus: *Gradiamur simul, eróque socius itineris tui.* Sed non acquievit Jacob huic fratris sui petitioni, hinc se demissè excusans dixit: *Nosti, Domine mi, quòd parvulos habeam teneros; præcedat Dominus meus ante servum suum, & ego sequar paulatim in vestigia ejus.* Et quare Jacob hunc fratris sui recusavit gratiam & favorem? R. quia Jacob tot edoctus casibus & experientiis optimè noverat fratris sui genium, & malum, si cum illo habitaret, consortium; ne ergo proles suæ adhuc teneræ ex Esau & ejus domesticorum familiaritate & amicitia similes impios imbiberent, & induerent mores, voluit vir prudentissimus solus in itinere cum sua turma progredi, donec ad optatum locum & terminum pervenerit. Disce ex hoc rursus, quomodo omnis conversatio periculosa cum iniquis & reprobis sit fugienda; hinc semper socios bonos tibi conjunge, quia, si fueris socius bonæ conversationis, eris & virtutis: *Qui cum sapientibus graditur*, est Sapientis consilium, *sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Gen. 33. 12. Prov. 13. 20.

Pergamus ulterius. Mirabile quondam somnum habuit Pharao Ægyptiorum Rex: Putabat is se stare supra ripam Nili (qui turbidus & pinguis certis anni temporibus agros & campos impinguare, & fœcundare assolet) ex quo flumine septem ascendebant boves, seu vaccæ pulchræ & crassæ, quæ in adjacentibus pascebantur paludibus. Paulò post vidit idem Rex ex eodem septemgemino fluvio alias septem emergere vaccas, sed fœdissimas, macie confectas, & vix ossibus hærentes, quæ mox pinguibus & saginatis bobus cruentum indicabant bellum, & quia pinguiores in arena erant tardiores, à macilentis ad pilum usque devoratæ sunt: *Devoraverúntque eas, quarum mira species & habitudo corporum erat.* Et quis, obsecro, pensâsset, quòd à vaccis macilentis pinguiores essent superandæ, imo & devorandæ? multò magis ego judicassem, macilentas à fortioribus & pinguioribus pervincendas; verùm contrarium hîc accidit, quod Pharaoni non obscurum fuit indicium de septennio fertilitatis & sterilitatis mox futuræ, ubi septem ante steriles omnem annonam præcedentium septem annorum fertilium absumebant. Hæc & similia olim illis contingebant in figura, nec à veritatis scopo aberrabo, si per prædictas vaccas pulchras & pingues homines pios & probos ac virtutibus pingues, & per turpes ac macilentas improbos, perversos & scandalosos intellexero, qui si invicem familiaritate conjunguntur, virtuosi ab iniquis non tantùm corrumpuntur, sed etiam devorabuntur; unde rectè Sapiens: *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Et quid sequitur: *Deglutiamus eum, sicut infernus viventem.* Gen. 41. 4. Prov. 1. 10

4. Olim mandaverat Deus, ut Hebræi ad aratrum non simul bovem & asinum adhiberent: *Non arabis in bove simul & asino.* Et quæso, cur Deo adeò curæ fuit de non arando in bove & asino? Quid si vir pauperculus non haberet nisi bovem & asinum? Ratio est, ait Cornelius, quia eorum vires sunt inæ- Deut. 22. 10.

Pinna Eth. ol. 23. quales, asinus enim associatus bovi plus æquo gravaretur. Aliam rationem assignat Pinna: Bos, ait, juxta legem animal est mundum, qui utiliter cibis & sacrificiis servit; asinus verò immundum, quod lex è sacris arcet, hinc nullo modo una simul in aratro conveniunt, ita, pergit idem Pinna, *est vitanda mala societas:* & S. Augustinus: *Cum malis hominibus nulla tibi sit connexio, si non valeas, Domino miserante, eos ab errore revocare.*

S. Aug. to. 4. f. 762.

Inter alia præcepta, quæ Christus discipulis suis, ad prædicandum Evangelium nunc dimittendis, dederat, & hoc non postremum fuit: *Et quicunque non receperit vos, neque receperit sermones vestros; exeuntes foras de domo, vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Et quare, dices, voluit Christus, ut Apostoli sandalia sua excalcearent, & ea intet se colliderent, atque pulverem ex illis excuterent, dum vel ipsi, vel doctrina eorum à Judæis, vel gentilibus non fuit recepta? R. omissis pluribus aliis rationibus Cajetanus: *Vetantur,* inquit, *discipuli vel minimum pulverem ex inimica terra secum reportare, ne vel in pulvere communicent cum infidelibus &c.* Per quam pulveris excussionem Veritas illos & nos docere voluit, quàm cautè ac sollicitè vitare debeamus omnia consortia mala, ut nihil cum illis commune, & ne quidem de pulvere eorum habeamus.

Matth. 10. 14.

Cajet. hic.

Difficile quondam præceptum, si solam litteram consideramus, nobis dedit incarnata Sapientia, ubi jussit: *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te; bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum; & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est, cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Et quis, obsecro, hoc facit? aut quis unquam hoc fecit, qui sibi oculos propter datum, vel acceptum scandalum eruisset, aut manus ac pedes resecuisset? Observa, anime mi, non hîc attenditur littera, sed spiritus, qui vivificat? voluit itaque per hoc docere mitissimus orbis Salvator Christus, quomodo nos oporteat fugere, cavere, ac vitare omnes malas societates, suspectas præsertim alteriùs sexûs familiaritates, imò & amicorum, qui nobis loco membrorum sunt (unde dicimus: Hic mihi oculus meus est, manus mea dextera est &c.) consortia si nobis obsunt in via salutis consequendæ: *Non hæc de membris dicta sunt,* ait Os Aureum, *sed de amicis ac necessariis, quos quasi membra nobis conjunctos ducimus; nihil enim ita perniciosum ac pestiferum, ut consuetudo pravorum hominum ac conversatio.*

Matth. 18. 8.

S. Chrysost. hom. 60. in Matth.

§. Quid fide & charitate in Christum firmior S. Petro? cui dictum est: *Supra hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Et tamen talis ac tantus Apostolus ad vocē unius ancillæ Christū negat; *Non novi hominē;* & cùm ab alia ancilla & circumstantibus ad ignē ministris urgeretur plusculum, quid fecit? *Cæpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem.* O Petre, quid agis?

Matth. 16. 18. Matth. 26. 27. Matt. 26. 35.

priùs

priùs dixeras: *Etiam si oportuerit mori tecum, non te negabo;* & hîc non ampliùs divinum tuum agnoscis Magistrum? imò & replicatis perjuriis, ac juramentis. Vitam negas, pro qua milla vitas debuisses exponere? Si audisses illa Pilati verba: *Ecce homo*, aliquam saltem trinæ tuæ negationi afferre potuisses excusationem, quia pretiosissimus orbis Redemptor Christus adeò tunc flagellis, flagris, spinis, vulneribus erat cruentatus, ut homo in homine esset quærendus? Quæ ergo causa hujus tam miserabilis lapsûs? Respondet, & observat S. Lucas, quòd Petrus in medium multorum & perversorum ministrorum cuneum se immiserit: *Accenso autem igne in medio atrii, circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.* Ecce brevis & succincta conversatio ac societas cum impiis & blasphemis satellitibus hanc firmissimam petram uno præcipitavit momento; supra quod rectè D. Ambrosius: *Ex hoc*, inquit, *didici cavere colloquia ac societatem perfidorum.* Luc. 22. 55. S. Ambros. lib. 10. in Lucam.

Offerebatur aliquando Christo Domino homo quidam cæcus & mutus, & deprecabantur eum, ut illi manus imponeret, & sanaret eum: *Et apprehendens eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas ejus &c.* Adverte hîc, Lector prudens, singularem agendi modum, quo Christus ad sanandum hunc infirmum usus est: *Et apprehendens eum de turba seorsim.* Et quare, rogabis, illum hominem non in præsentia totius populi curavit, & quare seorsim? Marc. 7. 33.

Simile quid accidit cum alio cæco à Christo illuminato, qui prima vice homines, velut arbores ambulantes conspexit, quem mitissimus Dominus extra Bethsaidam eductum, & ab omni turba semotum sanitati restituit: *Et apprehensâ manu cæci eduxit eum extra vicum &c.* Et cur, obsecro, ambos hos cæcos non præsente populo, sed seorsim sanavit? Respondetur quoad litteram, ut vanam gloriam & plausum hominum evitaret, & quia cives Bethsaidæ indigni erant, ut hoc viderent miraculum, dum tot aliis visis ejus signis non in eam credebant. Verùm alium hîc ad propositum nostrum inquiro sensum & explanationem: *Educit*, ait D. Hieronymus: *Christus peccatorem extra vicum, id est, extra societatem malorum: Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* Et Dionysius Carthusianus: *In hoc*, inquit, *datur intelligi, quòd eos Deus à vitiis curat, & salvat, oportet prava vitare consortia, atque à communi hominum, per latam perditionis viam ambulantium, conversatione discedere.* Proinde, qui Deo vult adhærere, suæque consulere æternæ saluti, necessariò à malis sociis & mundi tumultu se sequestret: *Opus est*, ait Salmeron; *ut separetur à turba, id est, ab occasione peccandi, cujus una maxima est pars, mala societas.* Marc. 8. 23. S. Hieron. hîc. 1. Cor. 15. 33. S. Dionys. Carth. ser. 2. de Dom. 11. post Pent. Salmer. to. 6. tr. 30.

6. Venerat aliquando ad pretiosissimum Redemptorem nostrum adolescens quidam optimæ indolis & integræ vitæ, impensissimè rogans, quate-

nus & ipse ad sequelam talis ac tanti Magistri admitteretur, hinc supplex & ob-
Math. 8. 21. sequens rogavit: *Domine, permitte primum me ire, & sepelire patrem meum,* cui novo discipulo sequelæ severioris & sanioris cupido mox in hac petitione repulsam dedit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Adverte hîc, quomodo Christus hîc in voce æquivoca alluserit? *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* ubi mortuos corporaliter, & mortuos spiritualiter intellexit; proinde hîc non prohibuit adolescenti sequelæ Christi canditato parentum suorum celebrare exequias; hoc enim ex lege divina & naturali justissimum esse videtur, sed non permisit interesse spiritualiter mortuis, hoc est, perversis amicis, agnatis, sodalibus, sociis, contubernalibus, in quorum consortio periculum illi erat, ne se illis immisceret, & eâdem animæ suæ, contaminaretur. Ita S.
S. Paschas. lib. 5. in Matth. Paschasius: *Non ut ab officio patris filium revocet, sed ut à consortio mortuorum eum secernat.* Sic

Speculum licet purissimum vel unico oris afflatu obducitur; ita & anima, licet sancta, pura & innocens per blanda pravorum amicorum & sociorum
Luc. 17, 12 alloquia obfuscatur. Cum leproso communicare, est lepram induere, unde leprosi illi decem de longè steterunt, qui à Christo petebant opem; fuge ejusmodi leprosos, & sta à longè ab eis, qui enim amat periculum, peribit in illo. Difficile est cum pestiferis agere, unde ab aliorum commerico & habitatione distinguuntur; Ovis scabiosa à caulis resecanda est, putridum membrum, si non rescinditur, totum corpus inficit; & quoties unica parva scintilla neglecta magnum excitavit incendium? hinc peraccomodè Jere-
Jerem. 9. 4. S Bern. ser. 60. ad Sororem. mias Propheta: *Unusquisque*, inquit, *se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Nota hîc: Non dixit Propheta: Unusquisque se custodiat à diabolo, sed â proximo & amico suo, quia sæpissimè inimici hominis domestici ejus propter malam societatem ac consortium: *Si vis bene vivere,* ait Mellifluus, *à malorum societate declina.*

7. Cùm quadam vice Veritas Christus ex urbe Caphernao, ubi priùs filiam Jairi suscitaverat in patriam suam Nazareth abiisset, facto sabbatho in synagoga eorum publicè docere cœpit, ubi multi audientes admirabantur in doctrina ejus, alii verò scandalizabantur, & spernebant eum; & subdit Scriptu-
Marc. 6. 5. ra: *Non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.* Et quid hoc? quid ais Evangelista: *Non poterat ibi virtutem ullam facere?* Ergo ille, qui verbo uno cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, ex nihilo sui produxit, jam in patria sua nullum poterit facere signum ac miraculum? & quæ potentia hujus omnipotentis Dei & Hominis Christi ligavit ma-
Corn. hîc. nus? R. Cornelius: Illud *Non poterat* idem est quàm *non volebat*, quia censebat non decere, ut sanctum daretur canibus, ac incredulis & ingratis civibus; proinde relicta illorum pessima societate ac consortio abiit, & aliis in locis Evan-
S. Th. Aq. gelium prædicavit. Juvat hîc etiam audire S. Thomam Aquinatem: *Hoc quod dicitur:*

dicitur: Non poterat ibi ullam virtutem facere, non eſt referendum ad potentiam abſolutam, ſed ad id, quod poterat fieri congruenter, non enim congruum erat, ut inter incredulos operaretur miracula &c. Ecce mali illi ſocii (cives) Chriſto ligabant manus, ne conſueta faceret ſigna. Sic ſpinæ opprimebant bonũ ſemen, ne optatos referret fructus: *Et ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud &c.* Ejusmodi ſpinæ ſunt ſocii perverſi, qui bonũ ſemen vireſcens & creſcens in proximo ſuo tandẽ extinguunt. Cave itaque anima Chriſtiana, ne cum ſimilibus pungentibus ſpinis commercium habeas, ſed longè ab eis fugias. 3. p. q. 43 a. 21. ad 1. Luc. 8. 7.

Imitare Eliam à facie impiæ Jezabelis, cùm ei minaretur mortem, in defertum fugientem: *Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit, quocunque eum ferebat voluntas.* Ad quid furorem unius mulierculæ adeo formidavit talis ac tantus Propheta, qui etiam cœlo potuit imperare, ne terræ ſubminiſtraret pluvias: *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis bis ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba?* Et nunquid poterat de cœlo evocare ignem, ut Jezabelem devoraret, ſicut alia vice duos quinquagenarios ad ſe capiendum ab Ochozia miſſos igne cœleſti cum 50. militibus combuſſit: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos?* Reſpondet hîc S. Ambroſius, quòd tantus Propheta nec furorem & potentiam Jezabelis, nec ipſam mortem metuerit, utpote qui ſe ultrò ſub junipero morti obtulit: *Petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mibi Domine, tolle animam meam;* ſed timuit Elias ſecularem illecebram, & converſationis maculoſæ contagionẽ: ſicut illi, qui aërẽ peſtilentẽ fugiunt, niſi velint & ipſi ſimili lue afflari, ita quoque Elias perverſorum illius ævi hominum ſocietatem fugit, & omne conſortium vitavit; noverat enim periculoſum eſſe ovem cohabitare cum lupis, columbam cum milvis, & germen juſtitiæ in medio iniquitatis. 3. Reg. 19. 3. 3. Reg. 17. 1. 4. Reg. 1. 10. S. Ambroſ. lib. de fuga ſeculi. c. 6. 3. Reg. 19. 4.

8. Et hæc cauſa eſt, quare Enoch ab hoc ſeculo nequam fuerit translatus in paradiſum: *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit*; quia tunc temporis intervallo *omnis caro corruperat viam ſuam*; ne ergo vir tam ſanctus illorum pollueretur moribus, ab humana converſatione ſeparatus eſt. Diſce malos vitare, ſi eorum vitia & pravos habitus non poteris corrigere. Diſce cum ſuperbis, avaris, libidinoſis &c. nullum commercium habere, ſi non ſimiles quoque mores & vitia velis induere. Diſce præſertim cum Joſepho Patriarcha à fœminarum lubrica familiaritate declinare, quia *de veſtimentis procedit tinea, & de mulieribus iniquitas viri.* Quod ſuo ævo expertus eſt Nehemias, unde non ſine lamentis & lachrymis Judæos increpavit, quod familiaritatem cum alienigenis mulieribus fecerint, eásque in uxores duxerint. Et quid ex tali conſortio accidit? *Vidi*, inquit, *Judæos ducentes uxores Azotidas, Amonitidas, & Moabitidas, & filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, & neſciebant loqui Judaicè;* O quot de facto ſunt, qui ſimili Azoticâ & impurâ loquuntur lingua! Prodigum conſule ad cuſtodiã porcorũ amandatũ: *Miſit illum in villam, ut paſceret porcos;* Gen. 3. 24. Gen. 6. 12. Eccl. 42. 13. 2. Esdræ. 13. 23. Luc. 15 15.

cos; & quare porcos? cur non oves? & fortasse, quia porcinam vitam duxerat vivendo luxuriosè, & devorando substantiam suam cum meretricibus? & ita quidem est, qui noluit pasci pane Angelorum, nunc præ nimia fame petit siliquas porcorum. O stupendam rerum mundanarum metamorphosin! & quare siliquas postulat? R. quia & conversatione & & societate cum immundis porcis & ipse in fame similem ciborum appetitum in se habere sensit: cum quo enim quis habitat, ejusdem & mores induet: *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* Vide hîc, perpende attentiore mente malæ conversationis efficaciam: Graculus cum graculo, porcus cum porco
Ps. 17. 26. &c. Proinde manet alta mente repostum illud Davidis: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum perverso perverteris.*

Quid ergo consilii in re tanti momenti? Tobias senior & junior huic nostræ Considerationi addant coronidem. Cùm nunc Tobias junior à parente seniculo in Rages esset mittendus, ut pecunias, olim Gabelo subministratas, denuo ab eo reciperet, erat pientissimus pater omninò solicitus, qualem filio suo in hoc remoto & periculoso itinere adjungeret socium; hinc invocata priùs ope divina, filium in forum ablegavit, qui ibi, ita disponente Numine, invenit juvenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, & ignorans, quod Angelus Dei esset, perhumanè eum salutavit,
Tob. 5. 5. & dixit: *Unde te habemus, bone juvenis? & ille respondit, ex filiis Israël &c.* Et cum introduceretur ad domum paternam, pater omni circumspectione usus est, ut nomen, genus & mores ab eo indagaret, ne filio malus itinerum adjungeretur socius. Hoc fac & tu, homo Christiane, grandis enim adhuc tibi restat via, non cum Tobia juniore in Rages, regionem Medorum, sed ex hoc mundo immundo ad regnum cœlorum, proinde hîc pios ac bonos tibi selige
S. Laurent. Justin. de disciplin. Mon. c. 4. 1. to. 1. 3. socios, quia, ut ait S. Laurentius Justinianus, *necesse est, ut talis efficiatur homo, quales sunt, cum quibus conversatur.* Finio cum S. Joanne: *Societas nostra sit cum Filio ejus JEsu Christo, & hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.*

CON-

CONSIDERATIO XLVI.

De Gratitudine, quam Deo debemus.

Pro Dominica 13. post Pent.

Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Luc. 17. 18.

I.

INfinitus Deus postquam cœlum & terram ex nihilo produxit, & nunc opus sex dierum complevit, denique ad creationem hominis, seu parvi mundi descendit, quem non ex elemento ignis, aëris, vel aquæ, sed terræ plasmate placuit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, videlicet corpus hominis, prout plastæ solent, in modum statuæ vel per se, vel prout vult S. Augustinus & Doctor Angelicus, per Angelos de limo terræ fingendo & efformando, in quem exinde luteum hominem Deus sensim dispositiones carnis & corporis humani induxit, ac tandem animam rationalem infudit: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Et quare dices, Deus hominem de terra formavit? fortasse ad humiliandum eum, ut ex hac prima sua origine disceret lutum & terram se esse, & in manu Dei, sicut lutum in manu figuli, versari, unde patientissimus Job: *Memento, quod sicut lutum feceris me?* Verùm aliam rationem assignat D. Ambrosius, asserens ideo hominem à Deo ex terra productum, ut ex hac matre sua addisceret erga Deum gratitudinem, terra enim benefactori suo grata est, quod cætera non faciunt elementa: *Terra*, inquit, *pauca grana spargenti plures spicas restituit: pro unica glande vilissima procreat quercum robustissimam &c.* Et doctissimus Sylveira: *Cur*, ait, *non potius de aëre, vel aqua, sed de terra homo formatus est?* Et respondet, *ut ex principio gratitudinem suam disceret homo, terra acceptum semen in genere suo iterum reddit.* Videe ex hoc, anime mi, quam Deo debeas gratitudinem: *Quid melius*, ait S. Augustinus Hipponensis, *& animo geramus, & ore promanus & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

Gen. 2. 7.

S. Aug. & ex eo S. Th. Aq. 11. p. 2. 91. a. 2. ad 1.

Job. 10. 9.

S. Ambros. de obitu fratris.

Sylveira in Matth. 3. q. 37.

S. August. Ep. 77.

Audi

Audistis hodie in sacro Evangelio, quomodo à pretiosissimo orbis melioris Reparatore Christo decem viri leprosi à fœdissima lepra fuerint curati, ex quibus unus tantùm, ubi se prodigiosè mundatum, ac in instanti sanatum
Luc. 17. 16 vidit, ad Dominum regressus est: *Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Et hic erat Samaritanus*: Cæteri verò novem, qui erant gente & religione Judæi, ut gratias Christo pro tanto referrent beneficio, non ampliùs ad eum rediêrunt, proinde merito eorum summam incusavit ingratitudinẽ mitis-
S. Bonav. hîc in Lucam. simus Salvator: *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*: Supra quod Doctor Seraphicus, *In quo manifestè ostenditur Judæorum ingratitudo, quia cum essent novem, nullus ex eis rediit, sed solus iste Samaritanus, qui unus erat & solus; in quo intelligitur electio gentium & reprobatio Judæorum.* Audiamus plura de hac veritate.

2. Minuto sensim diluvio, & arcâ in Armeniæ montibus subsistente, aperiens Noë fenestram, corvum dimisit, ut ex illo cognosceret, an penitùs cessassent aquæ, & in abyssum suam, ex qua prodierant, fuissent reductæ; sed quia corvus plura viderat circumjacentia cadavera, & escâ illectus, & liberta-
Gen. 8. 7. tis suæ avidus ad Noëmum in arcam regredi noluit: *Qui egrediebatur, & non revertebatur.* Proinde columbam dimisit, quæ ad vesperas ad notum hospitium rediens, ramusculum olivæ virentibus foliis in ore suo Noëmo benefactori suo, tamquam insigne divinæ obtentæ misericordiæ obtulit; hinc meritò à Deo corvus velut ingratus hospes reprobatus, & inter immundas aves re-
Levit. 11. 15. putatus est. *Vitandum est vobis omne corvini generi, in similitudinem suam.* E contrariò columba à Deo electa est, *quia* prout observat S. Chrysostomus, *miram*
S. Chrysost. hom. 26. in Gen. S. Bern. s. 2. D. 6. Pent- *præsefert gratitudinem*; sub cujus etiam specie ipse Spiritus Sanctus super Christum apparere voluit. Disce ex hac columba, anima Christiana, gratitudinem in Deum & benefactores tuos, fuge econtra ingratos similes corvis, qui sunt symbolum reproborum: *Nihil ita displicet Deo*, ait Mellifluus, *præsertim in filiis gratiæ, quemadmodum ingratitudo; vias enim obstruit gratiæ.* Pergamus ad alium conceptum.

De eodem Noë recenset Scriptura, quòd finito diluvio, ubi ex arca cum omnibus suis erat egressus, mox aram ex lapidibus construxerit, in qua
Gen. 8. 21. victimas & holocausta Deo obtulit: *Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.* Et qualis hic bonus odor erat, quem Dominus odoratus est? An non tunc temporis intervallo terra erat referta innumerabilibus, ac putridis hominum & animalium cadaveribus? qualis ergo esse poterat suavis odor in tanto fœtore? Resp. Os Aureum, quòd gratus Noëmi animus fuerit ille odor suavitatis?
S. Chrysost. hom. 27. in Gen. qui Divinis naribus exitit gratissimus, qui omnem mortuorum animalium fœtorem longissimè dissipavit: *Vide*, inquit, *quomodo animus offerentis, fumum & nidorem, & omnem, quæ inde nascitur, in suavitatem multâ fragrantiâ*

grantiâ implevit. Collige ex hoc, anime mi, quomodo mens pro acceptis grata beneficiis Deo ſummo Benefactori noſtro placere ſoleat; unde rectè monet Apoſtolus: *Cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum;* dum enim pro acceptis beneficiis gratos nos Deo oſtendimus, ad nova recipienda nos diſponimus. Philip. 4. 6.

3. Progredior ulteriùs. Vidit aliquando Jacob Patriarcha in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen ejus tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, *& Dominum innixum ſcalæ.* Et quare Dominus ſummis ſcalæ gradibus Jacobo videbatur innixus? Dixi in alio loco, per hanc ſcalam fuiſſe præſignatam Dominicam Crucem, per quam omnes Chriſtiani pii in cœlum conſcenderent, & in dies conſcendunt; Dominus autem innixus ſcalæ eſt Chriſtus in cruce pendens, qui expanſis brachiis hanc nobis ſcalam tenet, & in aſcenſu tam gravi nos adjuvat. Ita quidem S. Auguſtinus. Verùm aliud hîc inquiro myſterium. Reſp. S. Bernardinus: *Dominus*, inquit, *innixus deſcribitur ſcalæ, quaſi deſiderio flagrans, & noſtra bona opera acceptare, & propter illa novas gratias multiplicare.* En quàm paratus ſit Dominus, ut opera noſtra bona & accipiat, & remuneretur aliis beneficiis, ſi ei pro acceptis grati fuerimus: *Non enim*, ait S. Chryſoſtomus, *grave aliquid & oneroſum à nobis requirit, ſolùm, ut teſtemur, & fateamur beneficia ſua, & pro his gratias referamus: non quòd ipſe his egeat, qui ſufficientiſſimus eſt, nullâque re indiget, ſed ut nos diſcamus Authorem bonorum nobis conciliare; nam ſic ipſum ad majorem noſtri ſollicitudinem provocabimus.* Gen. 28. 18. S. Auguſt. ſerm. 97. d S Bernard. t. 1. ſ. 6. in princ. S. Chry. ſoſt. hom. 10. in Geneſ.

Occurrit hîc mihi Nathan Propheta à benigniſſimo Numine ad Davidem miſſus, ut hunc Regem non ſine peculiari ſubditorum ſcandalo in adulterii & homicidii ſcelere ſordeſcentem, ad frugem, & ad ſalutarem pœnitentiam reduceret. Et quid fecit, ut è turpiſſimo eum cœno, cui per novem menſes inhæſerat, erueret, & à via gehennæ in viam reduceret ſalutis æternæ? Audite modum; Ad Regem ingreſſus immenſa cæpit enarrare beneficia, quibus illum DEUS hactenus per omnem vitæ curſum cumulavit: *Hæc dicit Dominus DEUS Iſraël: Ego unxi te in Regē ſuper Iſraël, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui. Et ſi parva ſunt iſta, adjiciam tibi multa majora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo?* Hæc & plura beneficia Divina, à Nathane, objectata, ubi Rex David attentiore mente perpendit, mox in alium & meliorem hominem mutatus eſt, unde ex intimo cordis ſinu, & profundo humilitatis, compunctionis & charitatis ſenſu exclamavit: *Peccavi Domino.* Et quia hic dolor ob offenſum Deum erat vehemens, in profuſas ſimul erupit lacrymas, gemitus ac ſingultus, vocem illi intercipientes, ut non aliud effari poſſet, quàm illud 2. Reg. 12. 7.

peccavi Domino. O utinam mortales omnes ita Divina contemplarentur beneficia, quam citò ad meliorem redirent frugem.

Job. 12. 7. 4. Et quid dico? *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi.* Cùm Tobias junior ad remotas regiones cum Raphaële Archangelo, ſpeciem peregrini hominis induto, profectus eſt, obſervat Scriptura, canem ambos hos viatores fuiſſe comitatum: *Profectus eſt autem Tobias, & canis ſecutus eſt eum.* Et cùm longo poſt intervallo, receptis à Gabelo pecuniis, à Rages in patrium everterentur ſolum, Scriptura ulteriùs commemorat, prædictum canem eos præcurriſſe in via, lætúmque ſeniori Tobiæ & Annæ uxori ejus de adventu filii tuliſſe nuntium: *Tunc præcurrit canis, qui ſimul fuerat in via; & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.* Hæret hîc mens atque ſenſus, quòd Spiritus ſanctus dignatus ſit hujus canis comitatum & adventum in ſacra annotare Scriptura; ad quid, obſecro, tam levis momenti circumſtantia in ſacris Paginis commemorata eſt? Reſp. D. Ambroſius: Canis Symbolum eſt ſingularis gratitudinis; ſi enim illi os nudum, tibíque inutile de menſæ tuæ analectis projicis, rependet is tibi hanc exſuccam eſcam blanditiis, amore ac fideli cuſtodia, imò & ſi opus fuerit, pro tua ſalute exponet periculo vitam; proinde non otiosè in S. Scriptura & comitatus & adventus hujus Tobiæ canis annotatus eſt, ut conſideratâ hujus animalis erga hominem gratitudine, altiùs mentis noſtræ oculos ad Deum attollamus, quomodo erga hunc ſummum benefactorem noſtrum gratos nos debeamus exhibere, *cùm etiam beſtiæ*, ait citatus S. Eccleſiæ Doctor, *refugiant crimen ingrati: illæ impertitæ alimoniæ ſervant memoriam, tu non ſervas ſalutis acceptæ?* Et dic Sodes, an aliquid unquam cariùs emptum eſt, ut anima tua? cujus pretium fuit ipſe DEUS & homo Chriſtus in ſtatera Crucis, pro te ſuffixus; & tu, Vah ingratum caput! nondum amas Deum benefactorem optimum, maximum? *Interroga jumenta, & docebunt te.*

Tob. 6. 1.

Tob. 11. 9.

S. Ambroſ. l. 6. Hexam. c. 4.

Aulus Gellius. l. 5. c. 14. Ruffin. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 4.

Leo, quia Androdus in ſylva ei ſpinam pedi infixam eruit, huic ſuo benefactori gratus per plures annos partem prædæ ſubminiſtravit. Leæna, quia Caruli ejus cæci nati à S. Macario oculorum lumine fuerunt donati, in ſignum grati animi illi plures ovium pelles lanatas obtulit. Urſus gratus fuit S. Corbiniano Epiſcopo, lupus S. Norberto, agnus S. Franciſco, lepus S. Anſelmo, cervus S. Huberto, cerva S. Ægidio, canis S. Rocho. Mitto quàm plurima alia obvia exempla, quibus annecto graviſſimam Seraphici Doctoris ſententiam: *Si ſic canis Dominum ſuum amat pro pane modico; ſi ſic equus pro modico hordeo; ſi ſic aſinus pro pabulo & fœno; quantùm ille à nobis amandus exiſtit, qui carnem ſuam dedit nobis in cibum, ſanguinem in potum, vitam in meritum, & ſe totum in præmium? Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit?*

S. Bonav. cit. à Manſio To. 2. tr. 30. diſc. 10. n. 12.

5. Ager Benefactori suo gratus est, dum ei pro granulo vel unico tricies, sexagies, imò & centies gratias agit: *alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum; aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Matth. 13. 8. Arbor hortulano suo pro labore & plantatione grata est, & in tempore ei optatos fructus refert; si non respondet voto, succiditur, & in ignem mittitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7. 19. Vinea suo colono grata uberes in autumno afferre fructus assolet; sin minùs, maledicta erit: *Expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepē ejus, & erit in direptionem &c.* Isai. 5. 3. Colligite ex hoc mortales omnes, qualiter DEUS ingratitudinis detestetur vitium: *Novem ubi sunt?* Interrogavit hodie de decem mundatis leprosis mitissimus Servator Christus; moderno tempore quærere & rogare nos oportet: Mille & mille, & decem centena millia ubi sunt? Totà me receperunt beneficia, & in dies accipiunt: *Et non est inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo?* O portenta ingratitudinis! Viri illi leprosi, recepta sanitate, omnes, uno solo excepto, abîerunt, & ad Benefactorem suum non ampliùs reversi sunt. En ex decem vix unus Deo gratus est; & hæc est moderna mundanorum facies, quò plura à pientissimo Numine receperunt beneficia, eò minores illi referunt grates, de quibus rectè Apostolus in Epistola ad Timotheum: *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.* 17. 17. 2. Timoth. 3. 1. Vide ex his, atque perpende, quàm graphicè Apostolus modernorum hæreticorum, pseudopoliticorū, ingratorum & malorū Christianorum statum describat: *Et hos*, inquit, *devita*, qui Deo & Benefactoribus suis reddunt pro bono malum: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Ego, ait Christus, dedi illis vitā, ipsi mihi mortem; ego honorem, ipsi contumeliam; ego medicinam, ipsi vulnera &c. O populē ingrate & insipiens! *Hæccine reddis Domino?* Psal. 34. 12. Deut. 32. 6.

6. Et dic, obsecro, Sodes, quare in veteri testamento à Deo omnes pisces à sacrificio & ab omni oblatione fuerunt rejecti; passeres, turtures, columbas, imò & pilos caprarum DEUS accepit? *Et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes &c.* Exod. 35. 26. Sed pisces nunquam admisit; fortâsse quia ex aquis extracti, mox agonizari incipiunt, & sic inutiles ad sacrificium reddebantur? Hic quidem sensus litteralis est, sed aliud hîc latet mysterium. Observa: pisces sunt proprium hominum ingratorum symbolum, dum suos nunquam agnoscunt Benefactores, sed fugiunt ab eis. Sic sunt pleraque ingrata homi-

num capita, quæ divina non agnoscunt beneficia, proinde raro Deo gratias agunt: *Nihil est*, ait Petrus Blesensis, *quod adeò provocet indignationem Altissimi sicut ingratitudo, ipsa est enim malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, exterminatio meritorum.*

Petr. Bleff. Ep. 66, ad Gualter.

De Christo recenset S. Lucas, quòd cùm aliquando in regionem Gerasenorum venisset, ei vir quidam jam à multo tempore habens dæmonium occurrerit, & licèt obsessus iste ferreis stringeretur catenis & compedibus, ruptis tamen vinculis agebatur in desertum. Interrogabat autem illum JEsus *Quod tibi nomen est? at ille dixit: Legio* (Legio autem sex millia continet) & rogabant Christum dæmones, ne imperaret ipsis, ut in abyssum præcipitarentur, sed ut liceret ipsis in proximum porcorum gregem ingredi: *Et permisit illis: Exierunt ergo dæmonia ab homine & intraverunt porcos; & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* Et quare, dices, dæmones supplicârunt, ut ipsis liceret in porcos invehi, cur non in boves & oves? cur non in tabernas mercatorum, hospitum, opificum? cur non in aulas Principum & tribunalia judicum? &c. Resp. Cyrillus, quia immundi spiritus amant immundos, ac præsertim homines ingratos, prout sunt porci semper ingrati, non enim respiciunt, unde glandes veniunt, & quòd ab alto de quercu illis esca decutiatur, sed semper humum & cœnum respiciunt: sic sunt homines ingrati, qui beneficia divina, unde veniant, non perpendunt, nec propter ea Deo gratias agunt: *Ejusmodi animam ingratam*, ait S. Clemens Papa, *malus possidet dæmon.*

Luc. 8. 30.

S. Cyrill. hic.

S Clemens Papa lib. 5. Recognit. f. 101.

7. Ad confirmationem hujus veritatis subjungamus alios conceptus non minori ponderatione dignos. Postquam pretiosissimus orbis Redemptor Syro-Phœnissæ filiam à dæmone liberavit, adductus ad eum fuit homo quidam surdus & mutus; & deprecabantur eum amici ac vicini, ut illi manus imponeret, & sanaret: *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus; & expuens tetigit linguam ejus; & suspiciens in cœlum, ingemuit.* Et quid, quæso, iste gemitus, ô dulcissime JESU! quare adeò condoluisti hujus surdi & muti hominis miseriæ? profundebas ab oculis lacrymas, fortè quia homo iste typus erat peccatoris obstinati & contumacis? *Ad ostendendum*, ait Dionysius Carthusianus, *quàm difficile sanaretur anima spiritualiter mortua.* Aliam rationem subjungit S. Gregorius Magnus, ideò ingemuisse Christum, cùm huic surdo & muto auditum & linguæ usum restituit, quia prævidit, quòd iste ingratissimus homo suo tempore nequissimâ linguâ suâ nunc sanatâ, cùm aliis impiis Judæis esset exclamaturus: *Crucifige, crucifige eum*; hæc summa, & vix unquam audita hominis ingratitudo dulcissimo Salvatori nostro suspiria, gemitus & lacrymas excussit: *Et suspiciens in cœlum, ingemuit.*

Marc. 7. 33.

Dion. Car. thus. hic.

S. Gregor. M. apud Nuzam. hom. 34. §. 7. n. 17.

Ad

Ad forum Cayphæ ſummi quondam Judæorum Pontificis nos conferamus. Et quid video? imò quid audio? Reſonat in aula quidam ſtrepitus, & innocentiſſimo Agno, qui peccatum non fecit, nec eſt inventus dolus in ore ejus, à ſervo quodam nequam graviſſima alapa impingitur: *Unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam JESU.* Erat autem hæc alapa armatâ, ut videtur, manu inflicta, Chriſto non tam pœnoſâ, quàm & ignominioſa, quod etiamnum apparet ex vultu ſancto, quem mitiſſimus Redemptor velo S. Veronicæ in perpetuam rei memoriam impreſſit, quod aliquoties Romæ in Baſilica S. Petri præſens non ſine gemitu ſpectavi; ad quam acceptam iniquiſſimam alapam non ingemuit duntaxat Chriſtus, ſed & juſtas contra impiiſſimum percurſorem querelas movit: *Quid me cædis?* O pientiſſime JESU? hactenus ſemper in paſſione tua altum tenuiſti ſilentium: *JESUS autem tacebat*, & ſicut agnus manſuetus ductus ad victimam, non aperuiſti os tuum; quare ergò hîc conqueſtus es, cùm hanc immanem à ſervo Pontificis accepiſti alapam? Reſp. S. Chryſoſtomus, quòd hunc colaphum Chriſto infixerit ſervus quidam, cui nomen Malchus, cui paulò ante mitiſſimus DEUS in horto abſciſſam à Petro auriculam reſtituit, & ſanavit; hanc ergo ſummam ſervi viliſſimi ingratitudinem noluit diſſimulare DEUS, & homo Chriſtus, ſed juſtas contra eum querelas movit: *Quid me cædis?* Juvat etiam hîc audire verba S. Chryſoſtomi: *Servi nomen*, ait, *meminit Evangeliſta, quoniam magna res erat, non tantùm, quòd eum curaverit, ſed & quòd paulò poſt eſſet ab eo alapam accepturus.*

Joan. 18. 22.

S. Chryſoſt. hom. 82. in Matth.

O ingrate mortalis! quid aliud agis, cùm peccata peccatis accumulas, quàm quòd de novo Chriſto ſimilem alapam impingas? Siluit mitiſſimus JESUS ad verbera & flagella, ad ſpinas & clavos, ſed ad alapam iſtam non ſiluit, quia ſumma Malchi ingratitudo ei os aperuit? *Quid me cædis?* O peccator! & nunquid & tibi mitiſſimus Salvator hoc idem objicere poterit? *Quid me cædis?* qui in perpetua charitate dilexi te; qui inter nobiliſſimas creaturas te conſtitui; qui te ab interitu per amantiſſimam Paſſionem meam in Sanguine meo redemi; qui in Cruce moriens tibi Matrem meam legavi: *Ecce Mater tua*, qui dedi tibi Angelum cuſtodem ab ortu nativitatis tuæ, ut te cuſtodiret in omnibus viis tuis; qui largitus ſum tibi parentes Chriſtianos, ex quibus naſcereris Chriſtianus, non Saracenus, non gentilis, non Judæus; qui te multifariam errantem toties per internas inſpirationes revocavi, & in viam ſalutis reduxi; qui te pœnitentem toties recepi, & ab inferni barathro, ſicut Loth de Sodomis, Abraham de Chaldæis, Noëmum de diluvio, & Jonam de ventre ceti liberavi; qui te creavi ad æternam gloriam & ſui fruitionem in cœlo; hæc quanta ſint, cogita: *Et tu me cædis?*

8. De eodem pientiſſimo mundi Servatore recenſet ulteriùs S. Scriptura, quòd ante crucifixionem, dum interim terebrabatur, & apparabatur Crux,

Crux, ejúsque fossa, & infensissimi Judæi porrexerint vinum felle amaricatum: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cùm gustâsset noluit bibere.* Et quare, amantissime JESU! hoc vinum myrrhatum, acerbum & felle corruptum noluisti bibere? fortâsse quia majorem in cruce volebas pati sitim, ut nobis mortificationis & gulæ refrænandæ vivum dares exemplum? Respondent Interpretes, quia Christus summoperè extremam adversabatur Judæorum ingratitudinem, dum pro vino fel amarissimum ei dabant, proinde noluit bibere; *Pro vno fel*, ait Isidorus Clarus, *& myrrham & acetum ei porrigunt; hoc pro fertili terra, quam tot annos possederant; pro ingentibus vineis, & suavissimis vinis, quæ terra illa protulerat, rependunt tanto Muneratori.* Et hæc summa Judæorum ingratitudo, & nostra Christo patienti fuit pœnosissima. Non ita eum percusserunt flagella, non ita lacerârunt spinæ, non ita transfixerunt clavi, quàm nostra Ingratitudo. Ita S. Antoninus: *Vide homo* (loquitur in persona Christi) *quæ pro te patior; ad te clamo, qui pro te morior; vide plagas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior; & cùm sit tantus dolor exterior, plus tamen crucior, quod te ingratum experior.*

Matth. 27. 34. — fidor. Clar. Orat. 41. — S. Antonin. 2. p. sum. tit. 3. c. 9. §. 5.

Cæterùm sæpiùs Christus Dominus in hac vita mortali fleviisse perhibetur, ac tunc præsertim, quando in suprema vitæ hora se à Deo derelictum conquestus est: *DEUS, DEUS meus, ut quid dereliquisti me?* quæ verba non sine sanguineis lacrymis & ingenti clamore effatus est: *Cum clamore valido & lacrymis offerens.* O bone JESU! *O amor crucifixe!* quid sibi voluit insitatus hic clamor, & cruentæ lacrymæ, quas in agone tuo luctuosissimo profudisti? an tibi hos gemitus immensus ille dolor, quem patiebaris, aut amor, quo ferebaris in genus humanum, expresserunt? Resp. S. Bernardus: *Flevit Christus in cruce, quia cùm Passio sua sufficeret in redemptionem omnium, profuit in redemptionem paucorum*; & quàm maximè flevit, ait idem Mellifluus, *quia in Christo super omnes dolores exteriùs, fuit dolor humanæ ingratitudinis interiùs.* En ingratitudo nostra Christo in Cruce morienti expressit lacrymas. Quid igitur restat, anima Christiana, quàm ut imposterum non nobis ampliùs, sed Christo vivamus? *Mortuus est Christus*, ait Apostolus, *ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Non vivamus ampliùs ingrati, & beneficiorũ Divinorũ immemores, non vivamus mundi vanitatibus, propriæ voluntati, & carnis illecebris, sed vivamus DEO & Christo JESU filio ejus, qui pro nobis, ut æternùm viveremus, mortuus est in Cruce: *Ne obliviscaris*, ait Syracides, *gratiæ Fidejussoris tui, posuit enim pro te animam suam.* Proinde *benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus &c.*

S. Bernard. apud S. Bonaventuram serm. 6. in Parasceve. — 2. Cor. 5. 15. — Eccl. 29. 20. — Psal. 102. 1.

CON-

CONSIDERATIO XLVII.

Major habenda cura Animæ, quàm Corporis.

Pro Dominica 14. post Pent.

Nonne anima plus est, quàm esca? Matth. 6. 25.

I.

IN principio DEUS creavit cœlum & terram. Sunt prima Sacræ Scripturæ verba. Sed jam hæreo hîc attonitus, quòd immensus DEUS essentia unus, sed personis trinus priùs cœlum empyreum, & exinde primùm terrâ ex nihilo voluerit producere. Et nunquid hæc fabrica contra rectam erat architecturæ methodum, quæ vult, ut priùs de ædificii fundamento disponatur, quàm ut à tecto incipiatur? Hoc tamen non obstante summus Architectus priùs cœlum ex nihilo, & deinde terram creavit. Rationem assignat S. Chrysostomus, quia DEUS cœlum animæ nostræ destinabat in habitaculum, terram autem corpori & filiis hominum; & quia anima plus est quàm corpus, ideò priùs de stabili & perpetua animæ habitatione providere voluit: *DEUS*, ait Os aureum, *præter humanum morem suum perficiens ædificium, priùs cœlum extendit, posteà terram substernit, priùs culmen, & postea fundamentum: Quis tale quid vidit; in hominum sanè operibus nil tale unquam fuit, & ratio est, quia anima longè præeminet corpori &c.* Ergò priùs cœlum, quàm terra quærenda est. Gen. 1. 1. S. Chrysost. hom. 2 in Genes.

De Salomone sapientiæ humanæ oraculo, recenset tertius Regum liber, quòd priùs Deo splendidissimum templum immensis ferè impensis ac sumptibus ædificare voluerit, antequam ad fabricam regii sui palatii manus apponeret; *Ædificavit eam annis septem; domum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, & ad perfectum usque perduxit.* Et quare tardiùs ædificata est regia quàm templum? nunquid Rex ille priùs indigebat domo? & hoc quidem humanô loquendi modô verum est; sed omnia hæc facta sunt illis in figura, & scripta propter nos ad demonstrandum nobis, priùs quærendum esse cœlorum regnum, & quæ ad specialem Dei cultum pertinent, quàm nostram temporalem habitationem, quæ citò dissolvetur. *Et ecce, plus quàm Salomon hîc*; qui idem hodie in S. Evangelio monuit, primam nostram curam debere esse de salute animæ, quæ est verum templum Dei: *Vos enim estis tem-* 3. Reg. 6. 38. 3. Reg. 7. 1. Matth. 12. 24.

templum Dei vivi, secundariam de corpore, proinde dixit: *Nolite ergo solicitiesse, dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* *hæc enim omnia gentes inquirunt, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis: Quærite ergo primùm regnum Dei & Justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Supra quod egregiè Didacus Nissenus ad nostrum conceptum & propositum: Prima, inquit, sit nobis animæ cura, corporis accessoria. De studio, quo animæ necessaria procuranda, dicebat: *Quærite*, q. d. magnam sollicitudinem, ingenii totam aciem in eam rem vertite; de corpore verò ait: *Nolite solliciti esse.* E quibus collige, anime mi! quàm improvidi sint miseri mortales circa animæ suæ bona, dum majorem subinde corporis, jumentorum, prædiorum, opum & alimonii curam, quàm de salvanda anima sua gerunt. O miseri! *nonne anima plus est, quàm esca?* De qua veritate plura hodierna luce occurrunt consideranda.

2. Cor. 6. 17. Matth. 6. 13. Didac. Niss. D. 14. Pen. §. 5. Matth. 6. 25.

2. De Aristotele nôrunt Philosophi, quòd Athenis quondam celeberrimam erexerit scholam, quam vocabant Peripateticam, hinc & discipuli ejus appellati sunt Peripatetici, hoc est, ambulantes in porticu, & secum invicem philosophantes, ac ratiocinantes; ad quam scholam nullus admittebatur claudus, aut segnis, sed homines perspicacis, alacris & felicis ingenii, qui rerum naturalium indagarent causas. Plus quam Aristoteles erat Apostolorum princeps Petrus, qui à Christo ut Magister Christianæ philosophiæ constitutus primam suam scholam post acceptum Spiritum sanctum Jerosolymis in porticu Salomonis instituit, ubi prima præcepta Christianæ fidei suis discipulis tradidit; sed noluit habere inter illos segnes & claudos, proinde primò sanavit claudum: *Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens & laudans Deum.* Observa anime mi! ille claudicat, qui nunc in vitium, nunc in virtutem inclinat, qui nunc Deo, nunc diabolo inservit, quæ claudicatio admodùm periculosa, & vicina ruinæ est; hinc Petrus primò claudum istum curavit, ut indicaret, neminem cœlo esse aptum, qui in via salutis claudicat, & in quærendo animam segnis invenitur, unde monet hodie Veritas: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus.*

Actor. 3. 8. Matth. 6. 33.

Subjungo huic conceptui alium non minùs notatu dignum. Venerat aliquando mitissimus Servator Christus in civitatem Capharnaum, ubi propriam sibi constituit habitationem; & quia domus, in qua habitabat, propter adventantes turbas nimiùm erat angusta, aperiebant, & nudabant turbæ tectum, per quod paralyticum quendam in lectulo, velut vivum & spirans cadaver, jacentem, & à quatuor viris portatum, per fascias & funes ante pientissimum Salvatorem demiserunt; & quia magna erat & populi, & paralytici fides, dixit Christus ad ægrotum: *Confide, fili, remittuntur*

Matth. 9. 2.

tibi

tibi peccata tua. Non placuit hic ſermo in auribus Scribarum adſtantium, proinde intra ſe muſſitabant: *Hic blaſphemat.* Sed videns JESUS eorum cogitationes, mox hanc objectionem per miraculum ſolvit: *Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habeat poteſtatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico) ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Benigniſſime JESU! quid eſt hoc? cur huic paralytico priùs peccata dimiſiſti, priùsquam illum reſtitueres ſanitati? & nunquid infirmus illehanc à te poſtulaverat gratiam? Minimè gentium: Corporis, non animæ quærebat ſalutem? Reſp. Salmeron: *Ut doceat, quantò plus referat curare animam, quàm corpus, & quàm pejus ſit peccatum omni infirmitate.* Ex quibus facilè intelliges, anime mi! quali in pretio apud Deum & hominem Chriſtum ſit anima noſtra, & quomodo ante omnia hujus mundi creata bona ſit quærenda. Audi S. Chryſoſtomum: *Omnia*, inquit, *nobis duplicia dedit DEUS, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes; ſi igitur horum alterum lædatur, per alterum neceſſitatem conſolamur: Animam verò dedit nobis unicam, ſi hanc perdidimus, quânam vivemus?*

Marc. 2. 3.

Salmeron t. 6. tr. 14.

S. Chryſoſt. hom. 22. ad populum.

3. Salomonem omnium mortalium ſapientiſſimum conſulamus. Probaverat hic Rex omnia hujus mundi oblectamenta, dum ſeſe torum dedit hujus ſæculi deliciis, ac mundi voluptatibus? *Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis.* Sed in his omnibus non invenit niſi vanitatem & afflictionem ſpiritûs. Audite ipſum loquentem, quid de omnibus ſuis voluptatibus, honoribus, obſequiis, opibus & theſauris ſenſerit: *Quid profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? tranſiêrunt omnia illa tanquam umbra.* O curas hominũ, quantùm eſt in rebus inane! Porrò unũ eſt neceſſarium, ut Deum quæramus, & animæ noſtræ ſalutem: *Quærite ergo primùm regnum cælorum, & juſtitiam ejus.*

Eccl. 2. 1.

Sap. 3. 5.

Matth. 6. 33.

Ex quibus collige, anime mi, in quo vera animæ noſtræ conſiſtat felicitas, non in gula, non in eſca, non in potu, *non eſt enim regnum Dei eſca & potus; ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Neque conſiſtit in voluptatibus carnalibus & ſenſualibus, quia libidinis impetus momentô tranſit; eſtque ſimilis ſenſuum voluptas Sodomæ pomis, quæ ſi tanguntur, ſine mora in fœtorem, favillam & cinerem abeunt. Neque conſiſtit in colligendis opibus & theſauris hujus ſæculi, quæ omnia Apoſtolus arbitratus eſt ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Sed vera animæ noſtræ felicitas conſiſtit in quærendo, & obtinendo ultimo fine, qui eſt DEUS, unica noſtra & vera ac æterna felicitas; & ſicut omnia flumina, quia de mari exeunt, nunquam in curſu ſuo ſolent quieſcere, donec tandem ad ſuam revertantur originem: ita & appetitus animæ noſtræ in hac mortali vita in nullis bonis creatis ſaturari, ac quietari poteſt, niſi in ſola converſione ad Deum, ejúsque dulci frui-

Rom. 14. 17.

Philippenſ 3. 9.

Eccl. 1. 7.

1. Joan. 2. 15. tione. Proinde *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt;* sed diligite Deum, qui est fons omnis boni, quies cordis nostri, ac animæ nostræ centrum: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus.*

4. Inter alia præcepta, quæ Christus Dominus dilectis suis tradidit discipulis, & Christianis omnibus, ut ea observarent, impensè commendavit, non postremum illud est; ut prudentiam serpentis imitarentur: *Estote prudentes sicut serpentes.* Et qualis, haud immeritò rogabis, prudentia serpentis est? Respondet in hunc locum S. Hieronymus, quia in periculo amittendæ vitæ toto tempore occultat caput, ut illud, in quo vita est, protegat, atque conservet, pro quo tuendo totum corpus fustibus & gladiis objicit. Ita & nos oportet pro animæ nostræ salute decertare, pro qua corpus & opes, famam & vitam objiciamus; Serpens insuper, ne voces & cantilenas incantatorum audiat, eísque inescata decipiatur, & capiatur, aurem unam terræ vel petræ affigit, alteram caudâ claudit. Hoc fac & tu, homo Christiane; ne Syrenum, meretricum, adulatorum & malorum sociorum, in ruinam animæ tuæ tibi abblandientium, audias voces; hinc maturè aures tuas instar serpentis claude, imò & cum Ulysse cerâ obdura. De serpente ulteriùs liquet, quòd senescens per angustum petræ foramen, strictásque ejus rimas serpere soleat, ut veterem sibi pellem detrahat, novúmque induat. Tu, ô homo Christiane! ut serves animam tuam, veterémque deponas hominem, per angustam viam transire debes, quia lata & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: *Via enim,* ait S. Augustinus, *in cælum angusta est, & virtute semper innovanda.*

Matth. 10. 16.

S. Hieron. hic.

Matth. 7. 13.

S. Aug. l. 2. de Doctr. Christiana 16.

Et hæc causa est, quòd David, nunc per varios casus & rerum discrimina cautior factus, de se ipso testetur, quòd animam suam semper in manibus suis portaverit: *Anima mea in manibus meis semper.* Et quid ais, Rex prudentissime! quòd animam tuam semper in manibus portaveris? Nunquid anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte? Quare ergo asseris: *Anima mea in manibus meis?* Resp. S. Doctor Mellifluus, ut eam contra omnes, qui illam volebant eripere, vigili curâ conservaret, & ne creaturarum amore fascinatus ejusdem unquam oblivisceretur, & sic periret æternum: *Anima mea,* inquit, *in manibus meis. Sicut quod in manibus nostris tenemus, non oblivisci mus: sic nunquam oblivisca mur negotium animarum nostrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris.* Pro cujus amore, conservatione & salute ferrum & ignem, imò mille potiùs nos oportet sustinere neces. Ita fecerunt tres Pueri Babylonici, de quibus Scriptura: *Respondentes Sidrach, Misach, & Abdenago, dixerunt Regi Nabuchodonosor; Non oportet nos de hac re respondere tibi; ecce enim DEUS noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis &c.*

Psal. 118. 109.

S. Bernard. ferm. 3. in Vigil. Nat. Dom.

Dan. 3. 16.

5. Ab ardente fornace Babylonica ad infernalem descendamus. Et quid video? hominem olim in terra nobilem, potentem ac divitem, cui nomen Nicensis, *qui induebatur purpurâ & byssо, & epulabatur quotidiè splendidè.* Et quid nunc agit in inferno? *Crucior*, inquit ipse, *in hac flamma*, & quidem tormentis maximis, & ineffabilibus, tum ob ardentissimam sitim, tum innumeros, & proh dolor, nunquam terminandos incendii tartarei ardores. Et quid peccavit hic miser in hac vita mortali? Resp. S. Chrysostomus, eum animæ suæ curam penitùs neglexisse, & præsentibus tantùm rebus ac voluptatibus inhiâsse, ideò justô Dei judiciô ad hunc tormentorum locum devenisse: *Quotidiè*, inquit, *purpurâ induebatur, anima verò ejus araneis referta erat: unguenta spirabat, & fætoris plenus erat; carnem saginabat ancillam, dominam autem animam fame confectam negligebat.* Ite nunc divites & avari, ite gulones & epulones, ite immisericordes & injusti, ite luxuriosi & voluptuosi, qui in corporeas duntaxat effusi estis voluptates; ite, ite, & ulteriùs animas vestras sinite tabescere fame. Et quidem tandem de vobis fiet? S. Jacobum audite: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis; divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus &c.*

Luc. 16. 19. S. Chrysost. hom. 1. de divit. & Lazaroe. Jacobi 5. 1.

Dæmon pro unica anima acquirenda universum offerebat mundum: *Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Mercator ille cœlestis pro thesauro in agro abscondito, & invento omnem suam præsentavit substantiam: *Præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.* Negotiator ille Evangelicus pro unica obtinenda pretiosa margarita *vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Thesaurus hic absconditus in agro corporis tui est anima tua: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus*; Margarita ista pretiosa pari ratione anima tua est, pro qua Christus negotiator omnia dedit, ut compararet eam, non primam, sed ultimam sanguinis sui guttam: *Vis scire*, ait prædictus S. Chrysostomus, *quantum sit pretium animarum nostrarum? redempturus eam unigenitus non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem; quocirca dicebat Paulus: Empti estis pretiô magnô.* Et tu, ô homo inanis & vanus! quomodo tu æstimas animam tuam? qualem, obsecro, illius curam geris, ut eam salves æternùm; An quæris primùm regnum Dei & justitiam ejus? Heu nos miseros, quousque tandem devenit miseria & insciția nostra? pluris mortale & fragile corpus, pluris pecunias & prædia, pluris equos & canes, pluris momentaneas ac spurcissimas æstimamus voluptates, quàm animam nostram. Esau primogenita sua pulmentô lentis vendidit: *Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; parvi pendens,*

Matth. 4. 8. Matth. 13. 44. Matth. 13. 46. 2. Cor. 4. 7. S. Chrys. hom. in Psal. 48. Gen. 25. 34.

pendens, quòd primogenita vendidisset. Nos quotidiè pro vilissimo pretio, & voluptatula unius momenti animam nostram diabolo vendimus, & parvi pendimus, quòd primogenita nostra tantillùm vendiderimus? Eja surgamus, & quæramus primùm regnum Dei, & justitiam ejus.

Joan. 13. 4. 6. Ad montem Sion nos conferamus. Et quid video? *Surgit JESUS a Cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se; deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum.* Quæres hîc, an mitissimus Salvator etiam sordidos Judæ pedes abluerit? Resp. S. Augustinus, quòd sic, quia Judas tunc præsens fuit, ac proinde à Christo lotus. Et quomodo, obsecro, universorum Dominus adeò sese potuit humiliare, ut ad pedes impiissimi proditoris sui se prosterneret, eósque à sordibus ablueret? Et nunquid priùs diabolus similem quandam à Christo demissionem petiit, ut ab illo flexis coleretur & adoretur genibus, pro quo obsequio illi omnia mundi regna in donum obtulit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me?* verùm mox à Christo stygius ille serpens repulsus est: *Vade satana; scriptum est enim: Dominum Deum adorabis, & illi soli servies.* His tamen non obstantibus Christus Dominus nunc in ultima cœna flexis se prosternit genibus coram Juda, in cujus corde jam diabolus mansionem suam fixerat, quòd clarissimè patet ex Christi verbis à S. Joanne citatis: *Unus ex vobis diabolus est; dicebat autem Judam Simonis Iscbariothem &c.* O pientissime JESU! an omnino divinitatis ac supremæ dignitatis tuæ oblitus es? *Sub quo curvantur, qui portant orbem,* nunc ipse coram traditore suo curvatur, qui jam pridem à diabolo obsessus erat: quæ ergo causa tantæ, & tam insolitæ humilitatis? Respondet doctissimus Mansius: Ex quo poteris colligere, quanti Christus animam vel unicam æstimaverit, & etiamnum æstimet; hinc ut animam impii Judæ lucrari posset, non dedignatus est flexis genibus ejus pedes abluere, eósque humiliter deosculari, ut vel sic ejus cordis emolliret duritiem ejúsque animam ab interitu vindicaret. Et hoc est, quòd etiam in captivitate sua, cùm nunc mansuetissimus agnus ad cruentam lanienam esset raptandus, illum adhuc amicum appellaverit: *Amice, ad quid venisti?* ut vel sic eum reduceret, & illius animam ad Dei imaginem creatam ab æterna perditione eriperet.

Joan. 6. 71. Job. 9. 13. Mans. in Bibl. to. 1. tr. 7. disc. 11. Matth. 26. 50.

O Curatores animarum! habemus hîc formam, quam imitemur. Non quæsivit Christus Judæ loculos, non Matthæi & Zachæi publicanorum pecunias, non hominum favores & honores, sed animas, pro quarum obtinenda salute nulli unquam pepercit labori, imò nec cruori, quem tam copiosè pro illis profudit; hanc, inquam, formam, & nos imitemur? *Pascite,* ait S. Petrus Apostolorum Princeps, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè,*

Pet. 5. 2.

neque

neque ut dominantes in Cleris, ſed formæ facti gregis ex animo; & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Et immenſam laborum veſtrorum mercedem, quia juxta S. Dionyſium Areopagitâ: *Omnium divinarum diviniſſima extat perfectio, Dei Cooperatores eſſe in ſalute animarum ad ſuum Creatorem*; & juxta mentem S. Auguſtini: *Majus opus eſt, ex impio juſtum facere, quàm creare cælum & terram.* Quibus SS. Patribus adjungo, & S. Joannem Climacum: *Nullum*, inquit, *Deo munus à nobis gratius offerri poteſt, atque cùm animas illi ad pœnitentiam deductas conſecramus; non enim eſt tanti totus mundus, quantum pretium unius animæ, ille tranſit, hæc immortalis eſt, & æterna.* Si igitur in ore duorum, aut trium teſtium ſtat omne verbum, quo amore & ardore, quâ curâ & ſedûlitate nos oportet invigilare animarum ſaluti? Quæramus ergo nos primi regnum Dei, & juſtitiam ejus, & cætera omnia adjicientur nobis.

S. Dionyſ. Areop. in cæl. hier. S. Auguſt. tr. 32. in Joan. S. Joan. Clim. epiſt ad Paſt. circa finé.

7. A monte Sion ad Calvarium collem transeamus. O luctuoſum! ô tremendum, ô cruentum ſpectaculum! accurre Oriens & Occidens, veni Septentrio & Meridies, ecce pendet in crucis patibulo DEUS ac Salvator tuus Chriſtus; perforantur ei clavis ferreis venerandæ manus & pedes; fluunt exinde quatuor orbis flumina, univerſam terræ ſuperficiem irrigantia. Interim ludunt, & illudunt ei milites, & ſpolia Regis jam victi, ac in crucem acti inter ſe ludibundi dividunt, dum tunicam illius exteriorem coloris violacei in quatuor diſſecant fruſta, jacientes ſortem, quodnam quisque tolleret fruſtum, interiorem autem tunicam placuit ſervari intactam, cui illa jactâ ſorte cederet in prædam, de qua ignominioſa veſtium diviſione dilectus ille Diſcipulus; qui ipſe huic aleatorum luſui præſens aderat, ita ſcripſit: *Milites ergo, cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit.* Amantiſſime JESU! Crucifixe Amor! quare voluiſti, ut tunica hæc tua interior, quæ tota textilis ſine ſutura erat, & tibi quondam puero à Virgine Matre facta & texta eſt, crevítque tecum (ut olim Hebræorum veſtes per 40. annos in deſerto peregrinantium) quare, inquam, non voluiſti, ut hæc tunica à militibus ſcinderetur in partes? Veſtis tua exterior in quatuor partes ſciſſa eſt, ut quælibet orbis plaga in hoc luctuoſo teſtamento ſuam haberet partem, ſed tunicam hanc inconſutilem ſervari voluiſti integram atque illæſam, éſtque adhuc hodie Treviris, ubi religiosè aſſervatur, & viſitur. Et nunquid, ô pientiſſime JESU! omnia tua membra corporis fuerunt ſauciata? Caput objeciſti cruentis ſpinis, faciem ſputis, genas colaphis, aures opprobriis, collum catenis & funibus, manus & pedes ferreis clavis, dorſum flagellis, & diviniſſimum pectus tuum crudeli lanceæ, & veſtem tuam inconſutilem voluiſti conſervari illæſam.

Joan. 19. 23.

Grande hîc latet mysterium; consulamus SS. Patres & Interpretes. S. Athanasius per tunicam istam fidem veram & orthodoxam subaudit: *Velum templi*, inquit, *scissum est, tunica verò Servatoris ne à militibus quidem scissa est, sed mansit integra: Manet enim Evangelium semper integrum, cum interim dissipentur umbræ.* S. Cyprianus observat, hoc ex singulari & divina obtigisse ordinatione; dum enim pretiosissimus Redemptor noster omnibus ultrò sese exposuit tormentis, solam tamen istam tunicam placuit esse integram, quia figura & typus fuit pacis ac concordiæ suorum fidelium: *Hoc unitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur &c.* Cornelius à Lapide per eandem tunicam inconsutilem Ecclesiam Christi intelligit, *quam scindere non licet, & si scindas, schisma facies.* Sed ad propositum nostrum optimè inservit Avancinus & alii, qui per dictam vestem interiorem dilectam & fidelem animam subaudiunt corpori Christi penitus adjacentem, pro qua, ut ab interitu servaretur, ipse pati, sauciari, crucifigi & mori voluit: *O anima*, subintrat hîc S. Augustinus, *erige te, tanti vales:* & S. Petrus: *Non corruptilibus aurô & argento redempti estis, sed pretioso sanguine Domini nostri JESU Christi.*

S Athanas. serm. de Cruce.

S Cyprian. lib. de Unit. Ecclesiæ.

Cornel. hîc.

Avancin. hîc

S. August. in Ps. 102.

1. Petr. 1. 18.

8. Coronidem huic Confiderationi imponat Propheta ille anonymus, qui ob leve delictum, quod contra mandatum Dei panem in domo alterius mendacis Prophetæ comederit, à leone suffocatus, & morsu interemptus est, quem tamen leo iste non ausus est devorare, sed stetit juxta cadaver ejus, quasi custodiens illud: *Non comedit leo de cadavere, nec læsit asinum.* Cæterùm miratur S. Ephrem, quòd ferocissimus ille leo non devoraverit corpus hujus à se occisi Prophetæ? & subdit: *Leo hic satanam significat, non curat corpus inanime; anima gratior illi erat, quam cadaver.* Et ita est: *Da mihi animas*, clamat adhuc hodie infernalis ille Leo cum Rege Sodomorum: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; ipse enim, quantum sit animæ pretium, probissimè novit. Et quid multis? ipsam pro dictorum confirmatione audiamus loquentem veritatem: *Quid prodest*, inquit, *homini, si Mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et si mundum universum & omnia illius bona creata dederit, in comparatione ad animam nihil valebunt, quia nullum est pretium in creatis, quo illam possis redimere. Hæc seriò cogita, ô mi Lector!

& dum adhuc potes, in salutem tuam vigila.

3. Reg. 13. 28.

S. Ephrem cit. à S. Eust. de Ros. Exhort. 41.

Gen. 14. 21.

Matth. 16. 26.

CON-

CONSIDERATIO XLVIII.

Memoria Mortis sæpiùs nobis ingerenda.

Pro Dominica 15. post. Pent.

Ecce, defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ.
Luc. 7. 12.

1.

ECce, inquit hodie Evangelista, *ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ*, quasi diceret: Perpendite, & considerate, mortales! qualiter mors improba nulli parcat honori, nullis divitiis, & nulli hominum ætati, dum etiam adolescentem prædivitem, familiæ spem, matris viduæ delitias & senectutis baculum tæthali spiculo sauciatum hodie ad sepulchrum deferri curavit; sic nimirum in feretro clauduntur omnia. *Et si hoc in ligno viridi, in arido quid fiet?* Nullus hîc poterit effugere, nullus se excusare, nullus ab hoc jugo se enodare; omnes hîc premit calceus, omnes hoc vectigal debent solvere, omnes secundùm hujus fistulæ tonum saltare: *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem judicium.* O homo! sumpte & formate de humo, quid es? Viator transiens, mortis mancipium, & corruptionis speculum. Hinc non sine peculiari causa majores nostri solebant pingere, sibíque tanquam speculum proponere quoddam cranium, seu Calvariam cadaveris cum hoc inscripto lemmate: *Cogitanti vilescunt omnia;* cui veritati adstipulatur & Divus Hieronymus: *Facilè*, inquit, *contemnit omnia, qui semper se cogitat esse moriturum.* O felix ille Christianus! qui cum Apostolo dicere potest: *Quotidiè morior*; hæc enim mortis memoria est unius cujusque Christiani regula, secundùm quam & vitam suam instituere debet, & dirigere.

Luc. 23. 31. Hebr. 9. 27. S. Hier. t. 3. ap. ad Paulinum. 1. Cor. 15. 31.

Cæco illo nato pretiosissimus orbis Redemptor lutô & salivâ visum restituit: *expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.* Et quare dices, Christus Dominus in illuminando hoc cæco lutum adhibuit? nunquid lutum summè nocet oculis? Et si unicus pulviseulus obest luminibus, quantò magis emplastrum ex luto & terræ pulvere formatum? Observa hîc, anime mi! ille, qui à mundi primordio hominem de

Joan. 9. 6.

luto

luto formavit, hîc præfato cœco per lutum, ubi in natatoria Siloë se lavit, mirandum in modum visum restituit, ad insinuandum posteris, ut semper & originem & finem nostrum retineamus recenti memoriâ, *quia pulvis sumus, & in pulverem revertemur*: hæc seria memoria ac meditatio cœcos nostros illuminet oculos, ut cautiùs hîc agamus, & Deo nostro pro viribus inservi-

S. Laurent. Justin. de lign. vitæ c. 4. amus. Juvat hîc audire S. Laurentium Justinianum: *O bona*, inquit, *mortis consideratio, quis, quanta per te acquirantur emolumenta, valet intelligere? quis potest capere, quis propalare? Utilis est tui memoria ad fugandum vitiorum exercitium & fugiendos peccatorum laqueos.* Plura de hac veritate in præsenti. Audite, & perpendite, qui tangit omnes &c.

2. Vates ille regius, ubi attentiore animo sua præterita considerabat delicta, & propterea justam adhuc sibi instare divinam indignationem, ut aliquo modo divinæ satisfaceret justitiæ, in cinere jacens, lugénsque cibos suos cinere solebat aspergere, & in tantos subinde erumpere fletus ac lacry-

Psal. 101. 10. mas, ut inter bibendum in potum suum defluerent: *Cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miscebam.* Ad quid Rex ille, talis ac tantus cinerem unà cum pane solebat manducare? Adverte: sensus litteralis est de pane subcinericio, & mysticus, ut mortis suæ brevi imminentis memoriam semper ante se, & secum haberet, cinerem enim esse se & pulverem propè cognoscebat, ideóque se totum Deo in holocau-

Hugo hic. stum præ animi pœnitudine usque ad cineres consecrabat: *Cinerem*, ait Hugo, *tanquam panem manducat, de memoria infirmitatis suæ reficitur; Memento homo, quia cinis es.* Et tu, anime mi: qui plura fortâsse admisisti peccata, quomodo doles? quomodo mortem instantem & judicium consideras? nunc cùm tempus est, in salutem tuam vigila.

Joseph Ægyptiorum Pro-Rex, ubi annum ætatis suæ centesimum & decimum attigit, & per octoginta annos continuos in regno Ægypti dominatus est, nunc moribundus fratres suos ad se vocavit, quos ob scelus perpetratum pavidos benignè consolatus est, jussítque, ut ossa sua post mortem istam temporalem secum in exitu Israël in Chanaan asportarent, & illic locorum cum Patre, Avo & Abavo, tanquam in terra à Deo generi suo

Gen. 50. 42. promissa, sepelirent: *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Ad quid dices, Joseph ante obitum suum tantoperè fratribus suis ossium suorum curam

Diez conc. 1. Dom. 15. Pent. commendavit? Diez, *ut mortis memores essent, & quoties ossa ejus aspicerent, dicerent: Hæc sunt ossa potentis illius ac sapientis viri Joseph. Quid de nobis erit? nunquid & nos morientur?*

Hoc & Moyses post eà fecit, cùm enim cum tribus hominum millionibus ex Ægypto post annos paucos ad terram promissionis egressus esset, ut numerosissimum illũ populũ quasi fræno in mandatis Dei observandis illo remoto &

lon-

longissimo itinere contineret, ante omnium oculos prædicta ossa Josephi in feretro portari voluit: *Tulit quoque Moyses ossa Josephi secum*, ut haberet videlicèt populus ille, quod fructuosè in hoc itinere meditaretur: *Nihil enim*, teste doctissimo Idiota, *tam revocat à peccato, quam frequens mortis memoria &c.* Et S. Antonius Paduanus: *Sicut anchora navem retinet, ne in saxis se frangat, sic mortis memoria vitam nostram retinet, ne ruat in peccata.* Econtrario oblivio mortis omnibus sceleribus laxat habenas. Vatem regium consule: *Operti sunt*, inquit, *iniquitate & impietate sua, & prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*? Et respondet sibi Propheta: *Quia non est respectus morti eorũ, ideò tenuit eos superbia.* Si enim homines meliùs mortẽ brevi imminentẽ ac novissima sua perpenderent, non in tantam iniquitatum voraginem præcipites ruerent: *Qui semper*, ait S. Ephrem, *mortis recordatur, rarò aut nunquàm peccabit.*

Exod. 15. 19. Idioth. l. 5. Contempl c. 4. S. Anton. Pad. Dom. Epiph. Psal. 72. 4. S. Ephrem de comp. cordis.

3. Scire fortâsse desideras, anima Christiana, quare mors pingatur ossea, sine carne, sine oculis? sine auribus & plerumque cum falce? & quare non cum gladio aut fulmine? Observa: Pingitur mors ossea, quia dura omnibus, & flecti nescia. Pingitur sine oculis, quia non respicit personam ullius hominis. Pingitur sine auribus, quia surda precantibus, & misereri omnino inscia. Pingitur tandem cum falce, & non cum gladio aut fulmine, quia sicut messor in prato, vel agro nulli parcit flori, herbæ, vel spicæ, quantumvis altæ, ita & mors nulli parcit honori, aut hominum ætati: *Fata manent omnes; metam properamus ad unam.* Proinde *melius est*, juxta monitum Sapientis, *ire ad domum luctus quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.*

Eccl. 7. 3.

Porrò summè mirandum est, quare mortales miseri tam cæci existunt, atque apertis oculis non videant, qualis sors & mors eos maneat in futurum. Vident hi quotidiè alios, imò notos & amicos, tristem subire necem, & unum post alterum ferri ad tumulum; & ipsi interim, non ignorent se brevi secuturos, seriò & cum fructu de morte propria, & novissimis non cogitant. O insensati, & genus absque consilio! Proinde rectè præfatus Psaltes regius pro ejusmodi salutis suæ incuriis Deum solebat deprecari: *Constitue Domine, Legislatorem super eos.* Et qualem Legislatorem, dices, anime mi! an Moysen, aut Eliam, aut alium ex Prophetis? Minimè gentium, sed mors est ille Legislator, quẽ pavere debent omnes peccatores terræ, quia, quasi Monarcha est mundi invincibilis, cunctos orbis incolas superans, & sibi subjugans. Hunc, inquam, Legislatorem mortales timete, & dum tempus gratiarum affulget, in vestram salutem estote vigiles, tela enim prævisa minùs feriunt.

Psal. 9. 12.

Judic. 14. 8. De Samsone recensèt Scriptura, quòd in ore occisi à se leonis dulcem mellis favum invenit: *Et ecce, examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis, quem cùm sumpsisset in manibus, comedebat in via.* Per leonem hunc, priùs Samsoni in via insidiantem, rectè mors designata est, de qua Vates Regius: Psal. 7. 30. *Ne quando rapiat, ut leo animam meam: dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.* Leo hic crudelissimus omnibus mortalibus, consequenter & tibi, optime Lector, singulis momentis struit insidias: *Mors te ubique expectat,* S. Aust. lib. de Spirit. & anima. subintrat hîc sanctus Augustinus; quid igitur in re tanti momenti, ex quo pendet æternitas consilii? *Tu si sapiens es,* pergit idem S. Pater, *eam quoque ubique expectabis,* nunc ergo cum sanus es, ac valens viribus, sæpiùs per seriam meditationem cum hoc ferocissimo congredere leone, nunc, velut alter fortissimus Samson cum hoc monstro frequentiùs decerta, nunc illius dolos & technas considera impensiùs, quomodo capitalissimum hostem tuum tandem in supremo illo agone poteris devincere &c. Et hæc frequens mortis memoria te præservabit à peccatis, ac tandem in fine, cum de hac vita ad judicium erit tibi migrandum, dulce mel in ore tuo subministrabit: *Et ecce in ore leonis erat favus mellis.* Juvat hîc audire S. Basilium: *Beata,* inquit, S. Basil. hom. ad-hort. ad Baptism. *illa anima, quæ die noctúque nil aliud curat, & animo versat, quàm quo pacto in magno illo die, quo creatura omnis ad Judicis tribunal sistetur, rerum in vita gestarum rationes reddat.*

Josue c. 31. 4. Et hoc est, quòd benignus DEUS quondam insinuare voluit invictissimo juxta ac pientissimo Israëliterum Duci Josue: *Senuisti,* inquiebat ad illum, *& longævus es, terráque latissima derelicta est, quæ nec dum sorte divisa est &c.* Abulens. hîc q. 2. Supera quod doctissimus Abulensis: Ecce, ait, DEUS Josue suam proposuit senectutem & ætatem jam profectam, ut eò impensiùs ei mortis inculcaret memoriam, & ut in consideratione tam propinquæ mortis nullam ampliùs in dividenda illa terra interponeret moram; sed eam in funiculo distributionis secundùm æquum & jus inter tribus æqualiter distribueret, quæ seria ejusmodi mortis memoria non sinit, ut alicui inimico fiat injustitia, Eccl. 18. 6. unde Sapiens: *Memento novissimorum, & desine inimicari.*

Moyses ubi jubente Domino super montem Nebo de longinquo Chananæam, seu terram illam desiderabilem à Deo toti populo Israëlitico promissam contemplatus est, annum agens centesimum & vigesimum pissimè in Domino obiit, cujus corpus abinde per Angelos translatum, in valle Deut. 34. 5. Moab sepultum est. *Mortuus est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Et quare, dices: Moyses Prophetarum Princeps in valle Phogor terræ mandatus est? Respond. Cornelius, Speranza & passim alii, in illa valle Hebræi à mulieribus Moabiticis seducti colebant impium idolum Phogor, seu impurissimum Priapum, ut igitur comodam huic plagæ DEUS pararet medicinam,

voluit

voluit ibi sepelire Moysen, ut Hebræus populus mortis memoriâ & sepulturæ præsentiâ à carnis avocaretur illecebris & illiciis voluptatibus; nihil enim concupiscentias carnis ita sopit, ac mortis & cadaveris inspectio, vel consideratio: *Singulare*, inquit Doctor Mellifluus, *contra omnia mala remedium est mortis memoria; & sicut latrones timent, & fugiunt faciem judicis, sic vitia memoriam mortis.* S. Bernard. de modo vivendi, & S. Bonav. c. 36. dicta.

5. Joab supremus Regis Davidis Archistrategus, ubi adverrit Amasam in belli expeditione contra Sebam rebellem sibi à Davide esse prælatum, ut hanc vindicaret seu injuriam, seu ignominiam, Amasam, licèt consobrinum suum dolosè in via publicâ, inspectante universo exercitu, occidit: *Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve, mi frater, & tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum; porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est*, cujus cadaver, quia publicè ibidem jacebat in via, iter totius exercitûs retardavit: *Ecce*, dicebant inter se Officiales & Milites, *ecce, qui voluit pro Joab esse comes David*, in bello ejus Vicarius & Capitaneus Generalis; ecce nunc conspersus sanguine jacet in media via! quid illi profuit superbia & jactantia? quid voluptates & deliciæ? quid opes & prædia? quid favor Regis & populi? *Et substitit omnis populus ad videndum eum.* Quam moram ubi observavit quidam militum officialis, ne rebellio Sebæ & adhærentium interim magis, & velut torrens accresceret (quia mora sua juxta regulam juris in Sexto cuilibet nociva) statuit eam in ortu suo extinguere, proinde prædictum Amasam amovit de via in agrum, operuitque cum vestimento; ne subsisterent transeuntes propter eum. Vide hîc, atque considera, anima mi! quomodo consideratio hujus immaturæ & insperatæ mortis Ducis Amasæ universum populum potuerit commovere, ut non duntaxat cessarint à cœpto itinere, sed & à cæde ac rapina abstinerent: *Ecce, qui voluit pro Joab esse comes David.* Hinc non incongruè Didacus Stella: *Vita*, inquit, *Sapientis est meditatio mortis, & indignus est consolatione in morte, qui mortis in vita oblitus fuit.* 2. Reg. 20. 9. Stella de contemptu mundi. f. 218.

6. Cæterùm miratur orbis, cur ad unicam Jonæ concionem Rex Sardanapalus cum Proceribus & urbe universa Ninive à vitiis ad virtutem, & à via iniquitatis ad viam justitiæ fuerit conversus: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Quæres hîc Lector prudens, quo argumento tandem commoti sint Rex, & incolæ illius loci, ut absque mora, & sine singulari, ut ita dicam, fundamento Jonæ Prophetæ in re tam gravi (qualis erat Urbis & Monarchiæ excidium) fidem adhiberent? Respondetur ex mente SS. Patrum & interpretum, Ninivitas ideò tam citò ad Deum fuisse conversos, quia videbant Jonæ. 3. 5.

bant in Jona prædicante quasi horridam & vivam mortis imaginem; dum enim è ventre piscis liberatus ingressus est civitatem, & ipse totus pallidus, velut mortuus apparuit, prædicens civibus mortem & interitum: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Ad cujus viri tristem conspectum & mortis brevi sibi imminentis considerationem cives illi quantocyùs ad Deum conversi pœnitentiam egerunt, & sic ipsam mortem devitârunt. *Et vidit DEUS opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & conversus est DEUS super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Vide ex his, anime mi, atque perpende, quàm salutaris fuerit Ninivitis memoria mortis: Pavo licèt superbus & fastuosus, si deformes suos, nigerrimósque contemplatur pedes, mox syrma suum in gyrum flexum, ac stellantem demittit caudam, unde rectè lemma huic avi impones: *Deformes oblita pedes.* Sic mortales omnes, licèt Reges ac Principes, Nobiles ac Divites facilè suum ponent supercilium, si sortem suam caducam & vitam brevi morituram seriò ad mentem revocaverint: *tumescit homo*, ait Ascanius Martinengus, *sæpè animi, corporisque dotibus, fortunæ etiam muneribus turget, sed ubi ad pedes oculos demittit, ad mortis terribilem memoriam ejus consideratione excruciatur, & stridet.*

Ascan. in Gloss. Marg. fol. 131.

Antiochum consule, quem cùm dirus viscerum dolor & ardua intestinorum tormenta apprehendissent, ut de corpore impii regis viventes scaturirent vermes, prævidens nunc infelicissimam mortem ac sortem suam in sed redire cœpit: *justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Sed frustra hic scelestus orabat Dominum, à quo non esset iniseri- cordiam consecuturus; unde in peccatis periit, & æternum reprobatus est. O infauste! *siccine separat amara mors?* Ubi nunc Herodes, cui populus acclamabat: *Dei voces, & non hominis?* Sed quia laudem non dedit Deo, mox ab Angelo percussus, ac vermibus consumptus interiit. Ubi scelerata ista Jezabel, quæ, ut Jehu Regi recens inaugurato placeret, *depinxit oculos suos stibio, & exornavit caput suum, & respexit per fenestras ingredientem Jehu &c.* Et quid accidit? Jussu ejusdem novelli Regis de fenestra præcipitata, equorum ungulis conculcata, & à canibus devorata est, unde in proverbium transiit: *Hæccine est illa Jezabel?* Ecce, qualis vita, finis ita, mors enim est Echo vitæ; Vive ergo benè, dum tempus est, ne moriaris malè in tempore non tuo.

2. Machab. 9. 12.

Actor. 12. 22.

4. Reg. 9. 30.

8. Recordor hîc primi parentis nostri Adami, ad quem DEUS in paradiso dixit: *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc tamen non obstante, Adam de ligno comedit; unde & pœnam non tam mortis temporalis, quàm & æternæ incurrit, hoc enim significat hæc geminatio: *Morte morieris.* Sed quid audio? *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus*

Gen. 2. 17.

Gen. 5. 5.

mortuus est. Si hoc verum est, prout verissimum est, quòd Adam tanto tempore, post admissum illud peccatum, adhuc in orbe superstes, in vita fuerit, quomodo ergo verificatur illud: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris?* Respondent Sacri Doctores, & communiter Interpretes, quòd Adam eodem, quo deliquit momento, quoad animam actu mortuus sit, & quoad corpus mori inceperit, videlicèt longa illa phthiseos, seu internæ corruptionis morte, quæ inter sese continuò pugnantibus elementis & humoribus, seque mutuò corrumpentibus, vix nati morimur, & ducimur ad interitum, ad instar candelæ accensæ, singulis momentis seipsam magis consumentis, donec tandem extinguatur. S. August. lib. 14. civit. Dei Tom. hic & alii.

Beatus ergo, ait doctissimus Kempensis, *qui horam mortis semper ante oculos habet, & ad moriendum se quotidie disponit.* Tho Kemp. l. 1. c. 23. Eccl. 7. 18.

Age igitur, quisquis es, homo Christiane, & *noli esse stultus multum, ne morieris in tempore non tuo.* Observa: *Noli esse stultus multum*; Si hactenus parum stultus fuisti, transeat, quia tempus illud elapsum amplius revocare non potes, nisi per seriam pœnitentiam, ut cum Ezechiel hanc facias resolutionem: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, sed noli esse stultus multùm, ut de die in diem vitæ tuæ differas emendationem, donec tandem moriaris in tempore non tuo, quia imparatos & virtutibus destitutos repentina invadet mors. Econtra summum bonum est mori in tempore suo, hoc est, quando homo ita vivit, ut quotidie mori possit, & sic in gratia Dei paratus transit ad beatam immortalitatem: *Beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem.* Isaiæ 38. 15. Luc. 12. 37.

8. Et quid multis? Ipse pientissimus orbis reparator Christus sæpiùs, imò quotidiè mortis suæ memor esse voluit. Cùm indignarentur Apostoli, quòd pretium unguenti à Magdalena non in pauperes, sed in Christi caput fuisse effusum, eorum murmur memoria mortis suæ sedavit: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Alia vice eis intimavit: *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Et iterum, *ecce ascendimus Jerusalem, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis; & condemnabunt eum morte &c.* Matth. 26. 12. Luc. 12. 50. Matth. 20. 18.

Mitto alia plura Scripturæ testimonia, & solùm in apricum profero, quòd neque in monte Thaboræo, dum transfiguratus est, mortis suæ immemor esse voluerit, proinde cum Moyse & Elia non alium discursum movit, quàm de morte sua brevi imminente: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo, erant autem Moyses & Elias visi in Majestate; & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Sed ad quid ista omnia? Adverte: *Omnis Christi actio nostra fuit instructio*, voluit enim nobis luculentũ monstrare exemplũ, qualiter & nos semper mortis nostræ memores vivamus, & quomodo ejusmodi mortis Luc. 9. 30.

Quam veritatem Christus etiam hodiernis demonstravit invitatis; ubi enim hydropicum insigni miraculô in domô Phariſæi ſanavit, circumſtantibus parabolam propoſuit de ultimo in nuptiis ac conviviis captando loco: Luc. 14. 10. *Cùm vocatus fueris, recumbe in noviſſimo loco.* Ecce, quomodo humilis JESUS de virtute humilitatis loquatur, ut te minorem omnibus reputes; unde & in alio loco dicit: Matth. 7. 13. *Intrate per anguſtam portam &c.* non potes autem intrare per anguſtam portam, niſi te humiles. De qua veritate plura hodie in præſentiarum explicabimus.

2. Vidit aliquando Nabuchodonoſor Rex potentiſſimus, æquè ac ſuperbiſſimus in ſomnis grandem quandam ac mirabilem ſtatuam, cujus caput erat aureum, pectus argenteum, venter & femora ænea, pedes ferei & fictiles: tandem Dan. 2. 31. *abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos; tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum &c.* Mirabilis caſus, portentum inſolitum. Et quare dices, immanis hæc ſtatua tam ſubitò diſſipata, & in favillam redacta eſt? Reſpondeo, quia fundamentô ſolidô caruit, erat enim tantùm ex luto; hinc mirum non eſt, quòd ad lapſum unius lapidis tota machina, licèt ex pretioſis, validisque metallis fabricata, corruente baſi, corruerit.

Obſerva, anime mi, pro te hîc ſenſum moralem: Baſis ac fundamentum virtutum omnium eſt humilitas, cui cæteræ virtutes omnes ſunt tributariæ, & cui tota ſpiritualis noſtra ſtatua, & conſtructio innititur: *Cogitas,* S. Auguſt. ſerm. 10. de verbis Domini. ait S. Auguſtinus, *magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis,* ſi hoc ruinoſum eſt, totum ædificium ruinæ proximum erit, imò ut tandem corruat, neceſſum eſt: *Fundamentum,* ait Os aureum, S. Chry. ſoſt. hom. 4. in Matth. *Philoſophiæ Chriſtianæ eſt humilitas, unde ſive jejunium, ſive oratione, ſive eleemoſynam, ſive continentiam, ſive quid aliud boni congregaveris, abſq; humilitate defluit, & omnia pereunt.* Et in alio loco eandê veritatê adhuc magis diluS. Chryſoſt. hom. 15. in Matth. cidat Orator ille aureus: *Unusquisq;,* inquit, *humilitate ſuppoſitâ, tutiſſimè omnia alia ſuperponit ædificia; hac verò ſubductâ, etiamſi ad ipſam uſque cælum converſationis ſublimitate perveniat, ſimul omnia ſubſtrahuntur, atque in ſuum peſſimum relabuntur.* Sic corruentibus duabus columnis, quibus omnis ſuſtentabatur Philiſthæorum domus, cùm Samſon excæcatus ante eos luderet, ac ſaltaret, mox & totum ædificium corruit, & ingentem hominum multitudinem oppreſſit. Judic. 16. 29. *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq; earum dextrâ, & alteram levâ tenens,* ait: *Moriatur anima mea cum Philiſtiim, conteſſisque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem.* En miſerandum caſum ſi deficit humilitas.

3. Progrediamur ulteriùs. Rogavit aliquando Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos, quem ſe eſſe cenſerent? diverſa hîc erant diverſorum judicia, dum

alii

alii illum Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut certè unum ex præcipuis Prophetis proclamabant; ſed cæteris felicior præmium hîc tulit Petrus dum ad quæſtionem propoſitam ſuperiore lumine illuſtratus reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; ad quam feliciſſimam reſolutionem mox ei Dominus Eccleſiæ regimen & claves cœli promiſit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. 16.

Suſpendamus hîc pauliſper judicium noſtrum. Finito hoc amicabili diſcurſu, ad alia & triſtiora tranſiit mitiſſimus Dominus, dum ſuos diſcipulos cœpit de ſua præmonere imminente paſſione, & atrociſſimâ morte Crucis: *Exinde cœpit JEſus oſtendere diſcipulis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à Senioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere.* Non placuit hic ſermo in auribus Petri jam ad Pontificatum futurum deſtinati, proinde Chriſtum ſeorſim, ut familiariùs & ſecretiùs cum illo loqueretur, aſſumpſit, eique candidè dixit non jurgantis auctoritate, ſed amantis, & miſerantis affectu: *Abſit à te, Domine, non erit tibi hoc*; quaſi diceret: Hoc valde indignum eſt, ut Filius Dei crucifigatur, & moriatur; meliora Deus! non accidet tibi, Domine, mors tam indigna & ignominioſa. Et quid hîc exſpectas anime mi: audi fulmen? *Qui converſus dixit Petro: Vade poſt me Satana, ſcandalum mihi es.* Quaſi diceret: Recede à me, non enim es mihi in hac re amicus, ſed Satan, hoc eſt, adverſarius, & ſcandalum atque offendiculum. Et quare dices, Petrus tam acerbè à Chriſto fuit increpatus? O Petre! *Quam ſubitò dæmon, qui modo Petrus eras?* Matth. 16. 12.

℟. Ad hanc quæſtionem B. Petrus Damianus: *Factum id ad conſervandam Petri humilitatem;* erat enim neſcius ſecretorum Divinorum, & quòd per tam indignam Chriſti mortem genus humanum eſſet redimendum: *In quo nobis exemplum dedit,* pergit idem Beatus, *ut, quos ad honoris culmen attollimus, ſub diſciplinæ magiſterio refrænemus, ut ne ipſi, lenocinante faſtigio, ſe in ſuperbiæ tyrannidem erigant.* Et quis ignorat, quòd S. Paulus conſors S. Petri usque ad tertium cœlum, hoc eſt, Empyreum fuerit elevatus? hoc tamen non obſtante, & ita DEO permittente, paſſus eſt acres carnis ſtimulos: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis &c.* Et quare hoc? an non plùs omnibus laboravit Evangelium Chriſti cum innumerabili animarum lucro per plurimas diſſeminando provincias? Audi ipſum loquentem: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*; per quam pudendam carnis tentationem & turpes phantaſias plus humiliatus fuit, quàm per omnes alias, quas ſuſtinuit paſſiones & labores, maluiſſetq; quosvis alios perſentiſcere dolores, quàm ejusmodi tentari miſeriis; proinde, anime mi, *humiliate in omnibus, & coram DEO invenies gratiam.* S. Pet. Dam lib. 4. ep. 12. Velloſo in Judith. 1. Paræn. 4. 1. Cor. 12. 7. Eccl. 5, 20.

4. Subnectamus huic veritati aliam. Venit vice quadam ad pretiosissimum Orbis Salvatorem Regulus quidam ex Urbe Capharnao in Canam, ubi Christus tunc temporis intervallo morabatur, rogans, ut secum in Capharnaum descenderet, & ibidem filium suum lethali infirmitate fatiscentem
Jo. 4. 47. sanitati restitueret: *Rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus; incipiebat enim mori.* Verùm Christus recusavit hoc iter, erat enim quatuordecim leucarum, ac proinde satis longum & difficile; hinc solùm ad Regulum dixit: *Vade, filius tuus vivit.* Aliâ vice accessit ad Dominum Centurio quidam, rogans impensè, quatenus servum suum gravissimâ paralysi laborantem curaret, ad quem mox Dominus: *Ego veniam & curabo eum.* Et quis,
Matt. 8. 7. S. August. ser. 6. de puero Cent. obsecro, hîc non obstupescat mirabilem in Christo procedendi modum? Ad Regulum venire recusat, ad servum verò se conferre ultrò paratum se offert? R. S. Augustinus, quia Centurio humilitate præcessit Regulo, dicendo se indignum: *Domine, non sum dignus*, reddidit se dignum, non in cuius parietes, sed in cujus cor Christus intraret; Magister enim humilitatis amat cor humile, ibi sedem suam figit, ibi caput suum reclinat, ibi mansionem facit, unde ipse
Isa. 66. 2. ait apud Isaiam Prophetam: *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum?* per quem pauperculum Scriptura humilem intelligit. Humilem ancillam
Luc. 1. 48. elegit Deus, & eam in digniſſimam Filii sui Matrem destinavit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*; econtra *divites dimisit inanes.* Humilem Esther ad
Esth. 1. 22. regale solium evexit, superbam verò Vasthi repudiavit: *Quæ renuit, & ad*
Esth. 2. 9. *Regis imperium venire contempsit;* Econtrariò de humili Esther dicitur: *Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius.* Humilem Davidem puerum pastoricium de post fœtantes, accepit, & in Regem Israël per Samuelem inaugurari voluit, cœteris contemptis, & rejectis fratribus majoribus: *Et ait*
1. Reg. 16. 12. *Dominus: Surge, unge eum, ipse enim est.* Jacob humilem selegit sibi Dominus, ut jura obtineret primogeniti, Esau autem hominem superbum & arro-
Rom. 9. 13. gantem longè à se rejecit: *Jacob, dilexi, Esau autem odiô habui.* Humilis ac contritus Publicanus de templo descendit justificatus in domum suam, Pharisæus autem superbus cum omni fucata sua justitia à cœlorum Regno repul-
Luc. 18. 14. sus est; ad quod subjungit Veritas: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc rectè pro sensu morali S. Doctor Seraserm. de uno Confessore. phicus: *Nihil*, inquit, *habeat humilitate præstantius, nihil amabilius, hæc est enim præcipua conservatrix, & quasi custos quædam virtutum omnium, & nihil est, quod nos ita & hominibus gratos & DEO facit, quàm si vitæ meritô magni, humilitate infimi simus.* Audis hoc, qui hæc legis?

5. Cæterùm sæpè inter se hanc agitabant quæstionem Apostoli, ubi Petrum sibi à Christo præferri videbant, dum pro illo solo didrachma solvit, quinam eorum in Regno cœlorum videretur esse major: *Quis putas major*

est

eſt in Regno cælorum? ad quam reſolvendam quæſtionem Chriſtus parvulum in medio illorum ſtatuit (S. Marcus addit, eum Chriſtum in ulnas accepiſſe) tum elevata voce ad Apoſtolos dixit: *Amen, dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum.* Quid ad hoc Apoſtoli? ſine dubio ſeſe invicem aſpiciebant admirabundi, cogitantes & mente inter ſe prædicta Chriſti verba ruminantes: Quid? nos Apoſtoli? nos ſicut parvuli? viri, quibus incumbit docere omnes gentes, ire in mundum univerſum, & prædicare Evangelium, & nos ſimus ſicut parvuli? Advertit has vel ſimiles Apoſtolorum cogitationes benigniſſimus JESUS, & ut eorum ulcus adhuc melius tangeret, ſubjungit: *Quicunque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in Regno cælorum*; quaſi diceret: Dilecti diſcipuli mei, hîc in parvulo iſto verum cernitis humilitatis exemplum: parvuli non invident aliis, non primas ambiunt, ſicut vos, ſed ſunt humiles & ſimplices, candidi & innocentes, hoc ergo oportet vos imitari in ſimplicitate & humilitate; proinde non primum, ſed infimum locum quærite, ſi in via virtutis velitis proficere, & Cœlorum Regnum intrare, aliàs quidquid ædificaveritis in mundo, ſi nuter fundamentum humilitatis, breviſſimo tempore corruet: *Revertendum eſt igitur*, ſubintrat hîc S. Hilarius, *ad ſimplicitatem puerorum, quia in ea collocati, ſpeciem humilitatis Dominicæ circumferemus.*

Marc. 9. 36 Matt. 18. 3. S. Hilar. hîc.

Recordor hîc illius cæci nati, quem Chriſtus per lutum illuminavit: *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus.* Et quid, quæſo, viſui magis contrarium, quàm lutum? an non ab experientia conſtat, minimum pulveris atomum obfuſcare viſum, pupillasque hebetare oculorum? Reſpondet Salmeron, ideo Salvatorem noſtrum oculis hujus cæci nati ſuperimpoſuiſſe lutum, ut memoriam finis ſui ſemper ante oculos haberet: *Memento homo, quia pulvis es*; & Toletus: *Advertunt*, inquit, *cauſum eſſe, ut per hoc induceretur homo in humilitatem, eſt enim ex pulvere terræ factus.* Juvat etiam pro ſenſu morali hîc audire S. Ambroſium: *Si volumus*, ait, *mentis noſtræ oculos ſanare, debemus lutum ſuper eos ponere, nempe conſiderare noſtram miſeriam, fragilitatem, imperfectionem & peccata; à cogitatione enim ſui incipit Chriſtiana perfectio.*

Jo. 9. 6. Salmeron. hîc. Tolet. hîc. S. Ambr. l. 3. de Sacram. c. 2.

6. Appoſitè in mentem hîc mihi venit Mulier illa Chananæa & Gentilis, quæ à S. Marco dicitur, *Syrophœniſſa*, id eſt, eſt illa Phœniciæ parte, quæ pertinet ad Syriam; hæc, inquam, mulier, cujus filia malè à dæmonio torquebatur, ad Chriſtum venit, clamans, & impenſiſſimè rogans. *Miſerere mei, Domine, fili David! filia mea malè à Dæmonio vexatur.* Obſerva hîc ſingularem hujus Chananææ prudentiam: non addidit in ſupplicatione: Veni Domine, & libera filiam meam à Dæmone torquente, ſed ſolummodò filiæ ſuæ malum Chriſto repræſentavit, confidens in illius bonitate & clementia, filiam à Hygio inquilino liberandam. Verùm mitiſſimus Dominus ad hanc primam

Marc. 7. 26. Matth. 15. 22. Corn. hîc.

mam mulieris instantiam non respondit ei verbum, voluit enim magis probare fidem. Sed non destitit mulier rogando, & obtestandô pro filiæ salute, ad cujus preces & Discipuli commoti. Dominum deprecabantur: *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Verùm neque hoc Christi animum flectebat ad ferendam ei opem, unde ad illam dixit: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ periêrunt Domus Israël,* illis enim pascendis ovibus sum missus pastor & Messias. His tamen non obstantibus pergit mulier illa Chananæa, validiùs clamando, flexisque genibus Christum adorans ingeminando: *Domine, adjuva me;* Sed de novo à Christo repellitur misera; atque ut magis eam probaret, & mortificaret, illam pungebat appellandò canem: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Et quid hîc expectatis amici? audite à fœmina gentili insignem prudentiam & profundam humilitatem? *At illa dixit: Etiam Domine; Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Non potuit mitissimus Redemptor ad tam humiles preces ulteriùs dissimulare. Sed victus ratione & oratione Chananææ quasi admirabundus exclamavit: *O mulier! magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.* Vide hîc, anime mi, perfectæ humilitatis & orationis potentis ideam, quod utrumque, si singularem à DEO flagitas gratiam, te oportet imitari; agnosce te cum hac
Jac. 1. 6. Chananæa pari humili modo coram Majestate Divina velut canem indignum, cui frustum panis de mensa Domini projiciatur; insta, si te unâ, alterave vice non statim exaudiat DEUS in fide non hæsitante, nam qui hæsitat, nihil accipit, & est similis fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur; obsecra in omni patientia, & in animo contrito & humiliato, & aderit votis tuis benignus
S. Chrysost. serm. 100. DEUS: *Meritò,* subintrat hîc S. Chrysologus: *quæ se canem confessa est, in hominem commutatur: meritò adoptatur in filiam, levatur, & honoratur ad mensam, quæ se sub mensa laudabili humilitate dejecit.*

7. O sancta humilitas! tibi debetur Regnum cœlorum, & tu poteris à Deo impetrare omnia. Humilitas illius illibatæ Virginis Nazarenæ Deum de cœlo in terram attraxit, ut homo fieret, & mundum perditum immenso Sanguinis
Jo. 1. 14. Luc. 3. 10. sui pretio redimeret: *Et Verbum Caro factum est.* Humilitas Præcursorem Domini super omnes natos mulierum extulit, qui se indignum reputabat, qui Christi corrigiam calceamentorum solveret, ideo à pientissimo Salvatore au-
Matth. 11. 11. dîit: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Humili-
1. Par. 21. 16. tas Regis Davidis & Aulicorum ejus iratum Deum placavit, & sævissimam pestem momento extinxit: *Levánsque David oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cælum & terram, & evaginatum gladium in manu ejus, & versum contra Jerusalem: & ceciderunt tam ipsi, quàm majores natu vestiti ciliciis, proni in terram:* & quid sequitur: *Præcepítque Dominus Angelo, & convertit gladium suum in vaginam.* Humilitas Jobum inter tot decumanos cala-

mitatum

mitatum fluctus conservavit: *In omnibus his non peccavit Job.* Sed & omnia in fine, quæ perdidit, ei dupplicia reddidit, licèt totus conjurans infernus ad eum perdendum vires omnes impenderit: *Postquam sedit in stercore,* ait S. Paulinus, *tentari destitit. Consumpserat tentatoris invidiam humilitate perfectâ, quæ facilius surgere, quàm dejici potest, quia in fimo sedens, unde cadat, non habet, & habet, unde consurgat, per eum, qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Job. 1. 22. S. Paul. in Epist. 10. ad Sever.

Soli humiles à Sapientia Divina ad mensam invitantur cœlestem: *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Supra quod Lyranus, *id est,* inquit, *si quis est humilis, quia talis est dispositus ad sapientiam Divinam &c.* DEUS enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sola humilitas est tutissima via in cœlum, per quam Beati omnes ad DEUM ascenderunt, & in dies ascendunt; unde humiles à Christo hanc habent promissionem: *Nolite timere pusillus grex, quia placuit Patri vestro dare vobis Regnum*: Et S. Augustinus: *Humilitatis passibus,* ait, *ad cœli culmina ascenditur; quia DEUS excelsus non superbiâ, sed humilitate attingitur.* O beati igitur, qui sunt humiles corde, ipsorum est enim Regnum cœlorum; *Benedicite sancti & humiles corde Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula.* Prov. 9. 4. Lyran. hic. Luc. 12. 32. S. Aug. ser. 70. ad fratres. Dan. 1. 44.

8. Non equidem ignoro, qualia olim, & quàm sumptuosa, ac numerosa Deo T. O. M. sacrificia, ac holocausta immolarent Hebræi; De Salomone in sacro Codice legitur, quòd supremo Numini intra octiduum in dedicatione templi recens à se extructi, immolaverit *boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia &c.* quod sanè honorificum ac regium erat sacrificium. Alii litabant pecora centena, seu *hecatomben* DEO victimas. Alii numerosum aurum & argentum mittebant in gazophylacium, & eò copiosiùs, quò magìs volebant per ejusmodi munera honorare DEUM. Et ecce, inter illos accessit & paupercula vidua, & loco victimarum, & pecuniarum duo tantummodò minuta in cistam æream, in atrio templi in hunc finem ad promovendum DEI cultum paratam, misit; & quid audiît ab ore Veritatis? *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium; omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuria sua omnia, quæ habuit, misit, totum victum suum.* Et quare, dices, pretiosissimus orbis Servator Christus coram Discipulis suis, studiô in hunc finem convocatis, tam insolutis laudum præconiis in hanc pauperculam commendavit viduam? & quid sint duo ista minuta, vilissimum oboli pretium? Dedit tamen plus cæteris omnibus, quia illius sacrificium cordis magìs DEO placuit, quàm cuncta divitum holocautomata. Ratio est, quia hæc vidua reverà humilis erat cuticula, juxta ac pauperrima, proinde etiam secundùm suam proportionem juxta mentem Doctoris Angelici plus cæteris omnibus dedit, quia hîc pensari debet, & charitatis & summæ 3. Reg. 8. 63. Marc. 12. 43. S. Th. 2. 2. q. 32. a. 4. ad 3.

mæ humilitatis affectus; Deus enim humilia respicit, & alta à longè cognoscit, ac despicit; *Beati igitur*, subintrat hic S. Laurentius Justinianus, *pauperes spiritu, id est, humiles, non habentes inflantem spiritum, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.*

S.Laurent. Just. l. de hum. c.24.

Exod. 25. 40.

9. Et nunquid juxta tritum illud omnis Christi actio nostra fuit instructio? *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est.* Refert S. Marcus, quomodo Christus ab energumeno integram Dæmonum legionem ejecerat, quæ ingressa in porcos, eos in mare præcipitavit, & submersit. Erat autem vir ille, qui à tot obsessus fuerat Dæmonibus, non immemor accepti beneficii; hinc Christum imposterùm pro viribus imitari, & inter illius Discipulos connumerari voluit: *Cùmque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a Dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo, & non admisit eum.* Et quæ causa hujus repulsæ? ℟. S. Ambrosius: *Non nisi, ut jactantiæ causa vitaretur, & fidelibus humilitatis præberet exemplum.*

Marc.5.18 S. Ambros. in hunc lo. cum.

Luc.4. 40.

De eodem pientissimo Salvatore recenset S. Lucas, quòd ordinariè sua miracula non de die splendente sole, sed ingruente jam nocte, atque sic in tenebris voluerit patrare: *Cùm autem sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum; at ille singulis manus imponens curabat eos.* Et quare, dices, Christus pleraque sua miracula non de die fecit? ℟. S. Bernardus: *Ideò cùm sol occidisset, curavit infirmos, ipse enim, ut jactantiam evitaret, voluit in tenebris miracula facere.*

S.Bern.cit. a Vaub in Marial. conc. 16.

Transfiguratur Christus in monte, & cum Elia ac Moyse colloquitur: *Et dicebant excessum ejus, quèm completurus erat in Jerusalem.* Qualis, quæso, hic erat excessus in Christo, de quo ad invicem in gloriosa illa transfiguratione colloquebantur? ℟. Hugo Cardinalis: *Excellens Christi humilitas, quà usque ad mortem crucis se humiliavit,* ibi enim factus est novissimus virorum.

Luc.9.31. Hudo Card. hîc.

O Christiane! si hæc cogitas, quid pro te fecerit humilis JESUS, quomodo audebis imposterùm te extollere? Non satis fuit pientissimo Redemptori tuo fieri humilitatis Magistrum, nisi etiam fieret exemplum. Vide, ac perpende, quomodo prostratus ad pedes Apostolorum, sordidos eorum pedes lavare non dedignatus sit; non latebat eum proditoris perfidia, lavit tamen & non sine lacrymis maledictos ejus pedes. O homo! pulvis & cinis! ecce Creator universorum curvat genua ante pedes traditoris sui, & tu præsumas te in aliqua re efferre? humilia te sub potenti manu DEI, & te imposterùm non plus æstimes, quàm purum nihil, & peccatorum omnium miserrimum; roga denique mitissimum Dominum cum illo cæco: *Domine, ut videam &c.*

Jo.13.15.

Marc. 10. 51.

CON-

CONSIDERATIO L.

De diligendo DEO, & proximo propter DEUM.

Pro Dominica 17. post Pent.

Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum. Matth. 22. 37.

1.

Afferte mihi gladium, dicebat quondam Regum prudentissimus, dum duæ matres de filio vivo & mortuo coram regio contendebant tribunali: *Afferte mihi gladium*: qui cùm esset allatus, per satellitem proximè adstantem, infantem vivum per medium secari jussit: *Dividite infantem vivum*; sed non permisit vera mater hujus suæ prolis divisionem, quia commota sunt omnia viscera ejus super filio suo proinde Regem rogavit: *Obsecro, Domine, date illi infantem vivum*; altera verò ficta & personata mater clamabat: *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Ex quo naturali veræ matris in filium amore & affectu Rex sapientissimus abunde cognovit veram illam, ac genuinam esse matrem, quæ filium salvum & integrum habere voluit, alteram verò esse repellendam, quæ postulabat divisionem. *Omnia hæc illis contingebant in figura.* Per veram illam matrem sincerum amorem in DEUM & proximum intellige, qui unus amor est, nec dividi potest; si enim amas DEUM, amas & proximum: *Hoc mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEUM, diligat & fratrem suum*; per matrem personatam Diabolum, mundum, carnem subaudi, quos si consulis, suadebunt tibi, ut amor dividatur: *Nec mihi, nec tibi*; sed amor verus unus est, nec divisionem patitur: *Bona mulier*, subintrat hîc Paulus de Palatio: *integrum, non divisum vult filium, licèt, quæ se matrem fingebat, dividi filium optaret*; *ita Deus integrum cor, non divisum vult, juxta illud*: *Præbe, fili, cor tuum mihi*, & hodie in sacro Evangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Nota: Ex toto corde tuo, non diviso.

3. Reg. 3. 24.

1. Cor. 10. 11.

1. Jo. 4. 21

Paul. de Pal. in c. 8. Eccl.

Prov. 23. 26.

Matth. 24. 37.

Sanxit quondam Deus legem de animalibus mundis, quibus vesci liceret, & de immundis, quæ comedi prohibuit; & cùm ad volucres devenisset, inter immundas omnium primam designavit aquilam: *Hæc su...*, *quæ*

Lev. 11. 13

de

de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquilam &c. Et quid peccavit aquila, quòd justis prohibeatur tanquam immunda? nunquid irretortis solem considerat oculis, & est amica lucis, inter omnes cœli volucres volatu sublimissima? Ratio est, ait antiquissimus Origenes, *quia ex mortuis vivit*, habet enim duplex cor & duplicem oculorum obtutum, unum cœlo consecrat considerando solem & sidera, altero immunda in vallibus terræ projecta & fœtida cadavera, quibus libentissimè pascitur, considerat. Sed apage te, immunda aquila, de qua S. Augustinus asserit, quòd sit symbolum Dæmonis animarum prædatoris. Cor ergo unum & mundum hodie inquirimus, quia juxta lemma Aristotelis *perfectus amor non est nisi ad unum*, neque est conventio veritati, ait Mellifluus, & vanitati, luci ac tenebris, spiritui & carni, igni & tepiditati: DEUS, DEUS solus à nobis vult amari, & cordis nostri esse absolutus Dominus; & hic amor, quem DEO debemus generat quoque amorem proximi, proinde rectè Hugo Cardinalis: *Dilectio Dei in dilectione proximi continetur, quia non diligimus proximum, nisi propter Deum.* De qua veritate summè ad salutem necessaria plura occurrunt dilucidanda.

Orig. in Lev. 11.

S. Aug. in Ps. 123.

S. Bern. ser. de Ascens. Dom.

Hugo Card. in c. 5. ad Gal.

2. Quod sol est in cœlo sidera, adamas inter gemmas, aurum inter metalla, balsamum inter aromata, & rosa inter flores, hoc est amor inter cæteras virtutes. Olim Sacerdos in Sancta Sanctorum ingressurus in extremitate vestium plura debuit portare malogranata: *Deorsum autem ad pedes mala punica.* Ratio est, quia malum punicum est symbolum amoris in DEUM & proximum; solet enim in vertice, tanquam Regina gestare coronam, & ardentiores solis radios cor & viscera sua pandit, in quibus mirabili unione rubescentium granorum exhibet nobis multitudinem; ita & Regina charitas est constituta, cor suum soli Deo & justitiæ soli pandit, & proximo propter DEUM benefacit: *Ut breviter*, ait S. Thomas, *omnium virtutum definitionem complectar: virtus est charitas, quâ diligitur DEUS & proximus.*

Exod. 39. 22.

S. Th. 2. 2. q. 23. a. 4.

Venerat aliquando ad pretiosissimum Salvatorem nostrum legis quidam peritus, quærens, quidnam facere deberet, ut vitam obtineret, & possideret æternam? cui Christus: *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* ad quod legis ille peritus, ut demonstraret se in lege esse versatum, mox respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut te ipsum*, quam præclaram responsionem sapientissimus Magister summoperè commendavit: *Rectè respondisti*, & pro majori stimulo ut utrumque hoc mandatum imposterum exactè observaret, adjecit: *Hoc fac, & vives.* Siste hîc, anime mi, & mente attentiore hæc Christi verba considera: *Hoc fac, & vives.* Et nunquid duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet & proximi? proinde Veritas dicere debuisset: *Hæc fac, & vives.*

Luc. 10. 26

R. Cajetanus, ideo Christum dixisse *Hoc* in singulari, & non *Hæc* in plurali, quia amor Dei, & proximi in substantia unum est præceptum: *Non dixit hæc, sed hoc, quoniam unum sine altero fieri nequit*; & Dionysius Carthusianus: *Licèt duo sint charitatis præcepta propter materialem distinctionem objecti, una tamen est charitas, quâ Deus, proximùsque diligitur.* Juvat enim hîc pro sensu morali audire Hugonem Cardinalem, qui existimat, per hæc verba mitissimum Servatorem legis illi perito voluisse exprobrare, quòd opera illius non corresponderent dictis; *Quasi dicat: hoc doces, sed non facis, vis vivere vitâ æternâ, hoc fac, & vives. Undè quòd dicit Dominus: recte respondisti, non tantùm ejus responsum laudavit; sicut multorum verba laudabilia sunt, sed facta vituperabilia &c.* Ah! ad quid proderit nobis in extrema illa mortis hora in lege Divina fuisse peritos, doctos & eloquentes concionatores, causidicos &c. Si hoc præceptum charitatis ipsimet non observaverimus? Cajetanus hic. Dionys. Carth. hic. Hug. Card. hic.

3. Sed pergamus ulteriùs. Vidit aliquando Isaias Deum T. O. M. in throno suo sedentem, & Seraphinos ei assistentes, alternatisque vocibus illi acclamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus*, & quod singulariter notandum, erant illi Seraphini sex alis instructi: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes, & duabus volabant.* Singula hæc innotant aliquid, attentum te esse cupio. Duabus alis velabant faciem Dei & suam præ reverentia, quia non audebant aspicere contra Deum ob nimiũ splendorem è vultu Divino promicantem; tegendo autem pedes, suam testabantur verecundiam & imperfectum in Deum amorem; duabus autem alis volabant: Duæ istæ alæ extentæ, & volantes sunt amor Dei & proximi; sicut enim avis unâ duntaxat alâ instructa, volare non potest, sed necessum est, ut duas habeat, *sic nullus homo*, ait S. Bernardus, *cum una ala poterit volare ad cœlum, quare, quia nec sola dilectio Dei sine dilectione proximi, nec sola dilectio proximi sine dilectione Dei valet ad consequendam æternam beatitudinem.* Et quid dico ulteriùs? Isa. 6. 2. Tirin. hic. S. Bern. ser. 13. de modo bene vivendi. Cant. 2. 3.

Charitas est vexillum, sub quo virtutes omnes Deo debent militare, ex cujus vexilli una parte pro lemmate inscriptum est: *Pro Deo*, & ex altera: *Pro proximo*; ad hoc enim allusit Sponsa, & Sponsus animæ nostræ: *Ordinavit in me charitatem.* In Hebræo legitur: *Vexillum ejus super me charitas.*

Charitas est Regina illa adstans in chlamyde aurea ad dexteram Divini Sponsi sui, & circumamicta varietate gemmarum, id est, omnis generis virtutum, quatenus unicè placere DEO, eumque super omnia diligens, & proximum sicut seipsum, de qua David jam olim decantavit: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Ps. 44. 10.

Charitas est tunica illa inconsutilis, quam Christus noluit, ut à mili-
Jo.59.24. tibus sub cruce in partes scinderetur: *Dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit*; in qua toga, sed aliquo modo discissâ Christus quondam S. Petro Alexandrinorum Episcopo apparuit, eique
Brev. Ro. 26. Nov. insinuavit: *Arius vestem meam*, quæ est Ecclesia, dilaceravit. Vide, ne & tu
1.Jo.3.14. hanc Christi vestem, quæ est charitas fraterna, dilaceres per dissensionem & contentionem cum fratre tuo? *Qui non diligit, manet in morte.*

Charitas est duplex annulus ita sibi annexus, ut unus sine altero esse non possit, in quem finem DEUS Moysi præcepit, ut in altari thymiamatis duos ejusmodi aureos insereret annulos, quibus commodè in via ad Palæsti-
Exod.30.4 nam illa sacra à Levitis gestaretur ara: *Et duos annulos aureos sub corona per*
Rab.hic. *singula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur.* Cor nostrum, ait Rabanus, est vivum illud thymiamatis altare, in eo enim assiduo ardere debet ignis Divini amoris, duo autem pretiosi illi, & aurei annuli, sunt charitas DEI & amor proximi &c.

Cant 4. 5. Hæc idem bina charitas sunt duo ubera sponsæ, quibus anima fidelis
Jud.16.29. nutritur, & sustentatur. Sunt duæ columnæ, quibus tota innititur Ecclesia, Sunt duo poli, Arcticus & Antarcticus, quibus sustinetur orbis. Sunt duo magnetes, qui cor hominis viatoris ad Deum, ac vicissim Deum ad cor homi-
Gen.28.12 nis efficaciter trahunt. Sunt ascensus & descensus in scala Jacob quondam præfigurati; per ascensum enim anima diligit Deum, & per descensum pro-
1.Petr. 4. 8. ximum. Proindè rectè S. Petrus: *Ante omnia*, ait, *mutuam in vobismetipsis*
Col.3.14. *charitatem continuam habentes:* & S. Paulus: *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et ipsa veritas Christus: *In*
Jo 13.35. *hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

4. Sanxit quondam DEUS legem, ubi sibi Israëlitæ non tam hominum,
Exod.13.2 quàm & jumentorum suorum primogenita offerrent: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël, tam de hominibus, quàm de jumentis; mea enim sunt omnia.* Et hoc quidem in memoriam & recognitionem illius insignis beneficii, quòd in cæde omnium primogenitorum in Ægypto intacta servaverit cuncta Hebræorum primogenita. Excepit autem DEUS in hac lege asinum, cujus primogenitum noluit sibi offerri, sed ut
Exod. 13. 13. illius locô offerretur ovis: *Primogenitum asini mutabis ove; quod, si non redemeris, interficies.* Et quid, obsecro, peccavit asinus, quòd ab immolatione & sacrificio fuerit exclusus? Nonne asinus animal est patiens, & laboribus ac portandis oneribus assuetum: Nunquid hyemis tempore frigidissimo creatorem suum recens natum in præsepio halitu suo fovit, & calefecit?

An

An non ipſe DEI Filius hujus jumenti opera uti voluit, dum à gladio Herodis profugus fugit in Ægyptum, & dum in virili ætate tanquam Rex Sion ſuper illum ſedens, vectus eſt in Jeruſalem? His tamen non obſtantibus rejectus eſt aſinus, & locò illius DEO ovis immolari debuit? *Mutabis ove?* Matth. 21. 5.

Ratio eſt, ait doctiſſimus Manſius, quia DEUS abhorret ejusmodi pacis perturbatores, qualis eſt aſinus, vult enim Deus, ut in charitate mutua nos invicem diligamus, ſed aſinus hunc ordinem perturbat, dum pellem ſuam ſubminiſtrat, ex qua conficiuntur tympana, belli & diſſenſionum inſtrumenta, quibus utuntur milites ad cædes, ad homicidia, ad rapinas & ad cruentas pugnas. Apage ergo aſinum à ſacrificio, humilis ovicula Deo præplacet: *Mutabis ove.* Et quare ove? R. Quia ovis ſymbolum eſt veri & electi Chriſtiani in ſupremo illo judicio ad dexteram ſupremi Judicis collocandi: *Statue oves à dextris.* Ovis inſuper in proximi utilitatem ſe totam impendit, dum illi lac & carnes in eſum, lanam autem & pellem in veſtes ſubminiſtrat; proinde meretur egregium eſſe ſymbolum, & figura hominis Chriſtiani proximo ſuo pro poſſe benefacientis; qui ergo ſe talem exhibet moribus oviculam, Deo ſe quotidie in ſacrificium offerens, & proximo in neceſſitatibus conſtituto, ſubſtantiâ ſuâ ſuccurrens, is ſe demonſtrat ovem ad cœleſte ovile prædeſtinatam. Manſ. in Bibl. to. 1. tr. 5. diſc. 7. Matth. 25. 33.

Et hæc cauſa eſt, quare Chriſtus Dominus, cùm Apoſtolos ſuos in orbem terrarum ad convertendas gentes ablegavit, eos ovibus aſſimilare non dubitaverit: *Ecce, ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Supra quod egregiè S. Chryſoſtomus: *Erubeſcant*, inquit, *qui quaſi lupi adverſarios ſuos proſequuntur, cùm videant lupos innumeros ab ovibus ſuperari pauciſſimis. Et certè quousque ſumus oves, facilè hoſtes vincimus: cùm verò in naturam luporum tranſimus, tunc ſuperamur, tunc enim nullum nobis à paſtore patrocinium adeſt, qui non lupos, ſed oves paſcit.* Matth. 10. 16. S. Chryſ. hom. 34. in Matth.

§. Obſervemus modo alium & non inelegantem conceptum. Venerat vice quâdam mulier quædam paupercula, pluribuſque gravata debitis ad Eliſæum Prophetam, quæ cùm non haberet, ex quo creditoribus in domum ſuam irruentibus, duoſque filios in aliqualem debitorum ſatisfactionem arripientibus, debitum exſolveret, apud dictum Prophetam unicum ſuum quæſivit refugium, ut in rebus adeo deſperatis optatam ferret opem hanc: hanc cùm vidiſſet Eliſæus, ex ea quæſivit, quidnam adhuc reſidui bonorum haberet domi? at illa: *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea; niſi parum olei, quo ungar.* Quo audito, mox Eliſæus præcepit, ut vaſa non pauca à vicinis ſuis mutuò peteret, & acciperet, quæ per inſigne miraculum recenti & 4. Reg. 4. 2.

optimô oleô fuerunt adimpleta, dum infundendo semper crescebat oleum, donec tandem omnia vasa implerentur; ex quo oleo vendito & debitoribus suis abundè satisfecit, & domui suæ in longa tempora provisionem fecit. Et quare, dices, memoratus Propheta huic egentissimæ viduæ non de auro, & argento ad solvenda debita providit? cur oleum multiplicari voluit?

S. August. ser. 206. de Temp. 1. Cor. 13. 13. Matth. 52. 2.

℟. S. Augustinus, quòd per oleum charitas intelligatur, per quam nostris possumus satisfacere debitis; oleum enim omnibus supereminet liquoribus, si cum illis misceatur, sic charitas cunctis virtutibus, si cum illis comparetur: *Major autem horum est charitas.* Si virgines illæ fatuæ hoc oleum habuissent secum, non in æternum fuissent reprobatæ: *Non sumpserunt oleum secum*; hoc est; non habuerunt charitatem Dei, & proximi.

Apoc. 6.6.

Et hoc est, quod olim Deus Angelo illi vastatori, nigro insidenti equo, & stateram in manu habenti, mandavit, ut vino & oleo parceret, & non ea devastaret: *Vinum & oleum ne læseris.* Et quare hoc? ℟. Cornelius per vinum, & oleum designari eminentes in charitate & misericordiâ, qui enim Deum super omnia diligit, & proximum sicut seipsum, Angelum illum vastatorem, id est, Diabolum timere non debet: *Amor*, ait Didacus Stella, *rubrica est, qua cognoscuntur oves Christi, & à grege Dæmonis distinguuntur.*

Stella in c. 10. Lucæ.

6. Cæterùm investigant SS. Patres causam & rationem, quare dives ille Epulo in morte sua in puncto ad inferni barathrum descenderit; de quo D. Lucas scribit: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*? Et quare peccavit ille dives? fortè quia induebatur purpurâ & byssо, & epulabatur quotidie splendidè? an fortassè aliena rapuit, aut subditis malo præfuit exemplo: Aliam æternæ illius damnationis causam adstruit Doctor Angelicus, quia amorem proximi non habuit, & consequenter nec ipsius DEI; nam qui proximum diligit propter Deum, hoc ipso amat DFUM, imò magìs amat Deum, quàm hominem, juxta tritum illud: *Propter quod unum quodque est tale, & illud magìs est tale.* Objectum igitur formale dilectionis proximi debet esse ipse DEUS; sed nullum habuit dives ille damnatus similem amorem, dum enim Lazaro proximo suo, in extrema necessitate constituto, non succurrebat: *Qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat;* per justam consequentiam sequitur, quòd nec ipsum Deum amaverit, qui hanc Legem de diligendo proximo dedit: *Non reprehenditur dives,* ait citatus S. Doctor, *quòd aliena rapuerit, sed quòd sua non erogaverit &c.* Attendant hîc divites, contra quos idem Sanctus ulteriùs declamat: *Minùs Deum diligunt, qui plura ab eo recipiunt, & minùs ab ejus offensa se custodiunt: & quantò majorem terram ab eo tenent, tantum minùs servitium ei exhibent.* O divites, in amo-

Luc. 16. 22.

S. Thom. ep. de er. Irin 5. 4. c. 7.

re

re Dei & proximi & futurorum ſocordes, audite fulmen ab ore Veritatis contra vos vibratum.

Non ignoratis, credo, quòd aliquando ad Chriſtum venerit adoleſcens quidam benè nummatus, ut ab illo veritatis Magiſtro viam ſalutis inquireret, cui Dominus paucis reſpondit, obſervationem mandatorum Dei illi optimè eſſe neceſſariam, ſi vellet ingredi ad vitam; & cùm inſtaret adoleſcens, atque perfectiora à Chriſto poſtularet, ei ſuggeſſit, ut & opes ſuas pauperibus diſtribueret, ut in cœlo theſaurum nunquam deficientem obtineret; quo audito abiît triſtis locuples ille juvenis, quia multas habebat poſſeſſiones, ex cujus diſceſſu captavit occaſionem mitiſſimus Salvator contra divites hujus ſeculi valde difficile formandi argumentum: *Amen dico vobis quia dives difficilè intrabit in Regnum cælorum.* Et ut hanc irrevocabilem ſententiam adhuc magis exaggeraret, adjecit: *Et iterum dico vobis: Faciliùs eſt Camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cælorum.* Stabant hîc attoniti, afflicti, & quaſi extra ſe rapti Diſcipuli omnes dicentes: *Quis ergo poterit ſalvus fieri?* Verùm ad quid turbati eſtis optimi Diſcipuli Domini? hoc vos non tangit fulmen; nunquid reliquiſtis omnia, & Magiſtrum veſtrum ſecuti eſtis in omni paupertate, opum & rerum mundanorum contemptu? Matth. 19. 23.

R. Ad hoc argumentum D. Chryſoſtomus, Diſcipulos ideo fuiſſe perculſos & perturbatos, quia dilectionem Dei & proximi in ſe habebant, & in aliis quærebant, hinc ſummoperè dolebant hujus divitis adoleſcentis abitum, dum rectà cum divitiis ſuis properabat ad interitum: *Propter perditionem aliorum dolebant*, ait Os aureum, *quorum omnium charitate jam afficiebantur, & quaſi Magiſtrorum ac Patrum viſcera ſuſceperant.* Diſcite hîc non tantùm proximi infirmitati compati, ſed & illi modo quocunque poſſibili ſuccurrere. *Qui habuerit ſubſtantiam*, ait dilectus Chriſti Diſcipulus, *& viderit fratrem neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: Quomodo charitas Dei manet in eo?* Et ſubdit: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.* O quàm longè abſunt moderna tempora ab ejusmodi charitate! Penſa ſingula, & repenſa, optime Lector! an non modò verificetur illud Veritatis: *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Et quid tandem fiet, quando venturus eſt ſupremus ille ac diſtrictiſſimus Judex, qui ſecundùm opera charitatis nos judicabit? *Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.* S. Chryſ. hîc in Matth. 1. Jo. 3. 17 Matth. 24. 12. Matth. 25 45.

7. Hîc ſubſiſto, & volo, anime mi! ut una mecum attenta mente perpendas illud conſideratione dignum reſponſum, quod olim Chriſtus

ſtus ſubdolis Phariſæis, eum cum Herodianis aſſociatis miniſtris tentantibus, dedit, ubi ex ipſo, ut in proprio eum caperent ſermone, percontati ſunt: Num liceret cenſum dare Cæſari, an non? Fuit autem hæc Chriſti reſponſio & argumenti ſolutio adeò Divina & mirabilis, ut tentantes adverſarios, ſub ovina pelle lupi rabiem tegentes, non tam confunderet, quàm & nobis inſignem præberet inſtructionem; *Oſtendite*, inquiebat, *mihi numiſma cenſûs*; *at illi obtulerunt ei denarium*; ad quod ulteriùs mitiſſimus Salvator: *Cujus eſt imago hæc & ſubſcriptio? dicunt ei*; *Cæſaris*. Manet ergo, reponebat Chriſtus, ſtatutum, firmum atque juſtum: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. O ſtupendam ab Ore Veritatis reſponſionem! Quid ais, Domine? an ordinem amoris invertis? Quis magis conſiderandus, DEUS, an Cæſar? an non primum ac maximum mandatum in lege: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*... Exinde primùm adjicitur: *Et proximum tuum, ſicut teipſum*? Et ſi Cæſar eſt proximus noſter, cui debemus tributum, quia, prout obſervat S. Ambroſius ab hoſtibus nos defendit, & vitam noſtram pacatam facit; quantò magis primum tibutum debemus DEO, à quo habemus omnia? proinde, mi Domine, (loquor pulvis & cinis in humilitate cordis mei) multò magis dicere debueras: *Reddite ergo quæ ſunt Dei, Deo*, & exinde: *& quæ ſunt Cæſaris, Cæſari?*

Matth. 22. 19.

Matth. 22. 37.

S. Ambr. hic.

De Lanuza in Medulla Cedri Libani D. 17. Pent.

Rom. 13. 7.

Ingens hîc latet myſterium, ſupra quod egregie de Lanuza: *Vult*, inquit, *Chriſtus primò Cæſari, Principi tuo, proximo tuo, patri tuo, vicino tuo, & cuilibet ſatisfacias, quod illis de jure, ſeu præciſa teneris obligatione: deinde muneris tui erit Deo ex iis, quæ ſuperſunt, ſolvere &c.* Ex qua doctiſſima & veriſſima reſponſione ſatis luculenter intelliges, quo affectu DEUS urgeat, & à nobis exquirat amorem proximi, dum etiam proprium honorem & amorem ejus dilectioni poſtponit! unde & gentium Doctor Paulus ait: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.*

8. Et hoc eſt, quod Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam Petro inſinuavit, dum nunc abiturus in cœlum eum in ſuum in his terris deſignavit Vicarium, ut ſub uno paſtore una ac vera usque ad finem mundi regeretur Eccleſia. *Cùm ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro JEſus: Simon Joannis diligis me plùs his? Dicit ei. Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos*; quam animarum & ovicularum ſuarum curam pientiſſimus Dominus Petro trinâ vice inculcavit: *Paſce agnos meos: Paſce oves meas*; & quare tertio? fortaſsè prout obſervat Cornelius, ut Petrus triplicem Chriſti negationem triplici ac conſtanti ſinceri amoris profeſſione expiaret? Et

Jo. 21. 15.

Corn. hic.

hoc

hoc quidem verum est; sed alia quoque hîc subest ratio, quam assignat S. Chrysostomus: Quia Petrus, inquit, majorem omnibus Apostolis in Dominum charitatem ostendit, à quo ardente erga Deum & hominem Christum amore necessariò & charitas in proximum derivari debuit, quam utramque hîc Christus peculiariter Petro commendavit; hæc enim sancta charitas est ignis ille, qui in altari cordis nostri jugiter ardere debet: *Ignis autem in altari semper ardebit.* Hæc est ille ignis, quem Filius hominis venit mittere in terram, & quid vult, nisi ut in omnium pectoribus accendatur; Hæc est illa arundo aurea, quam S. Joannes in manu Angeli vidit, quâ muros & portas cœlestis Hierosolymæ dimensus est: *Qui loquebatur mecum, habebat mensuram, arundinem auream &c.* Si vis scire, anime mi, mensuram sanctitatis & perfectionis in homine, hanc charitatis virgam in manus sume, quia *perfectio Christianæ vitæ*, ait Doctor Angelicus, *attenditur secundùm charitatem.* Hæc est funiculus ille coccineus, qui in funesto civitatis Jerichuntinæ excidio domum Rahab conservavit immunem. Hæc denique est illa pretiosa Margarita, pro qua oportet expendere omnia cum illo Negotiatore Evangelico, ut comparemus eam &c.

S. Chrys. hom. 87. in Jo.

Lev. 6. 12. Luc. 12. 49.

Apoc. 21. 15.

S. Th. p. 1. q. 12. a. 6.

Josue 2. 18.

Matth. 13. 49.

CON-

CONSIDERATIO LI.

De Timore DEI ad Salutem obtinendam necessario.

Pro Dominica 18. post Pent.

Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificaverunt DEUM. Matth. 9. 8.

1.

Job.28.12. JOb præclarissimum humanæ tolerantiæ speculum singularem humanæ mortalitati proponit quæstionem, ubi tandem vera ac solida sapientia in orbe sit reperienda: *Sapientia,* inquit, *ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ?* Et respondet sibi Job ad propositam quæstionem: *Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium,* nam qui luxum & voluptates sectantur, longè sunt à vera sapientia. Neque invenitur in aurifodinis, è quibus pretiosum illud effoditur metallum: *Non adæquabitur ei aurum.* Neque in abysso maris, ex qua eruuntur pellucidæ gemmæ, uniones & margaritæ: *Abyssus dicit: Non est in me; & mare loquitur: Non est mecum.* Neque in alio mundi loco, licèt usque ad Indos & extremas orbis partes te contuleris: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonicho pretiosissimo, vel Sapphiro &c.* Ubi ergo, & in quo loco invenienda est sapientia? *Unde venit, & quis est locus intelligentiæ?* Tandem post varia adhuc interjecta concludit patientissimus Job, sapientiam veram solùm è cœlo dari, non aurô emi, illamque sapientiam consistere in timore Dei: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia.*

Job.28.28. Pf.110.9. Prov.14. 27.

Ita est: *Initium sapientiæ,* ait Vates Regius, *timor Domini,* & Regum sapientissimus: *Timor Domini, fons vitæ.* O salutaris DEI timor! Tu es radix, ex qua vita nostra promanat; ita Mellifluus: *Timor Domini radix est, & custos omnium bonorum;* Tu es frænum, quod passiones nostras domat. *Timor Domini odit malum;* calcar es & stimulus, qui nos facit currere viam mandatorum DEI; Pædagogus es, ait S. Pachomius, qui in Lege pietatis nos instruit super decem millia Pædagogorum; basis ac fundamentum es,

S.Bern. tr. de 7. donis Spir.S.c. 1. Prov.8.13. S.Pachom.

supra

ſupra quod totum virtutum noſtrarum ædificium conſtruitur; pignus denique es, & ſignum æternæ beatitudinis: *Beatus vir, qui timet Dominum.* in ſua regula.

Ex quibus collige, anime mi! quàm neceſſarius ſit nobis Dei timor ad ſalutem: *Sapiens timet*, ait Salomon *& declinat a malo*: ſi vis ergo declinare à malo, & in æternum eſſe beatus: *Time Dominum. In timore Domini eſto tota die;* & licèt ſanctus ſis, *time Dominum*, & imitare S. Paulum, qui, licèt in tertium cœlum fuerit elevatus, ſibi tamen & de ſalute ſua timebat, ac corpus ſuum caſtigabat, ne aliis prædicans reprobus efficeretur, audiverat enim illud Davidis: *Timete Dominum Sancti ejus.* Proinde non immeritò in hodierno Evangelio commendatur pia illa Hebræorum turba, quæ videns miraculum, quod Chriſtus cum paralytico fecerat, Deum timere, venerari & glorificare cœpit: *Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum.* De hoc ergo ſalutari timore Dei plura hodie occurrunt explicanda; in quem finem cum Regio Pſalte vos omnes invito Chriſtianos: *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Pſ. 11. 1. Prov. 14. 16. Prov. 23. 18. Pſ. 33. 10. Matth. 9. 3. Pſ. 33. 11.

2. Non ſine peculiari cauſa benignus Deus olim in lege filiis Iſraël præcepit, ne locô pignoris, ſi debitor fortè eousque miſeriarum fuiſſet redactus lapidem moralem ſuperiorem aut inferiorem acciperent: *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam.* Ad quid iſta prohibitio: Si ſenſum ſpectas litteralem, iſte eſt, quia ſi duo iſti lapides molares, inter quos farina molitur, darentur in pignus, & vita molitoris & aliorum periclitaretur egenorum; per molam enim vivit molitor, & operâ illius molæ etiam aliis de communitate ſuppeditat farinam. Verùm enim verò ego hîc ſenſum tropologicum & moralem inquiro, in quem finem juvat audire Moralem Eccleſiæ Doctorem S. Gregorium Magnum, qui per ſuperiorem molam *ſpem*, & per inferiorem *timorem Dei* intelligit, inter quos duos lapides molares optima molitur virtutum farina; hos ergo non in pignus alteri tradamus, ſpes enim in DEUM & timor Domini ſemper erunt in nobis, tum in vita tum in morte ad obtinendam ſalutem neceſſariæ virtutes; unde rectè Jeſſæus Vates: *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* Supra quod præfatus S. Gregorius: *In peccatoris pectore*, inquit, *inceſſanter debet ſpes & formido conjungi, quia incaſſum miſericordiam ſperat, ſi juſtitiam non timeat, & incaſſum juſtitiam metuet, ſi de miſericordia non confidat.* Deut. 24. 6. S. Gregor. 33. Moral. 19. Pſ. 146. 11. S. Gregor. lib. 23. Moral.

Quis non miretur, anima Chriſtiana, quòd ex tanta Iſraëlitarum multitudine, qui olim ex Ægypto egrediebantur, ſolùm duo viri, Joſue & Caleb ad terram promiſſionis à DEO fuerint admiſſi, cæteris omnibus, quia contra Dominum murmurabant, in ſolitudine pereuntibus? Et quidem, quòd Joſue concernit, nulla me ſubit admiratio, figura enim ipſius Chri-

sti & nomine & facto extitit, ad cujus imperium etiam ipse astrorum Rex & mundi oculus, Sol promptè obtemperavit. Sed quòd & Caleb socio ejus hæc gratia extraordinaria acciderit, meritò animus meus in admirationem ra-
Num. 14. 24. pitur? Causam aliquam assignat Scriptura: *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit: & semen ejus possidebit eam.* Et quare, obsecro, Caleb? Textus Chaldaicus rationem addit: *Quia in ipso timor Domini erat perfectus*, ideo ad terram promissionis, quæ typus erat futuræ patriæ cœlestis, cæteris murmurantibus om-
Ps. 18. 10. nibus exclusis, cum Josue solo à DEO erat admissus. Vide ex hoc, anime mi!
Ps. 24. 14. Quomodo *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*; & in alio loco: *Firmamentum est Dominus timentibus eum.*

3. Oportet autem tres timores distinguere; primus est illorum, qui præter culpam nihil riment; & hic est timor *filialis*, atque perfectorum. Secundus est timor peccatorum; & est ille, quo sola timetur pœna, appellatur-
Ps. 110. 9. que *servilis*. Timor tertius ex utroque mixtus est, quô videlicet & culpa
Eccl. 1. 28. & pœna timetur, hinc dicitur *initialis*, de quo Psaltes: *Initium sapientiæ*
Eccl. 25. 25 *timor Domini*; Et Ecclesiasticus: *Qui sine timore est, non poterit justificari*, & in alio loco; *Beatus, cui donatum est habere timorem Domini.* Ad exempla Scripturarum transeamus.

Sæpius opportunè & importunè tentata fuit innocentis Josephi castitas & quidem à lasciva hera sua, quæ injecerat oculos (qui ordinatim sunt in amore duces) in formosissimum hunc juvenem, tunc vigesimum septi-
Gen. 39. 9. mum ætatis annum agentem; sed ille relictâ ei chlamyde fugit relinquens ei hanc gravissimam sententiam animô ponderandam: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Siste, ô mi Joseph, verbum ad
Octav. in te habeo: quid ais? *quomodo possum hoc malum facere?* Et nunquid liber
Eccl. 1. 27. eras? ergo poteras hoc malum patrare! cur ergo dicis: *quomodo possum?* ℟. Octavianus: *Non dicebat, nolo, sed non possum; fieri enim non posse vide-*
Eccl. 1. 20. *tur, ut qui Deum timet, in eum peccet.* Ecce Joseph præter culpam nihil timuit, timor enim Domini odit malum, & *plenitudo sapientiæ est timere Deum.*

Dan. 13. 23 Joseph adjungo castissimam Susannam ad scelus quondam in horto solicitatam, quæ mox impuris istis sycophantis subjecit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Unde,
S. Chrysost. hom. de Susanna quæso, tanta constantia in vase fragili? ℟. S. Chrysostomus: *Quia timebat eum, quem nihil latebat.* Vide hîc rursus, atque perpende, anime mi!
Tertull. lib. de cultu fœm. c. 1. qua ratione timor Domini cuncta fugere peccata, & longè à se sensuales propulset tentationes, ac carnis tumultus: *Timor*, ait antiquissimus Tertullianus, *fundamentum est salutis; timendô cavebimus, cavendô salvi erimus.* Audis hoc?

4. Pro

4. Progredior ulteriùs. Miratur orbis insolitam Jobi constantiam, dum eum nulla poterat frangere calamitas, nulla superare tentatio, nulla prosternere miseria. Exposuit quidem Dominus universorum petenti Satanæ omnes ejus possessiones ab inimicis diripendas; & Job perditâ hac omni substantiâ suâ permanet immotus. Omnes ei una die interempti sunt filii, abacta pecora, prædia succensa, & ædificia solo æquata; & stat Princeps ille in terra Hus, nunc pauperrimus, ut cautes Marpesia. Dæmon denique obtenta à Deo facultate eum toto corpore pessimo percussit ulcere, cui etiam propria uxor insultabat, ut ejus labefactaret animum. Et quid multis? Omnia elementa, imò & ipse infernus in ejus conspirabant perniciem, & animus Jobi permanet infractus: *Etsi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Unde obsecro, tanta constantia in hoc viro, quia *in omnibus his non peccavit Job*, sed potiùs ad omnes ejusmodi insultus in Dei laudes prorupit: *Sit Nomen Domini benedictum*! O virum ineffabilem, nec labore & dolore victum, nec morte vincendum; & quomodo, quæso, possibile fuit, quòd inter decumanos hos adversitatum fluctus inconcussum servârit animum? Audite filii hominum ipsum loquentem: *Semper*, inquit, *quasi tumentes super me fluctus, timuit Deum.* Et hic ipse timor Dei animæ meæ, velut fluctuanti naviculæ, fuit anchora securissima, ne ruerem, & in inferni præcipitarer abyssum. Proinde rectè S. Laurentius Justinianus: *Timor*, inquit, *stabilem reddit gratiam, sicut anchora stabilem navim facit, anchora namque est pondus timoris.* Ecce timor Domini innocentiam Jobi non tam conservavit, quàm & inter medias persequentium procellas firmavit, solidavítque. Disce timere Deum, si vis venire ad Deum.

Job. 1. 22.

Job. 31. 23.

S. Laur. Just. lib. de Perseverantia. c. 3.

A Jobo ad tres pueros in fornacem Babylonicam missos transeo. Et quid video? quia non adorabant statuam, quam Nabuchodonosor Rex erigi jusserat, ex mandato illius sine mora à Chaldæis in ardentem caminum missi sunt; sed mox ad illorum preces adfuit de cœlo Angelus, qui non duntaxat ignem excussit, & ad latera fornacis removit, ast etiam in eorum refrigerium auram levem ac roscidam excitavit, quæ ignis vim restrinxit, pueros refrigeravit, ac mire recreavit: *Et fecit medium fornacis quasi ventum roris stantem, & non tetigit eos omnino ignis.* Res mira, ac stupore plena, quòd ignis omnem suam agendi perdiderit vim & activitatem! Et quæ causa tanti prodigii? R. Doctor Seraphicus, quòd timor Domini hanc extinxerit flammam, quia præfati isti pueri sancti magis Deum, quàm Regem & ejus timebant supplicia: *Timor Domini*, inquit, *est sicut ventus, de quo Dan. 3. quia fornax omnium desideriorum carnalium temperatur, & refrigeratur per Dei timorem.* O Christiane! Si Dæmon infernalis, velut superbus Nabuchodonosor, per varias suggestiones ac tentationes in fornace cordis tui succendit libidinis ignem; Tunc cede malis, sed contra audentior ito; quia sicut

Dan. 3. 50.

S. Bonav. Diæt. Saul. c. 32.

aqua extinguit ignem, sic timor Domini omne avertit, & extinguit peccatum:
S.Aug. in Pſal. 32. *Fera sævit*, subintrat S. Augustinus, *DEum time; Serpens insidiatur, Deum time; Homo te odit, Deum time: Diabolus te impugnat, Deum time: Tota enim creatura sub illo est, quem jubêris timere.*

5. Ab igne ad aquam, & à Babylonica ignis fornace ad abyssum maris me confero. Et quid rursus video? Heu tempestatem validam, horrendam, inopinam & mare ventis rapidis agitatum, atque surgentibus, & intu-
Jonæ 1. 4. mescentibus procellis horridum: *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna in mari, & navis* (ubi Jonas Propheta vehebatur) *periclatabatur conteri.* Ingens hîc erat metus omnium navigantium. Nautæ jaciunt sortes, ut tantorum causam malorum, & hujus insolitæ tempestatis deprehendant reum; verùm sors illa mox indicabat Jonam in eodem periclitantem navigio, & qui culpam candidè agnovit, petiit ipse, ut locò omnium in iratum pelagus mitteretur: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* Dictum, factum; Jonas sine ulla mora in turbulentum demergitur mare ab immani ceto devorandus. Interim sistitur procella, aëris redit serenitas, in gratiarum actionem Deo vivo & vero à nautis immolantur victimæ, & Numen iratum placatur. Ad quid, quæso, Jonas contra se ipsum protulit & edixit mortis sententiam? Nunquid melius, imò & consultiùs illi fuisset, si altum de fuga sua in Tharsis tenuisset silentium?
Jonæ 1. 9. Ipse reddat rationem, qui hujus fuit causa tempestatis: *Hebræus*, inquit, *ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam &c.* Ecce timor Domini, quem propheta ille, licèt à facie Dei profugus adhuc in pectore gerebat, eum animavit, & recordari fecit, ut tandem nullum amplius mortis formidaret discrimen, proinde libentiori animo in horribili æquoris barathro perire voluit, quàm ut DEUM novo aliquo offenderet pec-
Zeno Ver. serm. de Timor. cato: *Jonas*, ait Zeno Veronensis, *timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium &c.* Disce ex hoc, qualiter timor Dei omnem alium humanum excludat, & expellat timorem: *In quo*, ait S. Ephrem, *non est timor*
S.Ephrem. to. 1. f. 26. *Dei, omnibus Diaboli dolis patet, atque insidiis.* Et Mellifluus: *Timor Do-*
S.Bern. Ser. de diversis affect. 9. *mini expellit peccatum; sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare;* & alio loco: *Tota beatitudo est timere Deum.* Et hoc est, quod Scriptura de Tobia seniore testatur, quòd filium suum ab infantia timere Deum docuerit,
Idem f. 65. & abstinere ab omni peccato: quod & fortissimus Eleazarus fecit, qui, cum in
Tob. 1. 10. summa senectute cruentis plagis, ad Deum inter ebullientem ex vulneribus
2. Mach. 6. 30. cruorem ingemuit, & dixit: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duos corporis sustineo dolores, se-*
S.Hieron. *cundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Vide quomodo Sancti timuerint DEUM, & tu quid facis? *Vera vita est*, ait S. Hieronymus,

nymus, *Deum nôsse, & timere.* Et tu, quid facis? Noscisne, ac times, sicut oportet, DEUM? Recollige te. in regula Monach. 2. 27.

6. Et vis plura argumenta? Aures erige. Dum ejectus erat ex amœnissimo paradisi viridario proto-parens Adamus, constituit DEUS Angelos ex ordine Cherubim ante paradisum, ut imposterùm ejus aditu non tam Adamum, quàm & ejus posteros prohiberent, ne in paradisi amœna ingressi fructum ex arbore vitæ decerperent: *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* Ad quid iste gladius flammeus, atque eversatilis in manu Cherubim? ℟. Per istum gladium præfiguratum fuisse timorem Domini, hic enim est gladius *flammeus*, quia si frigidi ac tepidi sumus, accendet nos; & *versatilis*, si perversi sumus, convertet nos. Gen. 3. 24.

Ubi tandem post annum integrum solarem cessavit diluvium; DEUS verè benignus & misericors cum Noë & homine pactum inîit de non ampliùs inducendo diluvio; pactique sui tesseram esse voluit in aëre discolorem iridem: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Ad quid arcus iste? & quomodo signum fœderis DEUM inter & hominem? ℟. Arcus iste jam tum erat, & etiamnum est symbolum clementiæ Divinæ, & simul timoris Domini: *Arcus* Dei, ait Doctor Mellifluus, *est timor Dei; quamdiu timor Dei viguerit in corde hominis, tam diu tutus erit à diluvio Divinæ ultionis.* Gen. 9. 13. S. Bern. serm. 39.

Venerant aliquando discipuli ad pretiosissimum orbis Salvatorem, enarrantes ei, qualia, ac quanta in Nomine ejus patrârint miracula, inter quæ & illud commendabant; *Domine, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Audite Christi responsum: *Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Qualis, obsecro, est hæc responsio & verborum connexio? Discipuli recensent, quæ facta sunt in virtute SS. Nominis JESU per ipsos prodigia, & pientissimus Servator illis respondet de lapsu Dæmonis de cœlo? Causam subjungunt SS. Patres, quia discipuli illi septuaginta duo tunc temporis nondum erant sufficienter in timore Dei fundati: *Venialis fuit*, ait Cornelius, *hæc culpa & vanitatis pulvis, quem Christus mox absterserit*; proinde eis exemplum de lapsu Satanæ in medium adduxit, ut discerent non alta sapere, sed in timore Dei, licèt sancti essent, ac miracula patrarent, constanter perseverare: *Nunquam*, ait Mellifluus, *est securitas, Fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multò minùs in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia Divinitatis; Adam in paradiso, de loco voluptatis; Judas in mundo, de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco illicò blandiatur, quia dicitur: Locus ipse sanctus est. Quia non locus homines, sed homines locum sanctificant.* Luc. 10. 17 Cornel. hic. S. Bern. de signo, fœno & stipula.

7. Quis non miretur trinum illum, & planè miserandum S. Petri lapsum, dum vitam, ne moreretur, ter abnegavit: *At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis.* Et paulò post sequitur: Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et ecce, cùm Petrus à circumstantibus adignem ministris vehementioribus urgeretur stimulis: *Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem.* Et tertium lapsum, qui non solùm nobis imperfectis homuncionibus, sed & religiosis mentibus, imò & Sanctis in hac mortali carne adhuc versantibus salutarem incutiat terrorem. Et quæso, quare mitissimus Dominus permisit, ut discipulus tam dilectus, quem universalis Ecclesiæ destinaverat pastorem, Christum dulcissimum Magistrum suum ter abnegaret?

Matth. 26. 70.

Salmeron. hîc.

℟. Doctissimus Salmeron, quia S. Petrus trinâ vice gloriabatur, se non negaturum Christum: primâ & secundâ vice in cœnaculo: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et tertiâ vice in itinere versùs hortum Gethsemani: *Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Ideo in pœnam præsumptionis, dum non in Dei timore stabilis permanserat, permisit eum Deus in trinam labi negationem. Advertit hîc S. Ambrosius: *Hæc autem ideo scripta sunt,* inquit, *ut sciamus, neminem jactare se debere; nam si Petrus lapsus est, quia dixit, etsi omnes scandalizati fuerint in te, nunquam scandalizabor; quis alius jure de se præsumat?*

Matth. 26. 33.

S. Ambr. hîc.

1. Cor. 10. 12.

Ps. 2. 11.

S. Hier. ad Heliod.

S. Bern. ser. 54. in Cant.

Heu nos miseros, quò minùs in timore Dei sumus perfecti, ac fundati, eò majoribus cadendi periculis sumus expositi: qui ergo existimat se stare, videat, ne cadat. Proinde serviamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore: *Nolite,* inquit S. Hieronymus, *esse securi; tranquillitas ista tempestas est.* Et sæpiùs memoratus S. Bernardus: *veritate didici, nil tam efficax ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus es, si cor tuum triplici timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, longè amplius pro amissa, longè plus pro recuperanda &c.* Pro omni ergo tempore time Deum: *Verebar,* ait pientissimus Job, *omnia opera mea*; & licèt vir esset, cui non similis erat in terra, timebat tamen Deum in omnibus operibus suis. Et tu homo Christiane! qui vix umbra es, si te cum Jobo vis comparare, quid agis? quomodo vivis? *Fortassè,* ut cum S. Augustino loquar,

S. Aug. l. de ovib. c. 10.

ovem te putas, & hircum te novit DEUS?

8. Pro dictorum confirmatione adhuc unum, alterumve ex Sacra Scriptura depromamus conceptum. Paratur Cœna ultima, in qua Christus agnum & azyma, imò & seipsum in cibum tradidit & potum. In hac, inquam, cœna inter alios discursus Divinus ille Magister ac Dominus hunc

cum

cum discipulis miscuit sermonem; *Amen, dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est.* Ad quam veridicam Christi vocem omnes insolito erant perculsi tremore, hinc singuli interrogabant: *Nunquid ego sum, Domine?* Ad quid, obsecro, undecim illi Discipuli adeò conturbati sunt, cùm à Christo audiêrunt: *Unus vestrûm me traditurus est;* An non probè noverant suam innocentiam, quòd neque animo conceperint, aut cogitaverint ejusmodi proditionem? Matth. 26. 21.

℟. S. Chrysostomus: *O beati Apostoli! faciliùs vestra innocentia contristata est, quàm pœnalis Judæ audacia, quæ non est confusa.* Vide hîc, atque perpende, quisquis es, homo Christiane! qua ratione quisque de æterna sua salute meritò timere sibi debeat; & hæc est justorum & impiorum conditio, ut justi multùm sibi pertimescant, ne in aliquo offendant Deum; iniqui verò protervum sectantur Iscariothem, qui solus ibidem non timuit: *Ubi metus nullus,* ait Tertullianus, *emendatio nulla.* Et Siracides: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Huc collimavit quoque S. Paulus, dum dixit: *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time;* nescit enim homo, an odio vel amore dignus sit. Et quemadmodum navicula sponte sua in flumine deorsum descendit, nisi sursum fortiter contra fluminis impetum impellatur; Ita homo fragilis facilè & ex natura sua, quæ ad malum prona est, ad vitia delabitur, nisi per timorem Dei detineatur, & sursum fortiter compellatur; timor enim Dei remulcus est, quô talis alligatur navicula; clavus est, quo solidatur; remigium est, quo sursum impellitur. S. Chrysost. serm. 1. de fer. 5. pass. Tertull. l. de pœnit. cap. 2. Eccl. 27. 4. Rom. 11. 20.

Vidit aliquando S. Joannes Christum: *Et de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat.* Et quid duplex gladius de ore Christi? ℟. Clemens Alexandrinus: AMOR & Timor. *Significatur,* ait, *per hoc Deum amandum & timendum esse.* Ita est, amandus, & timendus est DEUS, quod pulcherrimum lemma Imperator Josephus Primus: *Amore & timore,* ex una parte Pellicanum proprio cruore proles suas enutrientem præseferens, & ex altera parte aquilam Austriacam fulmina in nocentes vibrantem. Apoc. 1. 16 Clem. Ale. l. 5. strom.

Finem huic considerationi imponat felix ille latro, qui cum Christo crucifixo post felicem obitum suum paradisum intravit, ad quem mitissimus Deus: *Hodie mecum eris in paradiso.* O cœli stupete! latro ille paradisum ingreditur, qui mille meruit infernos? & quæ causa hujus insperatæ salutis? Adverte, timorem Dei habuit, neque tantùm, ait Cornelius, se timere Deum publicè demonstravit, sed & socium latronem ad eundem timorem exhortatus est. *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?* Observa: Deum dicit, per quod verbum, juxta mentem S. Ambrosii & aliorum SS. Patrum Christum & Deum & hominem confessus est; proinde timor Domini illi sapien- Luc. 23. 43 S. Ambr. hic apud Cornel.

sapientiæ initium, & vitæ felix finis fuit. Tu si vis piè vivere, & tandem beatè mori, time Deum: *Filius honorat patrem, & servus Dominum: Si ergo Pater ego sum, ubi honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?*

CONSIDERATIO LII.

Spera in DEum, & time DEum, si vis salvari.

Pro Dominica 19. post Pent.

Simile factum est Regnum Cœlorum Homini Regi. Matth. 22. 2.

1.

SI fides nostra Orthodoxa, quæ per charitatem operatur, est quasi firmissima columna, & basis, supra quam salutem nostram tutè ædificamus, spes nostra in Christum passum & crucifixum erit sicut anchora tutissima, quæ nos inter tot tentationum fluctus, quibus in hac vita quasi navigantes jactamur, firmat, ac corroborat: *Firmissimum solatium habemus*, ait Apostolus, *qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus*, cui anchoræ pro lemmate inscribimus: *Instabilem firmat.* Sine spe, ait doctissimus Philo, homo non est homo, sed bestia: spes enim est principium omnium bonorum, sine qua nihil boni faciet homo. Et nunquid spes messis alit agricolas, spes lucri mercatores, spes prædæ militem? Spes nostros minuit labores, suffert molem, promovet studia, conservat patientiam, solatur ægros, & *quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve & facile spes remunerationis ostendit;* unde rectè Tibullus Poëta:

Hebr. 6. 18.

Philo de Abraham.

S. Gregor. M. lib. 1. mor. c. 6.

Jam mala finissem letho, sed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore, semper ait.

Hæc spes nostra Christiana & Theologica in Deum est stella Polaris, ad quam velut nautæ in tempestate nos oportet respicere, ne à portu æternæ felicitatis aberremus. Est baculus, qui quondam Jacobum Patriarcham consolatus est, cujus ope securè rapidissimum Jordanis fluviũ trajecit: *In baculo meo transivi Jordanem.* Est galea salutis, qua caput nostrum contra tentationes hostium

Gen. 32. 10

hostium incursus tegimus & defendimus: *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* 1. Thess. 5. 8. Est lucerna fulgida, & cujus splendorem & ambulamus & operamur: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, in quo mihi spem dedisti.* Psal. 118. 105. Est thesaurus absconditus in agro cordis nostri: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus* 2. Cor. 47. Est gemma ac Saphirus inæstimabilis pretii, cor hominis confortans, & timorem temperans, de quo Richardus Victorinus: *Saphirus,* inquit, *qui cœlo sereno similis est, cœlestium bonorum signat spem.* Rich. Vict. in Apoc. 21. Proinde optimè S. Bernardus supra illa Davidis verba: *Tu es Domine, spes mea,* ita commentatur: *Sperent alii in divitiis suis, alii in nobilitate, alii in aliis rebus, ego hæc omnia arbitratus sum ut stercora; quoniam tu es, Domine spes mea. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstûs, jejunare se bis in Sabbatho dicat, glorietur se non esse sicut alios homines. Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam, hæc tota ratio exspectationis meæ.* S. Bern. in Ps. 90.

Verùm enim verò non sufficit solùm sperare in Deum, sed & oportet, ut propter delicta nostra hanc spem cum timore Dei conjungamus; comes enim spei individuus debet esse timor Domini, qui cor nostrum custodiat, ne efferatur arrogantiâ, aut præsumptuosâ torpescat securitate: *Nemo,* ait Chrysostomus, *præsumat de meritis suis; nullus desperet de malis suis.* S. Chrys. in Ps. 41. Et hæc causa est; ut ingenuè observat B. Adalbertus Magnus, quòd in hodierno Evangelio universorum Dominus, qui omnes ad cœlestes invitavit nuptias, & Matth. 22. 2. homo, & Rex appelletur; *Simile factum est Regnum cœlorum homini Regi.* B. Albert. M. hic. Dicitur homo, ait citatus Beatus Doctor & Episcopus, quia humanus, benignus & misericors est in quem meritò spem nostram collocemus; sed & Rex nominatur, & quidem potentissimus, quem ob demerita nostra justè timeamus, de qua veritate plura dilucidabimus.

2. Missus aliquando fuerat David, dum adhuc puer pastoricius à patre suo Isai ad castra Israëlitarum, ut fratribus suis sub Rege Saul contra Philistæos pugnantibus panes & caseos deferret; & cum in castris exprobrantem audiisset Goliathum: *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen,* 1. Reg. 17. 8. omnesque Hebræi illius immanis gigantis metuerent fortitudinem, ipse solus, licèt viribus impar, ad hoc periculosum se obtulit duellum: *Quid* inquirebat à circumstantibus, *dabitur viro, qui percusserit Philistæum hunc, & tulerit opprobrium de Israël?* Et cùm illi respondérent: *Virum, qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israël,* mox generoso accensus spiritu, & spe tanti præmii illectus, etiam rejectis armis regiis, solo baculo, & quinque lapidibus, ac perâ & fundâ instructus adversùs Philistæum in arenam processit, quem primo lapide in terram prostravit, proprioque gladio ei caput amputavit: Ecce spes præmii & honoris Davidi tum adhuc adolescenti vigin-

ti annorum animum & calcar addidit, ut nullum formidaret hostem, nullum recusaret periculum: *Spes*, ait Theophilus, *fortiorem efficit animam, & ad pericula confidentiorem, &c.* Si hoc olim in umbra, quantò magis, anime mi, nos excitare, & animare debet spes illa æternæ beatitudinis, ac præmii cælestis nunquam terminandi, ut egregiè & animosè hîc in terris contra Tartareum gigantem, ejusque insultus ac tentationes pugnemus.

Theoph. sup. Ep. ad Rom. 12.

Jacob pro acquirenda formosa Rachel quatuordecim servitutis annos explevit, & tamen *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Assyrii illi, urbem Bethuliam obsidentes, ubi raram formæ gratiam & pulchritudinem Judith contemplati sunt, ad se invicem dicebant: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Ecce spes potiundi Rachel Jacob omnes indulcor bat labores, ut tot anni illi pauci ac parvi viderentur dies, omnesque labores, ut tot anni illi pauci ac parvi viderentur dies, omnisque labor exiguus comparatus cum tali labili & fragili præmio; & Assyrii conspectâ pulchritudine Judith de novo ad cruentam animati sunt pugnam. Plus hîc quàm Rachel & Judith; leva mentis oculos tuos, anime mi, in cœlum, & illius immensæ gloriæ pondus, ac cœlestis sponsæ decorem considera, de qua canit Ecclesia: *O sorte nupta prospera dotata Patris gloriâ, respersa Sponsi gratiâ, Regina formosissima, Christo jugata, cœli coraſca civitas.* Et nunquid ob expectationem hujus formosissimæ Sponsæ omnis tibi labor videri debet levis, & pugna facilis, ut aliquando post vitæ tuæ exitum hæc optatâ potiaris & fruaris sponsâ?

Gen. 29. 20. Judith. 10. 18. Ecclesia in hym. de die.

3. Pulcherrimam quæstionem nobis proponit Divus Chrysostomus quare DEUS cætera animalia producere voluerit armata cornibus, unquibus & dentibus munita, avibus subministrans ad volandum, & aliis animantibus velocitatem ad cursum, hominem autem reliquerit inermem? Et respondet sibi S. Doctor, quia Deus ipse voluit esse virtus hominis, & ut in ipso speraret homo, omnemque suam spem in Creatore ac Salvatore suo poneret, à quo solo bona æterna sunt speranda: *In Deo faciemus virtutem.*

S. Chrys. in Ps. 107. 14.

Judith fortissimam Hebræorum heroinam consulamus. Ibat illa ad hostilia Assyriorum castra obfirmato in Holofernis necem animo. Sed ubi arma tua herois fortissima? cur pugionem non tecum accepisti, quo hostis infensissimi pectus transfoderes? cur non novaculam, quâ tyranno tam impio guttur pro barba abraderes? quare prorsus inermis ad opus tam grande progressa es? Adverte, arma illius erant præmissa oratio, & spes ingens atque firmissima in solo Deo auxiliatore suo collocata, firmissimè sibi persuadens, quòd non deserat sperantes in se, unde ita Deum allocuta est: *Confirma me, Domine DEUS Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum*

Judith. 13.

rum, ut ſicut promiſiſti, Jeruſalem civitatem erigas; & hoc, quod credens per te poſſe fieri cogitavi, perficiam &c. En ſpem grandem, quam mulier illa fortis in Deum & in Deo habuit, ſed ſpei ſuæ & timorem Domini junxit, unde ulteriùs de illa Scriptura: *Timebat Dominum valdè; nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Et hæc cauſa erat, quòd talem ac tantam nullisque unquam ſæculis ſatis decantandam ab hoſte captitaliſſimo reportaverit victoriam. Si tu, anime mi, hoſtes tuos præſertim domeſticum, quem bene noſcis, diſcupis vincere, ſubjugare, mortificare, en exemplum: Spera in Deum, & time Deum. Judith. 8. 8

4. Huîc heroinæ adjungo mulierem ex Cæſarea Philippi oriundam, quam S. Ambroſius Martham appellat, quæ duodecim annorum ſpatiô ſanguinis fluxu laborans, omnem feré ſubſtantiam ſuam fruſtra Medicis diſtribuit: Audiit hæc fortè de adventu pretioſiſſimi Salvatoris noſtri, hinc novam ſalutis ſpem concipiens, dicebat intra ſe: *Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.* Et quid fecit? *Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus;* guſtabat enim Chriſtus pro more gentis hyacintham in veſtimento ſuo fimbriam, quæ cœli ſpem & Divinorum mandatorum adumbrabat memoriam, quam ubi mulier illa venerabunda tetigit, repentè ſanitati reſtituta eſt: *Salva facta eſt ex illa hora.* Et quod ſingulari obſervatione dignum eſt, Chriſtus hanc mulierem filiam nominavit: *Confide filia, fides tua te ſalvam fecit,* quo titulo nullam aliam fœminam, ſi Evangelium attentiore mente conſulimus, honoravit. Et quare hoc? Obſerva: Mulier hæc infirma & ſpem & timorem erga Chriſtum habuit, ac mira quadam ratione utrumque conjunxit, ſpem, inquam, habuit: *Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero,* timorem autem, quia *acceſſit retrò,* non ante faciem Chriſti propter immunditiem ſuam indignam ſe reputans, quam Dominus aſpiceret; hinc tantopere ſublimata fuit, ut non duntaxat JEſus Dei Filius in eam conjiceret oculos, ſed & filiam nominaret. Diſce hîc modum quem imitari oportet, ſi à Deo petis obtinere peculiare beneficium, ſpera in eum, *quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt,* & quam maximè, dum bona æterna & cœleſtia ſperas; ſed & time Dominum; ac quamlibet ejus offenſam ſolicitè fuge; qui enim perfectè Deum diligit, vehementiſſimè timet, ne in aliquo offendat dilectum, hinc in omnibus ſe exactiſſimè ejus conformat voluntati. Audis? Fac & tu. Matth. 9. 20. Eccl. 2. 11.

5. Et ſi lubet ulteriùs progredi, conſideremus mirandam illam nubis & ignis columnam, quæ quondam Hebræis non duntaxar viam in Palæſtinam oſtendit, ſed & eorum caſtra ab æſtu ſolis & incurſu exercitûs Pharaonis inſequentis protexit, dum ſub illa quaſi ſub velamine & umbella ambulabant & degebant; *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam* Exod. 13. 21.

per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis; Singula hæc portendunt aliquid, attentum te esse cupio. Respondent S. Gregorius Magnus, Cornelius & alii, quòd per dictam columnam nubis & ignis nihil aliud fuerit præsignatum, quàm Christus JEsus & hic crucifixus; hic enim est columna nubis & ignis, nubis quidem de die, hoc est, in hac vita nostra, dum fideles suos gratiâ suâ obumbrat, protegit & ad terram viventium deducit; proindè meritò in illum sperent omnes Christiani: *Lætentur omnes, qui sperant in te*, quia ipse est Dux noster, qui de se ipso ait: *Ego sum via, veritas & vita.* Sed & columna ignis est per noctem, hoc est, in morte, & in formidabili judicio, si præcepta Dei non observaverimus, unde meritò illum, ut districtissimum Judicem à Patre constitutum, timeamus: *Timete Dominum omnes Sancti ejus*; hinc ille optimè procedit, qui inter spem ac timorem salutem suam operans, hâc duce columnâ mysticâ ad cælestem tendit Palæstinam. Juvat hîc audire prædictum S. R. Ecclesiæ Doctorem Moralem: *Hebræos*, inquit, *per deserta gradientes columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die, in igne enim terror est, in nube visionis leve blandimentum: dies autem vita justi, & nox accipitur vita peccatoris; in die igitur columna nubis monstrata est, & in nocte columna ignis, quia Deus in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem blandè justos demulcebit, peccatores autem per justitiæ destructionem terrebit.* Proinde spera, & time.

Pf. 5. 12. Jo. 14. 6. Pf. 33. 10. S. Greg. M. hom. 22. in Ev.

6. Duos quondam turtures Deus sibi à matribus post partum pro purificatione offerri voluit: *Sumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato*, quod B. Virgo & Dei Mater censu pauper & indiga fecisse legitur. Sed quare, dices, Deus duos affectabat turtures, aut duos columbarum pullos? Observa: Turtures & columbæ sunt volucres timidæ, quæ ad visam accipitris umbram sine mora fugiunt, & in cavernis suis sese abscondunt. En timorem; ita & nos oportet fugere omne peccatum, quia initium sapientiæ timor Domini; sed & symbolum sunt turtures ac columbæ optimæ spei: columbam Noëmicam considera, pacis olivam, finitò diluviò, ad manus Noëmi deferentem, cui olivæ ramo meritò pro lemmate inscribimus: *Spes altera vitæ.* Proinde semper sperandum est in Domino: *Etiamsi occiderit me*, ait patientissimus Job, *in ipsum sperabo.*

Lev. 12. 8. Luc. 2. 24. Gen. 8. 11. Job. 13. 15.

In Arca illa fœderis erant & dulce manna & virga Aaronica reposita. Per manna D. Antonius Paduanus spem intelligit, & per virgam timorem Domini; *Ne spes*, inquit, *præsumptione corrumpatur, debet timor conjungi.*

Hebr. 9. 4. S. Anton. Dom. infra Oct. Epiph.

Vidit aliquando dilectus ille discipulus Christum Dominum nunc in cœlis regnantem septem habere in manu stellas, & de ore illius prodibat gladius ex utraque parte acutus: *Et habebat in dextera sua stellas septem,*

& de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. In quem finem, haud immeritò rogabis, conjunguntur ſtellæ & gladius? Reſpondet Richardus à S. Victore: Stellæ in dextera Chriſti ad conſolationem noſtram ſunt; & ut ſpem & quidem quàm maximam in Chriſto & in illius meritis, ac cruenta ejus Paſſione concipiamur (ideo enim natus, & paſſus eſt, ut ſalvaret genus humanum) hinc nunquam ſpem obtinendæ ſalutis noſtræ æternæ deponamus neceſſe eſt; ſed oportet, ut & timorem Domini ſpei noſtræ inflectamus, hoc enim ſignificat ille gladius de ore Dei & hominis Chriſti promanans: *Stellis,* inquit, *ingerit ſpem, gladio timorem, ut cum ſpe ac timore viventes cautos ſe habeant, ut timore pœnas fugiant, ſpe ad præmia animentur.* Audis hoc iterum, anima Chriſtiana? ſi lubet, pergamus ulteriùs. Rich. a S. Vict. & Sylveira hic.

7. Ubi Chriſtus melioris reparator orbis aliquando paralyticum in lecto jacentem, & ſibi oblatum, tum in anima, tum in corpore ſanavit, expreſsè aſſeruit: *Confide fili, remittuntur peccata tua*; per quod Chriſtus quia filius Dei, dicto paralytico (ſeu contrito, ſeu attrito) remiſſionem peccatorum, & gratiam etiam ſine Sacramento contulit, quam poteſtatem nulli hominum, neque ipſi S. Petro, aut ulli Pontificum conceſſit. Audiebant hoc nonnulli Scribarum, & quia putabant Chriſtum non eſſe DEum, ſed merum hominem, ideo de blasphemia eum arguebant: *His blasphemat.* Sed mox reſolvit hanc objectionem mitiſſimus Salvator: *Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico) ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Hic ſe ſiſtat ſermo meus, dum attentiore mente perpendo æternæ Veritatis verba: *Quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Et quid hoc eſt? Nunquid Filius hominis eandem habet poteſtatem in cœlo dimittendi peccata? quare ergo dixit: *Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata?* Cur non etiam in cœlo? Matth. 9. 2.

Obſerva hîc, anime mi, quomodo ſemper inter ſpem & metum tibi ſit ambulandum? Reſpondet Theophylactus: *Vide,* inquit, *quòd in terra dimittit peccata; dum enim ſumus in terra, peccata noſtra delere poſſumus; poſtquam verò à terra tollimur, non valebimus confiteri, clauditur enim janua.* Collige hinc metum, inde ſpem in Divini Numinis bonitate collocandam. Proinde ſpera in eum, dum ſpiras: *Qui timet Dominum,* ait Siracides, *nihil trepidavit, & non pavebit: Quoniam ipſe eſt ſpes ejus.* En rurſus, quomodo ſpes & timor in S. Scriptura conjungantur. Juvat hîc audire S. Chryſoſtomum; *quemadmodum,* inquit, *quercus altiùs demiſſis radicibus nullius venti viribus ſternitur, ita animam Divino confixam timore nullus tentationum ventus evellet, clavis enim affixum eſſe amplius eſt, quàm radicatum eſſe, idcirco inquit Propheta: Confige timore tuo carnes meas; ita & tu configas quaſi clavo quodam, & adhæreas.* Theoph. ap. S. Th. in Catena. Eccli. 34. 16. S. Chryſ. hom. 53. in Joan.

8. Olim mandaverat Deus, ut Hebræi manducantes agnum paschalem
Exod. 12. 11. baculos in manibus tenerent: *Sic autem comedetis eum, renes vestros accingetis, & calceamenta habebetis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis, festinanter.* Cæterum quòd Israëliti illi calceos induere jussi fuerint, signum fuit eorum libertatis hactenus enim in durissima servitute Ægyptiaca, velut abjectissima mancipia nudis incedebant pedibus, ad labores & ad opera durissima adstricti, nunc autem ad iter longum & laboriosum in Palæstinam accincti, jubentur, ut homines ingenui & liberi calceati incedere. Quare autem dices, baculum in manibus gerere debebant, dum Phase
Gen. 23. 10. manducabant? Subintrat hîc Gregorius Nissenus: *Baculus, quo sustentamur spes est*, & hoc innixus baculo Jacob Patriarcha rapidissimum Jordanis flumen securus transibat. Sed & timorem Dei idem indicat, & denotat baculus.
Elig. Nov. apud Paciod. in Jo. Pf. 22. 4. Ita Eligius Episcopus Noviomensis: *Baculos*, inquit, *necesse est in manibus teneamus, ut in cunctis, quæ agimus, timorem Dei vivi præ oculis habeamus*, unde rectè Vates Regius: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*; virgam correctionem & timorem Dei saluturem subaudi, & per baculum spem firmam in Deum, quæ nos inter tot, ac tanta sustentat pericula, & quâ
S. Prosper in Psalmos velut baculô suffulcimur; hinc rectè S. Prosper: *Deus sic timendus est, ut ad ipsum confugiatur.*

9. Ita Abraham, inclytum Patriarcharum decus, semper, inter spem &
Rom. 4. 18. Gen. 22. 2. metum ambulare consueverat, de quo gentium Doctor Paulus: *Qui contra spem in spem credidit*, ut meritô pater fidei & spei appelletur. Præceperat autem ei DEUS: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum &c.* Ecce quot verba, tot gladii & hastæ? quid autem ad hoc Abraham? an animo concidit? an mente perturbatus? an querelas contra DEum movit? minimè gentium sed *contra spem in spem credidit*: cùm filius ei diceret: *Pater mi, ecce ignis, & ligna: ubi est victima holocausti?* suaviter ei respondit: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* En inconcussam spem, quam Abraham in DEUM habuit; & timuit Abraham Dominum, unde Angelus ad eum: *Nunc cognovi, quòd times Deum.* Hoc illustre exemplum & tu imitare, anime, etiam in rebus arduis, spera in DEum, omnia potes in eo, qui te confortat;
Ps. 144. 19. junge huic spei tuæ salutarem Dei timotem, *ipse enim voluntatem timentium se faciet.* Audis: *timentium se*?

Simeon sanctus ille senecio firmissimam semper spem per omnem vitæ suæ cursum in DEUM habuit, & eò majorem, quò magis decrepita augeba-
Luc. 2. 25. tur in eo ætas, sperabat enim firmissimè *non visurum se mortem nisi videret Christum Domini.* Sed & timorem Dei suæ spei conjunxit, unde ulteriùs de illo sacræ perhibent paginæ: *Et homo iste justus & timoratus.*

Imo

Imò & non justus poterit sperare in Domino: *Sentite de Domino in bonitate.* Latronem in Cruce pœnitentem consulamus in animo contrito, & humiliato ad Christum crucifixum clamantem: *Domine memento mei;* ecce spem ingentem hujus malefactoris in Christi crucifixi merita, ubi sese totum in Divinam illius, quem Filium Dei agnovit, resignavit voluntatem & bonitatem. Sed quæ causa impulsiva hujus stupendæ conversionis? Resp. *Timor Domini expellit peccatum,* ubi DEUS timere didicit, peccare desiit, hinc ad socium blasphemantem dixit: *Neque tu times DEUM, qui in eadem damnatione es?* Sap. 1. 1. Luc. 23. 24 Eccl. 1. 27.

10. Prolixum quando sermonem Christus Dominus in monte habuit, quomodo mortales omnes prudenter & sanctè vitam debeant instituere, si ad promissum Patris Regnum velint pervenire &c. Cui sermoni, ut tandem faceret finem, pro epilogo adjecit: *Omnis autem, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam super petram; & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundamentum enim erat super petram.* Virum istum sapientem & tu imitare, quisquis ex homo Christiane, & super hanc petram, quia Christus est, omnia tua opera ædifica; in ipsum speratum speras, quia non deserit sperantes in se; ipsum quoque time, sed salutari & filiali timore: *Timenti enim Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicitur.* Cæterùm pluvia, venti & flumina super te in hac vita irruentia, sunt adversitates ac tentationes, tum à Dæmone, tum à carne, tum à mundo suggestæ, sed neque hîc tu cede malis, quia fidelis anima in Christo petrâ solidata neque similibus obruitur adversantium fluctibus? *Ego,* ait Deus ad Abrahamum, *ego protector tuus sum? & merces tua magna nimis.* Matth. 7. 24. Eccl. 1. 13. Gen. 15. 1.

Econtra, pergit eadem Veritas Christus: *stultus domum suam super arenam ædificat, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Supra quòd egregiè Stengelius de Judiciis Divinis: Adverte, ait, iisdem fluminibus pluviis, ventis utraque domus concutiebatur. Domus Sapientis stetit; stulti collapsa est, Quis causa lapsûs? non venti, non flumina, non pluviæ; alioquin etiam domus sapientis corruisset. Causa igitur fuit arena; in qua domum suam stultus ædificator malè fundavit: non cecidisset, si firmum fundamentum posuisset. Quid igitur consilii in re tanti momenti? Non super arenam ædificare, id est, super creaturam, inquit, Salmeron; quæ instar arenæ est sterilis, fluida ac labilis, nec fundamenti solidi vicem subire potest, ac proinde necessariò irruentibus tentationem ventis & undis cadet, ac prolabetur, sed omnem spem salutis tuæ super petram, id est, Christum collo- Matth. 7. 27.

colloca & ædifica, atque in timore & amore illius jugiter perseverа; sic velut cautes Marpesia inconcussus in omni periculo consistes.

CONSIDERATIO LIII.

Adversa, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.

Pro Dominica 20. post. Pent.

Abiit ad Deum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus; incipiebat enim mori. Joan. 4. 47.

I.

ECquis crederet, nisi quotidiana probaret experientia, quòd herbæ amariores plùs ad hominis conservandam, reparandamque prosint salutem, quàm dulces & gustui humano peramœnæ? plus prodest absynthium, & rhabarbarum infirmo stomacho, quàm mel ambrosium & saccarus dulcissimus, unde plerumque Medici amaras, & non duces solent infirmis propinare potiones, ut per contraria & palato adversa deperditam recuperent salutem. Ita & Deus nobiscum in sananda ægrota anima
Exod. 15. 26. agere assolet: *Ego enim*, inquit ipse, *Dominus sanator tuus*; Chaldæus legit: *Quia ego Dominus Medicus tuus;* qui dum nos ab infirmitate animæ curare discupit, non per dulces potiones, sed per amaras, & multas adversi-
Job. 5. 18. tates ad se nos attrahere consuescit, unde rectè pientissimus Job: *Quia ipse vulnerat, medetur, percutit, & manus ejus sanabunt.*

Multa quondam benignissimus Deus populo suo electo præstitit beneficia, eos à servitute Ægyptiaca liberandô, per mare rubrum sicco pede traducendô, cœlesti manna pascendô &c. Mitto sexcenta alia; his tamen non
Ps. 105. 7. obstantibus populus ille ingratus nec flocci melior factus est: *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*; proinde eos duriùs tractare statuit, atque variis plagis, ignitis serpentibus, cruentis bellis & adversitatibus agitare:
Ps. 15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*, & quid sequitur? *postea acceleraverunt*, & se se converterunt ad Dominum Deum suum. Ex quibus dilucidè patet, verum esse illud Magni Gregorii: *Mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.*

Similem faciem & hodie in sacro Evangelio spectavimus, ubi Regulus quidam, homo potens & dives, famâ miraculorum Christi commotus,

statui

statuit ipsum Christum personaliter accedere: *Abiit ad eum, & rogabat eum,* Jo.4.45.
ut descenderet & sanaret filium ejus, incipiebat enim mori. Et quare non Legatum ad pretiosissimum orbis Redemptorem misit, qui pro salute filii morientis solicitaret? unde, quæso, tanta ac tam insolita humilitas in gentili Regulo, ut ad pedes Christi ultrò se abjiceret? In promptu causa est, mala, quæ ipsum Mans. hic.
premebant, ad Christum ire compellebant: *Supplex*, ait Doctissimus Mansius, *coram Christo se prosternit, urgentibus enim necessitatibus, dum mors illis ob oculos ponitur, omnem Magnates fastum & arrogantiam deponunt, omniumque respectuum humanorum per tribulationes efficiuntur immemores.* Ex quibus abundè licet colligere, quòd tribulatio ad Deum nos ducat, si percutientis manum humiliter agnoscimus, & econtra vita mollis, fausta & delicata nos æternùm perdat. Plura in præsenti.

2. Quis non obstupescat, dum mente attenta considerat miserabilem illum populi Judaici lapsum ac cæcitatem, dum relictô Deo, cœli terræque Domino, summo benefactore suo vitulum ex auro conflatum cultu latriæ adoravit, & pro vitulo cum vitulo vitulatus: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui* Exod.32.4
te eduxerunt de terra Ægypti? Unde, obsecro, tanta hujus populi demen- Deut.32.
tia & perversitas? Audi Moysen rationem & causam subjungentem: *Incras-* 15.
satus, impinguatus, dilatatus, reliquit DEUM factorem suum, & recessit à DEO salutari suo. En cùm bene huic populo fuit, incepit deliciari, ludere, saltare, & exultare in rebus pessimis, cùm interim illi imminebat gladius & vindicta Dei; proinde necessariò multis adversis, ac tribulationibus erat compellendus, ut iter in Palæstinam cœptum non in otio, voluptate & libidine, sed in timore & amore Dei, & in observatione mandatorum Divinorum prosequeretur. Ita prorsus etiamnum agunt mortales miseri; cùm in pace sunt, dum arridenr fortunæ bona, dum bene illis est, pari modo DEI optimi benefactoris sui assolent oblivisci, & sensim ad omnia declinare vitia. Davidem consule & Salomonem filium ejus, de quibus Mellifluus? *Sapiens David,* S.Bern.l.2
sapiens Salomon, sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter de Consid.
ex toto desipuit Hinc opus erat, ut acerbô flagello uterque excitaretur ad Deum imposterùm magis amandum & colendum.

3. Raphaël fidelissimus Tobiæ dux, comèsque viæ inter alia huic dilecto suo itinerum socio suasit, ut de exenterato pisce cor, fel & jecur ad pharmaca sibi necessaria reservaret. Per jecur & cor incensum, fugatum est Dæmonium, per fel autem Tobias senior visum recepit; *Fel*, ait Angelus, *valet ad unguen-* Tob.6.9.
dos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. Et quid accidit, cùm tandem ad patrium solum reverterentur; *Tunc sumens Tobias de felle piscis lini-* Tob.11.13
vit oculos patris sui; & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cæpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi, quam apprehendens Tobias, traxit ab

oculis ejus, statimque visum recepit Et quomodo, dices, amarissimum piscis fel excæcatos poterat Tobiæ senioris illuminare oculos? quid amarius felle, & consequenter quid oculis læsis magis noxium? Non hîc litteralem quæro sensum, & quid de hac medicina disputent Medici? Sed ad propositum meum adduco in medium S. Bernardinum: *Tribulatio*, inquit, *est amarum fel, quo oculi Tobiæ viri justi, ad Dei cognitionem fuerunt illuminati.* En homo Christiane, hoc fel tribulationis & nobis necessarium est, ut cæcutientes nostros adaperiat oculos ad Deum summum Bonum magis, magisque cognoscendum. Juvat hîc audire Cornelium: *Fel*, ait, *est amaritiei perversitatis & tribulationis, quæ oculos mentis melle voluptatis terrenæ excæcatos, eo discusso aperit, ut videat peccati turpitudinem, gehennæ atrocitatem, virtutis pulchritudinem, Dei bonitatem, cæli gaudia &c.*

Bern. To. 1 f. 8. a. 2.

Cornel. in Tob. 6. 9.

Nux arbor nonnisi percussa fruges dispensat. Olea crebris percussionibus redditur fœcundior. Vitis, quæ non circumfoditur, & amputatur, non apta est ad ferendas uvas. Rosa inter spinas & cepas fit fragrantior. Cithara nonnisi doctâ manu pulsâ suavem solet reddere sonum. Torcular dum premitur, dulce emittet falernum. Granum frumenti gelu & æstu perficitur, unde lemma: *Æstu, plagisque.* Ita & nos mortales sumus constituti, dum vix ullum sinceræ virtutis & veræ pœnitentiæ fructum referimus, nisi multis pressi calamitatibus, morbisque ac persecutionibus bene contusi; undè benè & rectè de se Augustinus: *Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te &c.*

S. Aug. l. 10. Conf. 6

6.

4. Ad abyssum maris modò vos duco, ut ex illa cognoscatis, quomodo in veritate judicia Dei sint abyssus multa. Et nunquid audîstis de Jona Propheta à Deo justissimo criminum vindice ad Ninivitas, ut eis prædicaret pœnitentiam, ablegato? Et quia hic Vates vel potentiam Regis Sardanapali, vel magnificentiam urbis Ninivæ, vel incolarum hostilitatem erga Judæos (qualis & ipse erat) extimescebat; vel quia præsumebat per has Dei minas & prædicationem tam seriam cives ad pœnitentiam convertendos, & sic ipsum, quasi Prophetam falsum à mundo irridendum, inconsultis arbitris per mare Mediterraneum fugam in Tharsis paravit, quem sine mora insecutus est Deus, ventum validum & procellam in pelago excitans, ita ut navis ex alluvione fluctuum periclitaretur conteri. Interim Jonas ad interiora navis, quasi ad locum tutiorem & secretiorem descendens; ut remorsum sopiret conscientiæ, inter medias vitæ, mortisque vias gravi dormire sopore cœpit. Verùm ingravescente magis magisque periculo à nautis ingenti metu perculsis excitatus sortémque cum eis mittens, solus reus istarum calamitatum inventus est; quapropter, prout ipse perîit, in mare iratum præcipitatus sine mora à ceto, quem præparaverat Dominus, devoratus est. Hîc demum inobediens ille Vates in ventre balenæ, velut in vivo carcere inclusus,

clusus, culpam suam agnoscere, & levatis ad cœlum manibus in animo contrito, & humiliato ad Divinas cœpit confugere miserationes: *Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.* Ecce quomodo non deliciæ, sed angustiæ Jonam inobedientem ad Deum redire, eumque de profundo maris impensissimè invocare compulerunt: *Ita*, subinfert hîc Cornelius, *Deus suos redigit ad arcta, ut eum invocent, & invocantibus illicò adest, & opitulatur.* Hîc adimpletum est illud, & etiamnum hodie, imò quotidie adimpletur, quod prædixit Dominus per os Oseæ Prophetæ: *In funiculis Adam trahameos: in vinculis charitatis.* Et quænam, dices, sunt illa vincula charitatis? Resp. Prado in hunc locum: *Funiculi sunt dolores; illis enim quasi funibus homo arctatur, & constringitur.* Et Cornelius à Lapide in persona Dei: *Ego*, inquit, *Israëlitas per dolores & afflictiones, quos ab Adamo parente suo hæreditârunt, ad me trahàm, qui sunt mei erga illos amoris pignora.* Audis hoc, optimè Lector? si adversa te premunt, non irati, sed amantis Numinis sunt pignora; vult enim in vinculis charitatis te ad se trahere; quam veritatem optimè agnovit dilecta Sponsa, proinde petiit à Sponso: *Trahe me; post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Supra quod egregiè Doctor Mellifluus: *Trahe me*, inquit, *post te, quia satiùs mihi est, ut me trahas, ut scilicet vim mihi qualemcunque inferas, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis, quàm parcens in meo me tepore securum derelinquas.*

Jonæ 2. 8.

Corn. hic.

Osee. 11. 4.

Corn. hic.

Cant. 1. 3. S. Bern. serm. 21. in Cant.

§. Desideratis plura ex sacris Paginis petita Argumenta? Manassen, quæso, observate Israëlitarum quondam Regem potentissimum, sed nunc summè humiliatum, summè angustiatum. Erat is ob idololatriam & alia plura commissa scelera vinctus in Babyloniam traductus, ubi in carcere, & inter vincula ac compedes tandem sapere didicit, & Deum Dominum ac Creatorem suum meliùs, quàm paulò ante inter regales agnoscere delicias. Audiamus Scripturam: *Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum: deprecatúsque est eum, & obsecravit intentè; & exaudivit orationem ejus, reduxítque eum Jerusalem in Regnum suum, & cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus.* Ecce, quomodo calamitates nos philosophare faciunt, & ad Deum ire compellunt.

2 Paral. 33. 12.

Vultis alium & non absimilem videre Regem? Nabuchodonosorem attendite de Regno suo propter superbiam, aliáque scelera expulsum, à subditis derelictum, in bestiam commutatum, & post septem annos tandem in gradum & dignitatem pristinam restitutum. Et quare hæc omnia venerunt super Nabuchodonosor? Resp. ut ex tot. afflictionibus emendatus ad se, & ad Deum rediret, vitámque imposterùm homine & Rege dignam duceret: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli; quia*

Dan. 4. 3.

omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Vide ex his iterum, anime mi, quomodo in veritate hujus vitæ præsentis miseriæ & tribulationes ad Deum nos soleant perducere? hinc re-
Psal. 6. 3. ctè Vates purpuratus: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi.* Advertè: in die tribulationis meæ, non in die deliciarum &c.

Filium prodigum consideremus. Quamdiu is inter opes & seculi hujus versabatur delicias, parùm Dei & optimi parentis sui memor extitit; sed ubi validâ fame regionem devastante extremè egere cœpit, nec ampliùs haberet siliquas, quibus inanem repleret stomachum, ad sanam tandem mentem rediens, sapere didicit; unde suam agnoscens miseriam & inopiam ad
Luc. 15. 18 patrem reversus humiliter delictorum veniam rogavit: *Pater peccavi &c.*
Nyss. tract. de orat. Suprâ quod egregiè Nyssenus: *Non priùs*, ait, *rediit ad pristinam felicitatem, quam in se rediens sentiret opprimentis ærumnæ præsentiam.* Ex quibus collige, anima Christiana, quàm necessariæ subinde nobis sint vexationes, tentationes, ærumnæ, persecutiones, & adversitates, ut ad Deum, à quo per peccatum cum Prodigo recedimus, nos denuò compellant. Verùm pergamus ulteriùs.

4. Olim in Lege mandaverat Deus, si aliqua inter conjuges de admisso adulterio oriebatur suspicio, nec maritus delictum uxoris per testes probare poterat, jussus is erat, cur ad tollendam perpetuam zelotypiam uxorem suspectam ad Sacerdotem duceret, qui ei amarissimas cum mille maledictionibus parabat aquas, quas si uxor sine detrimento & corpore illæso epotavit, innocens habebatur; sin autem mox post potionem malè habere cœpit, &
Num. 5. 27 conflato ventre femur computrescere, adulterii rea censebatur: *Erítque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo &c.* En pulcherrimum typum, quomodo Deus dilectas & electas suas probet animas, quibus non dulcem sed amarissimum propinare solet haustum tribulationum, ut eas sic probatas æternùm possit beare, & dignas se invenire. Secus? repudiabit. Sic Ezechiam Regem per ejusmodi amarissimum haustum probavit, & ad se
Isai. 31. 1. attraxit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Et quid, quæso, peccavit pientissimus ille Rex, quòd in medio viæ cursu vitæ filium illi
S. Hier. hic esset præscindendum? Resp. S. Hieronymus: *Ne elevaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos & victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, & audit se moriturum*, in qua lethali ægritudine totis viribus se ad Deum convertit, notúmque illud Canticum ad supremi Numinis laudem composuit, quo
Isa. 38. 10. eriamnum utitur Ecclesia: *Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi &c.*

Sic probavit tres illos pueros, Sidrach, Misach & Abdenago, quos Nabuchodonosor Rex, qui statuam auream, in qua adorari voluit, non po-

plite

plite flexo venerabantur, in fornacem ardentem mitti jussit, ubi in medio flammarum, cùm adhuc incerti essent, an ex flamma ab Angelo eripiendi essent, nec ne, unanimi voce laudabant & benedicebant Dominum: *Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum &c.* Vide ex his, arque considera, quomodo Deus electos suos plerumque ab initio in tentatione relinquere soleat, ut ipsum magis invocent, & invocatus possit succurrere. Ita *vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis*, ut ex toto corde & anima discant ad Deum suum in adversis confugere; unde rectè Moyses: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra*; & ut majus calcar adderet, mox subjunxit: *Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem ejus; ipsi servietis, & ipsi adhærebitis.* Dan. 3. 26. Eccl. 27. 6. Deut. 13. 3

7. Cæterùm mirantur SS. Patres, sacrarúmque Litterarum periti, quare Joseph Jacobi Patriarchæ filius, licèt innocentissimus & castissimus, per duorum tamen annorum spatium in compedibus & in squalido carcere fuerit detentus, antequam ad conspectum Regis Ægyptiorum perveniret, eíque somnium de sptennio futuræ fertilitatis & sterilitatis ex visione septem vaccarum & spicarum explanaret? Causam hujus biennalis carceris S. Augustinus assignat istam, quia Joseph magìs in Principe Pincernarum, cui liberationem è carcere vaticinatus est, quàm in Deo tunc temporis speravit, ut liberationem sui ex obscuro illo ergastulo à Rege impetraret: *Tantùm memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facies mecum misericordiam, & suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere; quia furtò sublatus sum de terra Hebræorum, & hìc innocens in lacum missus sum.* Et quid tandem evenit? cùm satis superque in compedibus esset humiliatus: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus*, majori cum intentione è lacu suo suspiravit ad Dominum (mala enim, quæ ipsum premebant, ad Deum magìs ire compellebant) & exaudivit eum Dominus in tempore opportuno: *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Oportet, ut & hìc S. Augustinum consulimus: *Tanquam diceret ei Deus*, inquit, *ut magis à me, quàm ab homine debeas auxilium postulare: sine ulla enim dubitatione credendum est, quod pro castigatione sancti Joseph non permisit Deus Magistrum Pincernarum, ut in mente haberet, quòd ei sanctus Joseph, quando de carcere dimissus est, supplicaverat. Et quia etiam & ipse Joseph, quamvis sanctus tunc, sine peccato esse non poterat, ideo tanto tempore fuit in carcere clausus, ut in eo impleretur, quod scriptum est: Ego quos amo, arguo; & quos diligo, castigo.* Gen. 40. 14. Ps. 104. 18. S. Aug. ser. 82. de Temp.

8. A Josepho ad fratres ejus transeamus. Cùm ingravescente fame in Ægyptum ad coëmendum frumentum descendissent, optime illos agno-

agnoscebat Joseph tunc Ægyptiorum Pro-Rex, noluit tamen se ipsis manifestare, sed duriùs illos tractans & exploratores regionis vocans, quasi de proditione suspectos omnes tradidit tribus diebus custodiæ; tum demum in
Gen.41.21 carcere constitutis aperti sunt oculi eorum: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcirco venit super nos ista tribulatio. Equibus unus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum, & non audistis me? en Sanguis exquiritur* Omnia hæc audiebat Joseph, & licèt magnam cum his fratribus suis haberet commiserationem & amorem, ut lacrymas cohibere non posset, ideoque faciem ab eis nonnihil avertit, ut erumpentes abstergeret lacrymas, nihilominùs tamen asperis verbis & nonnisi per interpretem cum illis loqui voluit, ut ulcus eorum magìs tangeret, & per ejusmodi tribulationem pleniùs ad Deum & agnitionem sceleris sui commissi reduceret. Vide ex his atque perpende, anime mi, quomodo mala, quæ fratres Joseph premebant, eos ad Deum & ad se ipsos redire compellebant. Tri-
Perer. hic p.22.& seq bulatio, ait Pererius, docet nos cognoscere Deum, nosmetipsos, nostrámque fragilitatem ac denique vanitatem mundi, omniúmque ejus operum & bono-
Ps.82.16. rum. Proinde rectè impiis & discolis Vates Regius imprecatus est: *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent Nomen tuum.*

Job.21.13. O quot etiamnum sunt, qui *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt?* Balthasar, ubi cum Optimatibus suis gaudet, & lætatur, ex improviso ei manus de cœlo mortis & æternæ damnationis sententiam in
Dan.5.25. pariete scripsit: *Mane, Thecel, Phares.* Samson nonnisi in sinu amatæ Dalilæ suæ captus, oculis privatus, & Philisthæis traditus est: *At illa dormire*
Jud.16.19. *eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. &c.* Hebræi illi, qui in deserto contra Deum & Moysen murmurantes carnes appetierant, cùm ad-
Ps.77.34. huc coturnices essent in ore eorum, exterminati sunt: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum; & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impedivit.*

Dives ille epulo, dum satur & ebrius in mensa sedet, ex improviso le-
Luc.16.11 thali tactus catarrhô expirat: *Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno.*. Judæ soli in ultima Cœna Christus bucellam panis intinctam porre-
Jo.13.26. xit: *Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simoni Iscariotæ.* Et quare soli
Didac.tit.1 Judæ hic favor singularis factus est? Resp. Didacus: *Uni Judæ favorem in-*
a.3.c.9. *tincti panis porrexit; imò nunquam homo perditus majori verbere affligitur à Deo, quàm dum favoribus & beneficiis delinitur.* Ex quibus omnibus hactenus enarratis, si sanæ mentis es, abunde colliges, quàm necessariæ sint nobis immissæ à Deo tribulationes, quia dum nos premunt, ad Deum ire compellunt.

9. Pro coronide Petrum in testem adduco à Christò ad se de navi evocatum, ut super maris undas ambulans, propiùs ad se veniret: *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas, at ipse ait: Veni.* Et ecce, dum Petrus securè super maris undas ambulat, tandem ad ventum validum subitò exurgentem, & pelagi fluctus exagitantem, non timere tantùm, sed & in maris undis mergi cœpit; validitas enim venti Petri latera quassantis, non modicum ejus animo injecerat timorem, timor diffidentiam, & diffidentia ipsi præsens repræsentabat periculum, proinde timens ac tremens, velut naufragus Christi opem impensiùs imploravit: *Domine salvum me fac.* Et quare, dices, Christus permisit, ut Petrus, priusquam ad se veniret, tantum priùs subiret submersionis periculum? Et nunquid sicco pede, & non nisi sedatis fluctibus ad Dominum potuisset pervenire? Respondet pulcherrimè S. Augustinus: *In Petro,* inquit, *communis omnium nostrûm consideranda conditio est, ut, si nos in aliquo tentationum vento conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum.* Et D. Ambrosius in hunc locum: *Petrus,* ait, *dum fluctuat, dum mergitur, sic pervenit ad Dominum, ostendens nobis, quòd nonnisi per periculum properatur ad Dominum.*

Matt. 14. 28.

S. August. ser. 14. de Verbis Domini.

Quærunt de reliquo Sacri Doctores, an Claudia Procula uxor Pilati, quæ Virum pro tribunali sedentem admonuit: *Nihil tibi, & justo illi,* fuerit reverà ad Christum conversa & æternùm salvata? Resp. Lucius Dexter in Chronico. *Anno Christi 34. Christus Salvator mundi reus apud Pilatum agitur; Claudia Procula uxor Pilati admonita per somnum in Christum credit, & salutem consequitur.*

Matth. 27. 19.

Et quare hæc mulier gentilis sola innocentiam Christi tutata est, quæ exinde Pilato in exilium Lugdunum acto, fidem in Christum usque ad beatam mortem constanter servavit? Audi ipsam loquentem: *Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Ecce quia aliquid delibavit de Dominica Passione, Christum ultrò confessa, & ad veram fidem compulsa est.

Ex quibus omnibus hactenus enarratis abundè patet, quàm verum sit illud S. Gregorii: *Mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt &c.*

CON-

CONSIDERATIO LIV.

De remittendis Injuriis, & diligendis Inimicis.

Pro Dominica 21. post Pent.

Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris. Matth. 18. 35.

I.

ACerrimum quondam ac cruentiſſimum prælium Davidem inter & impium Abſalonem erat commiſſum, in quo non duntaxat copiæ illius rebelles Duce Joab erant proſtratæ, ſed & ipſe rebellium Anteſignanus Abſalon fugiens condenſæ quercui capillis adhæſit implicitus, ibique à Joab tribus lanceis confoſſus eſt. Et ecce dum hæc fiunt, & Joab ſupremus Belli dux jam victoriam, & victimam habebat in manibus, ut multitudini parceret rebellantium, & ne Rex ſuis deſtitueretur ſubditis, buccinam inflari mandavit, ad cujus ſonitum mox arma poſuerunt victores milites, & pax inter utramque partem compoſita eſt: *Cecinit autem Joab buccinâ, & retinuit populum, ne perſequeretur fugientem Iſraël, volens parcere multitudini.* Anima Chriſtiana! Hodie Deus & Homo Chriſtus inter tot moderna Chriſtianorum bella, contentiones, lites & inimicitias, quibus mortales miſeri ſeipſos perſequuntur, Evangelicam tubam exaltat, & inſonat, ut ab omni vindicta, odio & perſecutione non abſtineamus tantùm, ſed & unusquisque proximo ac fratri ſuo illatas ex animo remitta injurias, ſecùs minatur judicium ſeveriſſimum, interitum & gehennam: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Convenit igitur, ut ad ſonitum hujus buccinæ, & ad vocem hujus Archiſtrageti ac ſupremi Ducis humiliter obtemperemus: *Ego autem,* ait eadem Veritas, *dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos; orate pro perſequentibus ac calumniantibus vos, ut ſitis Filii Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* De qua veritate Evangelica plura in præſentiarum adjuvante Numine dilucidabimus. Attenti eſtote-

2. Reg. 18. 16.

Matth. 18. 15.

Matth. 5. 44.

2. Saul

2. Saul Israëlitarum Rex primus, quia Deo inobediens extitit, factus est justô Dei judiciô energumenus ac dæmoniacus: à quo maligno spiritu per vices exagitatus mirum in modum delirare, insanare & furere cœpit: *Et exagitabat eum spiritus nequam.* Ad hoc malum levandum, initô consiliô, statuerunt Aulæ Proceres, virum quendam in Regione & terra Israel esse inquirendum, qui Musices apprimè pertitus suavissimâ citharâ suâ & psallendi arte Regis exagitati temperaret furias. In quem finem ablegantur nuntii, qui discurrentes per sylvam de longè dulcem quendam subaudiunt citharæ sonum, accedunt propiùs, & juvenem reperiunt rufis capillis, oculis cæsiis, & formoso vultu spectabilem, Davidem nomine, ovium suarum gregis sub opaca arboris umbra curam habentem, ac Deum omnium bonorum fontem sonorâ voce laudantem, quem ex Regis Procerúmque imperio ad aulam in urbem invitant. Paucis; sistitur Regi, præhendit citharam, ludit, psallit, & Rex absque mora meliùs habere cœpit, dum mania & melancholia atque inde promanantes angores & animæ passiones non duntaxat minuebantur, sed & spiritus malus ab eo recessit: *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua; & refocillabatur Saul, & leviùs habebat.* Unde talis ac tanta virtus citharæ hujus Davidicæ? Ad quid formidabat Diabolus hujus citharæ clangorem, *qui factus est, ut nullum timeret?*

1. Reg. 16. 14.

1. Reg. 16. 23.

Job. 41. 24.

Ratio prima est, quia Musica naturaliter exhilarat hominis mentem, pellitque melancholiam, quæ Dæmon ad torquendum hominis animum ut plurimùm uti assolet? proinde homo Christianus, si Dæmonis tentationes evadere discupit, nimia caveat melancholia, quia humor ille Diabolo opportunissimus est ad hominem invadendum, eúmque ad invidiam, odium, & desperationem &c. incitandum. Hinc & Ecclesia in Officio Divino musicam & cantum adhibet, ut fideles ad devotionem & sanctam lætitiam, & ad Deo T.O.M. totis viribus inserviendum excitet: *Servite Domino in lætitia.* Ratio secunda & allegorica est, quam assignat Angelomus, quia per dictam citharam Crux Christi præsignata est, cujus virtute & meritis Christi in carne aliquando, hoc est post mille annos venturi, malus spiritus à Saule pulsus est. Tertiam rationem & ad nostrum propositum peracommodam submistrat Cornelius: *spiritualis*, inquit, *cithara est sermo lenis & blandus; nam verbum dulce*, teste Ecclesiastico, *multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* En anime mi! si inimicos tuos tibi vis reconciliare, blandè eos alloquere. Sic Abigail Davidem in cædem Nabal sui mariti ruentem blando, & leni sermone mitigavit. Sic Gedeon Ephratæorum jurgia amico & suavi sermone sopivit. Sic David simili suada & cantu malignos Saulis spiritus dulcoravit. Disce homo Christiane, si inimicum animum lucrari cupis, similem pulsare citharam. Sed pergamus ulteriùs.

Ps. 99. 2.

Eccl. 6. 5.

1. Reg. 25. Judic. 8. 3. 2. Reg. 16. 23.

3. Olim mandavit Deus, ut altare sibi fieret ex lapidibus insectis & impolitis, quos ferrum non tetigit: *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus; si enim lavaveris cultrum super eo, polluetur.* Et in libro Josue legitur: *Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israël in monte Hebal*; sed quale? *Altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit.* Et quare nullus malleus aut ferrum in erectione altaris olim in Lege poterat adhiberi? Non hîc litteram quæro, sed mysterium. Resp. Isidorus, Origenes & alii, quòd per ejusmodi altare quilibet intelligatur Christianus, qui sibi in corde suo Deo præparat altare ex lapidibus, quos ferrum non tetigit: *Ferrum pugnæ*, ait Origenes, *ferrum belli, ferrum litium*, procul cum hoc ferro! sed oportet, ut talis Ehristianus semper sit pacificus, mitis ac quietus, facilè proximo remittens injurias, & Dei honorem in omnibus unicè quærens, hic Domino altare construit sine ferro, in quo juge ei offert sacrificium laudis & salutis.

Exod. 20. 25.
Josue. 8. 30
Isidor. apud Corn. Exod. 20. 25.
Orig. hom. 9. in Josue.

Cæterùm miror, cur in veteri Lege Deus præceperit, ut Judicia forensia non in urbe, sed in porta instituerentur: *Odite malum*, ait per Prophetam Amos, *& diligite bonum, & constituite in porta judicium.* Et quare in porta civitatis olim ferebatur judicium super lites, ac populi contentiones? cur non in medio oppidi, quemadmodum nunc moris est, ut ejusmodi curiæ seu domus judiciales plerumque in medio civitatis extruantur? Resp. S. Gregorius Magnus. *Quatenùs in urbe concorditer viverent, & discordes minimè intrarent.* Ecce DEus, pacis Deus est, & non dissensionis, proinde noluit, ut lites & jurgia, odia & inimicitiæ inter cives vigerent, & si quid fortasse ejusmodi evenit, sine mora lis in porta finiri ac componi debuit: *Constituite in porta judicium.*

Amos. 5. 15.
S. Greg. M. l. 21. Mor. c. 15.

De Joseph Ægyptiorum Pro-Rege referunt SS. Litteræ, quòd, cùm ipsis natus esset primus ex Aseneth uxore Filius, eum non alio nomine, quàm Manasses vocari voluerit: *Vocavitque nomen primogeniti Manasses* Et quare, dices, Manasses, & non Abraham, Isaac, Jacob, &c. Rationem ipse subdit Josephus, quia Manasses, idem est, quàm *Oblivio*: *Oblivisci* inquit *me fecit Deus omnium laborum meorum*, & injuriarum à perfidis quondam fratribus mihi illatarum, & ignominiæ à Putiphare mihi inustæ, dum nimiùm credulas uxori adulteræ præbuit aures, & me innocentissimum, & ne quidem scelus cogitantem per triennium durissimo carceri mancipavit; his tamen non obstantibus ex animo omnibus meis ignosco inimicis & bona reddo pro malis. Audiamus in hunc locum S. Augustinum *Joseph*, inquit, *profratricidii crimine impiis & inimicis fratribus suis non odii amaritudinem, sed charitatis dulcedinem repensavit; osculabatur enim singulos, & per singulos flebat &c.* Juvat & hîc audire S. Cyprianum *Joseph*, ait, *venundatus à fratribus suis, non tantùm patienter ignoscit, sed & gratuita frumenta venientibus largiter & clementer impertit.* O si omnes Christiani hoc illustrissimum imitarentur exemplum!

Gen. 41. 52
S. Aug. ser. 168. de Temp. S. Cypr. de hon. patient

4. Sub-

4. Subnectamus plura argumenta ex antiqua Lege petita. Dicite quare David in Sacra Scriptura vir secundùm cor Dei appellatus est: *Inveni David filium Jesse secundùm cor meum?* Fortassè quia de Goliath insignem illam, & nullisunquam sæculis satis decantandam reportavit victoriam: *Prævaluitque David adversùs Philistæum in funda & lapide?* Aut quia arcam Domini solemnissimâ pompâ ex domo Abinadab in domum Obededom, & abinde in Sion civitatem suam transtulit: *Et David, & omnis domus Israël ducebant arcam testamenti Domini in Jubilo & in clangore tubæ?* Vel quia tantum zelum & curam ædificandi templi habuit, pro cujus fabrica 2400. Milliones Salomoni filio reliquit: *Ecce, ego in paupertate mea præparavi impensas domûs Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum?* Minimè gentium, subintrat hîc S. Bernardinus Senensis, sed quia immemor injuriarum inimicos suos sincera charitate dilexit, & odientibus se, ac calumniantibus ex animo ignovit, imò & benefecit, ideò vir secundùm cor Dei appellatus est: *Diligere enim inimicos*, ait Mellifluus, *magis Divinum est, quàm humanum.* Semei considerate irâ furore excæcatum, & Davidi maledicentem: *Mittebátque lapides contra David &c.* Saulem attendite, cujus implacabilem cordis duritiem mira tandem charitate fregit, vitámque infensissimo hosti suo donavit: *Propitius sit mihi Dominus, ut faciam hanc rem.* Posteros ejusdem Saulis cogitate, quibus & post mortem parentis benefecit: *Nunquid supersit aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei?* Vide ex his, anime mi, quàm jure meritò David in Scriptura vir secundùm cor Dei fuerit appellatus: *Nihil ita Deo assimilat*, sunt verba memorati S. Bernardini, *sicut injuriam sibi facientibus indulgere.*

Act. 13. 22.
1. Reg. 17. 50.
2. Reg. 6. 15.
2. Par. 22. 14.
S. Bern. Senens. de pastor. c. 1.
S. Bern. tr. de Pass.
2. Reg. 16. 6.
1. Reg. 24. 7.
2. Reg. 9. 3.
S. Bern. Ser. 20. Sen. to. 50. a. 1. c. 4.
3. Reg. 15. 6.

5. Recordor hîc zelosissimi vatis Eliæ, tempore siccitatis & sterilitatis ad torrentem Carith se abscondentis, & quotidiè à corvis pane & carne pasti: *Corvi quoque deferebant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente &c.* O quanta benignissimi Numinis in servos suos clementia, & providentia dū etiā corvi, licèt voraces, maligni & inhumani, Eliæ Prophetæ manè ad prandendum, & vesperi ad cœnandum panem & carnem apportabant! sed pergamus in discursu nostro. Paulopost, cùm Elias furorem & potentiam impiæ Jezabelis declinaturus, in vastissimum perrexisset desertum, sedens ibi subter unam spinosam juniperum, & mortem sibi festinam exoptans, non ampliùs à corvis, sed ab Angelo subcineritio pane, & aquæ potu refectus est: *Projecit se, & obdormivit in umbra, & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: surge & comede.* Et cùm è somno se levâsset, vidit ad caput suum dictum panem, & vas aquæ; comedit igitur, & bibit, & ambulavit in fortitudine illius panis Angelicis manibus præparati, 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Horeb. Et quare, dices, priùs Elias ad torrentem Carith sedens à corvis pane & carnibus, & sub junipero ab

3. Reg. 17. 5.

ipso Angelo sapidissimo pane & aquâ refectus est? Pulcherrimam rationem
Mansi. in Bibliioth. to.2.tr.35. disc. 7. n. 10. subministrat Josephus Mansi Congregationis Oratorii Romani Presbyter: *Quando*, inquit, *Eliam per corvos aluit Dominus, injurias ulcisci quærebat Propheta, Deúmque, ut cælum quasi ferreum populo illi clauderetur, campi & agri sterilitatem induerunt, annisque multis ne minima quidem descenderet pluviæ gutta, rogaverat: Ast verò Angelum ei submisit Dominus, quando ad mortem ab impia Jezabele impetitus, licèt elementis præcipere potuisset, ut de impia muliere vindictam sumerent, elegit tamen potiùs fugere, Deique omnem injuriam sibi illatam remittere.*

Quod & Job fecisse legitur, qui non Chaldæos, aut Sabæos ob temporalium bonorum jacturam, nec Dæmonem istarum calamitatum causam & auctorem, nec liberos immorigeros, aut uxorem litigiosam, vel sinistram
Job. 1. 21. fortunam incusavit, sed omnia in voluntatem Divinam rejecit: *Dominus abstulit*, animitùs ignoscens omnibus sibi nocentibus, ac calumniantibus, haud ignorans, prout observat Divus Augustinus, *ne pilum quidem auferri posse sine Dei voluntate.*

Num. 12. 3 Hoc & Moyses fecit *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, dum ingratissimo populo suo ipsum lapidare conanti non omnem duntaxat injuriam remisit, sed pro illo apud Deum se efficacissimum inter-
Exod. 31. 11. posuit mediatorem, ne propter demerita à facie terræ deleretur: *Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum? &c.* Et quid sequitur: *Placatúsque est Dominus, ne faceret malum.*

Quid dico de Araone? cum oriretur in populo seditio, & tumultus in castris Hebræorum contra se & fratrem increscceret, atque hanc ob causam plaga ignis, à Deo justissimo scelerum vindice immissa, in populum desæviret, & quo 14. millia & 700. sine mora combusta & incensa sunt; quid, inquam, Aaron fecit? qualem contra inimicos ultionem quæsivit? Audite cœli, quæ loquor, & audiat terra verba oris mei; Aaron oblitus omnium injuriarum in mediam multitudinem, quam jam ignis devastare inceperat, ultrò se immi-
Num. 16. 48. sit, ubi thymiama offerens, *& stans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* En pulcherrimum typum Christi JEsu in Calvario monte stantis inter vivos & mortuos expansis in Cruce brachiis ad Patrem
Luc. 23. 34 pro inimicis deprecantis: *Pater dimitte illis.* Supra quod eleganter Doct. Sera-
S. Bonav. in de lign. vit. phicus: *O verbum totius dulcedinis, & veniæ! Pater ignosce illis? ô verbum totius amoris & gratiæ, hodie mecum eris in paradiso. Respira nunc in spem veniæ, anima, quantumcunque peccatrix: si tamen patientis pro te Domini Dei*
1. Petr. 2. 20. *tui vestigia sequi non abhorres.* Et quænam sunt illa vestigia cunctis imitanda, & sequenda Christianis? audi S. Petrum: *Qui cum malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

6. Venerat aliquando pretiosissimus orbis Servator Christus cum duodecim Apostolis suis in civitatem Samaritanorum, ut ibidem ab itinere lassus non tam

hospi-

hospitium & panem cum obsonio inveniret, quàm & incolis illius loci Legem gratiæ & Evangelii prædicaret. Et ecce dum ad portam accedit, ab ingratissimis incolis fores ante ejus occluduntur faciem, & ne quidem hospitium nocte imminente ei conceditur, cujus sunt orbis & fines terræ: *Non receperunt eum;* quod ubi viderunt Jacobus & Joannes, ut ostenderent se esse *Boanerges*, hoc est, filios tonitrui, mox cupiebant Samaritas afflari fulmine: *Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Ad quod mitissimus Salvator: *Nescitis, cujus spiritus estis; & conversus increpavit eos.* Quid hoc, mi Domine! olim ad verbum Eliæ ignis cœlestis duos quinquagenarios ab Ochozia Rege Samariæ ad ipsum capiendum submissos, cum suis asseclis sine mora consumpsit. *Quantò magis*, ait S. Hieronymus, *ad contemptum Filii Dei in impios Samaritas debet flamma sævire?* Sed alia sunt Dei, alia hominum judicia; proinde Christus hos duos Apostolos meritò increpavit: Nescitis, quo spiritu ducamini, non enim vindictam, aut victimam, sed misericordiam, & indulgentiam meus affectat, & requirit animus, & ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; Imò & inimicos vestros diligite & benefacite his, qui oderunt vos: *In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Observa prudens Lector, *In hoc*, non in fide vestra, non in spe, non in patrandis prodigiis, non in expellendis Dæmonibus, sanandis ægris, resuscitandis mortuis, aut in convertendis gentibus &c. *sed in hoc: si dilectionem habueritis ad invicem &c.* Et tu quid habes?

Luc. 3. 53. Marc. 3. 17. 4. Reg. 1. 01. S. Hier. ad Algasiam ep. 15. q. 5. Matth. 5. 44. Jo. 13. 35.

Quod non docuit duntaxat mitissimus Dominus, sed & ipso demonstravit, & complevit opere. Ad montem Calvarium ascendamus: O cœli obstupescite! & quid audio? imò quid videò? ecce pendet in cruce vita nostra Christus, & Deus in ligno pro homine indigno, ah vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis: *Omnes*, inquit ipse, *videntes, deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Et ipse è contrario quid fecit? totus amore erga ingratissima hæc capita incensus Patrem suum cœlestem impensissimè deprecatus est: *Pater dimitte illis.* O Domine JEsu! ô amor crucifixe! quare, obsecro non priùs in cruce moriens sanctissimam Matrem tuam æterno Patri recommendâsti, vel saltem tutelæ dilecti Discipuli tui eam commisisti? siccine magis tibi cordi erant peccatores & inimici tui, quàm ipsa afflictissima Genetrix tua? Ita sanè est; ideò in cruenta illa Missa, quam in ara Crucis publicè pro omnium salute celebraverat, primùm *memento* non pro SS. Mater sua, sed pro inimicis, crucifixoribus ac peccatoribus facere voluit: *Pater dimitte illis*: & ut excusaret hostes suos capitalissimos, illorúmque imminueret culpam, adjecit: *Quia nesciunt, quid faciunt;* & quod magis adhuc stupendum, hanc primam ad Patrem petitionem fecit *cum clamore valido, & lachrymis*, prout bene observat gentium Doctor Paulus, *& exauditus est pro sua reverentia* O anima vindicativa! accede propiùs ad crucifixum Redemptorem tuum, ac perpende, quidnam de cathedra Crucis

Ps. 21. 7. Luc. 23. 34. Hebr. 5. 7.

moriens doceat; accede, inquam, ad dulcissima ejus vulnera, & ex illis fuavissimum mansuetudinis mel exsuge, ah disce vel ex hoc, si non in pecus degeneràstis inimicis tuis gravissimas condonare, & remittere injurias; ideo enim ait S. Laurentius Justinianus, & caput inclinavit: *Et inclinato capite tradidit spiritum*, in inimicis ultimum pacis præberet osculum. O mortales omnes, *venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Ecce quomodo *pluit super justos, & injustos.* Supra quod eleganter Gregorius Naz. *Cùm juberis*, inquit, *æmulus esse Dei pluentis super justos & injustos; non memineris communis hujus pluviæ, quâ segetes nutriuntur, sed illius pluviæ sanguineæ, quâ à Passionis nubilo Dominus inimicos animos, sibi emollivit & Patri reconciliavit.*

Jo. 19. 30. Ps. 45. 9. Matth. 5. 45. S. Gregor. Naz. in tetrasticis. Jo. 6. 61. Judic. 16. 28.

7. Sed objiciet non nemo: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Samson tot perpessas contumelias priùs mori non voluit, ni se vivens ulciscceretur de inimicis suis: *Ulciscar me de hostibus meis*; sic & ego, inquies, non antea morte claudam lumina, nisi vindictam de hoste sumam. O Christiane! si tamen hoc nomine dignus es, an ignoras, quòd apicula, dum ultionem quærit, & in manu infigit culeum, se ipsam interficiat? Et Samson nunquid de hostibus se vindicans, & ipse vitam perdidit? & tu vindicative, siccine *perdis*, ait Job, *animam meam in furore tuo*? Quid facilius est, remittere hîc injurias, & inimicos amore prosequi, quàm ibidem *habitare cum ardoribus sempiternis*? Et nunquid in hodierno audîsti Evangelio irrefragabilem illam ab ipso Veritatis ore prolatam sententiam; *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me; nònne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Et quid sequitur: *Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.* Siste hîc, quicunque tandem es, homo Christiane! & attentô mentis oculô considera τὸ *serve nequam.* O bone JEsu! Judam Ischariothem impiissimum traditorem tuum, cum ad mortem Crucis tradereris, amicum vocâsti: *Amice, ad quid veniśti*; sed hunc invidum ac infidelem servum *nequam* appellasti? Sub intrat hîc S. Chrysostomus: *Verè*, inquit, *hîc videre licet, quantum malum sit injuriarum non remissio, quoniam cùm decem millia talenta consumpsisset, non vocavit eum malum, sed nunc, quia conservo crudelis fuit &c.*

Job. 18. 11. Is. 33. 14. Matth. 18. 32. Matth. 26. 20. S. Chrysost. hom. 27. in Genes. Exod. 4. 3.

De Moyse commemorat Scriptura, quòd virgam suam in terram projecerit, quæ absque mora *versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.* Sed ad quid fugis, vir fortissime? coluber, reponis, est horridus, crudelis, venenatus, & quis tale non fugiat portentum? Age, resume animum, mœstúmque timorem mitte, & ad Domini imperium fortiter apprehende caudam ejus, & converteture de novo in virgam: *Dixit que Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit, versáque est in virgam.* Anima Christi Sanguine redempta! si inimicus tuus videtur ut coluber, mordax, crudelis, & venenum millium calumniarũ contra te ex ore suo evomens, tu ne cede malis, sed contra exemplô Christi & Sanctorum ejus animatus audentior

ito, sufficit, quòd Dominus jubeat, ut inimicum tuum diligas, & ex animo illi ignoscas: *Amplectere*, ait Diez, *inimicum tuum, & cernes, quòd sit virga &c.* Diez. s. 6. post Cin.

CONSIDERATIO LV.

Christum imitari debet Christianus, si vult esse Christianus.

Pro Dominica 22. post Pent.

Cujus est Imago hæc, & superscriptio. Matth. 22. 20.

I.

PIctores, si egregiam volunt delineare & adumbrare imaginem, eamque vivis exprimere coloribus, sæpiùs prototypon & exemplar, quod illis propositum est, inspicere assolent, juxta quam ideam, si se conformarint, & studiosè imitati fuerint, similem tandem artificiosam expingent effigiem. Imago hominis Christiani Christus est, quem pro viribus omnes, quicunque salvi fieri discupimus, imitemur, proinde sæpiùs in illius vitam, mores, actiones & leges in Evangelio ab ipso latas, oculos nostros convertamus, si à vero proposito & vita æterna non velimus aberrare. *Ipse*, inquit S. Ambrosius, *est Imago Dei Patris, qui semper est, & erat in principio, imago est, qui dicit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Hanc, inquam, imaginem, velut pictor ad imitationem, sæpiùs *inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte*; quos enim Deus prædestinavit, debent conformes fieri imagini Filii sui; hinc rectè antiquissimus Origenes: *Semper* ait, *intueamur imaginem Dei, ut possimus ad ejus similitudinem reformari.* S. Ambr. l. 6. c. 7. hexam. Exod. 25. 40. Rom. 8. 29. Orig. hom. inc. 1. Gen.

Et hoc est, quod hodie in Sacro Evangelio ipsa Veritas Christus tacitè insinuare voluit, dum numisma censûs petiit, & tentatores suos interrogavit: *Cujus est imago hæc & superscriptio?* Ubi adverte, quòd Dominus ministros illos, & hypocritas non ex aliqua ignorantia interrogaverit, cujus est imago & superscriptio, utpote cujus oculis omnia nuda & aperta sunt, sed potiùs, ait Salmeron, ex dispensatione ad significationem, quia homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus est; sic oportet, ut & Creatorem suum, ac Salvatorem Christum tanquam regulam, imò tanquam finem suum, ad quem creatus est, assiduò respiciat: *Si creationis nostræ*, subintrat hîc S. Leo Papa: *intelligamus exordium, inveni mus, hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator esset sui autoris, & hanc naturalem esse sui generis dignitatem, ut* Matth. 22. 20. Salu er. in hunc loc. S. Leo serm. 1. de jejun.

in

S. Bernard. lib. sent. *in nobis quasi in quodam speculo Divinæ bonitatis forma resplendeat.* Agite Christiani! non sine peculiari causa hoc sacrum nomen sortiti estis: *Christiani*, ait Mellifluus, *à Christo nomen acceperunt, & operæ pretium est, ut sicut sunt hæredes nominis, ita sint imitatores sanctitatis.* De qua veritate hodie impræsentiarum plura examinabimus. Si salutem amas, ausculta.

2. Ingens quondam populi Israëlitici fuit lætitia, cùm è captivitate Babylonica liberati, sub Duce Zorobabel in Judæam patriam suam redeun-
1. Esd. 3. 11 tes, Jerosolymis novum templum Deo T. O. M. ædificabant: Et *concinebant in hymnis & confessione Domino; quoniam bonus, quoniam æternum misericordia ejus super Israël; omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eò quòd fundatum esset templum Domini.* Sed econtra Seniores populi ad Sacerdotes Domini, qui rem attentiore ponderabant intellectu, ubi observârunt, quòd fundamenta novi templi magnitudini, & majestati templi prioris neutiquam responderent, in lamenta & lachrymas effusi sunt: *Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis, & Principes Patrum & Seniores, qui viderant templum priùs, cùm fundatum esset. & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.*

Adverte mysterium. Per templum illud Hierosolymitanum Ecclesia Christianorum præsignata est, à Christo JEsu fundata ac proprio Sanguine sanctificata. Sed eheu! quàm dissimilis est moderna Ecclesia à primitiva, & quàm dissimilis populus Christianus ab eo, qui quondam extitit dum adhuc Sanguis Christi in membris primorum calebat, & ebulliebat Christianorum? Illi, qui obiter duntaxat modernorum Christicolarum inspiciunt devotiones, tot illorum confessiones sacramentales, sacras communiones, preces iteratas, peregrinationes remotas, & alia sexcenta illorum bona opera, mirabuntur, & exultabunt de tanto fructu, quo Sancta Mater gaudet Ecclesia; sed qui in lege Evangelica, ac SS. Patrum Scriptis magis experti sunt, & perspicaciore ingenio ea expedunt opera, *flebunt voce magna*, quia obscuratum est aurum optimum solidæ ac veræ pietatis, & refrigescente charitate Dei & proximi, refrigescant & cæteræ virtutes, necesse est. Olim primis Christianis
Act. 4. 32. Christus semper erat in corde, ore, & opere, *quorum Cor unum, & anima*
Tit. 1. 16. *una erat*, jam multi, imò plurimi vix nomen Christiani merentur, dum *confi-*
S. Th. Villa. ser. D. 3. Adv. *tentur quidem se nôsse Deum, factis autem negant.* Subintrat hîc S. Thomas Villanovanus: *Quid est*, inquit, *esse Christianum, nisi discipulum Christi de*
S. Leo s. 5. de nat. Dom. *schola Christi, militè Christi, imitatorè Christi?* & S. Leo, *frustra*, ait, *appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi.* Audis hoc, anime mi, Christum
Gal. 5. 24. imitari debes, si dici & haberi discupis verus Christianus: & ne teipsum in hoc
Matt. 25. 41. summo salutis negotio decipias, Apostolum monentem considera: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Durus hic videtur sermo, sed longè durius erit, aliquando audire illud fulmen: *Ite maledicti in ignem æternum.*

3. Admi-

3. Admiror, quoties attenta mente perpendo illud generosum strenuissimi Belli Ducis Gedeonis tentamen, quo egregios suos, ac fideles quondam probaverat milites, ubi inter tot hominum millia solùm jussu Dei trecentos ad futurum certamen contra Madianitas sibi reservavit, qui in siti manu ad os projectas lamberant aquas, cæteros omnes prono ore aquam fluminis bibentes, tanquam formidolosos & inutiles à se dimisit: *Et ait Dominus ad Gedeon in trecentis viris, qui lamberant aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian; omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.* Judic. 7. 5. En hîc typum veri Christiani ad gloriam electi: *Ille probabilis*, ait antiquissimus Origenes, *ille electus est, qui posteaquam ad aquas Baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas & corporeas nescit; qui vitiis non indulget, neque ob peccati sitim spernitur pronus.* Orig. hic Apagite cum ejusmodi pigris ventribus, qui sese toto corpore ad vitæ hujus terrenæ commoda ac sensuales demittunt voluptates; alios elegit sibi milites Christus, qui temporalium bonorum aquas non pleno ore, ut jumenta bibunt, sed qui manibus tantùm id, quod necessarium est, lambunt, qui corporum suorum, affectuum & passionum Domini sunt, qui lucernas ardentes habent inclusas, hoc est, flagrantem in Deum & proximum charitatem, qui lagenam suam, hoc est, corpus mortale mortificationibus frangunt & sequuntur Dominum ac Ducem suum, quocunque iêrit: *Quod me videritis facere, hoc facite*; isti sunt veri Christiani: *qui Christum*, ait Joannes Climacus, *quantum homini possibile est, imitari nititur verbis & operibus, hic verus Christianus est*; Et Salvianus: *Qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur, nomen enim sine actu atque officio suo nihil est.* Et quid multis? ipsam Veritatem audite: *Qui non sequitur me, non est me dignus.* Oves sequntur suum pastorem, umbra corpus suum, ferrum magnetem, & homo Christianus non sequatur Christum, à quo nomen hæreditavit? *Portate*, inquit Apostolus, *Deum in corpore vestro: Ille*, ait B. Ivo *Deum portat, qui imaginem Dei repræsentat, ac Christum imitatur.* Judic. 7. 17 Jo. Clim. de inani Vitæ fuga. Salvian. l. 4 de Provid. sub. Matth 10. 38. 1. Cor. 6. 20. B. Ivo Car. serm. in Purif. B. V. 1. Reg. 14. 7.

4. Armiger ille generosus & bellicosus dulcem suum Jonathan in quovis vitæ periculo secutus est, & ideo immortalem sibi laudem comparavit: *Dixítque ei armiger suus: Fac omnia, quæ placent animo tuo; perge, quò cupis, & ero tecum ubicunque volueris.* 2. Reg. 25. 21.

Ethai vir egregius Davidem Regem suum, ut fidem suam in eum testaretur, non triumphantem, sed exulantem quoque & in omnibus adversis sequebatur: *Vivit Dominus, & vivit Dominus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.*

Elisæus in agro ab Elia ad sequelam vocatus, sine mora omnia terrena deseruit, & alacri animo hunc suum Ducem sectatus, & ut Magistrum imitatus est: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Tu si verus esse desideras Christianus, audi vocem Magistri tui ad meliorem te vitam & 4. Reg. 2. 2.

Matth. 16. 24. frugem vocantis: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum.* Facisne hoc? abnegas te ipsum? in quo? *O quàm pauci,* ait Mellifluus, *O Domine JESU, ire volunt, cùm tamen ad te perven re nemo sit, qui nolit.* O quàm pauci!

S. Bern. serm. 21 in Cant.

De Petro recenset Sacer Codex, quòd Magistrum suum in monte Olivario à satellitibus captum, cùm nunc ad Annam & Caipham duceretur, partim ex amore, partim ex curiositate de longè secutus sit, ne velut ejus Discipulus comprehenderetur, vel à Malcho, cui priùs in horto aurem amputaverat, agnitus proderetur: *Petrus autem sequebatur eum à longè.* Subintrat

Matth. 26. 58. hîc S. Ambrosius: *Petrus,* inquit, *sequebatur Dominum à longè, non eum negaturus, si proximè illum fuisset secutus.* O quot Christiani sunt etiamnum, qui in hoc strenuè Petrum imitantur, dum Christum non proximè, sed à longè sequuntur, qui nec frigidi nec calidi sunt, nec formales Hæretici, nec boni Catholici, seu neutrales: credunt enim, quæ fides orthodoxa illis proponit,

Gen. 27. 22. & tamen ea, quæ credunt, non faciunt, sic *vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.*

Sed quid opus est, multa hîc conquirere argumenta, cùm res sole meridiano clarior appareat: An non videmus, & audimus quotidie oppressiones pauperum, injustitias Judicum, dolos Aulicorum, fraudes Mercatorum, mendacia opificum, blasphemias militum, perjuria rusticorum? quid dicam de furtis & rapinis, homicidiis, adulteriis, sacrilegiis detractionibus, inimicitiis, ebrietatibus & comessationibus cæterorum de grege Epicuræorum? Quid referam de luxu, lusu, & luxuria, quibus orbis plenus est? an non iste fœtor de-

Gal. 3. 1. terrimus Christianismum longè latéque occupat? *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos JEsus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Et hic sit ille Christianismus, quem pretiosissimus orbis Redemptor tantô, ac tam immensô Sanguinis pretiô redemit? Et hic

Tit. 2. 24. sit ille *populus acceptabilis, sectator bonorum operum, pro quo dedit semetipsum JEsus Christus, ut eum redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem?* O tempora O mores! Olim erant, sed utrum de facto sint, penes te ô prudens, & Christiane Lector, sit judicium.

1. Recordor ulteriùs Petri, de quo paulò ante mentionem feci. Hic ubi de longè Christum secutus tandem in atrium Caiphæ Pontificis devenit, in va-

Matth. 26. 72. rias tentationes incidit, proinde ad unius ancillæ vocem, ne caperetur, Chri-

Jo. 18. 19 stum negavit: *Non novi hominem.* Subdit dilectus Christi Discipulus, quòd Petrus ad alia servorum interrogata: *Nunquid & tu Discipulus jus es?* re-

sponderit: *Non sum.* Observa hîc prudens Lector: *Non sum.* Supra quod eleganter S. Augustinus: *Petrus* ait, *cùm se negat ejus Discipulum, negat Christum.* Ex quibus facilè colliges, quod idem sit & Christianum & Christi Dis-

S. Hieron. ad Celantium ep. 14. scipulum esse; quare ergo anime mi, tam tepide observas legem Christi? *Qualis est* ait S. Hieronymus, *illa confessio, quæ sic Deo credit, ut pro nihilo habeat ejus imperium? aut quomodo ex animo & verè dicemus; Domine, Domine, si ejus, quem Dominum confitemur, præcepta contemnimus?* Frater

Frater noti illius Prodigi, ubi ex agron domum paternam reversus, fratrem suum immorigerum, & nunc è longinqua regione, ne fame conficeretur, reducem à dulcissimo patre tam laute tractari vidit, hunc suum genitorem exclamavit: *Ecce tot annis servio tibi, & mandatum tuum nunquam præterivi?* O anima Christiana! potèsne & tu hoc dicere Christo JEsu, pretiosissimo Redemptori tuo: *Ecce, tot annis servio tibi, & mandatum tuum nuquam præterivi?* O utinam! ô utinam hoc nunquam contigisset, sed malè timeo, ne in pluribus nocens inveniaris. Luc.15.29

Cùm Christus Nazarethi in patria sua aliquando demonstrâsset, se verum esse orbis Messiam, nullúmque in patria sua acceptum esse Prophetam, indignabundi illi cives unanimiter *surrexerunt, & ejecerunt eum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Vide hîc, & considera sumam Christo à concivibus illatam injuriam, in qua re & ipse Dæmon mansuetior videri poterat, dum pientissimo Salvatori solumodò suasit: *Mitte te deorsum*, illi autem vi eum deorsum volebant præcipitare. O monstra! cives illi, qui præ omnibus aliis Christo debebant esse devincti, & in quo unicè tanquam in glorioßissimo concive suo poterant gloriari, primi post impium Herodem in ejus necem conspirârunt. Luc.4. 29. Matt.4.6.

O Christiani moderni, languidi & tepidi, imò neutrales, audite verba oris mei; vos, vos, inquam, peringratos illos Nazaræos haud immeritò adumbrati estis. Juvat hìc audire zelosissimum quendam ævi nostri Scriptorem: *Eò res*, inquit, *hodie devenit, ut qui à Christo maxima beneficia accipiunt, sint maximi illius hostes; maximè conspicui dignitate, honore, divitiis, nobilitate, aliisque cæli donis, hi Christum ut plurimùm impudentissimè offendunt.* O! O! Non audeo plus dicere. Paul. Seg. ser. 2. Dom. 3. Quadr.

6. Ad Davidem generosissimum Belli ducem, antequam ad Regium eveheretur solium, nuntius quidam post infelicem stragem, in qua Saul & Jonathas occubuêre, veste conscissâ, & pulvere conspersus caput, anhelo cursu venerat, humiliter in terra prostratus ante eum, ut futurum Regem adorans, & Diadema Saulis à se (prout asserebat) occisi, & armillam de brachio ejus illi offerens; ad quem David: *Unde venis?* --- *& quisnam es tu?* Qui respondit: *Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum.* Ad quem rursus David: *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini?* 2. Reg. 1. 14.

Homo Christiane! *unde venit? & quisnam es tu?* Nunquid à Christo Nomen habes, quòd sis & appelleris Christianus? *Nomen* JEsus, ait Sylveira, *Salvator sibi retinuit, & nobis Nomen Christus communicavit; unde credentes dicti sunt Christiani.* Si ergo Christianum te ore & linguâ profiteris, ubi sunt opera tua? *Si filii Abrahæ estis?* (perstringebat quondam mitissimus Redemptor ingratos & incredulos Judæos) *opera Abrahæ facite.* Ubi ergo sunt Sylv. in Matth. 1. q. 8. Jo. 8. 39.

opera tua, si Christianus es? Quare Legem Dei contemnis, & de novo saltem, quantùm in te est, Christum per peccata crucifigis? Nunquid meritò cum Davide tibi objicere possum: *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini*? Sed quid tandem fiet de te? Audi, & auribus percipe.

Jona. 3. 5. Jonas Propheta vix sceleratis Ninivitis prædicavit pœnitentiam: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis &c.* Et quid sequitur? *Et vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt de via sua mala: & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, ne faceret eis, & non fecit.* Hoc Ninivitarum pœnitentium illustre exemplum ipsa Veritas Christus incredulis ac impœnitentibus Judæis, qui aliter credebant, aliter faciebant, emphaticè proposuit: *Viri Ninivitæ,* inquiebat, *surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas hîc.* O Christiani! ô Catholici tepidi & luridi, qui nec pisces, nec caro estis, quid aliquando de vobis fiet? quàm meritò timere debetis, quòd ab Ethnicis & Mahometanis in judicio sitis accusandi, & condemnandi, quia inter tot salutis occasiones & perfectionis Christianæ media nihilominùs impiè vixistis, cùm sanctiorem vitam inter tot conciones & ipsi gentiles egissent, si in doctrina & Christiana religione fuissent nati, educati & instructi: *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.* Audi hoc Christiane?

Matt. 21. 41.

Luc. 12. 47

7. Venerat aliquando ad pretiosissimum Redemptorem nostrum Scriba quidam, seu Legisperitus, qui ejus prædicatione, miraculis ac populi applaudentis concursu motus, ab eo petiit, ut in numerum Discipulorum suorum reciperetur, ut sub tanto sapientiæ Magistro ad omnem disciplinam ac sapientiam erudiretur: *Magister, sequar te, quocunque ieris,* cui Christus non aliam dabat responsionem, quàm sequentem: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* O bone JEsu! quare hunc Scribam non aliis tuis associâsti Discipulis? ecce paratum se exhibuit, quocunque ieris, ad te sequendum. Respondet Isidorus Pelusiota: *Malus erat Discipulus; vulpem sub ove gerebat: notum fieret Magistro, si fictè ageret.* Proinde ubi Christi responsum de paupertate & Evangelica perfectione sequenda percepit, siluit, & spe frustratus, quia honores, dignitates & opes sperabat, ab oculis illius se subduxit.

Matt. 8. 19. Isid. Pelus. l. 1. ep. 27.

O Christiani fucati, ingrati, & pseudopolitici, qui magis punctum honoris mundani, quemadmodum Scriba ille, quam honorem Dei quæritis, qui vitia vitiis quotidie accumulatis, & sensualitatum vestrarum ac passionum indomitarum servi estis; Christiani inquam, ah Christiani, nomine potiùs quàm re & facto, quid vos ad ista? ô simiæ! Pharao Ægyptiorum Rex, ubi Moyses & Aaron

Aaron Dei mandata ei referebant; ut populum Israëliticum ad sacrificandum Deo in deserto liberè dimitteret, respondit: *Quid est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? nescio Dominum.* Observa hîc, prudens Lector, gentilis erat Rex ille, & idololatra, si sciviſſet Dominum, procul dubio illum timuiſſet, & observàſſet. Sed quid ad ista Christiani moderni, qui cognôscunt quidem Dominum, & tamen eum non timent, nec prout decet, æstimant & adorant; ô portenta ingratitudinis! Paulum orbis Præconem audite: *Si enim cognoviſſent* (loquitur de Hebræis & gentilibus) *nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et vos, quid agitis? ah Christiani! aures ambas arrigite, & fulminantem in vos sententiam à districtiſſimo scelerum vestrorum Vindice excipite: *Amen, dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorhæorum in die judicii &c.* Exod. 5. 2. 1. Cor. 2. 8. Matth. 20. 15.

8. Evigilate itaque, dilectiſſimi! evigilate, & in animum inducite, quòd non satis sit Christianum esse nomine, sed & oportet, ut re ipsa sitis, ac Christiano homine dignam vitam agatis: *Agnosce, ô Christiane,* ait S. Leo Papa, *dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatẽ degeneri conversatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis sis membrum; remiscere, quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen & Regnum.* O grandis dignitas? si ergo Christiani, Christum ut Patrem vestrum agnoscitis, officium filiorum adimplete; si ut Creatorem, qui ex nihilo vos ad imaginem & similitudinem suam produxit, servite illi, ut fideles creaturæ ei in omnibus obedite; si ut Regem vestrum, quẽ Judæi noluerunt agnoscere, subditi illius estote in cunctis, quæ requirit à vobis; si ut Dominum vestrum, servite illi in lætitia cordis vestri; si ut Redemptorem, qui proprio vos Sanguine à peccati & Diaboli jugo redemit, grati illi estote, prout decet Sanctos, si denique ut judicem, cujus præpotenti manui nec vivi, nec mortui poteritis effugere, timete eum, ita dico, timete eum, audite ipsum tonantem: *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* S. Leo Papa ser. 1. de Nat. Dom. Matt. 20. 28.

Finio cum Moyse, qui, ut populum Hebræorum per pœnas ob peccata à Deo infligendas terreret, & vicissim bonis virtuti promissis eos animaret, in concione quadam hæc illis proposuit: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem, benedictionem si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, maledictionem, si non obedieritis &c.* Hoc & ego vobis facio, O Christiani! en benedictionem, en maledictionem. Deut. 11. 26.

Eligite, & ite in pace.

CONSIDERATIO LVI.

De Perseverantia, quæ sola in bene cœptis coronatur.

Pro Dominica 23. post Pent.

Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Matth. 9. 20.

I.

2. Reg. 11. 17. IOab supremus Belli dux cùm quondam civitatem Rabba Ammonitarum Metropolim obsedisset, ingentem à primordio hujus obsidionis ab illis Gentilibus & idololatris cladem passus est: *Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, & ceciderunt de populo servorum David, & mortuus est etiam Urias Hethæus.* In hunc finem Joab nuntium ad Regem Davidem, in Sion tunc morantem, amandavit, ut hanc infaustam ei referret stragem, & quidnam imposterùm in castris foret agendum, imperaret; ad quem David: *Hæc dices Joab: Non te frangat hæc res, varius enim eventus est belli; nunc hunc, & nunc illum consumit gladius; conforta bellatores tuos adversùs urbem, ut destruas eam,* quæ civitas exinde, quia Joab cum exercitu suo fortiter in obsidione perseveraverat, tandem capta, devastata, & funditùs eversa est, civesque atrocissima morte trucidati.

Job. 7. 1. Anima Christiana! án non *militia est vita hominis super terram:* Pugnandum igitur est, & in pugna contra Diabolum, mundum, carnem, peccatum, & passiones proprias usque ad mortem perseverandum, quia virtus boni operis perseverantia est: Apoc. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Si sponsa quærendô diu noctúque per vicos & plateas dilectum suum non perseverâsset, Cant. 3. 4. nunquam eum inveniset: *Paululùm cum pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea.* Si Pastor ille bonus, quærens per sylvas & loca deserta aberrantem oviculam non in labore perseverâsset, non eum reperisset: Luc. 15. 4. *Vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam.* Si mulier Evangelica Drachmam perditam inquirendô, affecta tædiô mox cessâsset, nunquam eam Luc. 15. 8. cum tanto gaudio inveniset: *Quærit diligenter, donec inveniat.* Si hodierna Hæmorrhoissa, quæ annis duodecim fluxum sanguinis perpessa est, investigando, & sequendo JEsum non perseverâsset, ab abominando illo sanguinis profluvio Matth. 9. 20. non fuisset curata: *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus;* &

quare

quare, dices, fimbriam? Observa, omissis aliis, rationem mysticam: Fimbria vestimenti extremitas est, & denotabat jam olim perserverantiam summè nobis ad salutē necessariam; ita ipsa attestante Veritate: *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* De qua veritate plura hodie occurrunt diluci- Exod. 28. 33. Matth. 10. 22,
danda & perpendenda.

2. Vidit quondam Jacob in patenti campo, ubi proficiscens Mesopotamiam durum sibi lectulum ex prægrandi lapide paraverat, mirabilem scalam à terræ finibus usque ad cœlum protensam, summísque scalæ gradibus ipsum innixum Deum. *Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum* Gen. 28. 13
Dominus Deus Abraham &c. Et quare, dices, Deum non vidit in medio, vel in fine, sed in summitate hujus scalæ? Resp. S. Hieronymus. Ideo Ja- S. Hier. Ep.
cob Deum vidit in summitate scalæ, & non in ejus fine, vel medio, ut in- 10. ad Fur
telligeremus, non sufficere bene cœpisse, sed bene consummâsse: per gradus enim scalæ indicantur virtutes tum incipientium, tum proficientium, tum etiam perfectorum; primus autem gradus est humilitas, virtutum omnium stabile fundamentum, secundus pœnitentia, & sic de cæteris virtutibus omnibus discurrendô, sed gradus supremus, cui ipse Deus innixus videbatur, est perseverantia in bene cœptis, sine qua impossibile est, ut possimus ad Deum pervenire: *Quid enim prodest*, ait Mellifluus, *Christum sequi, si non contingat consequi?* Et si viveres sine ullo delicto, ac in summa cordis innocentia tot annis, & quot vixit Mathusala. *Et facti sunt omnes dies Mathusala non-* S. Bern. Ep.
genti sexaginta novem anni; Et si ultimô vitæ momentô, adhuc, vel solùm 253.
cogitatu contra Deum unicum admitteres voluntarium peccatum lethife- Gen. 5. 27.
rum, dico, actum est de te, & æterna salute, quia in fine corrupisti. Proinde benignissimus Deus summoperè rogandus est, ut nobis in hoc vitæ stadio currentibus non gratiam finalem, quæ in nullius hominis cadit meritum, deneget.

Et nunquid bene incepit Saul, de quo primus Regum liber commemorat: *Et non erat vir de filiis Israël melior illo.* Et in alio loco dicitur: *Fi-* 1. Reg. 9. 2
lius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, hoc est, tam innocens & pu- 1. Reg. 13.
rus, ac si fuisset unius diei infans. Et ecce talis ac tantus vir, ah quàm malè fi- 1.
nivit, dum subitò ex optimo evasit pessimus, & non regno duntaxat & vitâ, sed est æternâ gloriâ privatus est. Proinde rectè Cyrillus Alexandrinus: *Saul,* Cyrill Ale.
inquit, *cùm parvus esset in oculis suis, Dux super Israël constitutus est, cùm* in Joan. c.
verò in superbiam elatus est, à Deo abjectus & reprobatus. 21. 3. Rex.
3. 5. 3. Reg.
11. 4.

Benè incepit Salomon, cui ipse *Dominus apparuit per somnium nocte, dicens: postula, quod vis, ut dem tibi* Et sequitur: *Dilexit autem Salomon Dominum &c.* Et quid tandē factū est? *Cumque jam esset Senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.* Hinc non im-

probabi-

probabiliter existimant S. Chrysostomus, Cyprianus, Augustinus, & plures alii viri gravissimi, à Cornelio hîc citati, eum fuisse æternùm reprobatum.

Bene incepit Judas, dum ad Apostolatûs apicem evectus est. Bene Tertullianus, bene Origenes, & si vis rem attentiore considerare mente, planè innumeri alii, inter quos fortè & tu Lector prudens, aliquos noscs vel socios, vel condiscipulos, qui bene incipiebant, suo tempore in via virtutis labascentes tandem pessimè in fine periêrunt. Sic nimirum multorum est incipere, perseverare autem paucorum; unde rectè S. Gregorius M. *Non*, inquit, *sufficit incipere, nisi studeat quis in bono opere perseverare.*

S. Greg. M. in Ps. 1. v. 6.

3. Cum Loth cum uxore sua & duabus filiabus è Sodomis egrederetur, & ignis cœlestis universam devastaret ac cremaret Pentapolim, præceperunt ei duo comites Angeli: *Noli respicere post tergum*; ast uxor incauta clamore pereuntium & strepitu ignis sulphurei excita, ubi partim ex curiositate muliebri, partim ex dolore ob res deperditas post Sodomam respexit, sine mora in statuam salis commutata est: *Respiciénsque uxor ejus post se, versa est in statuam salis &c.*

Gen. 19. 17.

Et quare in statuam salis? Adverte: Sodoma est status damnandorum & damnatorum; si aliquando anima Christiana, ex hoc damnabili statu per seriam ac veram pœnitentiam egressa es, noli post factum serium propositum respicere post tergum tuum, sed perseverа constanter in bene cœptis usque ad finem vitæ: *Non est beatus*, ait S. Isidorus Hisp. *qui bonum facit, sed qui incessabiliter facit.* Quòd autem uxor Loth in statuam salis, & non in statuam marmoream, æream, ferream &c. versa sit, hanc pulcherrimam rationem assignat S. Prosper: *Uxor Loth*, ait, *Salis statua effecta, suo exemplo fatuos condivit in proposito sancto, quò tentunt proficientes, noxia curiositate retro non debere respicere*; Juvat hîc audire & S. Augustinum: *Quid*, inquit, *significavit uxor Loth? eos qui in tribulatione retrospiciunt, & se à spe Divinæ promissionis avertunt: & ideo statua salis facta est, ut admonendo homines, ne hoc faciant, tanquam condiant cor eorum, ne sint fatui.*

S. Isidor. l. 1. de Synonym. p. 212. S. Prosper. l. de prædict. & promiss. c. 16. S. Aug. lib. 1. quæst. Evang. q. 4. Luc. 17. 32. 1. Cor. 9. 24. Luc. 14. 30.

Hoc exemplum de uxore Lothi & Christus in nova lege nobis inculcavit: *Memores estote uxoris Loth*, ne videlicet post egressum de societate malorum denuo retro respiciamus. Quid enim prodest militi, si ante pugnam egregiè se se exerceat in armis, & imminente cruento certamine mox in fugam sine victoria se convertat? Quid juvat cursorem, in stadio pro bravio currere, & in medio cursu, antequam perveniat ad metam deficere? *Sic currite ut comprehendatis.* Quid laudis confert Architecto, si ædificii fundamentum ponat, & non ad culmen fabricam perducat? Nunquid talis meritò audire debebit illud Veritatis: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?* Audi Poëtam:

Princi-

Principium nihil est, si non vis tangere metam;
Præmia dat finis, principiúmque nihil.

4. Nemo est, qui ignorat, quàm insignem contra Goliam David puer pastoricius reportaverit victoriam: *Prævaluit David adversùm Philistæum in funda & lapide.* Et quid sequitur? *Cúmque gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum, præcidítque caput ejus.* Ex quibus Scripturæ verbis satis luculenter advertes, homo Christiane! quòd ad hanc victoriæ palmam obtinendam, ut plurimùm Davidi contulerit, lapis è funda vibratus, qui gigantis terebravit caput, eúmque quasi stupidum & exanimem in terram corruere fecit. Hoc tamen non obstante, non fit in scriptura aliqua mentio, quòd fundibularius & victor David fundam suam aut lapidem in anathema, & trophæum suspenderit, sed solùm gaudium, quo seleratum Philistæi caput detruncavit, hunc, inquam, Deo victoriæ auctori consecravit, & in tabernaculo in memoriam & gratitudinem suspendi curavit: *Ecce hîc gladius Goliath Philistæi &c.* Et quare, dices gladius, & non lapis cum funda in tabernaculo involutus pallio post Ephod in dictæ victoriæ memoriam asservatus est? Resp. Franciscus Labata: *Quia gladius pugnæ finem imposuit, non lapis à lapide quidem initium, à gladio finem victoria sumpsit.* Et pergit idem celeberrimus Autor: *Sic*, inquit, *quia perseverantia est, quâ finem optatum consequimur, ideo illa est, quæ pretiò habetur, illa quæ in domo Dei sic servatur.*

1. Reg. 17. 50.

1. Reg. 21. 9.

Fran. Lab. t 1 Ap. Conc verb. pers. prop. 1.

Et nunquid perseverantia inter tot & quotidianas tentationes Josephi virtutem ac castitatem probavit, dum Domina ejus singulis diebus illi molesta fuit. *Mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat?* Perseverantia an non Nehemiam inter tot adversantium insidias roboravit, ut contra omnes gentium subsannationes, & quotidianos hostium assultus destructos Hierosolymæ muros reædificaret, atque perficeret, ubi Israël *una manu sua faciebat opus, & alterâ tenebat gladium &c.* Nonne perseverantia Tobiam in bello & captivitate in gratia Dei conservavit confirmavítque: *Immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ*: Perseverantia Eleazarum in tot ac tantis tormentis animavit, ut millies eligeret, atrocissima morte perimi, quàm leges Dei prævaricari: *Respondit citò, dicens: præmitti se velle in infernum.* Perseverantia septem illos fratres Machabæos toti orbi spectabiles fecit, dum nullis blanditiis, aut suppliciis in prævaricationem Legis Divinæ poterant à Gentilibus abduci: *Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos compelli à Rege &c.*

Gen. 39. 10

2. Esd. 4. 17.

Tob. 2. 14

2. Mach. 6. 23

2. Mach. 7. 1.

O quàm multi nunc sunt, de quibus genuin Doctor: *Sic stulti estis, ut, cùm Spiritu cæperitis, nunc carne consummemini?* studeut quidem illi aliquantisper carnis mortificationi, retrænationi sensuum, ac desideriorum; renuntiant ad tempus vitiis, malis habitibus, passionibus; jejunant, meditantur, orant, inimi-

Gal. 6. 3.

micis indulgent, Sacramenta frequentant &c. At quàm diu? Tandem in tentatione recedunt, & itur in antiquam sylvam moresque priores, quia perseverantia illis deest, quæ sola à Deo coronatur: *Satagite*, ait S. Petrus, *ut per bona opera vestra certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Subintrat hîc Glossa: *Certam facit vocationem, qui in bonis operibus perseverat.* Audis hoc?

2. Petr. 2. 10.

§. Ad novum Testamentum transeo. Petrus, ubi Christum transfiguratum in monte Thaboræo vidit, & cum eo Moysen cum tabulis legis, & Eliam in curru igneo apparentes, exultans præ gaudio, & insolita ebrius voluptate exclamavit: *Domine, bonum est nos hîc esse; si vis faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moysi & Eliæ unum.* Cæterum unica hæc erat mica, ac stilla respectu cœlestis gaudii, quod in vivendo, ac fruendo Deo omnes percipiunt Beati; & tamen Petrus ibi jugiter manere optabat; verùm multum aberrabat à scopo, unde S. Marcus addit: *Non enim sciebat, quid diceret.* Et quare, dices, Petrus in hoc suo desiderio, velut delirans fuit correctus Resp. Cornelius. Quia volebat gloriam ante laborem, coronam ante certamen, bravium ante meritum, gaudium ante passionem. Sed erras, mi Petre; priùs hîc certandum est, & in pugna usque ad vitæ finem perseverandum, antequam perveniatur ad gloriam. Audi in hunc locum & Theophylactum: *Ne dixeris*, inquit, *cum Petro: Bonum est nos hîc esse, nam oportet semper proficere, & non permanere in uno gradu virtutis & contemplationis, sed ad alia transire &c.*

Matth. 17. 4.

Marc. 9. 5.

Corn. hîc in Matth.

Theoph. in hunc loc.

Quinque fatuas hac de re consule Virgines, quæ ab initio quidem cum accensis lampadibus exiêrunt obviam sponso, & sponsæ, sed tamen in fine, quia oleô carebant, à nuptiis cœlestibus fuerunt exclusæ: *Nescio vos.* O fulmen horrendum! quod idem est dicere, quàm non agnosco vos, ite in ignem æternum; supra quod S. Chrysostomus: *Cùm dixerit:* inquit, *nescio vos, nihil aliud quàm gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur; imò verò etiam gehennâ istud verbum gravius est.* Et quare, haud immeritò rogabis, quinque prædictæ Virgines fatuæ à Christo Judice contra spem fuerunt reprobatæ? Causam assignat Scriptura: *Non sumpserunt oleum secum*, & hinc lampades earum extinguebantur. Hîc advertas, rogo, quòd hæc omnia contingebant in figura, imò ipsa Veritas Christus hanc composuit parabolam ad fideles suos instruendos, ut in hoc puncto, quod tangit æternitatem, cautè attendant. Et hinc Virgines illæ valdè imprudenter egerunt, quòd oleum necessarium non secum in vasis suis in occursum sponsi acceperint, sed sine lumine & in tenebris illi de nocte occurrerint; oleum illud fides viva, charitas perfecta, & alia sunt opera bona, sine quibus ad nuptias cœlestes non perveniemus, & quia in ejusmodi virtutibus fatuæ illæ Virgines usque ad finem vitæ non perseverabant, ideo ad nuptias Agni non fuerunt admissæ. Quod meritò omnes stimulare debet Christianos, ut hîc singulariter attendant, & dum tempus est, bonis operibus incumbant; & subjungit

Matth. 25. 44.

S. Chrys. apud Corn. hîc.

jungit Veritas: *Vigilate itaque*, non enim, qui bene incipit, ſed qui perſe- Ma
veraverit usque in finem, hic ſalvus erit: *Vigilate! vigilate!*

6. Ad montem Calvarium aſcendamus. Et quid audio? heu blasphemias horrendas in patientem in Cruce Filium Dei: *Prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita ſua.* Et cur prætereuntes, & non ſtantes? Stabat viciſſim ex adverſo Centurio: *Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat*, & laudabat, ac magnificabat Deum: *Verè hic homo filius Dei erat*; prætereuntes autem maledicebant, & convitiabantur Chriſto: *Vah! qui deſtruis templum Dei &c.* Et quare prætereuntes & non ſtantes? Obſerva, qui ſtat, rem conſiderat, præteriens non curat, ideo Centurio fuit converſus, quia firmiter & usque ad finem ſtans in conſpectu Crucifixi JEſu, ejus contemplabatur agonem & finem, & viſis tot prodigiis, & quòd JEſus clamans expirâſſet, agnovit illum plusquam hominem, verúmq. Deum eſſe. Addit Lucas, quòd & *omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum illud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.* Ecce quid faciat ſeria patientis & crucifixi JEſu contemplatio; cæteri autem, qui erant *prætereuntes, blasphemabant eum.* Prætereuntes ſunt illi, ait antiquiſſimus Origenes, qui inſtabiles ſunt, & citò declinant à via virtutis & ſalutis, neque in ſervitio Dei usque ad finem perſeverant, & hi vitâ ſuâ blasphemant de novo filium Dei conſtanter in Cruce perſeverantem, licèt Judæi petierint: *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de Cruce*, ut nobis, ait S Gregorius M- patientiæ virtutem demonſtraret, atque exemplo doceret ſuo, quomodo in bene cœptis & in cunctis adverſis fortiter usque ad finem, qui ſolus coronatur, debeamus permanere, ideo non deſcendit de Cruce. Audi pro ſenſu morali S. Auguſtinum: *Quantumcunque hîc vixerimus, quantumcunque hîc profecerimus, nemo dicat: ſufficit mihi, juſtus ſum. Qui ita dixerit, remanſit in via, non ubi novit pervenire; non dixerit: ſufficit, ibi hæſit &c.*

Matt. 27. 39. Marc. 15. Luc. 23. 48. Orig. tr. 3. in Matth. Matth. 27. 42. S. Greg. M. ho. 21. in Ev. S. Auguſt. in Pſ. 96.

Solos illos Iſraëlitas mitiſſimus orbis Reparator Chriſtus ſuaviſſimo pane, omne delectamentum in ſe habente, in deſerto abundè ſatiavit, qui in fame & ſiti, in æſtu & labore Redemptorem ſuum per triduum ſecuti ſunt, qui autem ipſum per unum alterùmve diem in itinere ſunt comitati, reliquit inanes. Triduum expectavit Dominus, ut illorum probaret animos & perſeverantiam. *Quia ecce, jam triduo ſuſtinent me.* Triduum eſt via ſalutis noſtræ obtinendæ, dies prima incipientium, ſecunda proficientium, & tertia perfectorum; durandum igitur hîc eſt, aut æternum ardendum: *Væ bis* ait Siracides, *qui perderunt ſuſtinentiam & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas, & quid facient, cùm inſpicere cœperit Dominus?* Quem textum explicans S. Greg. M. ait: *Suſtinentiam perdunt, qui bona quæ inchoant, non conſummant.* Agricola non metet ſegetem, niſi priùs laboraverit conſtanter: *Ecce Agricola* ait D. Jac. *expect. pretioſum fruct. terræ, patienter ferens, donec accipiat tem-*

Marc. 8. 2. Eccl. 2. 6. S. Greg. M l. 5. in Reg. c. 13. Jacob. 5. 7.

poraneum & serotinum: patientes igitur estote, & confirmate corda vestra, ecce Judex ante januam assistit: ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Denarius diurnus non laborem incipientibus, sed eum consummantibus datus est:

Matt. 20. 8. *Voce operarios & redde illis mercedem.* Observa; non dixit: Voca otiosos, sed operarios, qui laborando usque ad vesperam perseveraverunt, unde rectè

S. Bern. ser. 6. de modo bene vivendi. Mellifluus: *Incipientibus præmium promittitur, sed perseverantibus datur.*

7. Recordor hîc pro dictorum coronide illius prodigiosæ statuæ, quam quondam Rex Nabuchodonosor in somnis viderat. Erat hujus statuæ caput ex auro optimo, pectus & brachia ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, & pars ultima pedum fictilis & ex luto, quam statuam tandem unicus lapillus, de monte sine manibus abscissus, & testaceos tangens pedes momentò comminuit: *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, ar-*

Dan. 2. 35. *gentum & aurum.* O bone Deus! itáne transit hæc gloria Persarum, Græcorum, & Romanorum, & quid nunc de illis superest, nisi pedes testacei, brevi à Christo universorum Judice, qui est ille lapis sine manibus de montibus æterni abscissus, confringendi. Verùm enim verò alium hîc quæro sensum, & moralem. Per statuam præfatam quemlibet possum intelligere Christia-

Rich. à S. Vict. lib. de erud. int. hom. c. 23. num, qui aureum quidem habet caput, dum aureum virtutum ponit initium, sed brevi tepescens, & de die in diem magis deficiens, tandem in fine pedes fient testacei ac lutei, proinde non incongrue Richardus de S. Victore: *Opus detestabile*, inquit, *& dignum confusione, quod inchoatur ex auro, & consummatur in testa & ferro. O confusibiles operarios, qui in initio conversionis suæ opus suum inchoant ex auro, & consummant in luto.* Et nunquid

Luc. 9. 26. dicit Veritas: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei.*

Quid ergo consilii in re tanti momenti, ex qua nobis omnibus aut beata, aut infelix pendet æternitas? Vaccas illas imitemur, quæ arcam Domini è terra Philistinorum in terram Israël traduxerunt (ignosce homo Christiane, quòd ad

Job. 12. 7. 1. Reg. 6. 12. vaccas te remittam, ut ab illis viam veritatis & salutis edisças: *Nimirum interroga jumenta*, ait pientissimus Job, *& docebunt te*) de his inquam, vaccis loquitur Sacer Textus: *Ibant autem in directum vaccæ per viam, qua ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes & mugientes; & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Et nunquid vitulos habebant domi inclusos & mugientes? & hoc sine dubio, quia Scriptura asserit; quomodo ergo poterant eos deserere? ibant tamen, quò Deus eas vocabat. Has, inquam, vaccas & tu imitare, quisquis es, ô Christiane! perge vias tuas, quas tibi Dominus demonstrat, neque declinans ad dextram, neque ad sinistram hujus mundi immundi, neque respiciens tetrò; aut stans in via virtutum; sed perge, perge in directum portans arcam Domini, hoc est, dulce jugum Evangelicæ legis, atque te ipsum & voluntatem tuam cum

Apoc. 2. 10 vaccis istis in gratum Deo immola sacrificium. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

CON-

CONSIDERATIO LVII.

Judicii finalis Memoria omnibus ſuadetur Chriſtianis.

Pro Dominica 24. poſt Pent.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum Virtute multa & Majeſtate. Matth. 24. 30.

I.

NOn ſine peculiari cauſa, & ratione Sancta Mater noſtra Eccleſia ſuperiori ſpiritu illuſtrata annum Eccleſiaſticum cum ſupremo inchoat judicio, & cum eodem finali judicio ejusdem anni claudit periodum ad demonſtrandam cunctis ſuis fidelibus maternam ſuam ſolicitudinem, quomodo omnes cupiat in Chriſto ſalvos fieri, & ut declinent à malo, ac faciant bonum, illùdque ſupremum, quod nemo effugere poteſt, judicium, ſemper ante oculos ſuos habeant, & tanquam metam, ad quam omnes actiones collimandæ, ſibi præfigant: *Memorare in omnibus operibus tuis noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Verum quidem eſt, quòd in privato judicio in puncto mortis anima noſtra ſecundùm ſua merita, vel demerita ſine mora & in ictu oculi à juſtiſſimo Judice Chriſto vel ad vitam, vel ad mortem judicari ſoleat, ſed per hoc juſtitiæ Divinæ non fit quodammodo ſatis, quia *omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum,* per quod univerſale judicium æquiſſimus omnium Arbiter Deus & homo Chriſtus omnibus ſuis creaturis rationalibus juſtitiæ ſuæ manifeſtare diſcupit æquitatem: *Ut ergo pateat omnibus*, ait S. Antonius, *quòd Princeps & Rex omnium ſæculorum Deus juſtiſſimè mundum gubernaverit, & retribuat omnibus ſecundùm ea, quæ geſſerunt in corpore, præmium vel ſupplicium, & integraliter, quoad animam & corpus; ideo neceſſarium eſt futurum judicium in fine mundi &c.*

Eccl. 7. 40.

2. Cor. 5. 10

S. Anton. Summ. Thol. Tit. 4 c. 11. §. 2.

Hoc eſt, quod Deus T. O. M. olim in Lege mandavit, ut in veſtium Sacerdotalium extremitatibus plura appenderentur tintinnabula, ut eorum ſonitus vel à longè à populo perciperetur, quando Pontifex ingreſſus, aut egreſſus eſt Sanctuarium: *Deorſum verò ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica*

Exod. 28. v. 33.

punica facies, ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis &c. Erant autem in hac tunica alternatim sita & mala punica & tintinnabula aurea, quorum S. Hieronymus septuaginta duo mala punica & totidem numerat tintinnabula. Sed ad quid, obsecro, tot tintinnabula? Respantiquissimus Origenes quòd per dicta tintinnabula rectè designetur prædicatio Sacerdotalis; debebant autem appendi in extremitate vestimenti, ad indicandum, quòd præcipuum prædicationis Sacerdotalis argumentum esse debeat, monere de extremo die & judicio finali, universo orbi imminentibus; hæc, inquit, tintinnabula sæpius sonent in ore, in corde, in actione, imò & in vestitu & ornatu Sacerdotis, ut de hac veritate assiduò moneat, urgeat, & excitet populum, ut Deum timeat, revertatur, mandata ejus observet, & sic debite ei in hac terra inserviendò tandem salvus fiat: *De extremis temporibus,* ait citatus Origenes, *& fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes & loquaris, secundùm eum, qui dicit: Memor esto novissimorum tuorum, & non peccabis.* Agite, animæ Christianæ, non de lana caprina hîc res agitur, sed de æterna vestra salute; aut serio hîc pœnitendum, aut æternùm vobis erit ardendum, non datur hîc medium: *Cælum & terra transibunt,* ait hodie Veritas, *verba autem mea non præteribunt:* Tunc videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate, quod quàm verum sit, ex sequentibus argumentis ad oculum patebit. Si salutem vestram amatis, attendite & perpendite.

Orig. hom. 9. in Exod.

Matt. 24. 35.

2. Horrenda & miseranda erat civitatis Hierichuntinæ facies, quando muri ejus & mœnia, turres & ædes, valla & propugnacula ad tubæ sonitum subitò fuerunt eversa, & solo æquata, cætera autem cum universis incolis in ore gladii occisis in potestatem ignis tradita, de quo tremendo excidio Sacræ Paginæ ita commemorant: *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: Cæperuntque civitatem, & interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem - - - urbem autem & omnia, quæ erant in ea, succenderunt.* Umbram spectâsti. Hæc, & longe crudelior in extremis illis temporibus erit rerum facies, quando districtissimus ac supremus omnium Judex, & Arbiter Deus est venturus. Proinde non incongruè per civitatem illam Jerichuntinam mundus hic immundus præfiguratus est, qui post innumeras clades tandem igne conflagrabit universus? *Ignis ante ipsum præcedet*; ubi ad terribilem Angelicæ tubæ sonum: *Surgite mortui, & venite ad judicium,* omninò, & totaliter desolabitur.

Josue 6. 1 29.

Ps. 96. 5.

Ingens erat Benjamitarum clades, dum undecim Hebræorum tribus contra hanc unam, & minimam tribum (ut abominandum illud crimen à quodam illorum in Gabaa perpetratum vindicarent) cruentissimum bellum gerebant, in quo his miseris ex omni parte copiis militaribus cinctis, nec ullus refug-

refugii, aut exitûs patebat locus. Et tunc demum, obſervat Scriptura, viderunt in quantam ſe ſe præcipitaverint calamitatum voraginem: *Ingravatúmque eſt bellum contra filios Benjamin, & non intellexerunt, quòd ex omni parte illis inſtaret interitus.* Judic. 20. 34. Sic erit in conſummatione ſæculi, ubi reprobis ex omni parte inſtabit interitus: *Supra*, ait S. Doctor Seraphicus, *erit Judex auſterus & iratus; ſubtus patens infernus, intus conſcientia remordens; extra mundus ardens; à dextris peccata accuſantia; à ſiniſtris Dæmonia terrentia, circa illa boni Angeli in inferna propellentes &c.* S. Bonav. Comp. Theol. c. 17. O miſerandam peccatorum ſortem! ô funeſtam & horrendam nimis ſcenam, quæ in illo luctuoſo die repræſentabitur, in quo commovebuntur omnia fundamenta terræ, ut ſuos reddant mortuos ac ſepultos, qui in momento ad vocem Archangeli reſurgent, ſed diſpari forma & exitu, *nam omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* 1. Cor. 15. 12.

3. Et *tunc apparebit ſignum Filii hominis in cælo.* Et quale, dices, hoc ſignum erit? Reſp. S. Chryſoſtomus & alii: Hoc ſignum erit ipſiſſima Crux pretioſiſſimi Redemptoris noſtri, in qua confixus, & pro omnium ſalute mortuus eſt: *Crucem ſolam*, inquit, *non reliquit in terra*, (intellige, dum orbis univerſus ante judicii diē conflagravit) *ſed ſecum eam levavit ad cælum, & ideò cum ipſa veniet.* Et S. Ephrem: *Sancta Crux*, ait, *rurſus in conſummatione ſæculi, cùm ſecundus illuxerit Domini Salvatoris adventus, primò cum gloria ingenti, & Angelorum exercituum infinita multitudine apparebit in cælo, inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem illuminans, atque lætificans, adventúmque cæleſtis Imperatoris annuntians &c.* Matt. 24. 30. S. Chryſ. hom. de Cruce & Latrone. S. Ephrem. lib. de vera Pœnitentia c. 3. Et quemadmodum Angeli omnes noſtros colligent cineres & oſſa arida ad futuram corporum Reſurrectionem, ita quoque omnes SS. Crucis particulas hinc inde in orbe diſperſas in unum colligent, & conjungent: & ſic Crux Dominica ſole, lunâ & ſtellis ſplendidior in cœlo apparebit, & tanquam trophæum Chriſti & cauſa victoriæ fidelium ante Judicem præcedet, impiis in terrorem & condemnationem, juſtis autem ad ſummum ſolamen & gloriam nunquam ampliùs finiendam, proinde rectè Eccleſia: *Hoc ſignum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit.*

Elegit autem item potentiſſimus Salvator noſter & Judex integerrimus non alium pro hoc finali judicio locum, quàm vallem Joſaphat, ibi ſuum collocabit tribunal judiciarium: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis.* Joël. 3. 2. Et quare vallem Joſaphat? Reſpondetur ex mente SS. Patrum, hanc vallem eſſe juxta Jeruſalem & propè Olivarium, ac Calvarium montem, qui locus cenſetur eſſe medius terræ, in quo Chriſtus, juxta vaticinium Jeſſæi Vatis, per paſſionem, mortem & aſcenſionem ſuam omnium ſalutem operatus eſt: *Deus autem Rex noſter ante ſæcula, operatus eſt ſalutem in medio terræ;* Pſ. 73. 12. in illo ergo loco univerſale conſtituet judicium, ubi Judex ille diſtrictiſſimus, juxta ac æquiſſimus cum Angelis & Electis ſuis omni-

omnibus non in ipsam quidem descendet vallem, quia sic à tot hominum millionibus judicandis videri non posset; sed thronum Majestatis suæ in aëre & in nube lucida ac gloriosa collocabit. Et observat hîc Zacharias Prophe-
Zach.14.4. ta: *Et scindetur mons Olivarum ex media parte ad Orientem & ad Occidentem, præruptô grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad meridiem*: & sic per modum Crucis fiat planities maxima, in qua excipientur judicandi: *Præruptô grandi valdè*, hoc est, maxima voragine, & aperto hiatu profundissimo ex scissione montis Olivarii patescente, per quem hiatum reprobi omnes in judicio consistente, dehiscente terrâ, mittentur in Tartara. O casum horrendum ac lugendum, nulliusque prece aut pretio redimendum!

4. Cùm fratres Joseph nunc in Ægypto in carcerem conjicerentur, & ob perpetratum scelus remordente interim ac stimulante conscientiâ, non nisi sæva sibi ominarentur, ad invicem dicebant: *En sanguis ejus exquiritur.* O Christiani mali, & tepidi! hoc & vos aliquando dicetis, ubi Redemptorem vestrum olim pro salute crucifixum, sed nunc ut justissimum Judicem, cui strictissima reddenda ratio, ad judicium adventantem de longè attoniti spectabitis: *En Sanguis ejus exquiritur*, ubi unanimi voce, vel ipsâ con-
Gen.41.21 scientiâ teste, dicetis: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum; idcirco venit super nos ista tribulatio.*

Ruben fratrum illorum primogenitus, & circa venditionem Joseph' in-
Gen.42.22 nocuus, ubi eorum in carcere audivit lamenta, ad illos dixisse fertur: *Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me?* Hoc idem tunc in judicio dicent pii parentes immorigeris suis filiis, Superiores, & Parochi suis subditis & curæ suæ olim commissis, Concionatores suis auditoribus, confessari suis pœnitentibus &c. *Nunquid non dixi vobis: nolite peccare, & non audistis me; idcirco venit super vos ista tribulatio.* Fratres illi Rubeno nec verbulum ad ista objecta poterant respondere, neque Josepho postea eos interroganti & examinanti *nimio terrore perculsi.* Et quid vos
Luc.16. 2. mali Christiani respondebitis Deo & homini Christo ad hanc quæstionem: *Redde rationem villicationis tuæ?*

Esau ubi primogenituræ ob vilis escæ gratiam & nunc etiam paternâ benedictione privatum se vidit, quasi leo iratus animi sui tristitiam & furorem
Gen.27.34 rugitu & valido clamore ostendit? *Auditis Esau sermonibus patris irrugit clamore magno.* Heu! quid erit, quando peccator in extremo illo judicio cernet, se nunc omni jure primogenituræ & hæreditatis æternæ esse spoliatum, atque nunc rectà in Tartarum sibi esse migrandum: tunc enim verò ejulabit, & eum Esau irrugiet clamore magno, quòd ob vilissimam, & spurcissimam peccati voluptatulam corpus & animam, ipsámq. hæreditatem sempiternam,

imò

imò ipsum Deum perdiderit. Audi Psaltem Regium: *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit.* Ps. 111. 9.

5. De Davide jam sene, & nunc annum ætatis septuagesimum agente recensent Sacræ Paginæ, quòd ob rigorem membrorum suorum nullis vestimentis aut stragulis potuerit calefieri: *Cúmque operiretur vestibus, non calefiebat.* Sed unde hic insolitus rigor ac tremor artuum? an fortasse, quia majorem vitæ suæ partem in continuis ærumnis, curis, laboribus & bellis expendit, & sic vires suas exhausit? Aliam rationem hîc assignat Abulensis, & utraque Glossa, frigus illud ac membrorum rigorem fuisse exortum ex illo timore, quo Angelum Domini super civitatem Solimæam strictum gladium contra populum vibrantem vidit, qui tremor usque ad mortem in eo permansit: *Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum, qui peccavi &c.* 3. Reg. 1. 1. 2. Reg. 24. 17.

Hanc figuram tibi applica, anima Christiana, si talem ac tantum Regem, virum alioquin secundùm cor Dei, adeò perculit unus Angelus iratus stringens super populum fulminantem gladium, quid erit, quando in extremo illo Judicio spectabis non Angelum, sed ipsum Angelorum Dominum, ac supremum omnium Judicem Christum justitiæ gladium contra te, & peccatores omnes vibrantem? imò quod plus est, *de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus.* Et quid ille gladius? Resp. hîc Rupertus Abbas, Beda & alii: Gladius iste omni gladio ancipiti penetrabilior & acutior, sententia finalis est, ex ore Christi promanans: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* O miserabile, ô tremendum spectaculum! lingua illa Divina ac benedicta, quæ toties in vita illos invitavit ad veniam, toties remisit culpam, toties promisit misericordiam: *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat*, illa, inquam, lingua convertetur in ensem fulmineum: *Discedite.* Apoc. 19. 15. Matth. 27. 14. Ezech. 33. 11.

6. Hîc adimplebitur illud Joëlis Prophetæ: *Juxta est dies Domini in valle concisionis: Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, & Dominus in Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam; & movebuntur cæli & terræ &c.* Vallis illa concisionis est vallis Josaphat, ubi concidentur, & perdentur improbi & reprobi, juxta illud: *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Tunc quoque Sol & luna obscurabuntur, & stellæ non dabunt splendorem suum. Cæterùm non agit hîc Propheta de signis extremo judicio præviis, sed de ipso judicio, ubi de novo Sol, Luna & Stellæ obtenebrabuntur, & quasi sibi timentes à facie irati Judicis sese abscondent. Magnum hîc latet mysterium. Joël. 3. 14. Ps. 128. 4.

Haymo & alii in sensu allegorico per solem illum obscurandum Christum verum justitiæ solem intelligit nunc in finali judicio peccatoribus & im- Haymo in c. 6. Apoc.

piis obtenebrandum, à quo miseri nullam ampliùs gratiam poterunt obtinere, quia tempus gratiarum effluxit. Per lunam, quæ non ampliùs dabit lumen suum, idem Haymo B. Virginem subaudit, quæ, licèt pulchra ut luna, in calamitoso tamen & horribili illo judicii die peccatoribus obscurabitur, neque ampliùs pro illorum salute intercedet. Per stellas Sancti & Electi
Joël. 2.10. Dei designantur, de quibus Joël Propheta: *Et stellæ retraxerunt splendorem,*
S. Bonav. in diæt. sal. ubi nullus Sanctorum pro impio peccatore orabit: *Tanta erit,* ait Doct. Sera-
Tit. 9. c.1 phicus, *Judicis severitas & inflectibilitas, quòd si B. Virgo & omnes Angeli, & Sancti & Sanctæ genua flecterent, & cum lacrymis orarent pro aliquo, qui esset in peccato mortali, Judex non exaudiret eum.*

7. O bone Deus! si potentissimus ille Aman, quia se reum agnoverat, vultum irati Regis Assueri & Reginæ Esther præ nimia confusione sustinere
Esth. 7. 7. ampliùs non poterat, ubi hæc in convivio regio verba audiêrat: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman; quod ille audiens, illicò obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens.*

Si Balthasar Rex licèt jam temulentus in mensa visâ unica manu ad parietem pauca verba scribente, adeò exhorruit, ut omnibus membris contre-
Dan. 5. 6. misceret: *Facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturabanteum, & compages rerum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicē collidebantur.*

Si Daniel Propheta, ubi Angelum sibi apparentem conspicatus est, tanto, & tam insolito correptus fuit timore; ut vix non animam exspiraret:
Dan. 10.8. *Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo: sed & species mea immutata est in me, & emarcui, non habui quidquam virium.*

Si Joannes dilectus ille Discipulus conspectô Angelo, Christi Judicis personam gerente, tantâ trepidatione & pavore perturbatus est, ut tanquam
Apoc. 1. 17 mortuus ad pedes ejusdem Angeli collaberetur: *& cùm vidissēmeum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.*

Si ad unicam Regis quæstionem homo ille pauperculus & mendicus, qui absque nuptiali vestimento in regalibus illis nuptiis apparere, & inter alios honestos convivas mensæ assidere præsumpsit; cùm ad tenebras exteriores condemnaretur, nec unicum verbum contra Regis sententiam mussitare au-
Matth. 22. 21. sus est: *Amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Et quid sequitur: *At ille obmutuit.*

Si ipse pientissimus Salvator noster & homo Christus, dum adhuc esset viator, & in carne mortali passibilis, in monte Olivario, appropinquante Passione & atrocissima Crucis morte, tantâ formidine & mentis anxietate obrutus est, ut non oculis duntaxat, sed & omnibus membris sanguineas pro-
Luc 22. 44 funderet lachrymas: *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis*

in

in terram. Rationem assignat Sylveira: *Unde*, inquit, *tanta anxietas dolorum plena?* Et respondet ipse sibi: *Repræsentabatur nimirum innocentissimo Agno, quòd ad tot Judices & tribunalia trahendus esset; inde tanto pavore, angore & dolore affligitur, designans quis futurus sit timor & anxietas hominum in morte, cùm ante tribunal severissimi Judicis sunt sistendi.* Sylveir. hic.

O Christiani mali & tepidi! quid de vobis fiet? quomodo iratum Judicis supremi vultum & fulminantes illius oculos poteritis sustinere: si columnæ cœli contremiscent, quomodo labilis & fragilis consistet arundo? Ite nunc miseri, & adhuc peccata peccatis, & scelera sceleribus accumulate; & scitote, quoniam pro his omnibus adducet vos Deus in judicium. Juvat hîc audire S. Bernardum: *Væ mihi misero*, inquit: *cùm venerit dies illa judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes Domino præsentandæ recitabuntur! Tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ in judicio coram Domino stabo trepidus & anxius, utpote commemorans scelerum commissa meorum &c.* S Bernard. Medit. 2.

8. Quid ergo consilii in re tanti momenti, quæ omnium nostrûm æternam concernit salutem? S. Ambrosius & Augustinus, dum alternatim notissimum illud ac pulcherrimum Canticum. *Te Deum laudamus* componerent, in quo nil nisi jubilus & gratiarum actio resonat, cùm tandem devenissent ad Christum Judicem: *Judex crederis esse venturus*, immediatè post hoc subjecerunt: *Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.* Sub quibus verbis, ubi in Ecclesia Dei decantantur, fideles omnes genua flectere, & Dei opem ac gratiam implorare assolent, ut Judex clemens ac propitius ipsis esse dignetur. Hoc & nos faciamus, anime mi, sæpiúsque cum hoc supremo & æquissimo Judice de hoc colloquium instituamus; *O Domine JEsu: Cùm veneris judicare! noli me condemnare! Per illud judicium, quo apud Pilatum iniquè judicatus es, parce servo tuo! &c.*

Imitemur hac in parte S. Paulum, qui, cùm adhuc Saulus spirans minarum & cædis in Discipulos Domini à Jerusalem in Damascum, quasi prætor stipatus satellitibus proficisceretur, ut ibidem Christi Nomen extingueret, subitò circumfulsit eum lux de cœlo in ipso meridie, quæ suo fulgore ipsum solis superabat splendorem, & cadens in terram audivit Christi vocem Hebraicâ linguâ ad ipsum de cœlo loquentem, Cimò tonantem: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Ad quam vocem Saulus: Quis es, Domine? & cùm intellexisset: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris*, quasi fulmine ictus mox ex ferociissimo lupo in mansuetissimum agnum mutatus est, dum sese totum Divinæ dispositioni submisit: *Domine, quid me vis facere?* Sed unde, dices, tam repentina & prorsus insolita in Saulo mutatio, ut ex acerrimo persecutore summus fieret Christi amicus? Resp. S. Vincentius Ferrerius, hanc mutationem, ut è Saulo in Paulum converteretur, esse factam ex considera- Act. 9. 4.

tione finalis judicii; videbat enim Christum in ea forma, gloria & Majestate, quemadmodum aliquando, ut Judex vivorum ac mortuorum venturus est in hunc mundum: *Quando*, inquit, *Christus illi dixit: Saule, Saule, durum est tibi contra stimulum calcitrare, cui Christus ostendit se, ut dicunt Glossa, sicut stabit in judicio. Paulus statim tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Hoc illustre exemplum & tu imitare, anima Christiana, & sæpiùs, imò quotidie cum S. Paulo hunc supremum ac districtissimum Judicem tibi ob oculos mentis pone, quia *adhuc modicum, qui venturus est, veniet.* Audi pro fine Os aureum, quid in utramque tibi aurem inclamat: *Oportet*, inquit, *tanto studio vitam nostram instituere, proinde ac mox de omnibus verbis, operibus & cogitationibus judicandi essemus.* Hoc fac, & vives.

S. Vincent. Ferrer 3. in Sexag.

Heb. 10. 37.

S. Chrysost. c. 1. hom. 8. in Gen.

INDEX RERUM

In hoc Dominicali contentarum summarius.

A.

Adversa quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt. Vide Considerationem 53. in qua varios conceptus & figuras, ac Scripturæ loca triginta duo cum Capitulo & versibus annotata invenies. NB. Et sic de cæteris Considerationibus pensandum.

Amor Dei & proximi summè nobis necessarius. Vide Considerationem 50. per totum, variis conceptibus & figuris illustratam.

Animæ cura major habenda quàm corporis. Vide Considerationem 45. NB. per totum ac omnes numeros.

Ascensus per crucem tendit ad lucem. Vide Considerationem 29. & per totum.

B.

Brevitas & inconstantia vitæ humanæ. Vide Considerationem. 2. & per totum.

C.

Cæcitas mundanorum & peccatorum. Vide Considerationem 14. & per totum.

Christus Christianis imitandus. Vide Considerationem 55. & per totum.

INDEX RERUM.

Conſcientia remordens ſtimulat nos ad veram agendam pœnitentiam. Vide Conſiderationem 13. & per totum.
Conſilium bonum à Deo & prudente viro petendum. Vide Conſiderationem 26. & per totum.
Converſio ad Deum non differenda. Vide Conſid. 4. & per totum.
Correctio paterna & fraterna ſummè neceſſaria. Vide Conſiderat. 27. & per totum.

D.

Detractio cane pejus & angue fugienda. Vide Conſiderationem 41. & per totum.
Deo qualis in templo debeatur reverentia? Vide Conſiderationem 42. & per totum.
Deus trinus & unus ſummè amandus & colendus. Vide Conſiderationem 34. & per totum.
Dæmon paulatim hominem ſeducit, & ad majora impellit peccata. Vide Conſiderationem. 11. & per totum.

E.

Emendatio vitæ homini Chriſtiano non procraſtinanda. Vide Conſiderationem 11. & per totum.
Exemplum bonum quid poſſit, & viciſſim. Vide Conſiderationem 25. & ſic per totum.
Exemplum Chriſti & zelus illius omnibus proponitur Chriſticolis. Vide Conſiderationem 33. & ſic per totum.

F.

Fides Chriſtiana operibus nobis comprobanda. Vide Conſiderat. 32. & ſic per totum.
Finis hominis ad quem creatus eſt, Deus & æterna beatitudo eſt. Vide Conſid. 1. atque ſic per totum.

G.

Gratia Dei à nobis unicè, & anxiô ſtudiô quærenda, ne in æternum pereamus. Vide Conſiderationem 6. & per totum.
Gratitudo, quam Deo debemus. Conſideratio 46. per totum.

H.

Humilitas & proprius contemptus valde nobis eſt neceſſarius. Vide Conſiderat. 49. & per totum.

INDEX RERUM.

I.

Intentio recta operibus noſtris præfigenda. Vide Conſid. 44. & per totum.
Indiſcretum judicium non ferendum. Vide Conſiderationem 41. & per totum.
Judicium particulare animæ poſt mortem. Vide Conſiderationem 16. & per totum.
Judicii finalis memoria, ſemper habenda. Conſid. 57. & per totum.
Inferni pœnæ quàm horrendæ, quia ſempiternæ. Vide Conſiderationem 17. & per totum.

L.

Lapſus & relapſus in peccata priſtina ſummè cavendus. Vide Conſiderationem 22. & per totum.

M.

Mendacium nunquam dicendum. Conſideratio 30. & per totum.
Menſura certa peccatorum peccatoribus à Deo eſt definita. Conſideratio 7. & per totum.
Miſericordiam inter & juſtitiam ambulandum. Conſideratio 5. & per totum.
Miſſæ Sacrificium quantùm nobis ſalutiferum. Conſid. 38. & per totum.
Mortis memoria ſemper nobis ingerenda. Conſideratio 48. & per totum.
Mors peccatorum peſſima. Conſideratio 15. & per totum.

N.

Numerus ſalvandorum planè exiguus. Conſideratio 13. per totum.

O.

Occaſio peccandi ſemper timenda & fugienda. Conſideratio 24. & per totum.
Oratio Deo grata, & ſummè nobis neceſſaria. Conſideratio 28. & per totum.
Oratio noſtra cur ſæpè à Deo non exauditur. Conſideratio 43. & per totum.

P.

Peccatum mortale conſideratum in ſuis effectibus. Conſideratio 8. per totum.
Peccatum veniale quantoperè noceat? Conſideratio 9. per totum.
Perſeverantia in bonis ſola coronatur. Conſideratio 56. & per totum.
Politia & hypocriſis hujus mundi deteſtanda. Conſideratio 40. per totum.

INDEX RERUM.

Præparatio debita ad SS. Communionem dignè sumendam. Consideratio 20 & seq.

R.

Reditus animæ peccatricis ad pœnitentiam. Consideratio 19. & sequentibus.

Remissio injuriarum Deo gratissima. Consideratio 54. & per totum.

Resurrectio Domini & nostra spiritualis. Consideratio 21. & seqq.

Reverentia, quam debemus SS. Eucharistiæ. Consideratio 35.

S.

Societas malorum cautè vitanda Consideratio 45. & seqq.

Spera in Deum, & time Deum. Consideratio 52. per totum.

Spiritus Sanctus cur in figura ignis apparuit? Consid. 31. & seq.

T.

Tentationibus quomodo resistendum? Consid. 23. & per totum.

Tepiditas & somnolentia excutienda. Consid. 10. per totum.

Tempus salutis nostræ bene impendendum. Consid. 3. per totum.

Timor Dei ad salutem obtinendam necessarius. Consid. 51. per totum.

Tolerantia & patientia ad coronam necessaria. Consid. 39. per totum.

V.

Verbum Dei audiendum non solùm, sed & opere exequendum. Consideratio 37. & seq.

In via virtutis non proficere, est deficere. Consideratio. 36. per totum.

CON-

Copiosior Index & Synopsis

Figurarum, Conceptuum & rerum memorabilium super Currum Israël & Aurigam ejus, qui in prima editione ob plures alios Auctoris labores formari non poterat, nunc in gratiam benevolorum Lectorum, illum impensius desiderantium, in hac secunda editione adjectus.

Index Primus Dominicalis.

A.

Adversa, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt. Vide Considerationem 53.

Adversa comparantur cum amara medicina. Ibi. n. 1.

Adversa populum Israëliticum corrigunt, & ad Deum reducunt. n. 1. & 2.

Adversa Regulum ad Christum compellunt. n. 1.

Adversitas comparatur cum felle, quo oculi Tobiæ seniores fuerunt illuminati. n. 3.

Adversitas per varia symbola dilucidatur. n. 3.

Adversa docent Jonam ad preces, ad Deum confugere. n. 4.

Adversa Manassem ad pœnitentiam disponunt. n. 5.

Adversa Nabuchodonosori oculos aperiunt. n. 5.

Adversa filium prodigum ad patrem reducunt. n. 5.

Adversa hominem probant, prout olim haustus amarus fœminæ de adultertio suspectæ porrectus. n. 6.

Adversa probant Ezechiam Regem. n. 6.

Adversitas, velut aurum, tres pueros probat. n. 6.

Adversa Josephum ad dignitates supremas evehunt. n. 7.

Adversitas fratribus Josephi cæcutientes oculos reserat, & sanat. n. 8.

Absque adversis perit Balthasar Rex, Samson in sinu Dalilæ, Hebræi carnes appetentes, & dives epulo. n. 8.

Adversi fluctus & venti Petrum Ap. ad Christum perducunt. n. 9.

Adversitas Claudiam Proculam uxorem Pilati ad fidem Christi convertit. n. 9.

Amor

A.

A*Mor Dei & proximi ſummè nobis neceſſarius.* Conſid. 50.
Amor Dei & proximi non poſſunt dividi. Figura de infante in judicio Salomonis dividendo. n. 1.
Amoris falſi Symbolum aquila, & cur? n. 1.
Amoris veri & ſinceri ſymbolum malum Punicum; & cur? n. 2.
Amor Dei & proximi cur à Chriſto cuidam Legisperito recommendatus? n. 2.
Amor Dei & proximi per volatum Seraphinorum præſignatus, & quomodo? n. 3.
Amor Dei & proximi vexillum, ſub quo omnes militant virtutes. n. 3.
Eſt illa Regina, quæ in veſtitu deaurato ſtat ante thronum Dei. Eſt tunica Chriſti inconſutilis. n. 3.
Amor Dei & proximi ſunt duo annuli aurei in Arca fœderis. Sunt duo ubera Sponſæ. Duæ columnæ marmoreæ. Duo populi, Arcticus & Antarcticus. Deſcenſus & aſcenſus in ſcala Jacob. n. 3.
Amor verus & falſus per aſinum & ovem præfiguratus; & quomodo? n. 4.
Amoris ſymbolum erat oleum viduæ mirabiliter adauctum. Et quomodo? n. 5.
Amorem Dei & proximi quia non habuit dives epulo, meritò reprobatus. n. 6.
Item adoleſcens ille dives, qui conſilii causâ ad Chriſtum venerat. n. 6.
Amor Dei & proximi per numiſma Cæſaris præſignatus. n. 7.
Amor Dei & proximi per ignem pepetuum adumbratus. Item per arundinem auream; Funiculum coccineum, & per margaritam pretiosam Evangelicam n. 8.

A.

A*Animæ cura major habenda, quàm corporis.* Conſid. 47.
Animæ ob gratiam cœlum priùs creatum, quàm terra n. 1.
Cur priùs à Salomone templum, quàm palatium extructum? n. 1.
Chriſtus animæ curam omnibus rebus cæteris anteponit. n. 1.
Claudus cur à Petro primo ſanatus? n. 2.
Chriſtus priùs paralytici animam, quàm corpus ſanavit. n. 2.
Animæ felicitas in quo conſiſtat? n. 3.
Anima ſit prudens, ut ſerpens. n. 4.
Anima noſtra cur ſemper in manibus habenda? n. 4.

Animam priùs curant tres pueri Babylonici. n. 4.
Dives Epulo cur nunc æternum ardeat? n. 5.
Pro anima unica Dæmon totum mundum offert. n. 5.
Anima thesaurus absconditus & Margarita. n. 5.
Esau pro lentis edulio sua primogenita vendens, typus est hominis animæ suæ euram negligentis. n. 5.
Animam Judæ, ut conservaret Christus, sordidos illius pedes abluere non dubitavit. n. 6.
Christus quare Judam proditorem amicum vocavit? n. 6.
Animarum Curatoribus præscribitur forma magis curandi animas, quàm loculos. n. 6.
Animæ typus toga Christi interior, & quomodo? n. 7.
Animam quærit leo infernalis, non corpus hominis. Figura hac dere insignis. n. 8.

A.

A *Scensus per Crucem tendit ad lucem.* Consid. 29.
Ascensus in cœlum Jacob per scalam monstratus. n. 1.
Talis erat Christi: per crucem ad lucem. n. 1.
Ascensus quatuor animalium Ezechielis Prophetæ Christo accommodatur. n. 2.
Ascensus nubeculæ in mari Christi humanitatem in cœlum ascendentem præsignavit. n. 3.
Ascensus Eliæ per turbinem in cœlum. Cur? n. 3.
Ascendens Christus in cœlum cur discipulis per modum Crucis benedixerit? Figura de Jacob Filiis Joseph benedicente. n. 4.
Ascendit Christus in meridie. Cur? n. 4.
Ascendentem Christum in cœlum cur Apostoli diutiùs intuentes, ab Angelis reprehensi? n. 5.
Ascensus Joseph in currum triumphalem quomodo Christum adumbraverit? n. 6.
Quis ille homo nobilis, qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum? n. 7.
Christus priùs torcular calcavit, deinde exaltatus. n. 7.
Ascendens Christus triumphator cum Davide comparatur. n. 8.
Ascendenti Christo in cœlum omnes Angeli aggratulantur ob inventam ovem perditam. n. 8.

B.

B*Revitas & inconstantia vitæ humanæ.* Consid. 2.
Brevitas vitæ per varia Scripturæ symbola dilucidatur: 1. per guttam roris antelucani; 2. per vaporem terræ; 3. per paululum mellis; 4. per telam aranearum; 7. per filium à texente præcisum; 6. per hæderam Jonæ; 7. per fœnum arescens; & 8. per arundinem vento agitatam. n. 1.
Brevem & miseram vitam sibi præsagit infans, dum in lucem nascitur plorans. n. 2.
Cur Christus in resuscitatione Laxari ploravit? n. 2.
Cur voluit, ut in oratione Dominica oremus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
Brevitas gloriæ humanæ & voluptatum; quod patet in Amano, Nabuchodonosore, Rege Achab, divite epulone, Jezabele & aliis. n. 4.
Brevitas vitæ nostræ per Jordanem in mare mortuum se effundentem declaratur. n. 5.
Brevis est omnis potentatus. n. 5.
Figuræ hac de re variæ: de Judith, Esther, Sionitis, Achab, Rege Israël, Philistæis &c. n. 6.
Moyses quare vitulum aureum combusserit, & pulverem Hebræis in potum dederit? n. 6.
Cur Deus hominem non ex auro & argento, sed de limo terræ produxerit? n. 7.
Cur Jeremias ad officinam figuli à Deo missus? n. 8.
Cur Christus expuit in terram, lutúmque ex sputo fecit, liniens super oculos cæci nati? n. 9.
Quare Job luto & pulveri se comparavit? n. 9.
Igitur parati simus ad ultimum prælium, ne nobis contingat, sicut quondam Hebræis, in bello non habentibus ensem. n. 10.

C.

C*Æcitas Mundanorum & peccatorum.* Consid. 14.
Corvo nullus cibus magis in deliciis, quàm oculus humanus. n. 1.
Corvus in hoc typus Diaboli. n. 1.
Cæcus sedens secùs viam, cœcum adumbrat peccatorem. n. 1.
Cur maledictus ille, qui cœcum in via errare facit? n. 1.
Aquila cervum pulvere obcæcans & præcipitans, Dæmonem repræsentat. n. 2.

Cæcitas corporis magna miseria, prout patet in Tobia; mæ. n. 2.
Casus miserabilis de fele oculos infantis in cunis jacentis eruente ac devorante. n. 1.
Samson figura cæcorum Mundanorum n. 3.
Naas viris Gabes dextrum oculum eruens typus Diaboli n. 4.
Primi parentes quomodo à Dæmone obcæcati? n. 4.
Duo senes Susannam tentantes cur oculos à cœlo declinârunt? n. 4.
S. Felix cur propter canem Matronam Romanam objurgârit? n. 5.
Insanus amor in canem & felem n. 5.
Sedecias Rex duobus privatus oculis, figura peccatoris n. 5.
Samson cæcus ad molam trusatilem cur damnatus? n. 6.
Sodomitæ excæcati typus libidinosorum. n. 6.
Item Israëlitæ in deserto carnes præ Manna appetentes. n. 6.
Item invitati ad nuptias regales n. 6.
Christus plures cæcos illuminavit, inter quos famosus ille Bartimæus. n. 7.
Prodigus in miseriis suam agnoscens cæcitatem, typus peccatoris à Deo illuminati n. 7.

C.

Christus à Christianis imitandus. Consid. 55.
Pictor imitatur suam ideam & prototypon, ita Christianus imiterur Christum. n. 1.
Quare Israëlitæ partim gaudebant, partim flebant, ubi novum templum sub duce Zorobabel videbant extructum? n. 2.
Facies moderni Christianismi valdè deficientis. n. 2.
Tentamen Gedeonis cum suis militibus siti laborantibus. n. 3.
Armiger Jonathæ, Ethai & Elisæus, typus veri Christiani. n. 4.
Petrus à longè sequens Christum, typus tepidorum Christianorum. n. 4.
Petrus, cur dixerit: *Non novi hominem*? n. 5.
Frater prodigi, quare dixerit ad patrem: *Ecce, tot annis servio tibi, & mandatum tuum nunquam præterivi.* n. 5.
Cives Nazarethani typus ingratorum Christianorum. n. 5.
Amalecita mittens manum in Dominum suum, typus malorum Christianorum. n. 6.
Ninivitæ ad unam Jonæ prædicationem pœnitentiam agunt; non sic moderni Christiani. n. 6.
Cur Scriba ille Christum imitari volens, fuerit rejectus? 7.

Pharao cur dixerit: *Nescio Dominum?* n. 7.
Adhortatio ad Christianos, ut sequantur Christum. n. 8.

C.

Conscientia remordens ad pœnitentiam nos stimulat. Consid. 13.
Conscientiæ remordentis varia symbola. n. 1.
Cor Davidis cur spinâ saucium? ibid.
David Rex Uriam timuit? n. 2.
Ursus dum mel quærit, clavâ trucidatur. n. 2.
Balthasar Rex cur ad conspectum manûs scribentis adeò exhorruit? n. 3.
Cain cur nullo loco consistebat tutus? n. 4.
David cur oravit: *libera me de sanguinibus*? n. 4.
Fratres Joseph quare adeò in carcere sibi timebant? n. 5.
Anthiochus Rex cur adeò in morbo exagitatus? n. 5.
Filia Chananæa malè à Dæmone vexata, quid denotet? n. 6.
Conviva sine veste nuptiali cur reprobatus? n. 7.
In excidio Jobi cur unus servus semper remansit? n. 8.
Cur gallus gallinaceus Petrum errantem debuit corrigere? n. 9.
Vermis conscientiæ per lacrymas suffocatur, ut patet in Petro, Magdalena, Davide, Manasse &c. n. 9.

C.

Consilium bonum à Deo & prudente viro petendum. Consid. 26.
Nemo sibi satis prudens, ut patet in Salomone, Davide, Paulo &c. n. 1.
Consilium bonum Discipuli à Christo requirunt. n. 1.
Viator de secura via inquirit: sic faciat Christianus. n. 2.
Rebecca, Moyses, David, Susanna &c. priùs Dominum consulunt. n. 2.
Quare ipsemet Christus suos Discipulos in consilium vocavit? n. 3.
Jethro Moysi bonum suggerit consilium. n. 4.
Item Joseph Pharaoni; Seniores Assuero; Rebecca Jacobo filio. n. 4.
SS. Trinitas de homine creando priùs init consilium. n. 5.
Loth bonum consilium dat generis suis; Daniel Nabuchodonosori; senes Roboamo Salomonis filio &c. n. 5.
Spernens bonum consilium, similis est equo indomito. n. 6.
Asa Rex perîit, quia bonum consilium non est secutus; econtra David salvatur, quia bonum consilium Nathani audîit. n. 6.
Dives Evangelicus perit, quia nullum vocavit in consilium. n. 7.
Scriba à Christo optimum percipit consilium. n. 7.

Quare Reges & Principes scribere soleant: *Nos Dei gratia &c.* n. 8.
Samuel puer ab Heli exquirit consilium. n. 8.
Samaritana sequens Christi consilium, salvatur. n. 8.
Adolescens dives Christi contemnens consilium, perit. n. 8.

C.

Conversio ad Deum non differenda. Consid. 4.
Ad veram conversionem nos monet Præcursor Domini: *Aut pœnitendum, aut ardendum.* n. 1.
Mundus periit in diluvio propter cras, cras. n. 1.
Pharao cum populo suo ob similem causam. n. 3.
Item Absalon in quercu suspensus. n. 4.
Similiter & Abner Belli-dux. n. 5.
Piscis & cygnus quare à sacrificio rejecti? n. 5.
Arbor fici non ferens fructum, quem significaverit? n. 6.
Virgines fatuæ cur à nuptiis cœlestibus repudiatæ? n. 7.
Herinacii fœmina in partu, typus procrastinatorum. n. 7.
Cyrus Rex Jones subvertit, & cur? n. 8.
Adhortatio ad peccatores, conversionem procrastinantes. n. 8.

C.

Correctio paterna & fraterna summè necessaria. Consid. 27.
Correctio in delinquentes summum animæ bonum. n. 1.
Cur hoc officium non Angelis commissum? n. 1.
Deus cur unicuique mandavit de proximo suo? n. 2.
Adam non corrigens Evam summè culpabilis. n. 2.
Heli, quia neglexit pravos filiorum mores corrigere, acerbè punitus. n. 3.
Virga Mosaica, quare projecta in colubrum mutata est? n. 3.
Abscondens frumenta quare maledictus? n. 4.
Virga vigilans Jeremiæ & olla succensa quid portendant? n. 4.
Quare filii Bethel maledicentes Elisæo ab ursis dilacerati? n. 5.
Quare Christus mulieribus dixerit: *Nolite flere super me*? n. 5.
David bonus Pater, sed mali filii ejus. Cur. n. 6.
Cur Deus mandavit, ut principes populi Israël contra solem suspenderentur? n. 7.
Samuel quàm prudenter populum prævaricantem correxerit? n. 7.
Sara cur à marito petierit, ut ancillam cum filio ejiceret? n. 8.
Cur in incendio Sodomæ etiam parvuli innocentes perierint? n. 8.
Job cur quotidie pro filiis suis sacrificia obtulerit? n. 8.

Simi-

Similitudines variæ de correctione proximi? n. 8.
Cur Christus ascendens in cœlum prius Apostolos increpavit? n. 8.

D.

D*Etractio cane pejus & angue fugienda.* Consid. 41.
Cur olim fermentum & mel à sacrificio prohibitum? n. 1.
Anna & Juditha cur tam sollicitæ de bono nomine? n. 1.
Villicus licèt diffamatus adhuc curam boni nominis quærit. 1.
Detractor similis serpenti, & quomodo? n. 2.
Dives Epulo cur adhuc in lingua crucietur? n. 2.
David cur doluit propter abscissam Saulis chlamydis oram? n. 2.
Cur olim Israëlitæ in deserto ignitis serpentibus castigati? n. 3.
Cur Sponsus voluit, ut Sponsa vulpes parvulas caperet? n. 3.
Cur soror Moysis leprâ punita? n. 4.
Detractores cur similes scarabæis, vespis, noctuis, ranis, canibus, hyenæ, porco &c. n. 4.
Cur Hanon Rex Legatis Davidis dimidiam barbam jussit præscindi? n. 5.
Diffamatores similes Camo filio Noëmi, & quomodo. n. 6.
Item similes Michol, Core, Dathan & Abiron. n. 6.
Non sic Christus cum Photina muliere Samaritana. n. 7.
Cur Joseph Ægyptios abscedere jussit, ubi cum fratribus suis locutus est? n. 8.
Quomodo Dismas bonus latro imitandus? n. 9.
Cur Judas à Christo non fuit manifestatus? n. 9.

D.

D*Eo qualis in templo debeatur reverentia*? Consid. 42.
Respectus humanus sollicitè quæritur. Ita Aman, Saul, Pharao &c. sed prævalet respectus Divinus in templo. n. 1.
Cur Angelus post peccatum mox damnatus, & non Adam? n. 2.
Jacob cur exclamavit: *Verè Dominus in loco isto*? n. 3.
Heliodorus quare ab Angelis, & non à Dæmonibus flagellatus? n. 3. & 4.
Diabolus quare non ausus est Christum in templo tentare? n. 4.
Mulier adultera & publicanus quare à Christo defensi? n. 5.
Pharisæus à Christo in templo orans rejectus? n. 5.
Seraphini quare faciem suam in templo velârint? n. 6.
Simon quare dicatur, quòd in spiritu in templum venerit? n. 6.
Tres Magi quare procidentes Christum infantem adorârunt? n. 6.
Anthiochus Rex cur nullam à Deo misericordiam consecutus? n. 7.

Balthasar Rex quare ad conspectum manûs scribentis adeò contremuit? n. 8.
Aman cur ab Assuero Rege sine mora suspensus? n. 9.
Nadab & Abiu cur igne cœlesti consumpti? n. 9.
Apostoli cur in piscatione annuerint sociis? n. 9.

D.

Deus trinus & unus summè amandus & colendus. Consid. 34.
Ezechiel quare torrentem non poterat transvadere? n. 1.
Isaias cur calculô ignitô ab Angelo notatus? n. 1.
Jeremias cur dixerit: A, a, a,? n. 1.
Sol egregium symbolum SS. Trinitatis. n. 2.
Arcus tricolor Noëmo monstratus. Cur? n. 2.
Oceanus in duo alia maria se dividens. Quid? n. 2.
Noë quare tres columbas ex arca dimiserit? n. 3.
Pincerna Regis Pharaonis quare salvatus? n. 4.
Balthasari Regi cur tres digiti scripserunt sententiam? n. 4.
Danieli qualiter mysterium SS. Trinitatis monstratum? n. 5.
Tres pueri Babylonici quare in igne servati? n. 5.
Triplex funiculus conservans domum Rahab, quid? n. 6.
Virgines fatuæ pulsantes cœli januam cur non admissæ? n. 7.
Abraham, Isaac & Jacob, quomodo typus SS. Trinitatis? n. 7.
Angelus salutans B. Virginem quomodo SS. Trinitatem insinuaverit? n. 8.
Tres panes ab amico, de nocte postulatæ, quid? n. 9.
Cur Christus dixerit: *Solvite templum hoc.* n. 9.
Turbæ per triduum Christum sequentes, cur tam benignè exauditæ? n. 9.
Mysterium SS. Trinitatis agnoverunt David & plures alii. n. 9.
Ad Deum unum & trinum semper confugiendum. n. 9.

D.

Dæmon paulatim hominem seducit, & ad majora impellit peccata. Consid. 11.
David hîc potest esse testis. n. 1.
Item granum sinapis excrescens in arborem. n. 1.
Ezechiel sensim pervenit ad torrentem intransmeabilem. Quid? n. 2.
Petrus paulatim ab uno ad alterum peccatum delapsus. n. 2.
Statua Nabuchodonosoris sensim deficiens, quid denotet? n. 3.
Populus Israëliticus quomodo à lusu ad pessima peccata delapsus? n. 3.
Item Saul Rex spernens ab initio modica? n. 3.
Absaloni quomodo, & cur crines fuerunt laquei? n. 4.
Panis fermentatus cur olim Israëlitis à Deo prohibitus? n. 5.

Salomon cur in Senectute depravatus? n. 5.
Samson cur amissis crinibus à Deo derelictus? n. 5.
Cur, quasi coluber, peccatum fugiendum? n. 6.
Dalila abblandiens viro, quid? n. 7.
Eva ab antiquo serpente paulatim seducta. n. 8.
Cur Judæi dixerunt Christo, quòd in Belzebub ejiciat Dæmonia? n. 8.
Dæmon cur ad Christum dixerit: Dic, ut lapides isti panes fiant? n. 8.

E.

E *Mendatio vitæ homini Christiano non procrastinanda.* Consideratio 12.
Mora sua cuilibet nociva; Julium Cæsarem interroga. n. 1.
Si te vocat Deus, noli interponere moram. n. 1.
Struthio cur in Lege veteri rejectus? n. 2.
Cur sacrificium Abelis Deo acceptum, & non Caini? n. 3.
Joseph, quare tam citò Regioni de frumento providit? n. 3.
Qui citò in piscinam descendit, cur sanatus? n. 3.
Confessio Petri & Dæmonis examinatur. n. 4.
Jeroboam & Achab cur à Deo rejecti? n. 4.
Judæ Ischariothis pœnitentia cur non accepta? n. 5.
Lusus Samsonis explicatur. n. 6.
Holofernes aquæ ductum incidens, quid? n. 6.
Seba seditionem movens, quid? n. 7.
Eliezer quare tam citò negotia expediri voluit? n. 8.
Figuræ aliæ hac de re cum moralitate. n. 8.

E.

E *xemplum bonum quid possit, & vicissim.* Consid. 25.
Christus quare titulô pastoris gaudeat? n. 1.
David, Jacob, Moyses, pastores quomodo Christum repræsentaverint Pastorem? n. 1.
Virgæ decorticatæ Jacob quid sibi volunt? n. 2.
Columna nubis & ignis quid portendat? n. 2.
Sole stante tempore Josuæ, an etiam luna & astra steterint? n. 2.
Sol, luna & undecim stellæ Josephum adorantes, quid? n. 3.
Regem Ninive præeuntem sequitur omnis populus. n. 3.
Moysen præcedentem & præcantantem mox sequitur omnis Israël. n. 3.
Ignis in altari perpetuus, & lingua subjecta quid significent? n. 4.
David Rex cur aquam ex cisterna allatam non bibit? n. 4.
Arcam præcedentem super Jordanem comitantur omnes. n. 5.

Gedeon quare tubam & lampadem suis dederit militibus? n. 5.
Christus cur primùm annô ætatis trigesimô prædicationem suam inchoaverit? n. 5.
Moyses cur virgâ & voce aquam ex petra produxerit? n. 6.
Quare Zachæo & toti domui ejus salus facta est? n. 6.
Regulo credente omnes domestici ad fidem convertuntur? n. 6.
Christus quare à Joanne baptizari voluit? n. 6.
Lazaro cur à nullo mica panis data? n. 7.
Cur perturbato Herode omnis Jerosolyma perturbatur? n. 8.
Cur omnis populus Barrabam petierit, & non Christum? n. 8.

E.

E*Xemplo Christi magnæ nobis curæ sit zelus animarum.* Consid. 33.
Cur Deus dixit: *Faciamus hominem?* & cur non *Fiat?* n. 1.
Simia pingens imaginem, typus Diaboli. n. 1.
Innocens ad mortem damnatus, quomodo liberandus, & cur? n. 2.
Vox sanguinis Abel quid sibi velit? n. 2.
Eliezer quàm expeditus in suis negotiis? n. 3.
Rahab cur tam citò funiculum coccineum fenestræ appendit? n. 3.
Achitophel majorem domûs suæ, quàm animæ curam habet. n. 4.
Item Absalon & Abimelech. n. 4.
Labor hominum aranæ similis. n. 4.
Esau parvi pendens primogenita, typus mundanorum. n 4.
Christus cur petierit potum à Samaritana? n. 5.
Cur bonus pastor dixerit: *Congratulamini mihi*, & non ovi? n. 5.
Cur Christus Præcursori, Eliæ & Jeremiæ comparatus? n. 6.
Figuræ plures de Amano, Zambri, divite Evangelico &c. n. 6.
Christus cur clamaverit: *Si quis sitit, veniat ad me?* n. 7.
Pretium Sanguinis Christi. n. 8.

F.

F*Ides vera à Christiano operibûs comprobanda.* Consid. 23.
Duæ Mulieres coram Salomone ligitantes, quid significent? n. 7.
Ficulnea à Christo maledicta. Cur? n. 2.
Cur Israëlitæ unâ manu ædificabant, & alterâ tenebant gladium? n. 2.
Cur columna nubis & ignis disparuit, ubi populus terram desiderabilem ingressus est? n. 3.
Cur dicitur, quòd Israël in manu Moysis & Aron egressus sit? n. 3.
Cur filio prodigo annulus in manum missus? n. 4.

Jehu cur manum à Jonadab periêrit? n. 5.
Cur carens veste nuptiali in tenebras amandatus? n. 5.
Quid sunt inaures & armillæ Rebeccæ? n. 6.
Simeon cur Christum in brachia sua acceperit? n. 6.
Paterfamilias cur solis operantibus mercedem dederit? n. 6.
Ossa arida Ezechielis quid portendant? n. 6.
Cur à Christo judice Christiani duriùs increpabuntur? n. 7.
Cur aurum ignitum emamus, & vestibus albis induamur? n. 7.

F.

F*Inis hominis, ad quem à Deo creatus est.* Considerat. 1.
Cur homo prudens oculos in capite suo habeat? n. 1.
Israëlitæ in captivitate Babylonica typus Christianorum. n. 2.
Cur Gallus Gallinaceus à sacrificio rejectus? n. 3.
Esther quomodo semper finem consideraverit? n. 4.
Deus quomodo solus finis noster ultimus? n. 4.
Ad finem ultimum obtinendum quænam requirantur? n. 5.
Cur Deus omnia opera sua recens creata laudaverit? n. 6.
Quomodo omnia elementa agant propter finem? n. 6.
Cur prima Christi concio de octo beatitudinibus? n. 7.
Pueri Clisæi plangentes jacturam securis, typus multorum Christianorum. n. 8.
Adhortatio pathetica, ut finem nostrum ultimum quæramus. n. 9.

G.

G*Ratia Dei quomodo unicè & anxiè à nobis quærenda?* Consid. 6.
Pastor ovem quærens, mulier drachmam, B. Virgo Filium duodenem typi sunt, qualiter à nobis gratia Dei quæri debeat. n. 1.
Quid sit gratia Divina tantoperè à nobis quærenda? n. 2.
Gratia Divina lux, aqua viva, columna nubis & ignis, scala Jacob, pulchra Abisag, Stola, Regina, vestis nuptialis, thesaurus &c. n. 2.
Cur Pater filio prodigo nunc pœnitenti annulum in digitum misit? n. 3.
Cur Elisæus farinam in ollam mortis projecit? n. 4.
Cur arbor fici à Christo maledicta? n. 5.
Gratiam Divinam perdere incomparabilis jactura. n. 6.
Tales fuerunt primi parentes, Esau, Israëlitæ, Herodes, Lysimachus, Judas Ischariothes, & peccatores omnes. n. 6.
Cur Samson abscissis capillis omne robur perdidit? n. 7.
Samuel cur frustra sortem Saulis Regis deplanxerit? n. 7.

Aulicorum ſtudium de gratia Principis aucupanda. n. 8.
Tales fuerunt Aman & alii &c. n. 8.
Naboth cur hæreditatem Patrum ſuorum vendere noluit? Tales & nos &c. n. 8.

G.

GRatitudo, *quam Deo debemus.* Conſideratio. 46.
Homo cur de limo terræ creatus? n. 1.
Samaritanus à Chriſto ſanatus, ſolus inventus gratus. n. 1.
Cur columba Noëmo grata, & non corvus? n. 2.
Cur holocauſta Noëmi tam grata & accepta Deo? n. 2.
Cur Jacobo Dominus viſus eſt innixus ſcalæ? n. 3.
Nathan Propheta quomodo Davidem errantem correxit? n. 3.
Canis Tobiæ cur de illo commemoret Scriptura? n. 4.
Animalia pleraque grata hominibus. n. 4.
Ager, arbor, vinea &c. ſuis ſunt grata cultoribus. n. 5.
Cur piſcis rejectus, & alia acceptata animalia? n. 6.
Cur Dæmones ſupplicârunt, quatenùs poſſent intrare porcos? n. 6.
Cur Chriſtus in ſua Paſſione ſolùm ad alapam conqueſtus eſt? n. 7.
Cur Chriſtus vinum porrectum felle mixtum noluit bibere? n. 8.
Cur Chriſtus in Cruce altâ voce clamaverit, & fleverit? n. 8.

H.

HUmilitas & *proprius contemptus valde nobis eſt neceſſarius.* Conſid. 49.
De gradibus ſcalæ Jacob, quorum primus eſt humilitas. n. 1.
Chriſtus verbo & opere docuit humilitatem. n. 1.
Statua Nacuchodonoſoris cur in pedibus luteis percuſſa? n. 2.
Duæ columnæ ſuper Samſonem corruentes, quid? n. 2.
Petrus cur Satanas à Chriſto vocatus? n. 3.
Cur S. Paulo ſtimulus carnis datus? n. 3.
Cur Chriſtus ad ſervum & non ad Regulum venire voluit? n. 4.
Deus cur humiles reſpiciat? quod patet in B. V. Eſther, Davide, Jacob Publicano &c. n. 4.
Cur Apoſtoli moverint iſtam quæſtionem: *Quis putas major eſt in Regno cœlorum?* n. 5.
Cur Chriſtus ſputô & lutô cæcum natum curare voluerit? n. 5.
Cur Syrophæniſſa à Chriſto exaudita & laudata? n. 6.
Humilitas per varias figuras dilucidata. n. 7.
Humilis & paupercula vidua cur plus dederit omnibus? n. 8.

Cur Christs energumenum curatum ad sui sequelam non admisit? n. 9.
Cur Christus primùm post solis occasum ægros curavit? n. 9.
Cur Christus in monte Thabor de Passione sua locutus? n. 9.

I.

Intentio recta semper operibus nostris est præfigenda. Consid. 44.
Aquila quomodo proles suas probet? typus Christi. n. 1.
Intentio bona quomodo Regula actionum humanarum? n. 1.
Christus cur suspiciens in cœlum ingemuerit? n. 1.
Cur Deus omnia opera sua laudaverit, & non hominem? n 2.
Cur cor Sponsi vulneratum per unum Sponsæ oculum? n. 2.
Sine luce omnia creata sunt cæca. Quid hoc? n 3.
Cur Christus præcepit, ut lucernas ardentes habeamus in manibus? n. 3.
Intentio nostra cur similis virgæ Mosaicæ? n. 4.
Cur caput Sponsi aurum optimum dicatur? n. 4.
Cur Naas Rex Galaaditis oculos dextros erui voluerit? n. 5.
Quomodo cum Abrahamo semper cum Deo ambulandum? n. 5.
Cur omne primogenitum Deo sacrificandum? n. 6.
Cur Petrus per totam noctem laborando nihil ceperit? n. 6.
Cur semper orandum, & nunquam deficiendum? n. 6.
Cur vidua propter duo minuta adeò à Christo laudata? n. 6.
Cur duo servi propter talenta applicata æqualiter laudati? n. 7.
Cur Czechias Rex pientissimus tam acerbè à Ceo castigatus? n. 8.
Cur Moyses pugnante Josue manus in cœlum levavit? n. 8.
Cur septuaginta Discipuli à Christo reprehensi? n. 9.
Cur Episcopus Laodicensis à Christo tantopere inculpatus? n. 9.

I.

Judicium particulare animæ post mortẽ cuilibet pertimescendum. Consid. 16.
Cur Discipuli in monte Thaboræo, visâ Christi gloriâ timebant? n. 3.
Cur Balaam ariolus in arcta via positus adeò sibi timuit? n. 1.
Cur Mundus à Thoma Moro carcer dicatur? n. 2.
Joseph, pincerna & pistor in carcere quid denotant? n. 2.
Rex Sinensium quomodo judicare soleat? n. 3.
Adam cur ob unicam noxiam adeò sibi formidavit? n. 4.
Item populus Israëliticus ad adventum Dei in monte Sinai. n. 4.
Item Esther ad conspectum Regis Assueri? n. 4.
David cur in senectute sua non potuerit calefieri? n. 5.
Tremor Danielis, Balthasaris, Ananiæ, Saphiræ &c. n. 5.

Qualis, & quàm exacta ratio Judici ſupremo reddenda? n. 5.
Judicium particulare nullus hominum poterit effugere. n. 6.
parabola de tritico & zizaniis explicatur. n. 6.
Cur Regnum cœlorum ſimile ſagenæ miſſæ in mare? n. 7.
Cur pauper ille ob defectum veſtis nuptialis reprobatus? n. 7.
Cur Jeruſalem in lucernis ſcrutanda dicitur? n. 8.
Judicium Pontii Pilati de Chriſto cum moralitate. n. 8.

I.

I *Nferni pœnæ quàm horrendæ, quia ſempiternæ.* Conſid. 17.
Cur olim mors pedes, & nunc eques? n. 1.
Cur infernus viſus ſit ſequi mortem? 1.
Cur tam ſalubre inferni pœnas meditari? n. 1.
Infernus quomodo locus omnium tormentorum? n. 2.
Quid pœna ſensûs, quam patiuntur damnati? n. 3.
Quomodo tres animæ cruciantur potentiæ? n. 4.
De pœna damni, quam patiuntur inferi. n. 5.
Cur in morte Chriſti omnia lugebant elementa? n. 5.
Figuræ de Abſalon, Cain, Saul, Mendico, Prodigo &c. n. 6.
Cur ipſe Dominus, & non Angelus, Oſtium in Arca Noë concluſit? n. 6.
Eſau vendens ſua primogenita, typus multorum Chriſtianorum. n. 7.
Adhortatio ſeria ad hominem Chriſtianum. n. 7.

L.

L *Apſus & relapſus in peccata priſtina ſummè cavendus.* Conſid. 22.
Cur Deus Ægyptum tot millionibus muſcarum caſtigavit? n. 1.
Cur Chriſtus Diſcipulos in Emaus ſecum euntes, adeò reprehenderit? n. 1
Quomodo relapſus Iſraëlitarum, typus ſit Chriſtianorum poſt Paſcha? n. 2.
Cur David propter levem relapſum tam acerbè à Deo punitus? n. 3.
Cur Paralyticus ſanatus, tam ſeriò à Chriſto admonitus? n. 4.
Cur ſervus nequam traditus tortoribus? n. 4.
Cur ementes & vendentes in templo ab ipſo Chriſto flagellati? n. 4.
Cur Semei ob levem cauſam juſſu Salomonis trucidatus? n. 4.
Cur Achab Rex in curru ſuo regali poſitus, tam miſerè occiſus? n. 4.
Cur Aaron & Moyſes in terram deſiderabilem non fuerint admiſſi? n. 5.
Cur impii dicantur, quòd in circuitu ambulent? n. 6.
Samſon in mola truſatili quid nobis portendit? n. 6.
Cur legio Dæmoniorum in porcos abire voluit? n. 6.

Cur Dagon idolum ab Arca Domini bis rejectus? n. 7.
Exemplum memorabile de fure recidivo in Hiſpania. n. 7.

M.

M*Endacium ſemper vitandum, & nunquam faciendum.* Conſid. 30.
Cur diabolus Pater mendacii, & Eva Mater illius? n. 1.
Quàm frequens hoc vitium, oſtendit David: *Omnis homo mendax*? n. 1.
Cur Chriſtus dixerit ad Pilatum: *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* n. 2.
Quare Jonas adeò contriſtatus, quòd die determinato Ninive non periêrit? n. 3.
Vera veritas quàm rara avis hoc tempore? n. 3.
Cur Nazaræi Chriſtum per montem volebant præcipitare? n. 4.
Cur Judæi Chriſto in Paſſione velabant faciem? n. 6.
Cur S. Petrus Ap. vel unicum mendacium non poterat tolerare? n. 6.
Cur Chriſtus vinum felle mixtum noluit bibere? n. 7.
Cur Chriſtus inter ægros primò leproſum ſanavit? n. 8.
Cur Giezi ſervus Eliſæi leprâ infectus? n. 8.
Quomodo Ezechias in corde perfecto coram Deo ambulârit? n. 8.

M.

M*Enſura certa peccatorum à Deo eſt definita.* Conſid. 7.
Menſura, cùm plena eſt, redundat. n. 1.
Viſio Jeremiæ de virga vigilante, & olla ſuccenſa. n. 2.
Dum ſcelerum menſura erat impleta, venit diluvium. n. 2.
Cur Deus, antequam everteret Sodomam, ipſemet voluit deſcendere? n. 3.
Cur Saul Rex non ampliùs ad preces Samuelis in gratiam fuit receptus? n. 4.
Cur Onan peſſimâ morte à Deo correptus? n. 4.
Cur caſtra Aſſyriorum uno momento ab Angelo everſa? n. 4.
Cur Achan, licèt pœnitens, nihilominùs lapidibus ôbrutus? n. 4.
Cur Regnum Davidis ſævâ peſtilentiâ caſtigatum? n. 4.
Cur ſervus nequam carceri & tortoribus traditus? n. 4.
Menſuram peccatorum multùm adimplent Eccleſiaſtici, ut patet in paſſione Chriſti, in Heli, Ophni & Phinees. n. 5.
Menſuram eandem adimplent Magiſtratus ſæculares, ut patet in Sedecia Rege ſubditis. n.
Hanc peccatorum menſuram, quàm maximè implent ſæculares. n. 7.
Figuræ plures de hac veritate agglomerantur. n. 7.
Cur templum Solimæum deſtructum & civitas vaſtata? n. 8.

M. *Miſe-*

INDEX

M.

M*Iſericordiam inter & juſtitiam ambulandum.* Conſid. 5.
Aquila quomodo proles ſuas probet, & reprobet? n. 1.
Cur Chriſtus poſitus in ruinam & reſurrectionem multorum? n. 1.
Cur Cherubinus duplicem faciem Ezechieli exhibuerit? n. 2.
Cur duæ manus in throno tenebant Salomonem? n. 3.
Cur mola ſuperior & inferior non poterat oppignorari? n. 4.
Cur pedes Sponſi columnis marmoreis aſſimilati? n. 4.
Cur Samaritanus oleum & vinum in vulnera Jerichuntini infudit? n. 5.
Cur Deus apparuit in habitu Jaſpideo & Sardinio? n. 5.
Cur Joſeph in carcere inter pincernam & piſtorem medius? n. 6.
Cur leo & agnus in perſona Chriſti ſimul commorantur? n. 6.
Cur Chriſtus in monte Thabor medius inter Moyſen & Eliam? n. 7.
Cur Chriſtus à D Paulo petræ comparetur? n. 7.
Cur Chriſtus adulteram non condemnavit? n. 8.
Cur duo Cherubini in Arca ſe invicem aſpiciebant? n. 8.
Cur Manna & virga in eadem Arca aſſervabantur? n. 8.
Cur columna nubis & ignis populo præceſſit? n. 8.
Cur David, S. Petrus Ap. Magdalena &c. ferè ſemper flebant? n. 9.

M.

M*iſſæ Sacrificium quantùm nobis ſalutiferum?* Conſid. 38.
Cur olim agnus immaculatus manè & veſperè Deo oblatus? n. 1.
Sacrificium Miſſæ quomodo latreuticum, propitiatorium, Evchariſticum, & impetratorium. n. 1.
Cur ſacrificium Abel Deo tam gratum fuit. n. 2.
Cur ſacrificium Noëmi poſt diluvium Deo tam acceptabile? n. 2.
Cur ſacrificium Davidis Deum placavit, & peſtem ſuſtulit? n. 2.
Cur oſtia domorum ab Hebræis ſanguine agni illinita? n. 3.
Cur Mulier Chananæa tam benignè à Chriſto exaudita? n. 4.
Cur Joſeph inter triticum pecunias immiſcuit? n. 4.
Cur Chriſtus in ultimo Crucis teſtamemto nulli corpus ſuum recommendavit? n. 5.
Cur ad corpus dicantur congregari aquilæ? n. 6.
Herodes ſpernens Chriſtum in veſte alba, typus mali Chriſtiani. n. 6.
Zizania tritico immixta quid ſibi velint? n. 6.
Thronum Salomonis cur cingebant Leones? n. 6.
Cur mons, in quem Deus deſcendit, adeò honoratus? n. 7.

Cur Bethſamitæ olim tam acerbè à Deo puniti? n. 7.
Cur viri illi, qui tergum altari vertebant, à Deo reprobati? n. 8.
Cur Abraham à ſacrificio ſuo baculô abigebat volucres? n. 9.
Cur idem ſervos cum aſino ad radices montis ſtare juſſit? n. 9.

M.

M*Ortis memoria ſemper ante oculos mentis habenda.* Conſid. 48.
Mortem ſeriò cogitanti vileſcunt omnia. n. 1.
Cæco nato cur Chriſtus lutô & ſalivâ viſum reſtituit? n. 1.
David quomodo cinerem cum pane manducabat? n. 2.
Cur Joſeph voluit, ut oſſa ſua fratres aliò aſportarent? n. 2.
Cur Moyſes oſſa prædicti Joſephi ante ſe in feretro portari mandavit? n. 2.
Cur mors pingatur oſſea, ſine carne, ſine oculis? n. 3.
David orat: *Conſtitue Domine, Legislatorem ſuper eos.* Quis hic? n. 3.
Quid Leo denotat, quem Samſon in via interfecit? n. 3.
Quomodo Deus Joſue memoriam mortis inſinuavit? n. 4.
Cur Moyſes mortuus in valle Phogor ſepultus eſt? n. 4.
Cur ad cadaver Amaſæ omnis populus ſubſtitit? n. 5.
Cur Rex Ninive & omnis populus ad unicam concionem converſi? n. 6.
Figuræ de Antiocho, Herode, Jezabel &c. n. 6.
Adam quomodo à primordio vitæ ſuæ mortuus? n. 7.
Cum Ezechia recogitandi ſunt omnes anni noſtri. n. 7.
Chriſtus ipſe cur ſemper memor mortis ſuæ in convivio, monte Thaborœo &c. n. 8.
Chriſtus cur illis à ſe reſuſcitatis à morte ad vitam, nullam dedit admonitionem? n. 9.

M.

M*Orspeccatorum quomodo, & qualiter peſſima?* Conſid. 15.
Cur Diabolus inſidiatur calcaneo hominis? n. 1.
Urias litteras mortis ſecum in ſinu ſuo portans, typus noſter. n. 2.
Lex Perſarum, & Lex mortis immutari non poſſunt. n. 2.
Figuræ plures de Salomone, Abſalone, Samſone, Achitophele, Ammano, Alexandro M. Agag. Epulone, Baalamo &c. n. 2.
Goliath cur in morte ſua non retrorſum, ſed in faciem cecidit? n. 3.
Saul agonizans, typus peccatorum malè morientium. n. 4.
Aaron ante mortem omnibus veſtibus ſpoliatus, quid denotaverit? n. 5.
Strages tribûs Benjamin quid nobis inſinuaverit. n. 6.
Ezechias Rex bene ad mortem ſe diſponens nobis ſit exemplo. n. 6.

N.

NUmerus *salvandorum quare tam exiguus.* Consid. 18.
Quàm pauci sunt, qui intrare volunt per angustam portam. n. 1.
Incipere multorum, sed perseverare paucorum. n. 1.
Figuræ de Arca Noëmica, Pentapoli, Caleb & Josue, Hiericho &c. n. 2.
Item de Absalone rebellante, Daniele, Tobia & aliis. n. 3.
Cur Christus ad mare transeundum naviculâ, & non grandi navi usus. n. 4.
An plures inter Catholicos salventur, vel damnentur. n. 5.
An plures inter Sacerdotes, Magistratus sæculares, laicos. n. 6.
Quomodo DEUS omnes velit salvos fieri. n. 7.
Concionator Italus quomodo hanc tractaverit, ac proposuerit veritatem de paucitate salvandorum. n. 7.

O.

OCcasio peccandi *quare semper timenda, & fugienda.* Consid. 24.
Figura de uxore Lothi, & Israëlitis ad carnis ollas anhelantibus. n. 1.
Homo sit prudens, sicut serpens; quare hoc ?n. 1.
Quare oculus dexter eruendus, & manus dextra abscindenda. n. 1.
Columba seducta, & aberrans, quoniam fugiat. n. 1.
Samson talis ac tantus quomodo dementatus, ac deceptus. n. 2.
Figuræ de Loth, Moyse, Josepho, Apostolis &c. n. 2.
Dina Jacobi filia cur tam miserè decepta & fœdata. n. 3.
Cur Moyses voluit, ut nec ungula pecoris in Ægypto remaneret. n. 3.
Quare Moyses vitulum aureum in pulverem redactum in aquas misit. n. 3.
Cur Ismaël unà cum Matre sua Agar rejectus & expulsus. n. 4.
Cur Israëlitis tempore Paschæ panis fermentatus prohibitus. n. 4.
Samuel cur præcepit, ut Israëlitæ pretiosa idola abjicerent. n. 4.
Jacob quare sub Terebintho idola aurea infodit. n. 4.
Quare Christus adolescenti non permisit, ut patrem sepeliret. n. 5.
Quæ causa lapsûs Petri Apostolorum Principis. n. 6.
Quare Apostoli mirati sunt, quòd Christus solùs cum Samaritana sit locutus. n. 7.
Jacob cur potius in campo, quàm in urbe Luza pernoctare voluit. n. 7.

O.

ORatio DEO *grata & summè nobis necessaria.* Consid. 28.
Cur Dies Rogationum ab Ecclesia fuerunt instituti. n. 1.

Figuræ hac de re, de Josue, Bethulienſibus, Machabæis &c. n. 1.
Cur filii Jacob adeò coram Josepho fratre ſuo ſe humiliârunt. n. 2.
Josaphat quomodo in publica neceſſitate ad orationem confugerit. n. 2.
Ezechias per orationem obſidionem Hieroſolymæ ſolvit. n. 3.
Samuel ſine ferro & armis Philiſtæos ſuperat. n. 3.
David tempore peſtis oratione Deum iratum placat. n. 4.
Oratio eſt ligamen, ſcala cœli clypeus, catena thymiama &c. n. 4.
Cur olim inter cœli cives per mediam horam ſilentium factum eſt? n. 5.
Cur Angeli à Jacobo viſi ſunt aſcendentes & deſcendentes per ſcalam? n. 5.
Angeli non arcent ſupplices orationes noſtras, ſed magis adjuvant. n. 5.
David Rex cur Iſraëlitas ſuos artem ſagittandi docuerit? n. 6.
Judith per orationem Bethuliam liberat, & Holofernem necat. n. 6.
Cratio lacrymis mixta Ezechiæ vitam impetrat. n. 7.
Loth per orationem urbem Segor conſervat. n. 8.
Eſther Regina univerſum populum Hebræorum. n. 8.
Elias per orationem cœlum claudit, & aperit. n. 8.
Josue oratione ſua ſolem in medio curſu ſiſtit. n. 8.
Cur Enoch tam citò raptus fuit in cœlum? n. 8.
Chriſtus in cruce pendens oratione mundum collobantem conſervat. n. 9.
Jonas per orationem de ventre piſcis & profundo maris liberatur. n. 9.
Tres pueri Babylonici de fornace ignis ardentis. n. 9.
Suſanna de lapidatione & ignominioſa morte. n. 9.
Eliſæus per orationem hoſtilem exercitum cæcitate percutit. n. 9.
Mulier Chananæa filiæ ſuæ ſanitatem. n 9.
Latro bonus per orationem paradiſum rapit, n. 9.

P.

P*Eccatum mortale conſideratum in ſuis effectibus.* Conſid. 8.
Peccator ſimilis Samſoni, Viatori Jerichuntino, palmiti abſciſſæ, membro mortuo & paralytico. n. 1.
Peccatum mortale baſiliſcus, ignis currens, grando, draco &c. n. 1.
Adonibezec tyrannus typus Diaboli & peccati. n. 2.
Peccatum mortale cur in æternum puniatur? n. 2.
Strages Angelorum ob unicum peccatum mortale. n. 3.
Cherubinus cur flammeo gladio protoparentes noſtros è paradiſi horto ejecit? n. 4.
Figuræ plures de gravitate & effectu peccati mortalis. n. 4.
Nabuzardan cur templum Domini ſuccenderit? n. 5.

Ficulnea à Christo maledicta, typus animæ peccatricis. n. 5.
Peccatum mortale quomodo evacuet a Christo? n. 6.
Peccatum lethale quomodo separet à summo bono? n. 7.
Super mortuum & super fatuum plora. Cur hoc? n. 7.
Peccator similis Philistæis Samsoni illudentibus. n. 7.
Cur universa natura perturbata in morte Christi? n. 8.
Cur Loth videbatur Sodomitis ludens loqui? n 8.
Eleazarus præmitti potiùs voluit in infernum, quàm peccare. n. 8.

P.

PEccatum veniale in se, suisque effectibus consideratur. Consid. 9.
Peccatum veniale hominem in majora præcipitat pericula. n. 1.
Minima non minimè nocent. Exempla & figuræ plurimæ. n. 2.
Spernens modica paulatim decidet. n. 2.
Maria Soror Moysis quare leprâ punita? n. 3.
Uxor Lothi cur in statuam salis conversa? n. 3.
Cur Moyses & Aaron ab ingressu Palæstinæ prohibiti? n 3.
Cur David trium dierum pestilentiâ correptus? n. 3.
Cur Ezechias ob ostensos thesauros suos adeò castigatus? n. 3.
Cur vir pauper ob portata ligna in Sabbetho, lapidibus obrutus? n. 4.
Cur Nadab & Abiu igne cœlesti consumpti? n. 4.
Cur Oza Arcam suffulciens subitaneâ nece punitus? n. 4.
Cur Bethsamitæ tantopere ob visam arcam reprehensi? n. 4.
Cur Propheta Anonymus à Leone interfectus? n. 4.
Cur Zacharias Pater Sancti Joannis Baptistæ usu linguæ privatus? n. 4.
Absalon quomodo per proprios capillos sibi adscivit interitum? n. 5.
Peccatum veniale, lepra, ulcus, scabies, carcinoma &c. n. 5.
Peccato veniali coinquinatus non intrabit in cœlum. n 6.
Cur Petrus propter lotionem pedum recusatam, adeò increpatus? n. 6.
Peccati venialis pœna sensûs & damni, & quid hoc? n. 6.
David cur adeò doluit ob oram clamydis in Saule præsciissam. n. 7.
Cur Pincerna & pistor unâ die in carcerem rejecti? n. 7.
S. Cassianus M. puerorum minutissimis graphiorum ictibus confossus. n. 7.

P.

PErseverantia in bono sola à Deo coronatur. Consid. 56.
Joab fortiter perseverans Rabba civitatem expugnat. n. 1.

Sponſa perſeverans dilectum invenit, Paſtor ovem, Mulier drachmam, Hæmorrhoiſſa ſanitatem. n. 1.
Cur Deus Jacob in ſummitate ſcalæ apparuit? n. 2.
Saul non perſeverans in bene cœptis, miſerè perîit? n. 2.
Item Salomon, Judas Apoſtolus, Tertullianus, Origenes. n. 2.
Uxor Lothi cur reſpiciens in ſtatuam ſalis converſa eſt? n. 3.
Cur gladius Davidis, & non lapis cum funda aſſervatus? n. 4.
Perſeverantia conſervavit, & coronavit Joſephum. n. 4.
Item Nehemiam, Tobiam, Eleazarum, Machabæos &c. n. 4.
Petrus Ap. cur in monte Taboræo correctus? n. 5.
Cur quinque Virgines fatuæ à nuptiis cœleſtibus rejectæ? n. 5.
Cur Centurio in monte Calvario ad Deum & fidem converſus? n. 6.
Cur Chriſtus ad poſtulationem Judæorum non de Cruce deſcendit? n. 6.
Cur Chriſtus ſolos illos pane refecit, qui triduô eum ſuſtinebant? n. 6.
Denarius non incipientibus, ſed perſeverantibus datus. n. 6.
Cur ſtatua Nabuchodonoſoris per unum lapillum dejecta? n. 7.
Cur vaccæ, quæ trahebant Arcam à Chriſtianis imitandæ. n. 7.

P.

P*Olitia falſa hujus mundi quàm deteſtanda.* Conſid. 40.
Cur cygnus à Sacrificio & ab eſu olim rejectus? n. 1.
Pſeudopoliticus ſimilis vertumno, ſcorpioni, aſpidi, baſiliſco, upupæ, Chamæleonti, Tarantulæ, aleæ, ſepulchro dealbato &c. n. 1.
Cur olim veſtis ex lana, linoque contexta, prohibita? n. 2.
Quàm pauci nunc Jobum imitantur, qui erat vir ſimplex & rectus. n. 2.
Conviva ſine veſte nuptiali cur amicus, & reprobus? n. 2.
Cur ille Legis peritus rejectus, qui ad Chriſtum dixit? *Sequar te*? n. 3.
Cur quinque Virgines fatuæ non ad cœlum admiſſæ? n. 4.
Cur uxor Jeroboam ab Ahia Propheta tantopere reprehenſa? n. 5.
Moralitas de Machiavellicis & falſis amicis. n. 5.
Cur ficulnea virentibus foliis turgida à Chriſto maledicta? n. 6.
Cur Chriſtus laudem & teſtimonium à Dæmone non accepit? n. 7.
Abſalon pſeudopoliticorum Princeps & quomodo? n. 8.
Pſeudopolitici ſimiles ſunt Cuthæis, veſpertillionibus, Caino, Joabo, Herodi, Judæ Iſcariothi, Pilato, Judæis &c. n. 8.
Pſeudopolitici, ut octo, à Deo maledicti. n. 8.
Cur Chriſtus poſt mortem ſuam cor ſuum lanceâ voluit adaperiri? n. 8.

P.

PRæparatio debita ad SS. Communionem dignè sumendam. Consid. 20.
Cur olim in Ecclesia à Diacono ante communionem proclamatum; *Sancta Sanctè*? n. 1.
Cur Moyses calceamenta debuit exuere, antequam ad rubum accederet? n. 1.
Cur Christo Hierosolymam introëunti vestimenta substrata? n. 1.
Canis ex tribus conficitur, ex farina, aqua & igne. Et quid hoc? n. 2.
Cur Eliaa priùs à vidua aquam, & deinde panem postulaverit? n. 2.
Cur Christus ad parandam cœnam Petrum & Joannem præmisit? n. 2.
Cur Joseph voluit, ùt fratres priùs se lavarent, antequam comederent? n. 3.
Cur in nuptiis Cananæis sex hydriæ fuerunt appositæ? n. 3.
Cur Christus voluit, ut simus prudentes, sicut serpentes? n. 3.
Cur Dagon juxta Arcam non fuit toleratus? n. 3.
Cur pincerna à Pharaone in gratiam restitutus, & pistor rejectus? n. 4.
Cur SS. Sacramentum Evchariſtiæ in monte Sion à Christo institutum? n. 5.
Cur cum Principe comedens cultrum in gutture statuat? n. 5.
Cur Isaiæ Prophetæ calculô ignitô labia fuerunt aperta? n. 6.
Cur Joseph à carcere eductus, pretiosis vestimentis indutus est? n. 6.
Quare crines Absaloni facti fuerunt laquei? n. 6.
Cur filio prodigo revertenti ad frugem stola prima data? n. 7.
Cur asina, in qua Christus sedebat, vestimentis adornata? n. 7.
Martha cur conquesta contra sororem suam Magdalenam? n. 7.

R.

REditus animæ peccatricis ad pœnitentiam. Consid. 19.
Cur olim pax priùs oblata urbi oppugnandæ? n. 1.
Cur Christus de navicula turbas docere voluit? n. 1.
Ossa arida Ezechieli Prophetæ ostensa, quid significant? n. 2.
Scala Jacob quomodo pœnitentiæ typus? n. 3.
Virga Mosaica in colubrum versa, quid denotat. n. 3.
Funda & lapis, quo Goliath prostratus est, quid sibi volunt. n. 3.
Cetus, qui evomuit Jonam in aridam, quid significat? n. 3.
Quare volumen in ore Ezechielis in mel versum est. n. 3.
Cur olim Sacerdotes sacrificium offerentes, ex labro æneo se lavabant. n. 4.
Fons Zachariæ patens domui David, typus pœnitentiæ. n. 4.
Item piscina probatica in Jerusalem. n. 4.
Monota in ore piscis à S. Petro inventa: quid portendit. n. 4.
Naaman Syrus cur in Jordanis flumine se lavare debuit. n. 4.

Cur Mulieri captæ in bello cæsaries abscindi debuit. n. 5.
Cur Mulier vim passa, & non clamans lapidibus obruta. n. 5.
Cur lupus ovem deprehensam in gutture stringit. n. 5.
Cur Christus in horto suum proditorem proprio Nomine allocutus. n. 6.
Cur Pater Filium suum prodigum nunc revertentem, osculatus est. n. 6.
Confessio latronis in Cruce ei cœlum aperuit. n. 6.
Ananias & Zaphyra cur subitaneâ morte castigati. n. 6.
Noe columbam vagabundam in arca intromittentem, typus Confessarii. n. 7.
Item pastor bonus, & Samaritanus. n. 7.
Cur Christus jubet: *Tu cùm jejunas, unge caput tuum &c.* n. 7.
Cur Christus peccata Pharisæorum in pulvere scripsit? n. 7.

R.

R *Emissio injuriarum Deo gratissima.* Consid. 54.
Joab cantans buccinâ, & retinens populum à persecutione, quid? n. 1.
Cur ad sonitum citharæ Davidicæ Spiritus malignus à Saule recessit? n. 2.
Cur Deus voluit, ut sibi altare ex lapidibus insectis ædificaretur. n. 3.
Cur olim judicia forensia non in urbe, sed in porta urbis instituta. n. 3.
Cur Joseph Ægyptiorum Pro-Rex filium suum primogenitum Manassem vocavit? n. 3.
Cur David in S. Scriptura vir secundùm cor Dei appelletur. n. 4.
Cur Elias in deserto primùm à corvis, & dein ab Angelo pane refectus est? n. 5.
Job cur non Chaldæos, aut Sabæos, aut Dæmonem incusavit? n. 5.
Quomodo Moyses & Aaron contra sese persequentes agebant? n. 5.
Cur Christus non voluit, ut ignis de cœlo in Samaritanos descenderet? n. 6.
Cur Christus pro peccatoribus primò in Cruce oravit? n. 6.
Cur Samson ante mortem de inimicis suis ulcisci se voluit. n. 7.
Cur servus nequam vocatus, qui conservo suo non ignovit. n. 7.
Cur Christus captivus Judam amicum vocavit. n. 7.
Cur Moyses virgam suam in colubrum mutatam de novo apprehendit. n. 7.

R.

R *Esurrectio Domini, & nostra spiritualis.* Consid. 21.
Sol oriens & occidens allegoricè est Christus. n. 1.
Virga Aaronica arefacta & refloresceus, typus Christi resurgentis. n. 1.
Granum frumenti in terram cadens, & resurgens, figura Christi. n. 1.
Quomodo Dominus regnavit, & decorem indutus est. n. 1.

Quo-

Quomodo templum Dei destructum, & post triduum reædificatum? n. 1.
Phœnix quomodo symbolum mortis & resurrectionis Christi? n. 2.
Jonas post triduum e ceto ejectus, insignis typus Christi. n. 2.
Item Joseph humiliatus, & exaltatus. n. 2.
Cur paschale festum? Figuræ plures. n. 3.
Samson circumsessus in Gaza, & resurgens media nocte, typus Christi. n. 4.
Noë pulcherrimus Christi patientis, & resurgentis typus. n. 5.
Petrus Ap. cur Sathanas à Christo appellatus? n. 6.
Cur Jesus Crucifixus juxta monitum Angeli quærendus? n. 7.
Mardochæus & David humiliati, & exaltati, typus Christi. n. 7.
Item Jacob cum baculo, Daniel, & Elisæus &c. n. 7.

R.

R*Everentia, quam debemus, SS. Eucharistiæ.* Consid. 35.
Vasthi Regina cur ab Assuero repudiata? n. 1.
Plures ad cœnam magnam invitati cur dederunt repulsam? n. 1.
Cur Christus Deus & homo in SS. Evchariſtia summè amandus, & venerandus? n. 2.
Cur Oza subitanea morte propter attactum arcæ punitus? n. 2.
Cur Arca per septem dies in expugaatione Jericho circumducta? n. 3.
Cur Dominus in candida nebula Salomoni apparuit? n. 3.
Christus Evchariſticus quomodo per columnam nubis & ignis adumbratus? n. 4.
Cur Azotii à Deo tam gravi plagâ fuerunt castîgati? n. 5.
Balthasari Regi cur Divina manus in pariete scripsit Mane, Thecel, Phares? n. 5.
Ophini & Phinees filii Heli cur tam acerbè à Deo correcti? n. 5.
Panis subcinericius in castra Madian descendens, quid portendit? n. 6.
Thronus, de quo procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, quid? n. 6.
Panes propositionis cur duplicem præseferebant faciem? n. 6.
Cur domus Obededom tantopere à Deo benedicta? n 7.
Figuræ de Petro, Adamo, & Muliere sanguinis fluxum patiente. n. 7.
Bovrus, quem in vecte portaverunt duo viri, quid præsignavit? n. 8.
Cur non alia natio tam grandis, quàm Christianorum? n. 9.
Agnus à viginti quatuor senioribus adoratus, quid? & cur? n. 9.

S.

S*Ocietas malorum hominum cautè vitanda.* Consid. 45.
Variæ experientiæ de vitanda malorum Societate. n. 1.

De Rege Sedecia capto propè Jericho, & Viatore Jerichuntino, n. 1.
Cur Abraham prohibuit, ne filio de Chananæis daretur uxor? n. 2.
Cur Sara voluit, ut Agar simul cum filio Ismaël ejiceretur? n. 2.
Cur Jacob consortium fratris sui Esau recusavit? n 3.
Cur vaccæ macilentæ apud Pharaonem pinguiores devorârunt. n. 3.
Cur olim prohibuit Deus: *Non arabis in bove simul & asino*? n. 4.
Cur voluit Christus, ut Discipuli sui pulverem de pedibus excuterent. n. 4.
Cur Petrus Ap. tam miserè lapsus est? n. 5.
Cur Christus cæcos & mutos sanandos seorsim duxit? n. 5.
Cur Christus non permisit adolescenti, ut patrem sepeliret? n. 6.
Variæ similitudines de fugienda societate malorum. n. 6.
Quare Christus in patria sua nullam poterat facere virtutem? n. 7.
Quare Elias furorem Jezabelis ad ò f rmidavit? n. 7.
Cur Enoch ab hoc sæculo translatus in paradisum? n. 8.
Cur Joseph & Nehemias adeò vitârunt familiaritatem mulierum? n. 8.
Cur prodigus amandatus ad pascendos Porcos? n. 8.
Cur Tobias senior & junior tam solliciti in inquirendo bono socio? n. 8.

S.

S*Pera in Deum, & time Deum.* Consid. 52.
Spes omni homini Christiano ad salutem necessaria. n. 1.
Spes est stella polaris, baculus, galea salutis, lucerna fulgida, thesaurus absconditus, Saphirus &c. n. 1.
Cur Regnum cœlorum simile factum homini Regi? n. 1.
Cur David adolescens tam generosè contra Goliathum pugnavit? n. 2.
Cur Jacob omnis labor levis & dulcis videbatur? n. 2.
Cur animalia nascatur cum armis, & homo solus inermis? n. 3.
Cur Judith sine armis ad castra Assyriorum transfugit? n. 3.
Cur mulier Sanguinis fluxum patiens, retrò Christum accessit? 4.
Cur Dominus præcedebat in columna nubis & ignis? n. 5.
Cur Deus duos turtures à matribus sibi voluit offerri? n. 6.
Cur Christus visus S Joanni cum 7. stellis & gladio? n. 6.
Cur Christus priùs paralytico peccata remisit? n. 7.
Cur Hebræi cum baculo agnum Paschalem manducabant? n. 8.
Abraham quàm benè spem & timorem conjunxit? n. 9.
Item S Simeon, qui Christum infantem portare meruit? n. 9.
Latro cur ad Christum Crucifixum dixit: *Domine, memento mei*? n. 9.
Cur vir sapiens ædificat supra petram, & stultus super arenam? n. 10.

INDEX

S.

Spiritus Sanctus cur apparuerit in figura ignis? Conſid. 31.
Lex antiqua cur in monte Sinai promulgata? n. 1.
Spiritus S. cur in monte Sion in forma ignis apparuit? n. 1.
Samſon, cur amiſſis ſeptem capitis ſui capillis, omnem fortitudinem perdidit? n. 1.
Gedeon cur in bello militibus tubam, lagenam, & lampadem dedit? n. 2.
Ignis ſacer occultatus quomodo de novo ex aqua craſſa accenſus? n. 3.
Cur ignis de cœlo ſuper ſacrificium Salomonis deſcendit? n. 3.
Ignis ſcœleſtis deſcendens ſuper holocauſtum Eliæ, cujus typus? n. 4.
Cur calculo ignito labia Iſaiæ Prophetæ fuerunt aperta? n. 5.
Ignis perpetuus in altari ſemper ardens, quid? n. 6.
Conſtantinopolis quomodo per ſpecula combuſtoria conſervata? n. 6.
Cur à facie Dei fluvius igneus, rapidúsque egreſſus? n. 7.
Alia figura de thuribulo aureo & igne de altari ſumpto? n. 7.
Ignis de petra aſcendens, typus Spiritus Sancti? n. 8.
Nubes candida in monte Thabor apparens, quid denotavit? n. 8.
Unde tanta fortitudo Samſonis? n. 9.
Oſſa arida Ezechielis quomodo incipiebant vivere? n. 9.

T.

Tentationibus quomodo debeamus reſiſtere? Conſid. 23.
Populus Iſraëliticus poſt tranſitum maris rubri de novo tentatur. Cur? n. 1.
Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. Cur? n. 1.
Joſeph fratres ſuos animans, typus Chriſti. n. 1.
Laquei tentationum ubique nobis parantur. n. 2.
Eliſæus tentatus animat ad fortiter reſiſtendum. n. 2.
Quomodo Deus Sanctos ſuos tentavit ad bonum? n. 3.
Quomodo Diabolus, tanquam Leo rugiens, tentet homines? n. 3.
Exempla de leone ſuos patronos devorante. n. 4.
Cur David ad expellendum Dœmonem à Saule, citharam pulſavit? n. 5.
Jahel cur clavo ferreo uſa ad ſuperandum Siſarem? n. 5.
Samſon quomodo catulum leonis devicit, ac dilaceravit? n. 5.
Cur ſerpens æneus à Moyſe Iſraëlitis tentatis propoſitus? n. 5.
David cur quinque lapides ad expugnandum Goliath elegit? n. 5.
Aman cur inimicus noſter & peſſimus? n. 6.
Joſue cur quinque Reges captos ſine mora in cruce ſuſpendit? n. 6.

Cur

Cur elephantis ante pugnam Sanguis uvæ ostenditur? n. 6.
Pomum ab Eva Adamo porrectum, expenditur. n. 7.
Joseph tentatus docet nos, quomodo & quonam fugiendum. n. 7.
Dalila Samsoni abblandiens, typus carnis nostræ. n. 7.
Cur duo Latrones cum Christo Cruci affixi? n. 7.
Cur S. Paulus Ap. ab Angelo Satanæ & carne tentatus? n. 8.
Quomodo Isaac tentavit, & probavit filium Jacob? n. 9.
Sic Deus probavit Tobiam, S. Petrum Ap. &c. n. 9.
Cur Deus dicatur, quòd ventilabrum in manu sua habeat? n. 9.

T.

T*Epiditas & somnolentia quomodo excutienda?* Consid. 10.
Cur noluit Deus, ut homo primus vitam desidem ageret? n. 1.
Similitudines plures de vita tepida conglomerantur. n. 1.
Cur Philistæi cavebant, ne Hebræi gladium facerent? n. 2.
Cur Joseph patrem & fratres suos non in aula retinuit? n. 3.
Quæ causa lapsûs Davidis, Samsonis, Salomonis? n. 4.
Cur Pentapolis ab igne cœlesti consumpta? n. 5.
Cur Ninive à Chaldæis capta, succensa & eversa? n. 5.
Figuræ de Holoferne, Sisara, Isboseth, Tobia &c. n. 5.
Christus quomodo hominem, manum aridam habentem, curavit. n. 6.
Cur servus inutilis in tenebras exteriores ejectus? n. 6.
Cur Petrus à Christo præ aliis Discipulis in monte Oliveti increpatus? n. 6.
Cur Apostoli in Ascensione Domini cœlum intuentes, ab Angelis correcti? n. 7.
Cur Evnuchus nec momento quievit, donec baptismum susciperet? n. 7.
Cur Magdalena vocata sine mora ad Christum perrexit? n. 8.
Segnum Siciliæ quomodo per desidiam nuntii perierit? n. 8.
Adhortatio ad Christianos, ut tepiditatem excutiant. n. 8.

T.

T*Empus salutis benè & rectè impendendum.* Consid. 1.
Cur Siracides dixit: Fili, conserva tempus, & devita à malo? n. 1.
Fur S. Joannes Præcursor voluit, ut vitam Domini dirigamus? n. 1.
Fur Deus in veteri Lege populo suo tot leges & ceremonias præscripserit? n. 1.

Cur populus Hebræus vitulum aureum ſibi conflavit adorandum? n. 3.
Duæ mulieres coram judicio Salomonis litigantes, quid denotant? n. 4.
Quomodo quotidie magìs, magísque, ſicut aqua, in mare mortuum decurrimus? n. 5.
Cur Chriſtus, videns Hieroſolymam, amarè fleverit? n. 5.
Hodie vox Domini, dum pulſat ad oſtium, audienda. n. 5.
Pharao cur in mediis maris fluctibus cum exercitu periit? n. 6.
Balthaſar Rex cur in convivio æternùm reprobatus? n. 6.
Jezabel Regina cur tam miſerandum in modum extincta eſt? n. 6.
Jeremias cur viderit virgam vigilantem & dein ollam ſuccenſam? n. 7.
Jacob quomodo proviserit domui ſuæ? n. 8.

T.

T*Imor Dei ad ſalutem obtinendam neceſſarius.* Conſid. 51.
Ubi, & in quo vera ſapientia in orbe eſt invenienda? n. 1.
Timor Domini eſt fons vitæ, radix, frænum, calcar, baſis &c. n. 1.
Cur olim prohibitum: *Non accipies locò pignoris inferiorem & ſuperiorem molam?* n. 2.
Cur Joſue & Caleb ſoli ad terram promiſſionis admiſſi? n. 2.
Joſeph quomodo in Ægypto inter tot tentationes ſervatus? n. 3.
Suſanna cur mori magìs voluit, quàm peccare? n. 3.
Unde tanta conſtantia Jobi inter tot adverſitates? n. 4.
Cur pueri Babylonici in fornace ignis ardentis illæſi? n. 4.
Cur Jonas in tanta maris tempeſtate fuit ſervatus incolumis? n. 5.
Timor Domini in Tobi aſeniore & juniore, in Eleazaro &c. n. 5.
Cur Deus Cherubinum cum flammeo gladio ante paradiſum collocavit? n. 6.
Cur poſt diluvium arcum in nubibus cæli? n. 6.
Quare Chriſtus Diſcipulus corripuit, quòd etiam Dæmonia ipſis ſubjiciantur? n. 6.
Cur Chriſtus permiſit tam miſerabilem Petri lapſum? n. 7.
Cur omnes Apoſtoli metu perculſi, quando Chriſtus de proditore ſuo locutus? n. 8.
Cur gladius ex utraque parte acutus de ore Chriſti promanavit? n. 8.
Cur latro dexter ſalvatus, & ſiniſter reprobatus? n. 8.

T.

T*Olerantia & conſtans patientia ad coronam neceſſaria.* Conſid. 39.
Cur Job nos mittat ad jumenta, ut ab illis inſtruamur? n. 1.

Ovis typus Chriſti, & patientiæ ſymbolum. n. 1.
Cur Chriſtus turbam per triduum fame permiſit vexari? n. 1.
Cur Deus olim inter horridas ſpinas apparuit? n. 2.
Cur Moyſes in deſerto calceamenta debuit deponere? n. 2.
Cur gladius igneus & verſatilis ad cuſtodiam paradiſi poſitus? n. 3.
Cur ipſe Dominus ſcalam Jacob in ſummitate tentare voluit? n. 3.
Cur priùs Jacob Lia, & exinde pulchra Rachel data? n. 4.
Samſon priùs cum Leone certavit, & dein favum mellis guſtavit. n. 4.
Cur Chriſtus primùm poſt Reſurrectionem ſuam mellis favum ſumpſit? n. 4.
Gedeon probans ſuos milites in ſiti, typus Chriſti inſignis. n. 5.
Cur David non permiſit, ut Semei ab Abiſai caput amputaretur? n. 6.
Cur Salomon voluit, ut Leones ſtiparent thronum ſuum? n. 7.
Cur Chriſtus ad preces Judæorum non deſcendit de Cruce? n. 7.
Cur Eſther virgam auream, ſuper collum poſitam, oſculata eſt? n. 7.
Sequitur moralitas ad Chriſtianos omnes. n. 7.

V.

V *Erbum Dei audiendum, & opere exequendum.* Conſid. 37.
Mira vis ſuccini, ſed major Chriſti concionantis. n. 1.
Non ſufficit ſola verbi DEI auditio, niſi & opere compleatur. n. 1.
Cur ſolum illud animal mundum, quod ruminat, & diviſam habet ungulam. n. 1.
Cur in ædificando templo Solymæo nullus malleus auditus? n. 2.
Cur ad ſonitum tubarum Urbs Hiericho expugnata? n. 3.
Cur Ezechiel Propheta oſſibus aridis verbum Dei prædicavit? n. 4.
David, Sardanapalus, Magdalena & alii cur converſi? n. 4.
Cur Chriſtus juxta gazophylacium ſolebat prædicare? n. 5.
Verbum Dei cum ſpeculis mulierum comparatur? n. 5.
Cur Joſeph in medio nationis pravæ non perverſus? n. 5.
Cur verbum Dei malleo Jahelis, quo Siſaram devicit, aſſimiletur? n. 5.
Cur tubæ & lucernæ Gedeonis? n. 6.
Verbum Dei epiſtola eſt, digito Dei exarata. Figura de Uria. n. 7.
Figuræ de Nathan, corvo Eliæ, Samſone &c. n. 7.
Concionator Italus, quomodo verbum Diaboli prædicavit. n. 8.
Cur Chriſtus non aliam, quàm Crucis necem elegit? n. 8.
Cur Chriſtus in Cruce clamans exſpiravit? n. 8.

V.

In via virtutis non proficere, est deficere. Consid. 36.
Similitudines hac de re, de cygno, cervo, milvo, pastore, drachma &c. n. 1.
Cur olim ignis sacer semper in Altari ardere debuit? n. 2.
De quatuor animalibus Ezechielis, quid portendant? n. 2.
In scala Jacob cur nullus Angelus subtitit? n. 3.
Cur S. Petrus Ap. in monte Tabor de ignorantia accusatur? n. 4.
Jonathas cur laudatur de accensu tam arduo? n. 4.
Cur Saul non tantùm Regnum terrenum, sed & cœleste perdidit? n. 5.
Joseph cur à patre dicatur filius accrescens? n. 6.
S. Paulus Ap. cur vitam nostram stadio, seu cur sui assimilavit? n. 7.
Abraham quomodo coram Deo semper ambulavit? n. 7.
Cur agnus Paschalis cum festinatione debeat manducari? n. 7.
Cur tot Leones stipabant thronum Salomonis? n. 8.
Quomodo JEsus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratia? n. 8.
Cur peccatores dicantur, quòd in circuitu ambulent? n. 8.

Lector amice.

Errata, quæ in typo irrepserunt, pro tua prudentia & benevolentia corrige, & ignosce. Vale.

Soli DEO Gloria, nobis autem confusio faciei.

CURRUS ISRAEL
ET
AURIGA EJUS,
Ducens hominem Christianum per Exempla
Christi Domini, B. V. MARIÆ, & Sanctorum ejus,
quorum Festa in Ecclesia DEI per annum coluntur,
in cœlum.

Opus omnibus quidem Christianis, sed præsertim Sacerdotibus & animarum curam gerentibus, ac religiosis animis ad meditandum & prædicandum peraccommodum.

PARS SECUNDA
PRO DIEBUS FESTIVIS PER ANNUM.

Auctore
R.D. ANTONIO GINTHER, SS. Theologiæ. Lic.
Decano ac Parocho ad SS. Crucem in Biberbach.

Editio Septima correctior



Cum facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VIND. ET HERBIPOLI,
Sumptibus MARTINI VEITH Bibliopolæ.
Anno MDCCL.

Pater mi, Pater mi: Currus Iſraël, & Auriga ejus.
4. Reg. 2. 22.

S. Gregorius Magnus l. 2. in Ezech. hom. 21.

Quid eſt, quòd Elias currus Iſraël, & auriga dicitur, niſi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo, qui mores populi & per patientiam ſuſtinet, & ſacri eloquii verba docet, & currus dicitur, & auriga: Currus; quia tollerando portat: Auriga quia exhortando agitat: Currus; quia mala ſuſtinet: Auriga; quia populum bonis admonitionibus exercet, &c.

Talis Currus, & Auriga eſto & tu, ô mi Lector!

AD

AD LECTOREM BENEVOLUM.

SI verba movent, & exempla trahunt, *habes hîc, Christiane, & prudens Lector, & verba, & exempla Christi Domini, & SS. Matris ejus, atque Sanctorum ejus, quorum festa per annum in Ecclesia Ortbodoxa coluntur. Et nunquid Magnes trahens ad se ferrum, sol atomos, succinum paleas? Puero ostendis nuces, & trahitur; Oviculæ ramum viridem, & trahitur; pisci vermiculum hamo appensum, & trahitur; & non trahit te Christus à Patre revelatus, qui de se ipso dixit*: Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum? (*Joan. 12. 32.*) *Et quid dico?*

Nunquid oves Jacob Patriarchæ similes progenerabant fœtus, sicut virgæ variegatæ, & in canalibus aquarum positæ ipsis exhibebant? (Gen. 30. 39.) Leones licèt summè famelici ab exemplo Danielis jejunantis edocti & ipsi jejunabant. (Dan. 14. 31.) De curru Ezechielis observat Scriptura, quòd ambulantibus animalibus & currus ambulaverit, stantibus verò illis & currus steterit; volantibus autem de terra in aëre, & currus subsecutus sit. (Ezech. 1. 19.) En! vim boni exempli.

Sardanapalum Regem Ninive bono exemplo subditis suis præeuntem mox secuti sunt omnes. (Jonæ 3. 6.) Abimelech Ducem suum sine mora sectabantur milites, ad illius exemplum præcidentes arborum ramos, quibus incendebant præsidium Sichem. (Judic. 9. 48.) Urias è castris ad Aulam regiam Davidis evocatus, noluit dormire in lectulo suo, sed juxta exemplum Joab Ducis ac Domini sui super faciem terræ. (2. Reg. 11. 11.)

In Novo Testamento familiam Zachæi considera, de qua Veritas dicit: Salus huic domui facta est. *Et quare hoc? quia omnes pœnitentem Dominum suum, ac scelera dolentem secuti sunt. (Luc. 19. 9.) De Regulo ad Christum converso dicit Scriptura*: Credidit ipse, & domus ejus tota. *En! servi & ancillæ mox dominum suum in amplectenda in Christum fide imitati sunt (Ioan. 4 53.) Cornelius Centurio, quia pius erat, ac Deum timebat, sequebantur & omnes domestici*: Timens Deum cum omni domo sua. (*Actor. 10 1.*)

Ecce, quid possit bonum Superiorum exemplum; quantò magis Christi, & Sanctorum ejus? Ideo enim ab Ecclesia Catholica per anni cursum eorum proponuntur exempla, ac festa celebrantur, ut non tam honor illis debitus impendatur; quàm ut eorum quoque mores & virtutes saltem pro possibili imitemur; unde rectè S. Augustinus: Solemnitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. (*Serm. 47. de Sanctis*)

Et hic finis est, quare hoc Festivale, quod propriè de Sanctis agit, & per figuras Figuratum, *vitam illorum proponit, in lucem prodierit. Hæc tu, optime Lector, secundùm exemplar, quod hic tibi monstratum est, & ab auditione mala non timebis. Vale, & mei peccatoris miserrimi vel unâ vice in Sacrificiis tuis memor esto*: Orate pro invicem, ut salvemini. (*Iac. 5. 16*)

S. Isidorus de Offic. Eccl. c. 34.

Festivitates Apostolorum, seu in honore Martyrum festivitates antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt; vel ad excitandam imitationem, vel ut meritis eorum consociemur, atque orationibus adjuvemur. &c.

IN-

INDEX
CONSIDERATIONUM
Pro Diebus Festivis per Annum.

CONSIDERATIO I. Pag.

SAcratissimum Nomen JEsu omnia in omnibus. 1

CONSIDERATIO II.

Cum SS. Tribus Regibus Christo voluntas bona offerenda. 10

CONSIDERATIO III.

De vita, virtutibus, & Patrocinio S. Sebastiani Mart. 19

CONSIDERATIO IV.

Cum S. Paulo inspirationi Divinæ citò obtemperandum. 28

CONSIDERATIO V.

B. Virgo Patri cœlesti Filium suum in templo præsentat. 36

CONSIDERATIO VI.

De electione, vita, & glorioſa morte S. Matthiæ Apostoli. 45

CONSIDERATIO VII.

De dignitate, prærogativa, & Patrocinio S. Josephi. 54

CONSIDERATIO VIII.

De Verbo in purissimo Virginis Mariæ utero incarnato. 62

CONSIDERATIO IX.

De Primo verbo à Christo moriente in Cruce prolato. 71

CONSIDERATIO X.

De secundo verbo Christi in Cruce pendentis. 76

CONSIDERATIO XI.

De verbo tertio Redemptoris nostri in Cruce patientis. 81

CONSIDERATIO XII.
De quarto verbo à Verbo crucifixo prolato. 86
CONSIDERATIO XIII.
De verbo quinto, & siti Christi in cruce morientis. 91
CONSIDERATIO XIV.
De verbo sexto Christi in cruce agonizantis. 96
CONSIDERATIO XV.
De verbo septimo Christi Domini in cruce exspirantis. 101
CONSIDERATIO XVI.
De vita, & fortissimo certamine S. Georgii Martyris. 106
CONSIDERATIO XVII.
De vita, & glorioso agone S. Philippi Apostoli. 112
CONSIDERATIO XVIII.
De sanctissima vita, & morte S. Jacobi Minoris Apostoli. 117
CONSIDERATIO XIX.
In cruce salus, vita, & resurrectio nostra. 122
CONSIDERATIO XX.
De bona educatione S. Viti, ejúsque Martyrio. 131
CONSIDERATIO XXI.
De vita, moribus, & morte præcursoris Domini. 136
CONSIDERATIO XXII.
De prærogativa, virtutibus, vita, & morte S. Petri Apost. 145
CONSIDERATIO XXIII.
De Matre misericordiæ B. Elisabetham visitante. 154
CONSIDERATIO XXIV.
De vita, & virtutibus S. Udalrici Episcopi Augustani. 159
CONSIDERATIO XXV.
De S. M. Magdalenæ mirabili conversione, & pœnitentia. 164
CONSIDERATIO XXVI.
De vita, prædicatione, & martyio S. Jacobi Majoris Apost. 173
CONSIDERATIO XXVII.
De S. Anna Matre B. V. Mariæ dignissima. 181
CONSIDERATIO XXVIII.
De quinque SS. Martyribus Romanis, nunc Biberbachii quiescentibus. 190
CONSIDERATIO XXIX.
De thesauro indulgentiarum ex Christi meritis &c. 200
CONSIDERATIO XXX.
Amor JEsu S. Afræ Martyri dulces reddit flammas. 209

CON-

CONSIDERATIO XXXI.
De S. Laurentii M. Vita, generoſo agone, ac triumpho. 218
CONSIDERATIO XXXII.
De Matre Miſericordiæ in cœlum aſſumpta. 227
CONSIDERATIO XXXIII.
De vita, & glorioſo agone S. Bartholomæi Apoſtoli. 236
CONSIDERATIO XXXIV.
Contra Dæmones inimicos dedit nobis DEUS Angelos Cuſtodes. 245
CONSIDERATIO XXXV.
De gaudio totius Univerſi ob Nativitatem B. V. Mariæ. 250
CONSIDERATIO XXXVI.
De propitio JEſu, in cruce pro noſtra ſalute exaltato. 259
CONSIDERATIO XXXVII.
De mirabili vocatione S. Matthæi Apoſt. & Evangeliſtæ. 268
CONSIDERATIO XXXVIII.
De protectione & patrocinio S. Michaelis Archangeli. 277
CONSIDERATIO XXXIX.
S. Franciſcus, cur tantoperè agnum & alaudam æſtimaverit? 282
CONSIDERATIO XL.
De vita, & glorioſo Martyrio SS. Simonis & Judæ Apoſtolorum. 291
CONSIDERATIO XLI.
De deſiderio ad cæleſtem patriam juxta exemplum SS. Omnium. 300
CONSIDERATIO XLII.
De animabus in igne purgante adhuc luentibus. 309
CONSIDERATIO XLIII.
De vita, & glorioſa morte S. Martini Epiſc. Turonenſis. 318
CONSIDERATIO XLIV.
Cultus conſtans B. V. Mariæ Signum prædeſtinationis noſtræ. 323
CONSIDERATIO XLV.
De vita, glorioſo agone, & triumpho S. Catharinæ V. & M. 327
CONSIDERATIO XLVI.
De vita S. Andreæ Apoſt. & ejus in cruce triumpho. 332
CONSIDERATIO XLVII.
De vita exemplari, & Prodigiis S. Nicolai Epiſ. Myrenſis. 341
CONSIDERATIO XLVIII.
De B. Virgine, ſine omni macula originali & actuali. 350

CON-

CONSIDERATIO XLIX.
De Expectatione Partûs B. Virginis Mariæ. 358
CONSIDERATIO L.
De vita, prodigiis & glorioso Martyrio S. Thomæ Apost. 363
CONSIDERATIO LI.
De Christo Domino à Virgine in mundum nato. 372
CONSIDERATIO LII.
S. Stephanus plenus gratiâ fortiter pro cœlo pugnat. 380
CONSIDERATIO LIII.
De Vita S. Joannis Apost. & Evangel. dilecti Christi Discipuli. 389
CONSIDERATIO LIV.
De SS. Innocentibus M. M. & de Cura parentum erga filios. 398
CONSIDERATIO LV.
Pro Festo Dedicationis, de vera hominis Christiani Recreatione. 406
CONSIDERATIO LVI.
De Sacrificio Missæ, & dignitate Sacerdotis eam offerentis. 415

CON-

CONSIDERATIO I.

Sacratissimum Nomen JESUS omnia in omnibus.

Pro Festo Circumcisionis Domini.

Et vocatum est Nomen ejus JESUS. Luc. 2. 21.

1.

SOlent hodierna luce Sacri Oratores pro felici anni auspicio suis auditoribus diversas elargiri strenas & xenia; ego candidè fateor, quòd ferè mihi hodie accidat, quod olim in Ecclesia primitiva S. Petro Apostolorum Principi, & S. Joanni ejus comiti evenit, qui, cùm ad horam orationis nonam, hoc est circa tertiam post meridiem ad sacrificium vespertinum (in quo quotidie agnus immaculatus DEO T. O. M. immolabatur) ad templum in monte Sion situm ascenderent, ad portam ejusdem templi speciosam mendicum quendam claudum, omnibùsque membris contractum invenerunt, qui ambos hos Apostolos demissè & nutu & vultu lugubri rogavit, ut aliquam sibi ob amorem DEI facerent charitatem & eleemosynam, cui S. Petrus: *Argentum & aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula.* Exod. 29. 38. Act. 3. 6.

Hoc, inquam, & mihi hodie contingit, possùmque cum veritate cum S. Petro dicere: *Argentum & aurum non est mihi*, cùm solum amictum, & victum quæram, & his contentus vivam: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Quid ergo, animæ Christianæ, vobis hodie in strenam offero? quid vobis dono?

1. Tim. 6. 8.

Pharao Ægyptiorum Rex, Josepho somnium septem vaccarum & spicarum de septennio fertilitatis & sterilitatis futuræ dexterè explicanti in xenium vestem byssinam, torquem auream, & pretiosum annulum suum signatorium donavit: *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit &c.* Hoc ego non habeo.

Gen. 41. 42.

Pater ille, verè misericors & bonus, filio suo prodigo nunc ad frugem revertenti, & seriò de malis actis pœnitenti, pari ratione stolam byssinam, & annulum aureum in signum paternæ reconciliationis & benevolentiæ dedit: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus.*

Luc. 15. 22.

Sed quid ego vobis hodie pro xenio communico? Placebit sine dubio, si similem vobis annulum offeram? Annulum, inquam, memorialem, ut vocant, in quo exaratum est SSmum, ac Divinissimum Nomen JESUS, quod SS. Nomen non solùm geramus in corde, sed etiam in manu, hoc est, in opere: *Non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, de cujus immensa dignitate & pretio, quòd sit omnia in omnibus, plura in præsenti dilucidabimus. Sit ergo *Felix anni omen JESU venerabile Nomen.*

Act. 4. 12.

Gen. 1. 1. S. Nazian. Orat. in Christi Nat. Lyt. in Trisagio f. 109.

2. In principio temporis, ubi creavit Deus cœlum & terram, creavit & Angelos: *Angeli*, ait S. Nazianzenus, *prodiêrunt à Deo sicut radii à Sole*, qui postquam... primo creationis suæ instanti per fidem Deum, ut unum & trinum, & ut finem suum supernaturalem cognoverunt, eum singulari charitate dilexerunt. In secundo instanti juxta mentem præcipuorum Theologorum illis propositus fuit Christus, ut illum quoque tanquam Deum & hominem futurum, ac salutis authorem fide susciperent, & Sacratissimum, ac Divinissimum JEsu Nomen humiliter adorarent: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Hîc bella & lites, dum in tertio instanti Lucifer ob excellentiam suam primò repugnans, mox plures alios rebelles ad se attraxit Angelos: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo;* quibus fortiter cum aliis cœlestibus spiritibus se opposuit Archangelus Michaël, qui sese Verbo incarnando mox demississimè submittebant, SS. Nomen JEsu humiliter adorantes. Et quid accidit? Audi Scripturam: *Et factum est prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Et quemadmodum milites in ipso cruentæ pugnæ fervore

Hebr. 1. 6.

Isa. 14. 14.

Apoc. 12. 7.

vore exclamare, & se ipsos ad fortiter dimicandum animare assolent: *Vivat v. g. Imperator, vivat Rex vivat Princeps noster &c.* ut per ejusmodi inconditum clamorem hostibus terrorem incutiant; ita attestante S. Bernardino omnes boni Angeli in cœlo empyreo in illa acerrima pugna contra Draconem & sequaces ejus, cùm eos ad inferni abyssum præcipitarent, unanimi voce acclamabant: *Vivat JEsus! vivat JEsus! & ad vocem hujus nominis Dæmones resistere non potuerunt, quin de paradysi apice in abyssum non caderent.* Et hoc est, ad quod suo tempore allusit ipsa Veritas Christus, dum Discipulis suis dixit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* O Christiani! cognoscite vel ex hoc immensam SS. Nominis JEsu virtutem & dignitatem, si vos imposterùm tentabit infernalis ille Draco, si rebellis caro, si mundus, exclamate cum bonis illis Angelis: *Vivat JESUS, vivat JESUS,* & recedet mox omnis diabolica tentatio à vobis: *Omnis*, ait Joël Propheta, *qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Supra quod ad consolationem nostram egregiè memoratus S. Bernardinus: *Quicunque*, inquit, *sceleratissimus peccator debitè invocaverit in ultimo vitæ Nomen JEsus, salvabitur.* Observa *debitè.*

S. Bern. to. 1. Ser. 40. Luc. 10. 18. Joël 2. 23. S. Bernard. to. 1. Ser. 74.

3. Et quis ignorat, quot tentationibus fuerit obnoxius patientissimus Job? Videbantur tunc omnia Elementa in ejus conspirâsse & conjurâsse perniciem, dum nunc ab igne, nunc à vento, nunc à grandine, nunc à Sabæis, nunc à Chaldæis omnium bonorum temporalium, imò & liberorum jacturam passus, tandem ab ipso malo Dæmone ulcere pessimo in toto corpore percussus est. Et tamen in his omnibus non peccavit Job. Et quo se, obsecro, scuto contra tot iniqua adversantium tela tutatus est? Revera non alio, quàm scuto inexpugnabili SSmi nominis JEsu, cujus virtutem jam tunc in spiritu Prophetico agnovit, proinde in omnibus his adversitatibus illud devotissimè invocavit, exclamans ad singula adversa: *Sit nomen Domini benedictum.*

Job 1. 21.

Olim præceperat Deus, ut omnes primogeniti in Israël quinque siclis redimerentur: *Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram Sanctuarii &c.* Et quare quinque siclis fieri debuit redemptio primogenitorum? Respondetur: JEsus est redemptio nostra, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quinque sicli sunt quinque Sanctissima ejus vulnera, vel si mavis, quinque litteræ, quibus constat hoc Sanctissimum Nomen JEsus; per I. enim denotatur ejus Immensitas, per E. Æternitas, per S. Sanctitas, per U. Veritas, & per S. Sapientia. Audi citatum S. Bernardinum: *Nomen JEsu*, inquit, *est signum repræsentans tibi omnia; quæcunque Deus undique fecit propter salutem humanæ naturæ.* Et S. Ambrosius: *Si mortem times, vita est; si in cœlum tendis, via est; si febribus æstuas, salus est: si alimento indiges, cibus est; si sitis, aqua est; si labore opprimeris, requies est; si in certamine versaris,*

Num. 3. 47. S. Bern. Ser. 45. Tom. 4. S. Ambr. in c. 1. Lucæ.

saris, corona est &c. Ecce JEsus omnia in omnibus; proinde haud immeritò tot Sanctissimi Pontifices plenarias in agone indulgentias iis concesserunt fidelibus, qui corde & animo contrito hoc Sacrosanctum Nomen JEsus devotè invocaverint: *Respirate ergo perditi*, exclamat Mellifluus: *Respirate, venit enim JEsus salvum facere, quod perierat: Et vocatum est nomen ejus JEsus:* Respirate.

S. Bern. Ser. 1. de vigilia Nativit.

4. David, tum adhuc puer pastoritius, sed fortis robore, licèt jam in Regem à Samuele esset inunctus, ac Saulis destinatus successor, illico tamen ad suas oves reversus est. Et ecce, hæc inter Spiritus Domini recessit à Saul, exagitabat eum spiritus nequam seu diabolus, qui non duntaxat Saulem vexabat in corpore exteriùs, uti quondam vexabat patientissimum Jobum, sed interiùs in mente perturbando ejus phantasma, & mille doloribus ac mœroribus cor ejus replendo, & exagitando, unde factus est dæmoniacus & energumenus; in quem finem, ut huic malo mederentur aulici, coacto consilio concludebant, doctum quendam citharœdum, & psalten esse inquirendum, qui gratiâ suâ musicâ Regis melancholici angores, & pravæ animæ exhilararet ac temperaret passiones. Paucis: David in pascuis quæritur, invenitur, ludit coram Rege: *Tollebat citharam & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Et quomodo, obsecro, ad suum hujus citharæ Davidicæ spiritus malignus tam citò à Saule poterat fugari? quid hæc musica potuit in dæmonem agitantem Saulem?

1. Reg. 16. 23.

Laut. Chrysog. in mundo Marian. dise. 13. n. 14.

Respondet Laurentius Chrysogonus, per hanc Davidis citharam SS. JEsu nomen esse præfiguratum, sicut enim hæc cithara morbos Saulis & melancholiam ac tristitiam ejus, imò & ipsum Cacodæmonem fugavit; ita multò magis hæc mystica cithara (SS. Nomen JEsu) morbos animi, hoc est, peccata ac vitia nostra dispellit, conscientiam remordentem quietat, ac serenam mentem & gratiam divinam reconciliat: *Sicut cythara*, ait Petrus Cellensis, *sonat mihi JEsus, ô utinam à JEsu, absorberetur anima mea, ô dulcedo meritorum JEsu! &c.* Et S. Joannes Chrysostomus: *Hoc JEsu nomen tum inferis, tum morbis & vitiis terrori est; unde nomen JEsu ab omnibus est invocandum, quia omnibus salutiferum. Quid est JEsus, nisi Salvator? Ergo JEsu, propter temetipsum esto mihi JEsus & fac mihi secundum nomen tuum,* solebat dicere, & quotidie ad JEsum aspirare S. Anselmus. En exemplum longè pulcherrimum, quod facilè poteris imitari; statue proinde, anima mea, sæpius hoc SS. Nomen devotè pronuntiare, & crebrò cum S. Augustino ingeminare: *JEsu, esto mihi JEsus, & salva me, & si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles.*

Pet. Cellens. l. 4. l. 19. S. Chrysost. ser. de laude Dei; & Gerson Serm. de Circumcis. S. Ansel. de miseria hominis. S. Aug. in medit. c. 39.

5. Pergo ad alia. Raptus erat aliquando S. Paulus usque ad tertium cœlum, ubi mirabilia vidit, & inter alia omnes Angelos ac Beatos, imò & ipsos inferos SS. Nomen JEsu (hoc est ipsum JEsum, Verbum ac

Filium

Filium Dei ac hominis) humiliter & cultu latriæ adorantes ; unde cum ab hoc raptu ad se reversus esset, sine mora auream suam prehendit pennam, & mortalitati humanæ ac posteritati nostræ hæc pretiosa & nunquam satis ponderanda verba de SS. Nomine JEsu reliquit: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis; propter quod & DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JEsu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JEsus Christus in gloria est DEI Patris.* Philipp. 2. 8.

Hîc ista & pensa, anime mi, quanti sit pretii, dignitatis ac meriti hoc SS. Nomen JEsus, quod juxta mentem SS. Patrum, majus, excellentius ac venerabilius est, quàm nomen Dei; rationem assignat Abulensis apud Cornelium, quia Deus significat Deum, quà Dominus & Creator est, JEsus verò significat Deum, qua Salvator & Redemptor est; sicut ergo majus fuit beneficium, & opus redemptionis, quàm creationis: ita majus est Nomen JEsus sive Redemptoris, quàm sit nomen Dei, sive Creatoris. Ita doctissimus Abulensis. Proinde non sine peculiari causa & ratione S. Mater Ecclesia Catholica majori devotionis affectu honorare assolet hoc SS. & Augustissimum Nomen JEsus, quàm nomen Deus, dum fideles audito Nomine JEsu, vel caput inclinant, vel genua flectunt, quod non faciunt, cum hoc Nomen Deus audiunt. Abulens. q. 7 in 20. cap. Exod.

Et hoc est, quod ipse Dominus JEsus quondam Ananiæ Damasci Presbytero (post sub Licinio judice nervis cæso, laniato & lapidibus oppresso) de Saulo Ecclesiæ persecutore prostrato, sed nunc Paulo erecto, atque ad Christum converso insinuavit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israël: ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Et ab hoc tempore Paulus, ac præsertim ab illo instanti, ubi in cœlo SS. Nominis JEsu gloriam vidit, nullam ampliùs requiem habuit pro hoc augustissimo nomine omnia quæcunque aspera, quæcunque adversa, promptissimo animo sustinendi: *Ego non solùm alligari, sed & mori in Jerusalem paratus sum propter Nomen Domini JEsu*; quod & reipsâ fecit, dum Romæ sub Nerone in valle pugilum ad aquas Salvias ejus caput â corpore in theatro gladio carnificis amputatum tres mirabiles saltus fecit, semper inclamando & invocando hoc SS. Nomen JEsu, ubi confestim tres salutiferi cœperunt erumpere fontes, qui in hodiernum usque extant diem, de quorum aqua & ego ipse Romæ olim bibi, & SS. Nomen JEsu, prout à peregrinis fieri assolet: *Vivat JEsus*, humiliter invocavi; de quibus fontibus non solùm in spiritu, sed & re ipsâ verificatur, quod longè antea prædixerat Isaias Prophetarum Princeps: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; est enim JEsus Salvator noster fons omnium bonorum & gratiarum. Moyses per virgam suam ex petra unum fecit scaturire fontem: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ*, sed Martyrol. Rom. 25. Januarii. Act. 9. 15. Act. 21. 13. Isa. 12. 3. Psal. 77. 10.

SS. Nomen JEsu à Paulo post capitis abscissionem prolatum tres ejusmodi & longè salubriores produxit fontes. O Christiani omnes, ô animæ desolatæ, & mille oppressæ adversitatibus, imò & vos, peccatores terræ, venite omnes: Ecce fons patens in ablutionem peccatorum, qui hodie manat de sanguine & lachrymis JEsu circumcisi; venite, inquam, & haurite aquas consolationis ex illo; *non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Act. 4. 12.

6. Cæterùm diversæ è diversis SS. Patribus afferuntur rationes, cur JEsus, & hic Crucifixus in Cruce moriens caput suum inclinaverit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Et quare, dices, inclinato capite? Respondet S. Bernardus: *Inclinato capite emisit spiritum, ut summam reverentiam JESU nomini exhiberet.* En ipse Christus huic SS. Nomini suo, in titulo Crucis per manus Pilati exarato, inclinato capite fecit reverentiam: *Imposuerunt causam ipsius scriptam: Hic est JEsus Rex Judæorum.* Et tu anima tepida, quid agis, cùm audis, vel legis hoc SS. Nomen JEsu? *Si sanctum & terribile est Nomen ejus*, quomodo tu illud honoras & æstimas? ô tempora! ô mores! *Et Dæmones*, subintrat hîc S. Gregorius Nazianzenus, *ad Christi nomen cohorrescunt; nos verò nomen adeò venerandum contumeliâ afficere nil veremur?* Audite ipsum pretiosissimum Redemptorem vestrum per os Isaiæ Prophetæ contra vos conquerentem: *Jugiter tota die nomen meum blasphematur.* Blasphematur in aulis & caulis, in hospitiis & tabernis, in plateis & compitis, in agris & campis, in omni loco, & omni ferè tempore. O rem sanguineis non satis deplorandam lachrymis! & hoc inter Christianos?

Jo. 19. 30. S. Bern. cit. à F. Leon de Christianis. labascente. Matth. 27. 37. Ps. 110. 9. Isa 52. 5.

Desiderârunt quidem impii Judæi penitus extirpare, & eradicare de memoria hominum hoc divinissimum Nomen JEsu: *Eradamus eum terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Sed contrarium accidit, dum ipsis etiam ringentibus Judæis Pilatus, sed non nisi priùs lotâ manu, hunc Regium titulum scripsit: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM; & quemadmodum Caiphas, iniquus ille Pontifex, inscius prophetavit: *Quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat;* ita & Pilatus iniquus judex scribendo hunc titulum I. N. R. I. universo orbi viam salutis ostendit, quòd non in aliquo alio sit salus, & non aliud nomen sit sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: Vivat ergo JESUS!

Jer. 11. 19. Jo. 19. 19. Jo. 11. 50. Act. 4. 12.

7. Et quia de Pilato Judice Romano mentionem aliquam fecimus, plura de illo consideremus, quomodo & qualiter Christum, vitam nostram, ad mortem condemnaverit. Processum hujus lugendæ & amarissimæ Passionis Dominicæ graphicè describit S. Joannes dilectus ille Christi Discipulus, qui & ipse tunc præsens erat, ubi observat, quòd iniquus ille Judex Chri-

Christum Dominum nunquam proprio Nomine JEsum vocaverit, sed in omni accusatione, interrogatione & responsione hoc SS. Nomen JEsu declinaverit; honorabat quidem hunc pretiosissimum orbis Redemptorem titulo Regis, & justi hominis &c. *Ergo Rex es tu? Ecce homo &c.* Sed non appellabat eum JEsum. Tandem importuno Judæorum clamore & proprio metu victus, ne apud Tiberium Cæsarem accusaretur, iniquorum petitioni & voluntati acquiescens, innocentissimum Dominum & authorem vitæ ad ignominiosam Crucis necem condemnavit; & ut causa tam cruentæ mortis omnibus pateret habitantibus in Jerusalem, pro veteri Romanorum more titulum tribus principalioribus linguis scripsit: JEsus Nazarenus Rex Judæorum. Qui titulus in oblonga hasta erectus à quodam judicis ministro, Christo Crucem ad Calvarium montem bajulanti, præferebatur, ut exinde, ait Origines, caput JEsu in Cruce suffixi instar coronæ exornaret. Siste hîc, anime mi, & unà mecum attentiore mente perpende, quare Pilatus hoc SS. Nomen JEsus potuerit in tabula scribere, non tamen dignus æstimatus sit illud ore suo proferre? Jo. 19. 37

Advertite sensum, notate mysterium: *Pilatus*, ait Scriptura, *accepta aquâ lavit manus coram populo dicens: innocens ego sum à sanguine justi hujus: vos videritis.* Ecce Pilatus, quamvis impius, injustus, & sceleratus Deicida, manus tamen puras habuit: *Acceptâ aquâ lavit manus*, quæ ablutio, teste S. Hieronymo, apud Romanos quondam puram manum, seu innocentem volebat significare; verùm in ore, & lingua, & corde totus injustus & falsus Politicus extitit, dum ad aliorum placitum summam committere injustitiam non abhorruit, quapropter indignus erat, ut hoc SS. Nomen JEsu pronunciaret, ita glossatur doctissimus Fineti Italus, cujus verba hîc pono: *Fù in una certa maniera degno di scriverlo, perche, si bene impuro e pieno di lor dezze era nell' anima, nelle mani si dimostro puro.* Cui adstipulatur ipse Gentium Doctor Paulus: *Nemo*, inquit, *potest dicere JEsus Christus, nisi in Spiritu Sancto.* O Christiani omnes, discite ex hoc, quomodo os & cor, ipsæque manus in veneratione, pronunciatione & adoratione hujus divinissimi nominis JEsu in vobis correspondeant: *Nomen*, ait S. Ambrosius, *congruat actioni, actio respondeat nomini.* Et B. Petrus Damianus: *Quid enim prodest homini, si quis Catholicè credat, & gentiliter vivat?* Et quid hoc est? ô qualis Chimæra!

Fineti in Riflessi di Spirito nella festa di circomcision. 1. Cor. 13. 3.

S. Ambros. de dignit. Sacerd. cap. 3.

8. Subnectamus huic sacro conceptui plures alios. Josue, cùm contra quinque Chananæorum Reges prælium committeret, per miraculum prorsus insolitum Soli astrorum Principi ad occasum properanti præcepit, ut cursum tam diu sisteret, quousque perfectam de tot hostibus reportâsset victoriam. Et quid factum est? *Stetit sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei.* Prodigium insolitum; & quis unquam audivit talia? Josuæ 10. 11.

talia ? &. S. Basilius, Solem, mundi oculum, lunam, stellas, & cætera stetisse cœli sidera ob reverentiam SS. Nominis JEsu, Josue enim typum, & nomen gerebat JEsu, quod per anagramma facilè poteris eruere : JOSUE : O JESU. Audi ipsum loquentem : *Constitisti Sol aliquando, victoriam felicem spectans, reveritus es JEsum Ducem, qui imperaverat, in conservo honorans DEI appellationem.* Unde placuit Divinæ Majestati, non alium eligere Ducem, qui populum Israël ex deserto per Jordanem in terram promissionis induceret, quàm Josue : *Mortuus est Aaron*, ait D. Ambrosius, *mortua Maria, mortuus est & ipse Moyses, solùm JEsu Nave Nominis sacri similitudo servavit.* En pulcherrimum typum SS. Nominis JEsu, qui nos ex Ægypto & deserto hujus mundi ad veram promissionis terram faciliter & traduxit, & traducit. *Quàm ergò*, subintrat hìc S. Doctor Angelicus, *admirabile, laudabile, & amabile est Nomen JEsus, quia peccatores justificat, justos lætificat, tentatos adjuvat, justis gratiam augmentat, & omnes, qui ipsum invocant, salvat!*

S. Basil. Ser. de Transfig.

S. Ambr. in Psal. 118. Serm. 16.

S Th. Aq. de Circ.

Quis non miretur fortitudinem illius invictæ Amazonis & Heroinæ Judith, dum proprio Holofernis acinace impium ejus caput demessuit : *Et percussit bis in cervicem, & abscidit caput ejus &c.* Sed in cujus virtute hunc actum heroicum fecit ? Resp. Doctor Angelicus, in virtute & efficacia SS. Nominis JEsu. Et quomodo, dices, hoc fieri potuit, dum Filius Dei id temporis nondum erat incarnatus ? Observa, quod communiter cum præfato Angelico tradunt meliores Theologi, quòd omnes actus virtuosi & heroici antiquorum Patriarcharum & Heroinarum processerint ex meritis Christi ; sed hic actus Judithæ erat insigniter virtuosus, imò præstantissimus, ergo in meritis & virtute SS. Nominis JEsus factus est, cujus virtutem jam Judith in umbra agnovit, dum stans ante lectum Holofernis orans cum lachrymis in silentio dixit : *Confirma me, Domine DEus Israël &c.* sub quo nomine *DEus Israël* latebat SS. Nomen JEsus.

Judith 13. 10.

S. Th. Aq. 3. p. q. 61. & 62.

9. Et dubitas adhuc ? Descendit David admodùm puer cum Golia immanissimo gigante in arenam. O par, quale & quantum dispar ! Erat gigas armatus casside æreâ, loricâ squamatâ, ocreis, clypeo ærato, hastâ oblongâ & gladio fulmineo ; & David quid ? *Tu venis*, inquiebat, *ad me cum gladio & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini.* En puer inermis, solo baculo, fundâ & lapidibus quinque instructus stravit, & superavit gigantem tam immanem, truculentum, & metuendum; sed quomodo ? non virtute propriâ, aut astutiâ, sed in virtute Sacrosancti Nominis JEsu, unde dixit : *Ego autem venio ad te in nomine Domini*, hoc est, in Nomine JEsu, cujus typum gerebat David, & in cujus SS. Nominis virtute David memoratum vicit & prostravit gigantem ; & observat Jo. Carthagena, quòd in illo lapide, quo superatus est Goliath, SS. Nomen JEsus fuerit

1. Reg. 17. 45.

Jo. Carthag. de SS. Trin. Marc. l. 1. ho. 9.

fuerit inventum : *In medio lapidis*, inquit, *quô David proſtravit, & interemit gigantem, inventum fuit illud SS. Nomen JESU.*

Et quis ſanavit viatorem illum Jerichuntinum, qui incidit in latrones ? Tu mihi dices : Samaritanus quidam, qui vinum & oleum in ejus infundebat vulnera : *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. 34 Sed ego dico tibi : SS. Nomen JESU huic infirmo & ad mortem ſaucio & corporis & animæ reſtituit ſalutem, per illud enim ſalutiferum oleum SS. Nomen JESU præſignatum eſt : *Oleum effuſum nomen tuum.* Cant. 1. 2. Ita Mellifluus. Concludamus noſtram Conſiderationem. Ab omnibus terræ nationibus receptum eſt, ut, ſi quis in caſtris militum cuneos, & expoſitas hinc & inde excubias præſertim de nocte intempeſta ſecurus velit tranſire, militarem teſſeram, ſeu *parolam*, ut vocant, ſciat, aliàs à proximo quolibet milite erit trucidandus. Agite a! a! ſi in ſupremo illo agone per inſidias Dæmonum ſecuri velimus tranſire ad vitam, opus eſt, ut teſſeram noſtram ſciamus ; teſſera autem noſtra alia non eſt, quàm Vivat

JESUS.



CONSIDERATIO II.

Cum SS. Tribus Regibus Christo Voluntas bona offerenda.

Pro Festo Epiphaniæ Domini.

Et intrantes, invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11.

1.

Jos. 20. 12. RECTÉ & benè Poëta: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sole stante ad imperium Josue: *Sol contra Gabaon moveare*, stetit & luna, & cætera cœli sidera, quia aliàs ordo astris à Deo præfixus fuisset immutatus, & perturbatus. In exitu Israël de Ægypto, quamdiu columna nubis & ignis populo præcedebat, tamdiu & ipse ambulabat in itinere; ubi verò stetit quieta, & ipse
Exod 33. 10. populus in statione sua quiescebat non movens gradum: *Stabantque ipsi.* Animalia illa mystica, quæ quondam vidit Ezechiel Propheta, gloriosum Dei currum trahentia, quando gradiebantur, & currus sequebatur;
Ezech. 1. 21. si autem stabant, & rotæ currûs subsistebant: *Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant.* En! ideam boni vel mali Regentis; si ipse exemplo bono præit subditis, sequentur & illi; si steterit in bono, stabunt &
Eccl. 10. 2. subditi; Audi Ecclesiasticum: *Qualis*, inquit, *Rector est civitatis, tales in-*
S. Th. Vill. *habitantes in ea.* Proinde rectè S. Thomas Villanovanus: *Magnus prædica-*
N. in Dom. 19. post Pen. *tor Rex, plus proficit verbo & exemplo, quàm omnes mundi prædicatores.* Et nunquid ad exemplum Regis Ninive, quando Jonas Propheta civitati comminatus est post 40. dies exterminium, & cives facili conatu ad frugem trahebantur? Præibat Rex pulcherrimo exemplo, dum *surrexit*

rexit è ſolio ſuo, & abjecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere &c. Et quid ſequitur ? Videns populus univerſus hujus Regentis ſui exemplum, ſine mora in facienda pœnitentia ſecutus eſt eum. *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala : & miſertus eſt Deus.* Jonæ 3. 6.

Ad exemplum Regis Abimelech, dum in conſpectu exercitus ſui arreptâ ſecuri ramum arboris præcidit, impoſitúmque humero ad ſuccendendam fortiſſimam turrim in Sichem tulit, absque mora & reliqui ſuum Ducem ſecuti ſunt milites : *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, ſequebantur Ducem, qui circumdantes præſidium ſuccenderunt : atque ita factum eſt, ut fumo & igne mille homines necarentur, viri pariter & mulieres, habitatorum turris.* Jud. 9. 49.

Joſue ſtrenuiſſimus Belli Dux, ubi primus cum Arca Dei à Sacerdotibus portatâ Jordanem ſine rati & nave tranſivit, ſtantibus interea ad inſtar montis decurrentibus aquis, mox depoſitâ omni formidine, & reliquum vulgus Ducis ſui veſtigia ſecutum eſt : *Surge, & tranſi Jordanem iſtum, & omnis populus tecum.* Joſ. 3. 6.

Et quid dico ? Non unus, ſed tres SS. Reges nobis hodie optimo ac ſaluberrimo præcedunt exemplo, recens natum Dei Filium in ſinu Matris ſuæ humiliter adorantes : *Et procidentes adoraverunt eum, & offerebant ei munera &c.* Et quid nos agimus ? *Si Regis ad exemplum totus componitur orbis :* cur, quæſo, tam pauci illos primos ſectantur Chriſtiani ? Agite, rumpamus moras, &, ſi aurum, argentum, thus & myrrham non habemus, ſaltem offeramus Chriſto bonam voluntatem noſtram. Attendite. Matth. 2. 11.

2. Olim columna nubis & ignis populum Iſraëliticum ex Ægypto duxit in Palæſtinam : *nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem populo.* In primordio teſtamenti novi *tres Magi* (per anagramma : *Magiſter*, quia revera facti ſunt Magiſtri noſtri) ope novæ & inſolitæ ſtellæ, cujus columna illa prædicta inſignis typus fuerat, ab Oriente ducti ſunt usque in Judæam, & ad ipſum ſiderum Conditorem JEſum recens in ſtabulo Bethlehemitico natum, ut eum humiliter adorarent, eique ſua deferrent homagia & obſequia. Exod. 13. 21.

Hîc adimpletum fuit illud Balaami vaticinium : *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël ; & percutiet Duces Moab &c.* Fuerunt itaque Tres illi Magi poſteri & ſucceſſores hujus Balaami ex Arabia felici oriundi, dum ex vaticinio edocti, orituram aliquando ſtellam, quæ nativitatem magni Judæorum, imò orbis, Meſſiæ præſignaret, viſa tandem in nocte nativitatis Chriſti primâ vice lucidiſſima hac ſtella, unanimi conſenſu, ſuperiore ſpiritu illorum corda regente, concluſerunt, nunc, nunc in Juda illum Regem à Virgine eſſe progenitum, proinde illum eſſe inquirendum : *Ubi eſt, qui natus eſt, Rex Judæorum ? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus* Matth. 2. 2.

venimus adorare eum. Disce hîc, anime mi, non tardare, si Gratia Divina tibi affulget, & ad meliorem te vocat, ac excitat vitam; singulariter autem Deum obsecra, ut tibi largiatur gratiam potentem & efficacem, quæ per
Jo. 6. 44. prædictam stellam præsignata est: *Nemo enim*, ait Veritas, *potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

3. De Regina Saba refert Sacer Codex, quòd, auditâ famâ Salomonis, cum multo comitatu venerit Hierosolymam, ut non duntaxat audiret hujus prudentissimi Regis Solymæi sapientiam, & coràm omnia intue-
3. Reg. 10. 10. retur, sed ut eum regiis quoque honoraret muneribus: *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis.* Et cùm omnia in Aula illa regia mente attentiore considerâsset, subjungit Scriptura: *Non habebat ultra spiritum &c.*

Venerunt & nostri Reges, Melchior jam senex & canus, prout observat V. Beda, Caspar adhuc juvenis & rubicundus, & Balthasar fuscus, ex
Ps. 71. 10. Persia, Arabia & Saba, non sine singulari comitatu Hierosolymam, ut ibidem Christum, qui plùs est quàm Salomon, non tam adorarent, quàm & regiis cumularent muneribus; Sed audiens Herodes inopinatum hunc Magorum adventum, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo; metuebant enim, quòd jam nato legitimo Judæorum Rege & Messiâ Herodes, qui paulo ante per vim Regnum invaserat, é regio solio esset deturS. Fulgent. Serm. 1. de Epiph. D. bandus. *Verùm Rex iste*, subintrat hîc S. Fulgentius, *non venit Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare, nec ideo natus, ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat.* In quem finem cogitur ab Herode consilium, conveniunt Scribæ, legisque Doctores, consulitur Scriptura, & in
Michæ 5. 2. Michæa cap. 5. vers. 2. invenitur: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Audit hoc Herodes, fingénsque, quòd & ipse Christum velit adorare, Magos in Bethlehem amandat, ubi, denovo stella apparente, ad locum devenerunt, in quo Divinum Infantem cum SS. Matre ejus in stabulo juxta urbis portam repererunt; & quis dicet, quo animi cum sensu & motu?

3. Reg. 10. 5. De Regina Saba priùs dictum est: *Non habebat ultra spiritum*, quando sapientissimum Regem in Majestate sua & gloria super aureum solium sedentem prima vice conspicata est; & quid, obsecro, cogitabant, vel dicebant tres illi prudentissimi Magi, ubi in illa spelunca & jumentorum stabulo tantam Christi, Regis Regum & Domini dominantium, pauperiem intuiti sunt? Certé *non habebant ultrà spiritum.* His tamen non obstantibus in parvulo isto, superiori spiritu illustrati, agnoscebant verum Deum & hominem, quem non civili, sed latriæ cultu devoté & humiliter ado-
Matth. 2. 11. rârunt: *Et procidentes adoraverunt eum*, supra quod benè observat Cajeta-
Cajet. hic. nus: *Maximo*, inquit, *signo reverentiæ adoraverunt, ita quòd non genu flexerunt.*

runt, sed in faciem ceciderunt. O Christiane! quid tu ad ista? *Erubesce*, ait Mellifluus, *ô Christiane infelix, non imitari Magorum exemplum, saltem postquam JEsus non una stella, sed mille millibus miraculis, Sanctorum exemplis, Martyrum victoriis tuam pigritiam excitat, & cæcitatem illustrat &c.* S. Bern. Ser. de Epiph. a. 2. c. 1.

4. Verùm progrediamur ulteriùs Tres Reges Israëlitarum ob singularem pietatem & sanctitatem vitæ in Sacra Scriptura singularem sibi laudem & gratiam apud Deum promeruêre: *Præter David*, ait Ecclesiasticus, *Ezechiam & Josiam omnes peccatum commiserunt, nam reliquerunt legem Altissimi Reges Juda, & contempserunt timorem Dei*, dum idolis & carni serviebant, ac populo exemplo suo malo causa erant spiritualis ruinæ &c. Eccl. 49. 5.

Tres generosi milites in Libris Regnum peculiari condecorantur laudum præconio; & hoc quidem ob præstantissimam tum animi, tum corporis fortitudinem, dum David Regi suo, tunc in præsidio Odolla moranti, & vehementissimam sitim patienti, de cisterna Bethlehem non sine evidenti vitæ periculo per castra Philistinorum penetrantes, desideratam aquam hausêrunt & Regi suo attulerunt, qui tamen noluit bibere, sed magis libavit illam Domino, dicens: *Absit, ut in conspectu Dei mei hoc faciam & sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam*, & subjungit Scriptura: *Hæc fecerunt tres robustissimi.* 1. Par. 11. 19.

Tres Centuriones in novo Testamento, velut singularia virtutum specula, nobis exhibentur: primus, qui Christo pro saluti servi sui demissé supplicavit: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, quem exinde Christus coram omni præsente populo commendavit: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Matth. 8. 6.

Alter Centurio ille est, cui Pilatus Christi in crucem acti custodiam demandavit, qui, viso terræ motu & aliis prodigiis, & singulariter, quòd JEsus clamans expirâsset, Deo mentem interiùs illuminante, claré agnovit, Christum plus quàm hominem esse, veréque Filium Dei; proinde publicum ei testimonium in Calvario monte dedit: *Vere Filius Dei erat iste.* Matth. 27. 54.

Tertius Centurio nomine Cornelius in Actis Apostolorum, à S. Luca mirè ob religionem in Deum, misericordiam in pauperes, frequentémque orationem commendatur, ideo de congruo meruit, ut à S. Petro Apostolo in fide Christi instrueretur, & baptizaretur: *Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper &c.* Act. 10. 1.

5. Verum enim verò, ad quid ista enarro? En Lector prudens, perel egantes figuras, quas jure merito Tribus SS. Magis seu Regibus Orientalibus poteris accommodare; illi enim erant per tres prædictos Sanctos Reges, Davidem, Ezechiam & Josiam præsignati, dum idola pariter in suis regnis destruxerunt, & solidam pietatem ac cultum veri Numinis in suas regiones invexerunt. O utinam plures Regentes hoc facerent!

Illi erant tres illi generosi milites, qui contempto omni vitæ periculo, terrâ marîque, prout vult Cornelius, & alii, intra spatium tredecim dierum usque ad cisternam, quæ est in Bethlehem (ad quam orbis Salvator natus est) mirandum in modum stella duce penetrârunt, ad quam
Isa. 12. 3. *hauserunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Illi insuper rectè comparari poterunt dictis tribus Centurionibus, imò & longo intervallo illis præferri, quia Centuriones isti credebant in Christum jam perfectissimum virum, ingentia miracula ac prodigia patrantem, Sancti autem tres Reges nostri Christum nulla miracula facientem viderant, & tamen in eum firmâ fide credebant, & quod plus est, illum adhuc Infantem tenerrimum in vilissimo stabulo inter bruta jacentem, vel in virgineo Matris gremio sedentem, ut Dominum ac Deum suum devotissimè adorabant: *Nunquid viderunt*, ait Os Aureum, *palatium marmoribus splendidum? nunquid Matrem diademate coronatam? aut in lecto aureo reclinatam? nunquid puerum aurô & purpurâ involutum? sed quid? Virginem pauperem, puerum nudum, diversorium tenebrosum & sordidum, & animalibus potiùs, quam hominibus aptum &c.* Et tamen his non obstantibus procidentes in faciem suam adoraverunt eum. Heu ubi fides nostra? *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Habemus quotidie in SS. Missæ sacrificio, & in SS. Eucharistiâ tabernaculo reconditâ, vel publicæ veneration fidelium in Ecclesia exposita eundem orbis Redemptorem Dominum ac Deum nostrum sub candido velamine & specie panis ac vini realiter præsentem; ubi fides nostra? ubi condigna veneratio, & adoratio? An non hîc verificatur illud? *Multi ab Oriente venient, & recumbent in Regno cœlorum: filii autem regni ejicientur foras in tenebras exteriores.*

S. Chrysost hom. 8. in c 7. Matth.

Luc. 18. 8.

Matt. 8. 11

6. Cæterum communissima olim erat inter Orientales consuetudo, ut non suos solerent adire Reges aut Principes, nisi illis afferrent munera. Ita Jacob Patriarcha tempore famis filiis suis ad Josephum Ægypti Pro-Regem ituris imperavit, ut viro illi dona afferrent, eúmque optimis terræ frugibus honorarent: *Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro illi munera.* Imò ipse Deus olim in lege mandavit, ut nullus Hebræorum accedens ad tabernaculum, vel templum in conspectu suo appareret vacuus, sed aliquam oblationem ad cultum sibi debitum, & religionis actum pertinentem afferret: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

Gen 48. 11.

Exod. 23. 15.

Hoc adimplêrunt & SS. Reges nostri, dum in conspectu Summi Regis, quem jam per fidem ut Deum, cœli terræque Dominum agnoverant, noluerunt apparere vacui, sed postquam eum devotissimè adoraverunt, & gratias egerunt, quòd in carne humana venerit in mundum ad humanum genus à peccatis & interitu redimendum, ei seipsos ad perpetua ob-

sequia

sequia infimos servos præsentabant; unde quidquid pretiosi tunc secum habebant, liberali animo donârunt, hinc observat Evangelista: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham*; & neque dubium est, quin etiam cum his muneribus Verbo Incarnato obtulerint, quod per illa dona mysticé erat designatum, nimirum cum auro charitatem, cum thure devotionem, & cum myrrha mortificationem. Matth. 2. 11.

O quàm egregium exemplum omnibus Christicolis imitandum! Offeramus & nos, charissimi! Regi ac Domino universorum aurum, thus, & myrrham. Sed dicet mihi nonnemo cum S. Petro: *Argentum & aurum non est mihi*, quomodo ergo illud offerre potero? Ne despondeas animum, anime mi! *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias*; aurum autem hoc non aliud est, quàm vera ac sincera charitas in Deum, aurum ignitum, aurum probatum, hoc, inquam, illi præsenta, & satisfeci sti: Sed neque thus habeo, reponet mihi alius, quod Deo & homini Christo possem offerre? Verùm neque hoc tibi deficit: Ora rectè & devotè ad Deum, tum oratione vocali tum mentali, & ecce, thus & suave thymiama obtulisti juxta illud Regii Vatis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Dicet tertius: Ubi myrrham accipiam, quam Deo meo offeram? Sed neque hîc opus est, ut ad ultimam Thulen te conferas, ad hanc tibi comparandam myrrham; en, ad manus habes: Offer Deo tuo cor contritum, & humiliatum propter tua perpetrata peccata; offer & mortificationem carnis, ac præsertim tuorum sensuum; offer denique cruces, injurias, persecutiones ac passiones tuas, & hæc erit myrrha probatissima, ac Christo gratissima. Act. 3. 6. Apoc. 3. 18. Ps. 140. 2.

7. Duas quondam tubas argenteas Deus à Moyse fieri voluit, quarum unâ Principes ad consultandum de Republica convocabat, alterâ verò plebem, ad concionem ut conveniret, excitabat: si autem utraque buccina simul clangebat, universus populus convocatus est. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles &c.* Diversi diversa per duas istas argenteas tubas intelligunt. Rupertus Abbas per illas allegoricé duos Christi adventus subaudit, videlicet primum in carnem, & secundum ad judicium: Hugo Cardinalis verò per primam tubam, *Verbum prædicationis*, & per secundum *exemplum boni operis.* Non enim sufficit benè loqui, sed & oportet Superiores bono prælucere exemplo, quo subditi magis, quàm verbo, excitantur & animantur ad sequelam. Num. 10. 2. Rup. & Hugo hic.

Utrumque habemus in Tribus SS. Regibus Orientalibus, qui & verbo & exemplo nos docuerunt, & etiamnum nos docent, & sic utrâque tubâ nobis clangunt; verbo quidem: *Ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum?* En buccinam clangentem, & nos admonentem ad quærendum Deum; sed & exemplum

inspice:

Matt. 2. 11. inspice : *Et procidentes adoraverunt eum , & apertis thesauris suis , obtulerunt ei munera , aurum , thus & myrrham.* Ecce quale exemplum nobis dederunt ut quemadmodum illi fecerunt, ita & nos faciamus.

Supra omnia autem placuit Divinæ Majestati bona & optima memoratorum Regum voluntas, quam pro valedictione diviniſſimo Infanti & SS. Matri ejus offerebant ; non enim ignorabant, quòd Deus pluris affectum, quàm effectum respiciat, plurisque nostram bonam æstimet voluntatem, quàm opera nostra tam tepida & frigida ; unde rectè S. Gregorius M. *Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate.*

S Greg. M. hom. 5. in Evang.

Viduam illam pauperculam considera, duo tantùm minuta in gazophylacium in templo Solymæo mittentem ; & tamen attestante ipsa Veritate plus dedit, quàm cæteri divites omnes: *Et convocans Discipulos suos, ait illis ; Amen dico vobis, quoniam vidua hæc paupera plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacio ; omnes enim ex eo , quod abundabat illis, miserunt : hæc verò de penuria sua omnia, quæ habuit , misit , totum victum suum.* Ecce quomodo DEUS T. O. M. non tam donum pensat, quàm donantis affectum.

Marc, 12. 43.

8. Et nunquid Abraham jam stabat paratus ad immolandum Deo filium suum ? Et ecce , dum fibrat gladium , interpellatur ab Angelo : *Non extendas manum tuam contra puerum.* Et quare hoc ? Nunquid Deus est omnino immutabilis tam physicè quàm moraliter : *Ego enim Dominus, & non mutor ?* Resp. ad hoc Divus Jo. Chrysostomus : *Non hoc præcepi, ut opus perficiatur , neque volo , ut occidatur puer tuus , sed ut obedientia tua manifesta fiat omnibus. Igitur ne feceris ei quidquam. Contentus sum voluntate tua , & ex hac te corono & prædico.*

Gen. 22. 12 Malach. 3. 6.

S. Chrysost. hom. 47.

Accessit aliquando pretiosissimum orbis Salvatorem adolescens quidam dives & in lege peritus, consilium ab eo flagitans : *Magister bone , quid boni faciam , ut habeam vitam æternam ?* Cui Christus inter alia respondit : *Si vis perfectus esse , vade , vende , quæ habes , & da pauperibus , & habebis thesaurum in cœlo , & veni & sequere me.* Quod insperatum responsum ille audiens abiit tristis, habebat enim multas possessiones Advertit hoc Petrus , & quia jam sua ob amorem Christi reliquerat, animosior factus diviniſſimum suum Magistrum interrogat : *Ecce nos reliquimus omnia , & secuti sumus te ; quid ergo erit nobis ?* Quis, obsecro , hîc non miretur S. Petri audaciam, dum Christo dixit & objecit : *Reliquimus omnia ?* Quid ergo reliquisti, piscator egene ? Tugurium viliſſimum ad ripam Galilæi maris situm, ventis obnoxium, & ruinæ proximum, naviculam rimosam , & rete malè resarcitum ; & hoc est omnia relinquere ?

Matth. 19. 21.

Resp. S. Gregorius & ex eo Divus Bernardus : *Multum deseruit , qui voluntatem habendi dereliquit ;* erat enim Dominus cum hac bona voluntate

S Greg. M. hom 5. in Evang.

te Petri optimé contentus, qui, si provincias & regna possedisset, ob amorem Christi omnia lubentissimo animo reliquisset. Ex quibus cognosce, quòd juxta sententiam prædicti S. Gregorii: *Nihil Deo offertur ditius bonâ voluntate*; & Mellifluus; *Bona voluntas origo est omnium bonorum, & omnium mater virtutum.* S. Bern. Ep. ad FF. Plus devotissimus Blosius: *Tantus thesaurus*, inquit, *est bona voluntas, ut totus mundus ei æquiparari non possit.* Blos. parad. an. c. 33.

9. Et hæc causa est, quòd Evangelicus ille Paterfamilias eandem assignaverit mercedem vovissimâ horâ ad vineam suam excolendam venientibus, quam illis, qui summo mané ad laborandum venerunt: *Redde illis mercedem, incipiens à novissimis.* Et quare, dices, ultimos operarios pares fecit primis, qui portârunt pondus diei & æstûs? In quo ergo erant pares? Resp. non in opere, sed in voluntate operandi, non enim ex voluntate sua dicti ultimi operarii otiosi in foro reperti sunt, sed ex conducentis defectu; & ideo etiam bona voluntas eorum liberaliter remunerata est: *Bona voluntas*, ait S. Prosper, *omnium bonorum germen est primum.* Matt. 20. 8.

Imò nec pilos caprarum & pelles arietum Deus olim aspernabatur, quæ tanquam primitiæ ad tabernaculum exornandum olim ab Israëlitis offerebantur, ex quibus caprarum pilis telæ factæ sunt, Camelotæ dictæ, ferendis pluviis accommodæ: *Pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas &c.* Supra quod egregie S. Rupertus Abbas: *Ut primitiæ sint, quæ offeruntur, non oblationum quantitas, sed offerentium bona efficit voluntas; multùm enim ab auro & argento pili caprarum in pretio differunt; & tamen sub eodem vocabulo primitiarum positi sunt. Nec dubitandum, pilos caprarum & pelles arietum interdum auro & argento, lapidibusque pretiosis priora fuisse apud cordium inspectorem Deum.* Ecce quid possit bona voluntas apud Deum. Nota tibi hoc, qui pauperculus es, cùm liberalissimus DEus etiam calicem aquæ frigidæ, quem pauperi ob amorem porrigis, abunde remunerare soleat: *Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* S. Prosp. l. 1. de vocat. Gen. cap. 6. Exod. 26 4. Rup. Abb. l. 4. in Exod. 4. Matth. 10. 42.

10. Recordor hîc duorum illorum Discipulorum, quibus se Christus à morte redivivus in villa Emauntica manifestavit; & cùm mox ex eorum oculis disparuisset, internâ consolatione, & insolito gaudio pleni ad se invicem dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis.* Luc. 24. 32.

Hoc idem SS. Tribus accidit Regibus: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* dum pivinissimo Infanti pro salute mundi recens nato in abjecto stabulo offerebamus munera, & illud Verbum incarnatum, veræ fidei lumine nunc primi ex Gentilibus illustrati, humiliter in genua provoluti adoravimus? O quàm dulcia inter sese illâ nocte miscebant colloquia! nunc de blanditiis & immenso amore Verbi illius incarnati, nunc de SS. & dulcissima Matre ejus, quæ dono linguarum pollens, Arabicè cum illis locuta, mysteria fidei illis explicabat; Nunc de interno animi solatio, ardore Cornel. in Matth. 2. 11.

dore cœlesti, quem tunc sentiebant in mente; unde jam tunc temporis pro Christo usque ad fatigationem laborare, cruciari, imò & occidi optabant. O si tali ardore & amore diligeremus JESUM & MARIAM!

De Assuero Persarum Rege perhibet liber Esther, quòd nocte quadam non potuerit capessere somnum, ita Deo per Angelum dirigente, ut suas procuraret sibi prælegi annales, & ita recordaretur beneficii à Mardochæo sibi quondam præstiti, dum conjurationem contra Regem factam detexit: *Noctem illam duxit Rex insomnem.* Esther 6. 1.

Et nostri SS. Reges Orientales nocte illâ post inventum, stella duce, & adoratum filium Dei præ singulari lætitia, & mentis jubilo non poterant capere somnum, hærebàntque distracti ancipiti cogitatione, quidnam consultius foret, an redeuntes in patriam suam Hierosolymam priùs revisérent, & fidem paulò ante Herodi Regi datam exsolverent, an mox insalutato hospite per aliam viam sibi esset revertendum in patriam? & ecce, dum hæc agunt, & ad orationem concurrunt, suavi, quia tanto itinere lassi, succumbunt somno; interim adest de cœlo Nuntius, qui eos monet, ut per aliam viam redirent in regionem suam: *Et responso accepto, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Cyrillus observat, dictos SS. Magos fugientes Herodem in reditu suo ad patriam non tantùm publicas vias, sed & publica declinâsse hospitia, & in montibus, ac cavernis esse hospitatos. Et quia Herodes vidit, quòd dicti Magi non ampliùs ad se reverterentur, jussit in vindictam naves Tharsis igne comburi, quia per illud mare eos oportebat transire in patriam suam; sed spe frustratus & serò veniens, velut rabidus canis, dum videt, quòd non possit commodè hominem mordere transeuntem, qui in eum lapidem projicit, ipsum lapidem mordere assolet; ita Herodes ex post facto quasi in furentem canem versus in duos proprios filios, & in innocentes Infantes omnem iram suam, & vindictam effudit &c. Finio cum S. Ambrosio: *Aliâ*, inquit, *venerunt viâ Magi, aliâ redeunt; qui enim Christum viderant, Christum intellexerant, meliores utique, quàm venerant, revertuntur. Duæ quippe viæ sunt, una, quæ ducit ad interitum, alia, quæ ducit ad Regnum. Illa peccatorum est, quæ ducit ad Herodem, hac Christus est, quâ reditur ad Patriam.* Vide ut rectam viam teneas. Matth. 2. 12. Cyril. in vita S. Theod. S. Ambr. in Luc. c. 3.

CON-

CONSIDERATIO III.

De vita, virtutibus, & patrocinio S. Sebastiani M.

Pro Festo S. Sebastiani M.

Beatus, qui invenit Amicum verum. Eccl. 25. 12.

I.

BEnè dixisti, patientissime Job! benè dixisti: *Militia est vita hominis super terram.* Et quemadmodum illi, qui terra marique operam suam militiæ navant, continuis sunt expositi discriminibus; ita & nos mortales miseri quotidianis subjacemus periculis, mille animi conflictibus, carnis, mundi & Dæmonis tentationibus, variis ægritudinibus, ac tandem felici, aut heu infelici morti. Unde rectè Gentium Doctor: Pericula in itineribus, pericula in fluminibus, pericula ex genere, pericula ex Gentibus, pericula in civitate, pericula in solitudine, pericula in mari, pericula in falsis fratribus, ut Joab cum Amasa, Absolon cum Amnon, & Judas cum Christo. Hinc felix ille, qui inter tot rerum discrimina, & mundi hujus immundi varietates, verum ac sincerum reperire poterit amicum, qui non tam in prosperis, quàm adversis amico suo fideliter adsit, & opituletur: *Amicus fidelis*, ait sapientissimus Ecclesiasticus, *protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.*

Job. 7. 1.

2. Cor. 11. 26.

2. Reg. 20. 9.

2. Reg. 13. 28.

Matth. 26. 50.

Eccl. 6. 14.

Talis amicus verus ac sincerus fuit sub habitu & specie peregrini S. Raphael Archangelus Juniori Tobiæ, dum illum per remotissimum ac periculosum iter duxit, & reduxit sanum, à devoratione piscis liberavit, Dæmonium ab eo compescuit, patri visum restituit, & bonis omnibus ejus domum replevit; unde meritò pater & filius inter se invicem consultantes dixerunt: *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?*

Tob. 12. 2.

Talis amicus extitit Jonathas Princeps Regius Davidi, dum ob gratiam illus patris iram placavit, eum à mortis periculo iterato eripuit, ac propriis vestimentis in signum initi fœderis & amicitiæ inviolabilis induit;
1. Reg. 18. unde Scriptura: *Anima Jonathæ conglutinata est animæ Davíd, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.*

Talis amicus erat in Aula Regis Sedeciæ Abdemelech Jeremiæ Prophetæ, dum eum è cæno & profundo lacu, in quem, ut fame moreretur,
Jer. 38. 12. demissus fuerat, benignè eruit, liberavitque: *Dixitque Abdemelech Æthiops ad Jeremiam: Pone veteres pannos, & hæc scissa, & putrida sub cubitu manuum tuarum, & super funes: fecit ergo Jeremias sic, & extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu.*

Talis amicus fuit notus ille Samaritanus peregrino Jerichuntino incidenti quondam inter latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abiêrunt, semivivo relicto. Pertranssît autem per eandem viam Sacerdos & Levita, sed horrore plagarum vulnerati & moribundi illius perculsi, in contrariam partem iter suum reflexerunt; Samarita-
Luc. 10. 34. nus autem idem iter faciens, misericordia motus, *alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum &c.* En verum ac sincerum amicum!

Similem fidelem amicum & ego hodie inquiro, qui neque in prosperis, neque in adversis, neque in vita, neque in morte me deserat. Sed ô mi DEus! ubi inter homines mortales moderno temporum tractu simi-
Prov. 31. 10. lem potero invenire? *procul de ultimis finibus pretium ejus*; proinde altiùs sunt mentis oculi erigendi; & quem in hac tellure reperire non possumus, in cœlo inveniemus.

O Sancte Sebastiane, gloriossime Christi Martyr, miles fortissime, Dux inclyte, Ecclesiæ S. Catholicæ Defensor invictissime! te hodierna luce appello, tu, tu, inquam, eris nobis clientibus ac cultoribus tuis simi-
Eccl. 6. 16. lis fidelis ac sinceriſsimus amicus, de quo illud verificatur Sapientis: *Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inveniunt illum.* Plura de hac veritate impræsentiarum examinabimus.

2. Veræ nobilitatis laus & gloria consistit in justitiâ, pietate & virtute;
Gen. 6. 9. ita laudatur *Noë vir justus, non genere*, ait S. Ambrosius, *sed justitiâ: pro-*
S. Ambr. l. *bati enim viri genus, virtutis prosapia est.* Commendatur & S. Sebastianus ob
de arca Noë. generis nobilitatem, sed multò magis ob virtutem, propter quam omni-
c. 4. bus charus & acceptus fuit, præsertim Romanorum Imperatori Diocletiano, à quo, cùm Mediolano Romam venisset, *Dux primæ cohortis electus est.* Discant hîc Nobiles, quia *Nobilitas morum magis ornat, quàm genitorum.*

Daniel de nobili stirpe Juda progenitus, licet pluribus annis in Aula regia Nabuchodonosoris, Balthasaris, & Cyri, inter Gentiles fuerit commoratus, illibatam tamen mentem & animam constantissimé servavit,

ubi

ubi non tantùm suæ, sed & aliorum salutis & perfectionis semper studiosissimus extitit, quem ne quidem leones attingere ausi sunt; rationem ipse assignat: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo justitia inventa est in me.* Dan. 6. 22.

Versabatur & S. Sebastianus, & quidem ut Aulicus primarius in Cæsarea Aula Diocletiani Imperatoris & Ecclesiæ persecutoris, gaudens divitiis, & honoribus, ac imperiis amplissimis; his tamen non obstantibus vitam duxit prorsus irreprehensibilem, & immaculatam, dans Cæsari, quæ erant Cæsaris, nimirum obsequium, obedientiam & servitium, & Deo, quæ erant Dei, dum huic Dominorum Domino semper, quoad vixerat, fidelissimè inserviebat, illud semper animo revolvens: *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Act. 5. 29.

3. Sed & miles erat D. Sebastianus, & quidem *Dux primæ cohortis.* In libro Exodi refertur, quomodo cœlum Israëlitis manna grandinaverit extra castra: *Manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum.* Et quare non intra castra? Resp. Rupertus Abbas, quòd per hoc cœleste manna non duntaxat SS. Evchariſtia, sed & quæcunque alia bona, ac beneficia cœlestia possint intelligi. Solent autem ejusmodi dona ac bona cœlestia rarò delabi in castra militum, quia *militia* non longè distat à *malitia*, & status militaris sæpe à pietate alienus est; unde illud tritum: *Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.* Quidquid si hac de re, multi tamen milites singulari sanctitate fuerunt conspicui; Unde de Centurione Capharnaita ipsa Veritas Christus hoc luculentissimum tulit testimonium: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.* Et de alio Centurione recenset S. Lucas, quòd in tantum Deo fuerit acceptus, ut in signum peculiaris amoris & æstimationis Angelum de cœlo ad eum ablegaverit, & paulò post Vicarium suum S. Petrum, qui ipsum in fide Orthodoxa instruxit, & cum omni familia sacro Baptismatis fonte abluit. Audi Scripturam: *Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum &c.* Exod. 16. 14. Matth 8. 10. Act. 10. 1.

Et quid dico? Non minore laudum præconio dignus est S. Sebastianus *Dux primæ cohortis*, de quo Surius: *Quotidie sedulum Christo exhibebat officium*, Christianos suppressos sublevando, divitias suas pauperibus distribuendo, visitando carceres & catacumbas; in quibus inter tot persecutionum fluctus Christiani, vel incarcerati ad mortem & martyrium servabantur, vel in speluncis istis subterraneis reconditi delitescebant, quibus omnibus largiter subveniebat Sebastianus; & ut in confessione veræ fidei constantes perseverarent, efficaciter adhortabatur; unde ulteriùs de illo Historia loquitur: *Hunc milites quasi patrem venerabantur, hunc universi, qui* Sur. in vita.

præerant palatio, summo amoris studio complectebantur ; erat enim vir totius prudentiæ, in sermone verax , in judicio justus , in consilio providus , in commisso fidelis , in bonitate conspicuus , & in universa morum honestate præclarus. Quid melius & insignius de illo dici poterat ? Disce virtutes ejus imitari , exemplum enim dedit tibi : *Certa bonum certamen.*

4. Sed pergamus ad alia, De Tobia seniore referunt Sacræ Paginæ quòd tempore captivitatis Babylonicæ mirum in modum suos captivos fratres consolatus sit, quibus non duntaxat in fame, persecutione , ac in extrema paupertate suis facultatibus optatam tulit opem , verùm etiam in fide ac Religione , ne ob metum Regis idololatræ ad idola Assyriorum desciscerent, raro illos firmavit & conservavit exemplo ; & si corpora Hebræorum à Gentibus ob fidei odium trucidata , atque inhumata in platea & via in escam bestiarum fuerunt projecta, ea sub obscuræ noctis silentio sollicitè collecta propriis manibus, & non sine vitæ periculo terræ mandavit : *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam , & consolabatur eos , dividebatque unicuique , prout poterat , de facultatibus suis : Esurientes alebat , nudisque vestimenta præbebat , atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat &c.*

Tob. 1. 19.

En perelegantem typum , quem S. Sebastianus in Curia Diocletiani, & Maximiniani Imperatorum , & Ecclesiæ persecutorum, sub militari habitu implevit, qui, ut alter & novus Tobias , non tantùm egenos Christianos ut amantissimus pater benignè suscepit , sustentavit , confortavit , & ad supremam luctam pro Christo obeundam animavit; verùm etiam SS. Martyrum corpora Romæ hinc & inde sparsa , & bestiis ad devorandum tradita , de nocte intempesta cum S. Caio Pontifice M. S. Polycarpo Presbytero, & aliis fidelibus fideliter inquisivit, & in catacumbis honorificè sepeliri curavit ; sicque verum exemplar omnium bonorum operum & virtutum sese orbi Christiano exhibuit : *Christianorum animos* , ait Surius, *quos inter tormenta videbat deficere , confirmavit , ut Deo redderet animas , quas diabolus conabatur auferre. Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit?*

Sur. in Vita.

Job. 4. 4.

5. De Job commemorat Eliphaz in Scriptura : *Ecce docuisti multos , & manus lassas roborâsti : vacillantes confirmaverunt sermones tui , & genua trementia confortâsti. Hoc idem de D. Sebastiano nostro dicere possumus : Docuit multos* , dum mille & quadringentos Gentiles ad Christum convertit, & per S. Polycarpum Presbyterum baptizari curavit, qui ex audita S. Sebastiani concione tantum conceperunt fervorem , ut intra paucos dies pro Christo subire martyrium non dubitaverint, de quibus iterum Surius : *In Dei laudibus perdurantes , ducebant dies ac noctes in hymnis & canticis , & quasi fideles milites parabant animos suos ad dimicandum pro Christi Nomine in martyrio bellaturi , ita ut & mulieribus , & infantibus amor ferveret martyrii. Sed & manus*

Sur. in vita.

lassas

laſſas roboravit, dum egenis & miſeris pro omni poſſibili modo ſuis divitiis, & facultatibus ſubvenit; & ſicut quondam Abdias, regnante in Samaria impio Achab idololatrâ, in atrociſſima perſecutione centum Prophetis in diverſis ſpeluncis deliteſcentibus ſufficientia ſubminiſtravit media: *Cùm interficeret Jezabel Prophetas, abſcondit eos quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis: & pavit eos pane & aquâ.* 3. Reg. 18. 4. Ita S. Sebaſtianus Dux exercitûs Romæ in ſpeluncis & cavernis ſubterraneis non centum, ſed plures facultatibus ſuis ſuſtentabat, nutriebátque Chriſtianos: *Vacillantes confirmaverunt ſermones ejus*, dum inter tot perſecutiones, ubi uno menſe juxta Martyrologium ſeptemdecim millia pro Chriſti fide variis necabantur ſuppliciis, primos illos Chriſtianos, tormentis & doloribus non nihil fractos, opportunis monitis aliisque mediis excitavit, roboravitque, ut patienter usque ad ſupremum vitæ halitum in perferendis illis decumanis perſeverarent martyrii cruciamentis: *Et genua trementia confortavit*; quod ſingulariter apparuit in Chromatio, urbis Romanæ præfecto, quem ſubitò in Nomine JEſu à graviſſimis podagræ doloribus liberavit, & cum omni familia ſacro Baptismatis fonte abluit, in cujus ampliſſima domo ducenta Idola demolitus eſt. Item in Marco & Marcelliano fratribus Romanis & nobilibus, quibus ad ſupplicium raptatis obviam facti ſunt parentes, uxores, filii & amici, lamentabili voce, fletu ac gemitu eos rogantes, ut ad Idola reverterentur adoranda, quibus S. Sebaſtianus athleta fortiſſimus in medium eorum proſiliens: *Quid*, inquiebat, *agitis, ô fortiſſimi Chriſti milites? nolite per miſera blandimenta coronam deponere ſempiternam &c.* Sicque plura ingenti cum zelo ac fervore de contemptu mundi, honorum, opum, vanitatum, & de amore Chriſti JESU crucifixi diſcurrens, non tam trementia eorum genua in fide confortavit, quàm & plures adſtantes, quorum ſexaginta quatuor erant, ad veræ fidei lumen convertit; idcirco ob tam egregium animarum zelum, inſolito quodam ſplendore de cœlo delapſo, mirandum in modum illuminatus, & in ſignum illibatæ caſtimoniæ ab Angelis candidiſſimo amictu indutus eſt; *Per unam ferè horam*, ait Vita, *ſplendore nimio de cœlo veniente, perfuſus eſt, & ſub ipſo ſplendore pallio candidiſſimo ab Angelis ſeptem clariſſimis amictus*, inter quos cœleſtes Spiritus & Chriſtus Dominus medius apparuit, qui Sebaſtiano appropinquans oſculum pacis ei dedit, dicens: *Tu ſemper mecum eris.* O felix nuntium! Anima Chriſtiana! ſta hîc & penſa, quàm libenter Dilectus tuus paſcatur inter lilia? ſi vis, ut JEſus ſemper tecum ſit, imitare S. Sebaſtiani & mentis & corporis puritatem, fidem, ſpem, charitatem in Deum & proximum, zelum animarum, & quomodo in cœlum intrandum ſit per anguſtam portam, *quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam.* Matt. 7. 13

6. Age

6. Age Sebastiane, dux inclyte & heros fortissime ! nunc agitur de tua vita & salute, proditus enim, & delatus es apud immanissimum tyrannum Diocletianum, quòd non duntaxat Christianus, sed & omnium
Psal. 56. 8. Christianorum fautor atque defensor existas : *Paratum cor meum, Deus*, reponit nobis S. Sebastianus, *paratum cor meum*, seu ad vitam, seu ad mortem; Abraham immolavit Deo filium suum Isaac, Dux Jephte Sailam filiam suam, ego Omnipotenti Deo pro fide orthodoxa immolabo carnem me-
3. Reg. 23. am. David sitiens aquam de Cisterna Bethlehem libavit Domino, &
15. effudit eam super terram: ego omnem sanguinem meum, qui in venis est, libabo Domino meo JEsu Christo, & huic crucifixo, sub cujus umbra
Luc. 2. 34. & protectione stabo, pugnabo, superabo. Dominus meus ac Redemptor meus positus fuit in signum, cui ab omnibus in Cruce contradictum est : ponar & ego in signum & scopum, in quem emittantur cuncta tela malignantium & inimicorum. Felix tunc ero, si potero nudus cum Jonatha
1. Reg. 20. dicere : *Sagittæ intra me sunt ; pax mihi est.* Et quid multis? *Tunc*, inquit
21. Surius, *iratus Diocletianus jussit eum duci in medium, & ligatum ibi, ut signum, peti à sagittariis : Posuerunt ergo eum milites in medio campo, & hinc inde jaculis adeò repleverunt, ut instar herinacii ex sagittarum densitate hirsutus videretur.*
Thren. 3. O invictissimum Christi Martyrem ! quàm benè de te Jeremias Propheta:
12. *Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Supra quod Cornelius : Misit in renibus, id est, in teneram carnem & corpus meum, filias pharetræ, id est, sagittas, quæ in pharetra quasi filiæ in matris utero continentur. Et quid inter hunc ferreum imbrem S. Sebastianus : *Gratias tibi ago, JEsu mi*, inclamabat magnâ voce, *quòd amplissimum mihi conferas beneficium, ut pro te moriar.* Audi & Doctorem Mellifluum:
S. Bern. ser 61. in Cant. *Stat Martyr*, ait, *triumphans & tripudians, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem &c.* Sed unde talis ac tanta tolerantia? Respondet idem Mellifluus : *Inde tolerantia Martyrii provenit, quòd in Christi vulneribus tota devotione versetur, & jugi conversatione demoretur.* Heu nos desides, ubi nostra tolerantia in adversis est ? quid hactenus pro Christo passi sumus? & quomodo cum eo conglorificabimur, si non compatimur ?

7. Sinamus interim, inter tot dolorum fluctus in proprio sanguine suo nonnihil respirare, & quiescere S. Sebastianum, quem Divina Providentia adhuc destinavit ad ulterius cruentum certamen, ut adimpleretur
Sap. 10. 10. illud Sapientis : *Justum deduxit per vias rectas*. Et quare, dices, per vias rectas ? Resp. Jonathas Chaldæus in sua paraphrasi : *Filium deduxit Dominus per vias asperas*, & hæc via aspera recta in cœlum est, qua Justi ad
3 Reg. 19 4. DEUM secure pergere assolent, unde mox sequitur : *Et ostendit illi Regnum DEI*. Talis quondam erat Elias Thesbites, qui inter persecu-

torum

torum minas ac tela fugit in desertum, *sedítque subter unam Junipérum, & petivit animæ suæ, ut moreretur; Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*; sed ab Angelo confortatus perrexit usque ad montem Dei Horeb, ac tandem quasi redivivus de novo se stitit coram Achab Rege, cui ob impietatem plurima comminatus est mala &c.

En alterum Eliam in S. Sebastiano expressum, qui sub arbore, in qua velut in cruce erat alligatus, & meta sagittis factus, ut metam veram Christum attingeret, tandem vulneribus succumbens, *petivit animæ suæ, ut moreretur*; Vita habet: *Gratias tibi ago, JEsu mi, quòd amplissimum mihi conferas beneficium, ut pro te moriar.* Sed confortatus ab Angelo, præter omnium exspectationem, qui jam mortuus credebatur, vivus ab Irene vidua sancta inventus, ut alter Elias pastus & refocillatus est; proinde quasi de novo redivivus se rursus impio tyranno ad novum martyrii genus præsentavit, eique impietatem contra se & Christianos hactenus exercitam, generoso quo excellebat animo, improbavit, & exprobravit, ubi mox in arena ad thermas Diocletiani ob testificationem veritatis vix benè adhuc obductis vulneribus, & recrudescente tyranni barbarie, ad internecionem fustibus, virgis & flagellis delumbatus, occisus, & in cloacam sordidam projectus est anno Christi 268. En gloriosum hujus S. Martyris finem, qui non cessit suppliciis, sed potiùs illi cesserunt supplicia. Disce, anime mi, si opus fuerit, imitari fortitudinem, constantiam, patientiam &c. quia his omnibus & pluribus adversis aliis dignum est cœlum: quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8 18.

8. Recordor hîc Judæ Machabæi, incomparabilis quondam Belli Ducis & veteris Synagogæ inclyti defensoris, qui ex omnibus, quæ cum gentibus commiserat, præliis, nunquam nisi glorioſus victor rediit. Si mores illius, animùmque spectes, nullus pro cultu & gloria Divini Nominis, nullus pro reverentia & conservatione templi, nullus pro lege & grege, nullus pro incolumitate suæ gentis, nullus denique pro amore Dei & patriæ tantùm laboravit, desudavitque, ac Judas Machabæus. Tandem ubi suos ad constantiam & glorioſam mortem adhortatus est, ab exercitu Bacchidis cinctus, & telis tum à fronte, tum à tergo petitus, glorioſissimâ morte defunctus est, cujus adagium erat: *Non inferamus crimen gloriæ nostræ*, & cùm animoſiùs cum hoste pugnaret: *Quis similis tui in fortibus, Domine?* 1. Mach. 9. 10.

Videamus nunc non inelegantem inter S. Sebastianum & hunc Judam Machabæum analogiam. Judas veteris Synagogæ defensor fuit; S. Sebastianus Ecclesiæ Dei, quo titulo S. Cajus Pont. Max. ipsum condecoravit. Judas pro templo, aris & focis, vitam constanter expo-

 suit;

fuit ; S. Sebastianus pro Ecclesia Dei. Judas intrepidus inter fundibularios & sagittarios stetit ; S. Sebastianus in imbre telorum immobilis permansit. Judas ex tot præliis quasi redivivus ad suos rediit ; S. Sebastianus post primam cruentam pugnam quasi redivivus ad suos reversus est. Judam Machabæum pro honore Dei tuendo, & pro salute patriæ interfectum deplanxit omnis populus : *Et fleverunt eum omnis populus Israël planctu magno, & lugebant dies multos, & dixerunt : quomodo cecidit, qui salvum faciebat populum Israël :* S. Sebastianum pro Christo & Ecclesia occisum deplorabant Christiani omnes, qui in immani illa persecutione adhuc Romæ degebant, proinde cùm eum honorificentissimè in catacumbis ad pedes SS. Petri & Pauli sepeliebant, dicebant intra se cum gemitu & lachrymis : *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israël ?*

1. Mach. 9. 19.

9. Cùm populo quondam Hebræorum, ac præsertim Galaaditis gravissimum bellum ab Ammonitis instaret, nec idoneum ac expertum haberent Belli Ducem, qui tantæ hostium multitudini & potentiâ & ratione posset resistere, habito hac de re consilio, unanimi voce concluserunt, quòd Jephten virum prudentem ac magnanimum in suum principem, bellique ducem vellent eligere. Itaque legationem ad eum amandârunt, impensissimè illum rogantes, quatenus ob bonum publicum hanc non recusaret dignitatem, dixerùntque ad eum : *Veni & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon ;* quod arduum opus cùm tandem Jephte acceptâsset, singulari animi cum gaudio, & animo fortissimo in hostes ruit, eosque ingenti clade prostravit, & viginti civitates in suam redegit potestatem.

Judic. 11.

Eligamus & nos, animæ Christianæ, in hac calamitosa & rerum & temporum facie nobis aliquem Cælitum in Ducem ac Patronum, sub cujus umbra ac tutela contra hostium nostrorum insultus generosé ac securé pugnemus ; Dux iste, quem vobis propono, S. Sebastianus est, *Dux primæ cohortis & defensor Ecclesiæ ; qui de duce exercitûs*, prout loquitur doctissimus Mansius, *Dux Ecclesiæ factus est, cui S. Cajus Pontifex glorioſum hunc titulum imposuit, ut dicatur defensor Ecclesiæ, utpote, qui ad gregem Christianum tantæ necessitatis tempore defendendum & alendum singulariter electus fuit. Et si hoc fecit in terris, quid nun faciet in cœlis*

Mans. in prompt. Sacro Ser. 1.

10. Si Deus quondam propter David servum suum urbi Solymææ in obsidione Assyriorum in tantum pepercit, ut ne unica quidem in illum potuerit volare sagitta : *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter David servum meum* : Cur non & nostra civitas, nostra patria, noster pagus &c. protectionem ac patrocinium hujus S. Patroni & Ecclesiæ Defensoris S. Sebastiani poterit sperare ? *Si fuerit pro eo Angelus loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem ; miserebitur ejus, & dicet, Libera eum,*

4. Reg. 19. 34.

Job. 33 23.

ut

ut non descendat in corruptionem, inveni, in quo ei propitier. Angelus iste S. Sebastianus est; Angelus vitâ, Angelus moribus, Angelus intercessione &c. ergo &c.

Si Deus olim propter intercessionem Lothi servi sui civitati Segor gravissimam pœnam & ultimum condonavit excidium, quatuor interim-urbibus, Sodomâ videlicet, Gomorrhâ, Adamâ & Seboim igne cœlesti extinctis: *Ecce in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.* Et nunquid similem gratiam sperare possumus, si pro nobis in conspectu Dei erit interpellans S. Sebastianus? Gen. 19. 21.

Si Deus quondam populo suo Israëlitico, cùm propter enorme idolatriæ scelus jam supremum exspectaret interitum, propter preces Moysis condonavit injuriam & plagam: *Placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Et cur nos sub tali ac tanto Patrono, ac Protectore universæ Ecclesiæ Catholicæ, S. Sebastiano, non pari ratione spem noxarum condonationis, & reconciliationis cum Deo, si ritè erimus dispositi, concipiamus? Ex. 32. 14.

Si Aaron olim stans inter vivos & mortuos, ubi jam ira egressa est à Domino, & plaga ignis desæviens in castris Hebræorum quatuordecim millia hominum & septingentos consumpsit, adhuc pro salute populi supplicans, & suavissimum thymiama Divinæ Majestati offerens, iratum Numen placavit: *Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Quis dubitare poterit, si inter vivos & mortuos stans S. Sebastianus hoc calamitoso tempore (ubi bella, fames & lues contagiosæ tot hominum consumunt milla) pro nobis intercessor existat, quin Deum iratum, ac justissimum scelerum nostrorum vindicem sit placaturus? *Hic est fratrum amator, & populi Israël: Hic est, qui multùm orat pro populo, & universa sancta civitate.* Num. 16. 48. 2 Mach. 15. 14. Eccl. 38. 1.

Ergo honora Medicum propter necessitatem. Indignatus olim Deus contra Eliphaz Themanitem & duos amicos, suasit, ut Jobum, virum justum ac probatum in omnibus, accederent, ut ipse pro admissis ipsorum apud Divinam Clementiam intercederet delictis, & sic Divinum Numen esse placandum: *Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam &c.* Hoc nos moderno tempore faciamus: Eamus ad S. Sebastianum servum & amicum Dei fidelissimum ac gratissimum: Job. 42. 8.

Et faciem ejus suscipiet.

CONSIDERATIO IV.

Cum S. Paulo inſpirationi Divinæ citò obtemperandum.

Pro Feſto Converſionis S. Pauli.

Domine, quid me vis facere? Actorum 9. v. 6.

I.

QUemadmodum Sol, ſereniſſimus aſtrorum Princeps, vapores terræ, magnes ferrum, & ſuccinum paleas ad ſe trahunt, ita benignus Deus, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, per bonas inſpirationes, & per diverſa rerum diſcrimina, hominem viatorem ad ſuum amorem & ſequelam ſolet evocare.

2 Reg. 12. 2. Davidem conſulamus, toto aliquando cœlo à ſalutis via aberrantem, quem miſeratio Divina per Nathan Prophetam, dum ei parabolam de delicta

2. Par. 33. 12. ovicula propoſuit, mirabiliter ad ſe attraxit. Manaſſen, Regem Divinæ legis prævaricatorem, per varias adverſitates ad ſe revocavit. Filium prodigum per

Luc. 5. 11. maleſuadam famem ad meliorem convertit frugem: *Et ipſe cœpit egere.* Apoſtolos, tunc piſcatores, per ingentem piſcium capturam ad ſe benignè attraxit, dum mox *relictis omnibus ſecuti ſunt Dominum.* Iſraëlitas, ſub duriſſimo Pharaonis jugo vix non ſuppreſſos, per Moyſen ducem, & per columnam

Exod. 13. 21. præeuntem ex Ægypto vocavit in Palæſtinam; *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis &c.*

Hodie eadem Divina Clementia mirabili vocatione ad ſe Saulum attraxit. Ibat hic, ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Chriſti, militum & lictorum catervâ ſtipatus, Damaſcum, ut furoris ſui zelum ibidem in ſanguine primorum Chriſtianorum expleret. Et ecce, dum civitati appropinquat, ſubitò in meridie circumfulſit eum lux, de cœlo inſtar fulguris coruſcantis ipſam ſolis lucem ſuperans, & cadens in terram, quaſi

Act. 9. 4. fulmine tactus audivit vocem: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ego ſum JEſus, Deus, & ipſe Dei Filius, Salvator tuus, ſalus tua, & omne bonum

tuum,

tuum, & tu me persequeris? Mox agnovit vocem Domini Saulus, & tremens, ac stupens ad tantam Christi in aëre apparentis Majestatem, humiliter, & in animo plenè compuncto, atque in Dei voluntatem resignato, interrogat: *Domine, quid me vis facere?*

Ecce, quam citò Saulus, nunc S. Paulus, Deum vocantem audierit. Abraham, ubi à Deo vocatus est, mox respondit: *Adsum.* Ita & Jacob nepos ejus, ubi Angelum Dei monentem, percepit, sine mora reposuit: *Adsum.* Similiter & Moyses, cùm in deserto à Deo de medio rubi vocaretur: *Moyses, Moyses!* absque mora respondit: *Adsum.* Samuel, ubi de nocte intempesta vocem Domini intellexit: *Samuel, Samuel!* citò sese ad omnia promptum atque paratum exhibuit ministrum: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Et Vates Regius audiens subinde in silentio in corde suo loquentem Deum, sine cunctatione dixit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, seu ad prospera, seu adversa, oculi enim mei semper ad Dominum. O! quoties nos intùs in animo similes audimus & sentimus inspirationes divinas, quæ ad emendationem vitæ & ad majorem nos vocant perfectionem; cur, obsecro, non mox respondemus cum S. Paulo: *Domine quid me vis facere?* Nulla hîc, ubi vocantem Deum audimus, in emendatione vitæ interponenda mora est. Plura de hac veritate examinabimus.

Gen. 12. 1

Gen. 31. 11.

Exod. 3. 4.

1. Reg. 3. 10.

Ps. 107. 10.

2. Solent providi nautæ ac navarchæ, antequam navis vincula à littore solvunt, & in profunda propellunt æquora, magna priùs cum solicitudine circumspicere, an favorabilem ac propitium ventum habeant, quem si non attendunt, & diutiùs, quàm oportet, in statione sua morantur, manifesto exinde sese committent naufragii periculo, cùm venti velut agmine facto maris incipiunt agitare & perturbare procellas.

Quòd hic mundus, in quo degimus, à Vate regio periculoso comparetur freto, in comperto est, & ipsa quotidiana satis luculenter demonstrat experientia: *Hoc mare magnum & spatiosum &c.* Per hoc ergo mare magnum navigandum nobis est, si ad felicis æternitatis portum velimus pervenire; proinde summopere nobis opus erit ventus favorabilis atque propitius, hoc est, Gratia Dei, ut illam per bonas inspirationes vocantem non negligamus, sed in tempore opportuno maturè audiamus, & sequamur, mora enim hîc cuilibet erit nociva, & valde timeo de illo, qui ejusmodi bonas non attendit inspirationes divinas, ne aliquando audire debeat illud lamentabile Sapientis: *Vocavi, & renuisti.*

Ps. 103. 25.

Prov. 1. 24.

Saba Regina, ubi audivit de fama ac mira Salomonis sapientia, à Deo ipsi indita, nullam moram interposuit, quin sese cum ingenti comitatu ex Æthiopia usque in Judæam & Solymæam conferret civitatem: *Venit tentare eum in ænigmatibus.* Si diutius exspectâsset, fortasse nunquam ad agnitionem veri Numinis perveniisset.

3 Reg. 10. 1.

Jacob filius Isaac, si non citò matris suæ salutare monitum audiisset, nunquam locò Esau fratris sui paternam præripuisset benedictionem ac
Gen. 27. 8. primogenituram : *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis &c.* Ninivitæ, nisi maturé vocem Domini per os Jonæ Prophetæ ipsis interitum minitantem attendissent, sine ullo dubio æternùm periissent. Supererant illis ad
Jonæ 3. 4. seriam conversionem *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Illi tamen non exspectantes hoc tempus, adhuc primo die egerunt pœnitentiam.

Et tu, homo Christiane, & in lege Dei instructe, adhuc moras nectis, divinis obsecundandi inspirationibus ? quoties te vocavit Deus, & tu renuisti ? quoties manus suas ad te in cruce extendit, & tu non aspexisti ? quoties te per Prædicatores & Confessarios, per prospera & adversa monuit, & tu despexisti omne consilium ejus ? quid ergo denique fiet
Prov. 1. 28. de te ? Audi rursus Sapientem : *Tunc invocabunt me, & non exaudiam : manè consurgent, & non invenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo.*

3. Desideratis plura argumenta ? Amasa Davidis in bello Vicarius ac Capitaneus Generalis, ubi nihil minùs, quàm de imminente sua morte cogitaverat, ex improviso à Joab consobrino suo per fraudem circum-
2. Reg 20. 9. ventus, & interfectus est : *Et tenuit manu dextrâ mentum Amasæ, quasi osculans eum ; Porrò Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram.* Quæ, obsecro, causa tam improvisæ & infelicissimæ necis ? Fortasse, quia Job indigné tulit, Amasam à Davide Rege sibi prælatum ? Et hoc quidem verum est. Sed Scriptura adhuc aliam indigitat rationem, quia Amasa à Rege David jussus, ut intra triduum copiosum congregaret exercitum, ad rebellionem à Seba motam in ortu suo suffocandam & supprimendam, ipse ultrà, quàm Rex mandaverat, in hoc periculoso negotio moras traxit, rebellione in-
2. Reg. 20 5. terim majora sumente incrementa : *Et moratus est extra placitum, quod ei constituerat Rex.* Hæc mora & dilatio, nec non inobedientia erga Regem Amasæ causavit interitum. Cave, anime mi, si te Deus per bonas vocat inspirationes, & stella nova divinæ gratiæ oriatur in corde tuo, ne diutiùs & ulteriùs moras trahas respondendo ; dic proinde semper cum Samuele, quem
1. Reg. 3. 10. Deus de nocte intempesta sæpiùs vocare dignatus est ; *Ecce ego, quia vocâsti me;* & paulò post : *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Forsitan nunc ultimâ vice te vocat, offerens tibi gratiam suam ad omnia opera bona exequenda, & ad salutem æternam obtinendam efficacem ; imposterùm fortè non aliam daturus, nisi sufficientem, cum qua tamen neutiquam salva-
Eccl. 31. 27. beris ; undé rectè Ecclesiasticus: *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.*

4 Recordor hîc Jonæ Prophetæ à DEO quondam in Ninivem amandati, ut civibus illus loci ob demerita condignam intimaret pœnam ac interitum;

teritum ; ſed fugit is in Tharſis, quem mox inſequitur Divina Nemeſis ventum & procellam validam & horrendam in mari excitando. Interim nautæ, quisnam eorum inveniretur reus, jaciunt ſortes, & ſors indicat Jonam, qui ſine mora mittitur in mare, & procella ſiſtitur. Et quid factum eſt ? *Præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam.* Sinamus in hac balæna, ceu in viva navicula aut carcere, abire Jonam, atque inter feros maris fluctus tamdiu jactari, donec rurſus evomatur in aridam. Jonæ 2. 1.

Interim ad flumen Tigrim, qui non procul à Ninive in mare effunditur, nos conferamus, ubi in littore intueor Tobiam juniorem, ex itinere fatigatos, & pulvere ac ſudore ſordidos pedes lavantem: *Et ecce piſcis immanis exivit ad devorandum eum*, qui tamen ab illo abſorptus non eſt, quemadmodum Jonas, ſed Tobias hortatu Angeli fortiter ejus branchiam apprehendit, & ad ſe in ſiccum attraxit, illumque exenteravit, cor ejus, fel & jecur ſibi in peculiarem reponens & conſervans medicinam. Et quare, dices, Jonas à ceto devoratus eſt, non verò Tobias? Reſp. S. Zeno Veronenſis *Jonas ſtertebat in navi:* Tobias clamat & orat. Jonas vocantem Deum, & inſpirationes ejus non audiit, ſed à facie illius fugit in Tharſis ; Tobias vocem Dei, & Angeli monentis & audivit, & ſecutus eſt, hinc & victor ſui ipſius & balenæ invadentis evaſit. Tantùm prodeſt, divinas audire, & ſequi inſpirationes, ne aliquando cetus ille infernalis nos deglutiat, ac devoret. Unde rectè Mellifluus ſuper illa verba : *Hodie, ſi vocem ejus audieritis &c. Utiliùs*, inquit, *& multò ſalubriùs eſt, hodie audire eum conſulentem, conſolantem, admonentem, docentem, & ut multùm arguentem, increpantem, corripientem : quàm in die illa tam amarâ, tam lugubri, tam tenebroſa, audire illum judicantem, indignantem, ulciſcentem, ſævientem, condemnantem.* Juvat etiam hîc audire S. Franciſcum Saleſium : *O Deus bone*, inquit, *ſi inſpirationes divinas ſecundùm omnem earum virtutis amplitudinem, & extenſionem, reciperemus, quantos brevi tempore in ſanctitate progreſſus faceremus !* Et nunquid verum eſt, optime Lector ? fortaſſe in teipſo advertes. Tob. 6. 2. S. Zeno Veron. ſer. de Jona. Pſ. 94. 8. S. Bern. Ser. de verbis Abacuc. S. Franc. Sal. l. 2. c. 11.

5. Progrediamur ulteriùs. Venerat aliquando Jeroſolymam adorandi Deum causâ Evnuchus quidam Æthiops, homo dives, ac princeps, & Reginæ Candacis theſaurarius, qui, cùm peractâ in templo adoratione, ſedens ſuper currum ſuum reverteretur in Æthiopiam, S. Philippus Diaconus Spiritu ſuperiore monitus, ſe ad illius currum adjunxit, illùmque Sacram Scripturam lectitantem invenit ; direxit autem Spiritus Sanctus Evnuchi oculos ad caput Iſaiæ 53. quod totum de Chriſto ejusque Paſſione agit, quod cùm S. Philippus illi explicâſſet, atqué myſterium Incarnationis & Redemptionis Chriſti docuiſſet, noluit ampliùs prædictus Evnuchus differre baptismum, ſed exclamans inquiebat : *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus : ſi credis ex toto corde, licet : & reſpondens ait : Credo,* Act. 8. 56.

Filium

Filium Dei esse JEsum Christum ; & jussit stare currum, & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Evnuchus ; & baptizavit eum. Cùm autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Evnuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Ad quid, obsecro, Evnuchus ille adeò festinavit, ut Baptismum reciperet ? cur non exspectavit, donec plenius in cæteris fidei articulis instrueretur ? Et nunquid, ut quis adultus dignum recipiat sacrum baptisma, requiritur, ut signa doloris & contritionis priùs exhibeat, ut credat in SS. Trinitatem, Ecclesiam Catholicam, remissionem peccatorum, & reliqua, quæ in Symbolo continentur Apostolico?

Resp. Evnuchum illum inspirationis divinæ, vocationis, ac salutis adeò fuisse cupidum, ut neque ad momentum, dum intus in corde Deum monentem audierat, suam salutem voluerit differre, sed ubi à S. Philippo catechizatus est, & in essentialibus fidei articulis instructus, mox præmissa contritione ad fontem baptismi properavit, luculentissimum nobis relinquens exemplum, quomodo sine mora prælucentem stellam, hoc est, divinam gratiam intùs pulsantem, & nos ad meliorem frugem excitantem, & audire, & sequi debeamus. Expedit hîc audire S. Basilium Magnum : *Imitare igitur Evnuchum*, ait, *incidit ille in instruentem, docentemque, nec disciplinam sprevit, verùm statim dives pauperem in currum accepit, idiotam & despectum magnificus, ac sublimis, ac demum doctus Evangelium regni continuò fidem in cordis penetralibus concepit, nec obsignationem Spiritus distulit, nam mox ut incidit in aquam : Ecce*, inquit, *aqua. Cum gaudio hoc dicebat, ecce quam quærebamus ; & quid me baptizari prohibet ? Ubi namque prompta voluntas, nihil est, quod impediatur.*

S. Basil. hom. 13. de bapt.

6. Audiamus ad confirmationem hujus veritatis Evangelicæ plura, ac valida argumenta. Refert dilectus Christi Discipulus de piscina Probatica in Jerusalem, quæ quinque habebat porticus, in quibus jacebat multitudo magna languentium, exspectantium aquæ motum ; siquidem Angelus Domini certis anni temporibus descendebat de cœlo, movens & perturbans aquam : *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Hæreo hîc attonitus, quare solum ille, qui prior post motionem aquæ se demittebat in piscinam, subitò à sua curatus fuerit infirmitate, cæteris remanentibus languidis, aridis, claudis, cæcis, & infirmis ?

Jo. 5. 4.

Adverte : Per Angelum illum de cœlo descendentem & aquam moventem, *magni consilii Angelum*, hoc est, Deum & Hominem Christum intellige, qui propter nostram salutem descendit de cœlis. Movetur autem aqua, ait doctissimus Mansius, dum in nobis divina gratia operatur, nòsque per sacras inspirationes ad meliorem vitam vocat, & excitat ; hîc profectò nulla interjicienda est temporis mora, ubi de animæ nostræ æterna agitur salute, quia omni momento ad ostium æternitatis stamus.

Mans. in æ-rario Evan. hîc.

ſtamus. Sanabatur autem ſolus ille, qui prior deſcendit in piſcinam motam, quia Deus, ait Cornelius hîc, ſua dona vigilantibus, & ſedulis offert, non tardis ac dormitantibus. Sic in ſtadio ſolus ille accipit brabeum, qui cæteris præcurrit. 1 Cor. 9. 24.

7. Paulum conſule, de quo priùs mentionem feci, qui, cùm à Chriſto ad converſionem vocatus eſſet, ne momentum quidem temporis elàbi permiſit, quin Chriſto invitanti promptiſſimè reſponderet: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. 6. Matthæus Publicanus ſedens in telonio, cùm à Domino prætereunte ad ſui ſequelam invitaretur: *Sequere me*, nullo modo diu cunctatus eſt, neque amicorum inquiſivit conſilia, neque de ſuis diſponendi pecuniis quæſivit inducias, ſed ſine mora divitias contempſit, carnalium affectuum abrupit nexus, & ſic à terrenis ſolutus, Chriſti veſtigia lætus & impiger ſectatus eſt: *Et ſurgens ſecutus eſt eum.* Matt. 9. 9.

Magdalena, *ut cognovit*, quòd JEſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecùs pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Obſerva, *ut cognovit*, quàm primùm divinam vocationem, & inſpirationem in ſe experta eſt, absque ulla mora eam acceptavit, & executioni mandavit, non de die in diem ſuam differens converſionem: *Ut cognovit.* Audi. Luc. 7. 37.

Prodigus ille, licèt aliquo tempore à vero ſalutis tramite multùm aberrârit: ubi autem internæ inſpirationi, & vocationi divinæ promptas præbuit aures, meruit â Deo illuminari: *In ſe autem reverſus dixit: Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Adverte: *In ſe reverſus.* O quàm ſtulti igitur ſunt illi omnes, qui ſibi perſuadent, in fine vitæ ſe propitium Deum inventuros, qui per omnem vitam ſuam ejus divinas contempſerunt inſpirationes. Luc. 15. 17.

Bartimæus notus ille cæcus, qui ſecùs viam non procul à civitate ſedebat Jerichuntina, panem mendicans, & ſtipem colligens, ubi à prætereuntibus audierat viatoribus, quòd à JEſu vocaretur: *Animæquior eſto: ſurge, vocat te*, ſine mora præ inſolito gaudio ſua à ſe abjecit veſtimenta, *& exiliens venit ad JEſum*, à quo benignè exceptus, & illuminatus eſt: *Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.* Marc. 10.

En! anima Chriſtiana, habes hîc luculentum, quod imiteris, exemplum. Vocat & te JEſus: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Pulſat JEſus, dum occulta inſpiratione cor tuum ferit, & ad melius omnipotenti Deo inſerviendum excitat: *Quoties Sponſus*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *provocat ad dilectionem, ad virtutes, toties pulſat, ut aperiatur.* Quare ergo, ô anima pigra ac deſidioſa, januam cordis tui Dilecto tuo non aperis: *Stellæ dederunt lumen*, ait Baruch Propheta, *& dixerunt: adſumus.* Tu toties, imò verò quotidie vocaris à Deo per ſanctas inſpirationes, & cur non aliquando reſpondes: *adſumus.* Audi Simonem Caſſianum: *Periculoſum,* Cant. 5. 2. S. Laur. Juſt. de caſto connub. cap. 11. Sim. Caſſ. l. 5. c. 32.

sum, inquit, *est*, *cùm Dominus vocat*, *moras innectere*, *aut remissè gradi ad optatum & definitum hominibus bonum.*

8. Recordor hîc populi Israëlitici, mirabiliter, & non nisi per manum Dei fortem è durissima servitute Ægyptiaca liberati, atque per mare rubrum inoffenso pede per siccum transeuntis : *Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris : erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & lævâ &c.* Exod. 14. 22. Magnum sine dubio hoc erat populo illi Hebraico beneficium, proinde grati, elusо & submerso hoste, Deo unanimi voce decantabant : *Cantemus Domino ; gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare &c.* Exod. 15. 1. Sed brevi mutata est scena, dum enim in via ad Palæstinam, & terram promissam pergerent, plures eorum à Deo variis plagis percussi interiêrunt : *Et ecce furor Domini concitatus est in populum ; percussit eum plagâ magnâ nimis.* Et quomodo, dices, hoc fieri potuit ? paulò ante benignus Deus hunc electum populum suum à diro Pharaonis jugo liberavit, & insolito prodigio per mare rubrum sicco vestigio transvexit ; nunc eundem populum horrendum in modum castigat, interficit, & exterminat ?

Rationem assignant SS. Patres & Interpretes, quia ab initio populus ille electus Deum vocantem & hortantem lubenti animo audierat, & sequebatur inspirationes ejus, idcirco benignum experti sunt Dominum ; unde Scriptura dicit : *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut Dux esset itineris utroque tempore.* Exod. 13. 22. Addit de Lyra : *Non solùm ostendebat viam, sed etiam protegebat.* Ecce quàm tutum, & utile sit, Deum vocantem sequi, & ejus audire, ac complere hortamenta : Sed ubi populus ille ingratus Deum vocantem, monentem, & suaviter corripientem non ampliùs in deserto audire cœpit, vitulùmque aureum conflatilem, quem ut Deum adorarent, sibi erexit, & post inventiones suas abiit, justo Dei omnipotentis judicio per diversimodas plagas castigati, occisi, & exterminati sunt : *Et iratus est furore Dominus in populum suum : & abominatus est hæreditatem suam.* Ps. 105. 40. Vide, anime mi, ne & tibi taliter contingat, si renueris vocantem Deum sequi. *Ergo*, subintrat hîc Aureus Orator, *currite ad medicum, cùm potestis : ne cùm velitis, non possitis.* S. Chrys. in Psal. 26. S. Ephrem. de pœnit. Et S. Ephrem : *Ecce*, ait, *ostium pœnitentiæ apertum est ; festina peccator, priusquàm illud occludatur.*

9. Sed quæso, noli mihi dicere : *Leo est in via, & leæna in itineribus ;* hæc enim vox pigri, otiosi, imò reprobi hominis est, facilè enim hunc leonem, qui juxta mentem Hugonis Diabolus est, & leænam, quæ caro tua est, dum te à capessenda ardua, & laboriosa virtutis via volunt absterrere, poteris adjutorio DEI superare : *Resistite*, ait S. Jacobus, *Diabolo, & fugiet à vobis.* Prov. 26. 13. Jac. 4. 7.

Et nunquid Daniel Propheta rugientibus ac famelicis leonibus erat traditus, ut ab illis in lacu in frusta discerptus devoraretur ? sed *Deus*

meus,

meus, ait ipse B. Daniel ad Regem Babyloniæ, *misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* E contrario recenset Scriptura de alio Propheta, Josepho Jaddo vocato, qui, cùm altari Jeroboami idololatræ scissionem, & excidium per Josiam Regem intentâsset, atque arescentem manum Jeroboami restituisset, in via rediens ad patriam domum per leonem occisus est: *Qui cùm abiisset, invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere.* Et quare, obsecro, Danieli non potuerunt nocere leones, hunc autem Prophetam absque mora occiderunt? & nunquid ambo erant justi ac sancti? Dan. 6. 22. 3. Reg. 13. 24.

Resp. Daniel erat *vir desideriorum*, vocanti & inspiranti Deo semper promptissimè obediens, & inspirationibus divinis correspondens, unde nihil magìs satagebat, quàm facere ubique & in omnibus ejus sanctissimam voluntatem; alter autem Propheta, vel semel Deo in aliquo puncto erat inobediens, nec inspirationibus ejus sufficienter morem gerens, dum contra jussum Dei seductus à quodam Pseudo-Propheta in Bethel panem comedit; ideo in pœnam, licèt tantùm venialiter peccaverit, temporali morte punitus fuit: *Ob peccatum quidem*, ait S. Augustinus, *à leone occisus est; sed corpus ejus quasi Sancti à leone integrum, intactumque servatum est.* S. Aug. hîc apud Corn.

10. Discite hîc, animæ Christianæ, divinæ vocationi & inspirationi meliùs, quàm hactenus feciſtis, obtemperare: *Negotiamini, dum venio*, inclamat nobis quotidie mitissimus Salvator; hinc monere nos solet donis ac gratiis suis, minis & castigationibus; nunc per custodem Angelum, nunc per Superiores, Prædicatores, nunc per Confessarios, parentes, amicos, nunc per propriam conscientiam, libros sanctos &c. Ergo *negotiamini, dum venio*, tempus enim, quo nunc vivimus, tempus Nundinarum est, quo possumus semper augere merita nostra; finitis autem his nundinis non ampliùs erit tempus merendi: *Cujus vestrùm asinus*, ait Veritas Christus, *aut bos in puteum cadet, & non continùo extrahet illum?* Et nos tardabimus, si fortè per peccatum in puteum æternæ damnationis delapsi sumus, salvare animas nostras? Luc. 19. Luc. 14. 5.

Mendicus ille, qui sine veste nuptiali temerè præsumpsit ad regias venire nuptias, jussu Regis vinculatis manibus ac plantis in Tartarum projectus est: *Ligatis manibus ac pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Et quare ligatis manibus ac pedibus? Resp. Quia homo otiosus erat, vocationi suæ minimè correspondens, dum debuisset manus suas extendere ad laborem, & pedes ad cæleste impetrandum Regnum, ille interim in quieto sedebat otio: *Tunc*, ait S. Gregorius, *ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligavit culpa.* Quid ergo consilii? Audite pro coronide hujus Considerationis S. Chrysostomum: *Nihil est*, inquit, *quod adeò sit inconcinnum, & alienum à Christo; atque requiem, & recreationem quærere, & ad* Matth. 22. 13. S. Gregor. hom. 38.

ret sacrificium ; & licèt tres Reges magnam auri vim paulò ante Christo præsentaverint, sanctissimam tamen Virgo, utpote paupertatis studiosissima, & voluntatis divini Filii sui non ignara, ex illo auro modicum tantùm quid, *quasi libando*, ait Abulensis, *accepit*, reliquum verò templo, Synagogis & pauperibus distribuit ; hinc non agnum more divitum in purificatione sua in holocaustum Deo obtulit, sed par turturum duntaxat, aut duos pullos columbarum, quod pauperum conjugum erat munus. Interim aquâ cinerea vitulæ rufæ, quasi aqua lustrali per Sacerdotem fuit aspersa, & sic purificata, quæ nullâ indigebat purificatione.

Abulens. c. 2. in Matt. q. 47.

Sed quæres hîc, quare Div. Josephus non agnum quendam emerit in templo Deo Patri offerendum & immolandum ? Respondetur, quia ipse Christus erat agnus, immaculatus hodie in sacrificium matutinum Patri æterno offerendus, proinde non decebat, ut in præsentia figurati figurans offerretur. O quàm gratum hoc erat Deo sacrificium ; Offerebat Mater, offerebat se ipsum Filius in pretium redemptionis nostræ, offerebat & Josephus ac justus Simeon cum Anna Phanuelis. Offeramus & nos iisdem affectibus Deo Patri hanc tenerrimam, sed jam tunc ad mortem crucis destinatam victimam, & quidquid ad salutem animæ nostræ erit proficuum, sine dubio per hanc immaculatam hostiam à Deo Patre impetrabimus, ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, & *in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

1. Jo. 4. 9.

3. Recordor hîc illius columbæ, quam Noëmus cessante diluvio, subsidente in montibus Armeniæ Arca, ad explorandum, an & quantùm terra sit siccata, dimisit : *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis.* O quanto cum gaudio & solatio justi Noëmi ! Ex quo signo infallibiliter intellexit, quòd alma pax Deum inter & hominem sit stabilita, & Deus mundo reconciliatus ? *Oliva enim*, ait Ambrosius, *est insigne misericordiæ* ; & Pererius : *Est hieroglyphicum pacis & victoriæ.*

Gen. 8. 11.

S. Ambr hic & Perer. apud Cor.

Per hanc columbam Noëmicam, olivæ ramum ferentem, quid aliud adumbratum, & præsignatum est, quàm mitissima Virgo & Mater Christi, quæ hodie brachiis suis divinam in templum portavit olivam, hoc est, Christum dilectissimum Filium suum, quemque Patri æterno præsentavit in signum fœderis & reconciliationis cum genere humano : *Jam*, inquit Diez, *Amicitia inter Deum & hominem restauratur.* O quàm grata & jucunda advenisti, columba purissima ac desideratissima !

Diez conc. 1. in Purif. P. Eust. hoc Festiv.

Olim moris erat, ut, qui singularem gratiam à Regibus, Principibus, vel à Magistratu vellet obtinere, viridem olivæ ramum in manu sua portaret. O pientissima Virgo ! per hunc tuum viridissimum divinæ olivæ ramum : *Ego autem sicut oliva fructifera in domo DEI &c.*

Psal. 51. 10.

omnia

omnia poteris à Deo Patre impetrare ; loquere ergo pro nobis bonum, *& ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.* Judith 8. 29.

Mirabilis fuit illa virga Aaronis, de qua Scriptura : *Sequenti die regressus* (Moyses) *invenit germinâsse virgam Aaron in domo Levi : & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Observant hîc Cornelius, & alii, in hac virga Aaronica triplex prodigium : primum, quia virga, licèt arida priùs, nunc florida germinavit baccas ; secundùm, quòd eo tempore baccæ illæ in flores fuerint conversæ ; & tertium, quòd iidem flores repentè conversi fuerint in maturos & amœnissimos fructus, puta in dulcia amygdala ; quæ virga Aaronica imposterùm non ampliùs desiccata est, sed semper permansit cum floribus & fructibus. Ita etiam Abulensis &c. Num. 17. 9. Abulenſ. hic.

Quòd omnia hæc illis facta sint in figura, nullum est dubium ; per quam Virgam Aaronicam S. Bernardus, & Rupertus Abbas non incongruè B. Virginem & Dei hominisque Christi Matrem subaudiunt, per florem autem & fructum, ipsum Christum orbis Salvatorem accipiunt, juxta illud Isaiæ Prophetæ : *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet ;* quem pulcherrimum florem & benedictum fructum ventris sui hodie SS. Virgo & filia Aaronis propriis manibus è Bethlehem, civitate David, Hierosolymam usque portavit, & Divinæ Majestati obtulit in totius mundi hostiam. O quis dicet, quo amore, quâ veneratione, quâ externâ & internâ reverentia ac devotione ! Anime mi ; idem gratissimum munus offers DEO tuo, quoties celebras, aut assistis SS. Sacrificio Eucharistico, vide, ut omnia pura sint in te, manus, lingua, cor, ad quod intrat ipse Author vitæ &c. S. Bern. ho. 2 super Missas. Isa. 11. 1.

4. Verùm pergamus ulteriùs. Inter alias Leges ceremoniales, quas olim Deus per Moysen Hebræis in deserto præscripserat, non minima erat illa, quam in Levitico assignavit : *Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis.* Levit. 23. 10.

Per hunc fasciculum, messis primitias, rectè intelliges Puerum JEsum, hodie in templo Solymæo per Sacratissimam Virginem, & per manus Sacerdotis Deo oblatum, & elevatum, ipse enim erat fasciculus myrrhæ, ait Rupertus Abbas, propter passionem, quam hodie justus Simeon Filio & Matri prædixit : *Hic positus est in signum, cui contradicetur,* hoc est, destinatus ad crucem, hoc enim erat illud signum ; & Matri : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Erat insuper Deus fasciculus frumenti propter resurrectionem, granum enim frumenti licèt mortuum fuerit, paulò tamen pòst de novo surgit in ortum. Rup. Abb. hic. Luc. 2. 35.

Hunc

Hunc ergo mysticum spicarum manipulum & nos hodie in fide & spe nostra, quasi spicas recentes offeramus Domino ad intentionem prædictæ oblationis in templo, mané, inquam, offeramus primitias totius diei, imò cujusvis boni operis, præmittendo semper illis bonam intentionem.

De Abigail recensèt Sacra Pagina, quibus modis accensam Davidis iram placavit, cui multa & ampla præsentavit munera, summè se humilians, prosternendo se coram illo, ut Nabali priùs bilem Davidi moventi parceret: *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi, Domino meo.*

1. Reg. 25. 27.

Abigail hæc, ait S. Bonaventura, fuit typus B. Virginis, quæ à DEO electa in sponsam, & à Verbo in ea incarnando in Matrem, Gabrieli Archangelo dixit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum*: idcirco propter summam humilitatem ex ancilla facta est Mater DEI & hominis Christi: *Et sicut Abigail*, ait citatus Doctor Seraphicus, *David verbis placavit & muneribus: Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi, Domino meo: Sic Virgo Deum precibus & meritis*, dum hodie Patri hunc dilectissimum Filium suum in templo præsentavit; hoc enim erat donum omnium præstantissimum, & quod præcedere & præfigurare debuerunt tot primogenitorum & primitiarum oblationes. Accedit, quòd & ipse Unigenitus Dei Filius Patri suo cœlesti se ipsum totum, ad ipsum honorandum, & humano generi placandum, obtulerit; *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulâsti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Anime mi! juxta utriusque, & Filii & Matris, exemplum disce, offerre te ipsum Deo in omnibus; memoriam, intellectum, voluntatem, & cum muliere illa paupercula Evangelica adde duo minuta, *id est*, ait Mellifluus, *corpus & animam.* Accende insuper in te zelum gloriæ Dei & salutis proximorum, detestando priorem teporem &c.

S. Bonav. in Spec. B. V.

Luc. 1. 38.

Ps. 29. 7.

S. Bernard. ser. 3.

5. Cùm quondam Jacob Patriarcha è Mesopotamia, post annos plures in servitute Labani consumptos, reverteretur ad patrium solum, & nunc Esau fratrem iratum cum armata manu haberet obvium, tremefactus multa ei præmisit dona, ut accensam ejus placaret iram: *Separavit de his, quæ habebat, munera Esau fratri suo: capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem, misit per manus servorum suorum singulos seorsim greges.* Verùm Esau omnia hæc munera sibi à fratre Jacob præsentata parum æstimavit. Tandem, cùm in agmine conspicatus est formosissimam Rachelem cum tenerrimo filio suo Josepho: *Cucurrit Esau obviam fratri suo, & amplexatus est eum, stringensque collum ejus, & osculans eum flevit.*

Gen. 32. 13.

Pulcher-

Pulcherrima est hæc figura, & hodie in oblatione Pueri JEsu in templo completa. O quot in veteri lege ad Patrem æternum præmissa fuerunt ejusmodi dona, oves & boves, hirci & arietes, tauri & vaccæ, in atrio templi in hostias placabiles & victimas pacificas oblata? Salomon Regum prudentissimus solus in dedicatione templi *mactavit hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: & dedicavit Domum Dei Rex, & universus populus.* Sed parum hæc omnia æstimavit sacrificia & holocausta Pater cœlestis, donec tandem hodierna luce in templum venerit pulcherrima illa Rachel, B. Virgo MARIA cum dulcissimo Filio suo JEsu, quem flexis genibus & affectu tenerrimo Patri, generi humano irato, præsentavit, & simul ejus iram placavit; *Nunquam*, ait Lucas Burgensis, *in tabernaculo fœderis hujusmodi apparuerat hostia: nunquam in templo Salomonis magnifica adeò, & glorioſa visa oblatio fuerat; jam cœptum est impleri illud Aggæi: Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quàm primæ, veniet enim desideratus cunctis gentibus, & implebit domum istam gloria &c.*

2. Par. 7. 5

Luc. Burg. in Luccam. Aggæi 2. 10.

Siste hîc, anime mi, & perpende paulisper, quàm grata & accepta fuerit Deo Patri hæc innocentissima hostia & oblatio. Sabæ Regina obtulit Salomoni Regi *centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas &c.* Plus hodie & infinities plus præsentavit B. Virgo in templo. De sacrificio Noëmi dicitur: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam maledicam terræ propter homines.* Quantò meliùs & veriùs de hodierna oblatione dicere possumus: *Odoratusque est odorem suavitatis*, erat enim unigenitus & unicè dilectus Filius, homo & simul Deus, in quo sibi semper Pater complacuit, & si creaturæ omnes ipsi fuissent oblatæ & sacrificatæ, nunquam tamen gratius illi donum potuisset offerri, quia finiti ad infinitum nulla proportio. Hîc attende, quisquis es Sacerdos DEI, quem, ac quantum quotidie in tuis sacrificiis soleas offerre. Expende finem tuum ac dignitatem, & quàm gravis eos maneat pœna, qui fraudulenter & negligenter hoc opus DEI perficiunt. Attende proinde & tu, ô laice! quomodo tanto ac tali, imò divinissimo mysterio adstare soleas: *Sancta sanctè.* Audis hoc.

3. Reg 10. 10.

Gen 8. 21.

6. Hodie adimpleta fuit illa pulcherrima figura de Moyse venustissimo infante à Jochabed matre sua summâ diligentiâ per aliquod tempus custodito, ne ab Ægyptiis raperetur in Nilo fluvio interimendus. Verùm cùm eum amplius in occulto abscondere non poterat, eum in dicto flumine in arcula ex juncis contexta, ac bitumine oblinita exposuit: *Exposuit eum in carecto ripæ fluminis.*

Exod. 2. 3.

En perelegantem typum. Abscondit & B. Virgo ac Mater Maria JEsum dulcissimum natum suum per aliquod tempus in stabulo & vilissimo tuguriolo, à gladio Herodis, qui jam post Magorum abitum necem

necem puerulo intentaverat, usque in hodiernum & ab ortu quadragesimum diem. Postquam autem impleti sunt dies purgationis ejus, tulit eum in Jerusalem, ut sisteret eum Domino. O pientissima Virgo! quid agis? cur ambulando Hierosolymam ipsum tuum dilectissimum Filium & unicum votorum tuorum manifesto Herodiani gladii exponis periculo? Verùm non est prudentia, non est consilium contra Dominum, ita enim voluit benignissimus Deus, ut qui legem dedit, legem & ipse Filius & Mater ad amussim adimplerent: *Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Disce obedientiam, disce humilitatem, disce exactè servare mandata Dei. O nos miseros, de puncto honoris certamus coram hominibus, & honorem Dei non quærimus! ubi obedientia, ubi humilitas, ubi exacta præceptorum divinorum observatio nostra?

Matt. 5. 17.

Hodie impletum videmus illum typum, dum quondam Anna Samuel filiolum suum in Domo Domini in Silo DEO ex voto obtulit: *Ego commendavi eum Domino cunctis diebus.* Plùs hodie in Domo Dei, dum B. Virgo & Mater intemerata pretiosissimum filiolum suum JEsum Patri obtulit, & dedicavit, non tantùm in sacrificium matutinum, ut ait Mellifluus, & Cluniacensis, sed etiam in sacrificium vespertinum, quod in ara crucis completum est: *Christus*, inquit præfatus Cluniacensis, *bis fuit oblatus, hodie in templo tanquam sacrificium matutinum: deinde in cruce velut sacrificium vespertinum. In primo offertur in urbe in templo Jerosolymitano, in secundo offertur extra urbem. In primo offertur inter brachia Simeonis, in secundo inter brachia crucis. In primo redimitur: in secundo non est redemptus, sed velut verus Redemptor redemit nos sanguine suo &c.* O anime mi! quid reddes pientissimo Redemptori tuo pro utraque hac oblatione? Audi Psaltem: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.*

1. Reg. 1. 28.

Cluniac. ser. 1. de hoc festo.

Psal. 49. 14.

Hodie Propitiatorium & arca in templum illatum est: *Et intulerunt Sacerdotes Arcam Fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum super alas Cherubin.* Per hanc arcam Fœderis præsignata est B. V. Maria: *Arcam autem*, ait S. Ambrosius, *quid nisi sanctam Mariam dixerimus?* Per Propitiatorium denotatus est Christus, hîc enim factus est *Propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Juvat etiam hîc audire S. Ildephonsum: *Rectè*, inquit, *Arca Sacramentorum Dei Virgo Maria fuit, supra quam sanè Propitiatorium & Cherubim, hinc inde obumbrantia figurantur, intus omnis custodia legis & manna fuit, quod est mirabile Sacramentum, & propitiatio humanæ salutis; supra quidem propitiatorium rectè positum est, quia ipse propitiatio nostra, supra omnia est benedictus Deus &c.*

3. Reg. 8. 6.

S. Ambr. serm. 25. 1. Jo 2. 2.

Ildephons. ser 1. de Ass. sumpt. B. V.

Luc. 2. 25.

7. Sed quæres hîc, quis ac qualis fuerit ille Simeon justus & timoratus, exspectans consolationem Israël? Resp. Lyranus & plurimi Interpre-

terpretum, eum fuisse Sacerdotem sanctitate ac senio venerabilem, & ideo benedixisse Mariæ & Josepho. S. Ildephonsus addit, eum fuisse unum ex præcipuis Rabbinis, qui tunc temporis Hierosolymæ publicè legebat Scripturam Sacram, & cùm aliquando devenisset ad illum Isaiæ locum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium &c.* impensius Deum rogare cœpit, quatenùs adhuc vivus illud Prophetæ vaticinium videre posset adimpletum: & quia ipse sciebat, tanquam in lege doctissimus, juxta oraculum Patriarchæ Jacob ex translato sceptro à Juda ad Herodem: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium,* & ex completis 70. hebdomadis Danielis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum suum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum &c.* Et quia, inquam, sciebat ex dictis, aliisque vaticiniis, adventum Christi paulatim imminere, à Spiritu Sancto per internam inspirationem monitus est, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini; quapropter hodie, dictante eodem Spiritu Sancto, venit in templum, & cùm plures matres cum primogenitis suis ad ostium templi essent congregatæ, ut purgationem à Sacerdote reciperent, SS. Deiparam inter reliquas mulieres divino lumine cum SS. Filio suo radiantem conspicatus est, ex quo signo mox eam ut Messiæ Matrem agnovit, & cùm ab ea induceretur Puer JEsus in templum, ipse accepit eum in ulnas suas, atque ad pectus suum ardentissimè & fortissimè applicans, benedixit Deum, illud suavissimum & cygnæum depromens Canticum: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum &c.* Ecce quàm insignem gratiam promeritus est S. Simeon per suam justitiam & timorem Dei. Imitare illum, si vis videre Christum Domini in altera vita tua: *Timenti Deum*, ait Ecclesiasticus, *benè erit, & in die consummationis suæ benedicetur à Domino.* Talis Simeon debet esse Sacerdos: *Expende*, inquit Didacus Stella, *quàm sanctus, purusque debet esse Sacerdos ille, qui Christum ferè quotidie manibus menteque tractat: nempe justus & timoratus, & Spiritu Sancto plenus.*

S. Ildeph. de Virgin. perpetua cap. 14.

Gen. 49. 10.

Dan. 9. 24.

Eccl. 27. 3.

Didacus Stella in Luc.

8. Nondum recedo à S. Simeone, cujus ætas, prout refert Del Rio, usque ad annos centum & tres prolongabatur, ut hujus sui voti posset esse particeps, (cujus Sacrum corpus Jaderæ in urbe Illyricorum in Ecclesia huic S. Prophetæ dedicata, in hodiernum usque diem adhuc integrum & incorruptum conservatur) Hic, inquam, Sanctus Senex videtur mihi, ut quondam Sanctus Senecio Samuel in electione & inunctione Davidis pueri ad Regem in Israël, qui reprobato Saule, à DEO missus erat, ut unum ex filiis Isai, non denominando quem, ungeret in Regem, populique Principem. Paruit Propheta Dei mandato, venit in Beth-

Del Rio in ser. de S. Sim Bonif. Bag. de admir to 1. f 458 n. 156.

Bethlehem, vocat Isai, hic filios suos. Primus adducitur Eliab, vir pro-
1. Reg. 16. 6. cerus & fortis; rogat Samuel Dominum: *Num coram Domino est Christus ejus*: Et ait Dominus; *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum.* Eliminato igitur Eliab, adducitur Aminadab, tum Samma, usque ad septimum, qui omnes parem repulsam passi sunt: *Nec hunc elegit Dominus.* Et nunquid, ait Samuel, jam omnes completi sunt filii? ergo nullus ampliùs supereſt? Reponit Isai, *adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves*; cui mox Propheta: *Mitte & adduc eum.* Venit, ingreditur David, & illicò monet Samuelem Spiritus Sanctus: *Surge, unge eum, ipse est enim.*

Venit hodie Spiritu S. hortatore Simeon Propheta in templum, adducuntur varii divitum primogeniti à matribus coram Deo sistendi, aureis involucris, candidissimis pannis fasciolisque byssinis constructi; *Num* ex his unus, ait Simeon intra se, *coram Domino est Christus ejus?* Nequaquam, nec hos, nec alios elegit Dominus, quoniam abjecit eos; Sed est unus Pastor inter illos, Filius David, non spirans aulæa, sed vile stabulum, inter jumenta hactenus reclinatus, cujus Mater Virgo, vestitu humilis, recusans mundi delicias ac vanitates. Ah quid moror? En video illam insolitâ luce & splendore circumfusam, Mater Dei & Christi hominis est, mulier circumdans virum, accedam ad eum, ut illuminer. Interim ubertim defluunt ex oculis lacrymæ, inclinat se pronum divino Puero, ejusque Majestatem humiliter adorat, Matrem impensissimé rogans, ut Filiolum suum ulnis suis tradat constringendum, pectore admovendum, & mille basiis excipiendum. Fit voti & ardentissimi compos desiderii, atque mox ex hoc sæculo nequam cupit dissolvi: *Nunc dimittis &c.*

Dicat hîc, qui potest, quo amoris igne æstuaverit cor pientissimi Senis erga sacratissimum Cor JEsu, dum eum inter brachia sua tenens Patri cœlesti in hostiam placabilem totius mundi obtulit. Tum benedixit Simeon Joseph & Mariæ, ordinaria sacerdotalis benedictionis formâ, quæ
Num. 7. 24 in Libro Numerorum præscribitur: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* A JEsu autem ipse benedici optabat, utpote quem Messiam, orbis Salvatorem & Deum venerabatur, atque adorabat. O quot doctrinæ animarum nostrarum saluti saluberrimæ! Et nunquid finis noster, ad quem creati sumus, est servire Deo, illum venerari, laudare, ac demum æternùm possidere? disce hoc à B. Virgine, S. Joseph, justo Simeone & Anna Prophetissa, qui non alio in hac vita tenebantur desiderio, quàm servire Deo. Roga illos, ut aliquam talis ardoris tibi impetrent scintillam, ut in morte tua possis dicere:

Nunc dimitte servum tuum Domine.

CON-

CONSIDERATIO VI.

De electione, vita, & glorioſa morte S. Matthiæ Apoſtoli.

Pro Feſto S. Matthiæ Apoſtoli.

Cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Actor. 1. 26.

1.

QUemadmodum aquila pullos ſuos ad ſolis obtutum probat, & degeneres reprobat; ita Deus fideles ſuos per varios caſus & tentationes probare aſſolet; quos degeneres reperit, dimittit, & deſerit, ubi ſecundùm deſideria cordis eorum ambulantes, tandem caſu lugendo præcipitantur in interitum; unde Eccleſiaſtes: *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere. quem ille deſpexerit.* Deut. 32. 11. Eccl. 7. 14. Nullus ergo Fidelis ſuperbiat de ſua fide, nullus juſtus de ſua juſtitia, nullus Superior de ſua dignitate, nullus de ſua doctrina, honoribus, potentia, divitiis &c. quia talis ſors non obtigit eis ex ipſorum dignitate, ſed ex mera Dei gratia & liberalitate, qui auferre poteſt, quando vult: *Miſerebor*, inquit ad Moyſen, *cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Exod. 33. 19. Et ſubdit Gentium Doctor Paulus, hunc Scripturæ locum conſiderans: *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. 9. 16. Obſerva: *Miſerentis DEI.*

Duos fratres Eſau & Jacob Iſaaci Patriarchæ & Rebeccæ filios ex uno concubitu progenitos perpende, de quibus ſcriptum eſt: *Jacob dilexi, Eſau autem odiô habui.* Rom. 9. 13. Si Reginam Vaſthi ob ſuperbiam reprobavit, & humilem Eſther elegit: *Regnum illius altera, quæ melior eſt illâ, accipiat.* Eſther. 1. 19. Sic locò Heli à ſacerdotio reprobati humilem & fidelem Samuelem ſubſtituit: *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet.* 1 Reg. 2. 35. Ita Saule Iſraëlitarum Rege ob impietatem rejecto, humilis David puer paſtoritius à Deo ad Regni gubernacula ſelectus eſt: *Et ait Dominus: Surge, unge eum, ipſe eſt enim &c.* 1 Reg. 16. 12. Ita locò arrogantis Phariſæi humilis & pœnitens Publicanus in gratiam receptus fuit: *Deſcendit hic juſtificatus in* Luc. 18. 14.

in domum suam ab illo &c. Vide ex his, quomodo corruptio unius semper fuerit generatio alterius, non tantum in Physicis, sed etiam in ordine ad gratiam. Proinde semper, & ad supremum usque spiritum de æterna
Prov. 28. 14. nostra salute oportet nos esse sollicitos ac pavidos: *Beatus homo, qui semper est pavidus*, ne corona, quam præparatam nobis esse credimus, ob de-
Apoc. 3. 11 merita & delicta nostra ab alio digniore præripiatur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Luculentissimum exemplum hodierna die nobis exhibet S. Mater Ecclesia, ubi in Actis Apostolorum proponit tristissimum casum & interitum impii proditoris Judæ, dum post relatos argenteos è ficu laqueo se suspen-
Matt. 27. 5. dit, in qua infelici arbore vel mole corporis, vel potiùs vindicta Naminis *crepuit medius*, ita ut anima sacrilega non per os, quo Christum oscu-
Act. 1. 18. latus est, sed per viscera instar bestiæ laniatæ, egrederetur. Et è contra proponit electionem & exaltationem S. Matthiæ ad eminentissimum Apostolatus apicem, dum locò illius sceleratissimi prævaricatoris per sortem, imò per singularem Dei dispositionem ad hanc dignitatem electus est. Plura in præsenti &c.

2. Jessæus ille Vates, ubi aliquando attentiore intellectu considerâsset excelsa opera Dei, ac præsertim cœli terræque creationem, gubernationem, & admirabilem mundi ordinem, solem & lunam duos mundi oculos, stellas ac cætera cœli sidera, homines & jumenta &c. & quidquid in hoc continetur universo, stupens & summè demirans immensam
Ps. 103. 25. DEI sapientiam, dum omnia ex nihilo sui produxit, exclamavit: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti?* Anima Christiana! si unà mecum libet considerare mundi novi recreationem & redemptionem, quæ per Deum & hominem Christum facta est, fabricam Ecclesiæ ejus, illiusque mirandam gubernationem, cui Ecclesiæ, tanquam mundo spirituali, ipse Christus tanquam fulgentissimus justitiæ Sol præsi-
Apoc. 12. 1. det, Maria ut luna, & Apostoli, ut duodecim lucidissimæ stellæ: *Et in capite ejus corona stellarum duodecim*, exclamare pariter nos oportet cum prædicto illo Psalte: *Quam magnificata sunt opera tua Domine: Omnia in sapientia fecisti!*

Superbam illam Regis Nabuchodonosoris statuam, cujus caput erat aureum, pectus cum brachiis argenteum, venter cum femoribus æreus, tibiæ cum pedibus partim ferreæ, partim luteæ, unicus lapillus exiguus de monte abscissus dejecit, & in pulverem redegit; lapillus autem iste paulatim augescens in montem excrevit ingentem, ita ut sua amplitudine totam
Dan. 2. 35. impleret terram: *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Lapillus ille exiguus quid aliud præsignavit
1. Cor. 10. 1. quam Christum? De quo gentium Doctor: *Petra autem erat Christus*, qui tunc hanc superbam mundi statuam & Regna Diaboli demolitus est, ubi in

cruce

cruce obiit, dum paulò poſt lapillus ille parvus & contemptus per reſurrectionem de novo crevit, univerſumque mundum implevit, dum Apoſtolos ſuos, opibus quidem terrenis pauperes, ſed virtutibus divites, in omnem terram amandavit, ut Chriſtum & hunc Crucifixum prædicarent gentibus, ubi adimpletum fuit illud Davidicum: *Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos Orbis terrarum.* Pſal. 71. 8.

3. Inter quos Apoſtolos, qui in diverſas orbis plagas, imò usque in Æthiopiam penetrârunt, fuit & S. Matthias, dum enim Judas, ex Lucifero Diabolus, ex Apoſtolo apoſtata, & ex Sancto impius traditor & Chriſticida factus eſt, Deo ita mirabiliter omnia in ſuum finem diſponente, locò ſcelerati illius deſertoris ab Apoſtolorum Collegio & primitiva Eccleſia electus eſt S. Matthias, dum duo é toto numero Fidelium fide & virtute excellentiores deſignati ſunt futuri Apoſtolatûs Candidati, videlicet Joſeph Barſabas ab inſigni juſtitia & ſanctitate cognominatus Juſtus, & Matthias Bethlehemita ex regia ſtirpe Judæ & Davidis oriundus, vir non minore ſanctitate, doctrinâ & juſtitiâ præditus: *Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nôſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus, unum accipere locum miniſterii hujus, & Apoſtolatûs, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum: Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Act. 1. 24.

In hac electione verificatum fuit illud: *Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major?* En cùm inter ſeſe diſceptarent, atque in varias abirent ſententias: *Advocans JEſus parvulum, ſtatuit in medio eorum.* Matt. 18. 2. Supra quod V. Beda: *Matthias eſt idem, quod parvulus Dei, quia Apoſtolorum ultimus & meritô ſuæ humilitatis ad Apoſtolatum evectus.* Proinde meritò, & non ſine ſingulari Dei Providentia ab Eccleſia in ſacro Evangelio hodierno S. Matthiæ adaptatur illud Veritatis: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia hæc abſcondiſti à ſapientibus, & revelâſti ea parvulis.* Matth. 11. 25. Obſerva: Matthias ſecundùm nomen interpretatur *Parvus Dei*, & dum fiebat iſta electio inter ſelectiſſima Eccleſiæ primitivæ capita, ſuper Matthiam præ humilitate deliteſcentem, & indignum ſe tantæ dignitatis æſtimantem, inſolitus quidam lucis radius apparuit, Spiritus Sancti ſignum, ſuper quem enim requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem? Unde *ſors cecidit ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Act. 1. 26. Diſce humiliari, ſi vis aliquando in cœlo exaltari.

Erat autem D. Matthias à primis vitæ annis ſingulari pietate, vitæ innocentiâ, & morum honeſtate conſpicuus: *Laſciviam devitans*, ait Dionyſius Carthuſianus, *& pueriles annos morum gravitate ornans*, quam innocentiam usque ad ſupremum vitæ terminum retinuit, & conſervavit: *Commendatur*, inquit S. Bonaventura, *S. Matthias à munditia & pudicitia animi:* Dionyſ. Carthuſ. ſerm. 2. de S. Matthia.

Notatur

S. Bonav. ser. 1. de S. Matthia.

Notatur animæ puritas, & totius vitæ honestas. Erat adhæc à S. Simeone, qui pretiosissimum Orbis Salvatorem tunc adhuc infantem in ulnas suas suscipere meruit, in lege & prophetis, à pueritia eruditus, in solvendis quæstionibus Scripturarum acutus, & in lege doctissimus. Et quia multa de Sanctissimi Præcursoris Domini fama & sanctitate audierat, majoris perfectionis cupidus ad eum in eremum venit, in cujus etiam discipulum ascitus est. Verùm quià paulò post idem sanctissimus Baptista Herodiadis impulsu capite minutus est, inter septuaginta duos discipulos à Christo suscipi meruit, hoc enim satis luculenter indicant verba S. Petri ad reliquos Apostolos & primos Christianos in hodierna electione in Spiritu Sancto congregatos prolata: *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus JEsus, incipiens à baptismate Joannis usque in diem, quâ assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex his.* Observa hîc, prudens Lector: S. Petrus primus in his terris Christi Vicarius voluit talem loco Judæ eligi, qui omnium actionum pientissimi Redemptoris nostri à baptismate S. Joannis usque ad ascensionem Christi in cœlum esset conscius, & sic testis fidelis esse posset Sacri Evangelii, Passionis & Resurrectionis JEsu Christi. Et talis fuit S. Matthias, intimus Christi familiaris, ait Mansius, utpote qui à primis annis cum eo fuit conversatus, tanquam ex eadem tribu, eâdemque patria oriundus, & consequenter fuit actionum ejus occulatus testis.

Act. 1. 21.

Mans. disc. 4.

4. Consulebat aliquando Christus Dominus dilectis suis Apostolis ac discipulis, dum eos tanquam novos operarios, in messem ad prædicandum Judæis Evangelium dimiserat, ut gratis & in paupertate prædicarent, hospitibusque suis apprecarentur pacem, & ut prudentes essent sicut serpentes, ac simplices ut columbæ: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Et quare hoc? Resp. Columba hanc habet proprietatem, felle caret & malitiâ; si pellitur, revertitur, si tollantur pulli, alios eodem gignit nido, hinc immemor est injuriarum factarum. S. Matthias, cum adhuc unus ex 72. discipulis, hanc sibi doctrinam, & sanctam simplicitatem sollicitè per omnem vitæ cursum appropriavit, dum à Christo, adhuc in hac mortali carne conversante, dimissus fuerat ad Judæos discobolos convertendos, felle enim carebat & irâ, atque quod corde sentiebat, candidus & sine fuco proferebat, cogitando benè de omnibus, & in bonam partem interpretando, non cessans à beneficiis proximo & ingratis quoque conferendis; unde memoratus Dionysius Carthusianus de eo dicit: *Pro Deo & proximorum salute seipsum totum impendit.*

Matth. 10. 16.

Dionys. Carth. ser 2. Remig. hic apud Corn.

Sed & serpentis imitatus est naturam: *Simplicitas enim*, inquit Remigius, *sine prudentia facilè decipi potest, & prudentia periculosa est, nisi simplicitate tempe-*

temperetur; hinc non tantùm à Spiritu Sancto, quem in die Pentecoſtes cum cæteris Diſcipulis acceperat, abunde inſtructus, & gratia Dei confirmatus eſt: Sed & priùs, antequam ad Apoſtolatum vocaretur, inſigni prudentiâ, & ſcientiâ, ſtudiis & oratione acquiſitâ, erat præditus: *Fuit vir*, ait citatus Carthuſianus, *valde præcipuæ perfectionis, approbataque ſanctitatis, tam coram DEO, quàm coram hominibus*, & S. Antoninus: *Matthias in lege Domini fuit doctiſſimus, in ſolvendis quæſtionibus Sacræ Scripturæ acutus, in conſilio providus, & ſermocinatione expeditus.* Talis quoque eſſe debet verus Chriſti ſervus, ut prudentiam ſerpentis & ſimplicitatem columbæ ad lucrandas animas benè noſcat conjungere, &c. S. Antonin. cit ab Hug. in Matt. 11.

5. Sed dicet hîc mihi nonnemo: Si adeò humilis ſervus Dei fuit S. Matthias, quare eminentiſſimam iſtam Apoſtolatûs dignitatem, ad quam communi Fidelium calculo electus eſt, non D. Joſepho Barſabæ, utpote viro ſancto & juſto, ceſſit & reſignavit? Reſp. S. Laurent. Juſtinianus, *quia elegerat Deus Matthiam ad hunc gradum dignitatis, antequam darentur ſortes, & priusquam fieret mundus.* Et quia probe ſciebat, ita eſſe Divinæ Majeſtatis ſanctiſſimam voluntatem, colla ſua huic graviſſimo jugo & oneri obſequentiſſimo animo ſubmiſit: Licèt, ait Manſius, S. Matthias humillimus fuerit, munus tamen, ad quod eligebatur, accipere non detrectavit, quia hanc Dei voluntatem eſſe cognovit. O quàm ingens hîc ſe pandit campus & occaſio de reſignatione in ſanctiſſimam DEI voluntatem diſſerendi; ſed quia jam alibi de hac materia locuti ſumus, ideo hic ſtudio ſuperſedemus. Sufficiat tibi in omnibus & in utraque fortuna te penitus voluntati divinæ committere, ſi vis hîc & in altera vita beatè vivere. S. Laur. Juſt. ſer. de S. Matthia. Manſius diſc. 1.

De Davide commemorat Sacra Pagina, quòd inter devictos, & juſto bello ſubactos Moabitas mirabilem diviſionem fecerit: *Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ; menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.* Quid obſecro, hoc eſt? Unus erat funiculus mortis, & alter vitæ? Reſp. Theodoretus: Tanta, inquit, erat vis victoriæ, & tanta erat multitudo eorum, qui capti erant vivi, ut eos numerare non permitteret. Quare juſſit eos pronos dejici in terram, diviſos trifariam, & duas quidem partes occidit, unam verò vivam reſervavit. Cornelius à Lapide per dictos duos funiculos ſortes intelligit, hoc eſt: David fecit duas ſortes Moabitarum, unam occidendorum, alteram ſervandorum. Et itâ, ſubintrat hîc Angelomus, Chriſtus in die judicii duas ſortes faciet, unam ſalvandorum, alteram damnandorum. Ita quoque hodie factum eſt in electione S. Matthiæ, quem Deus & homo Chriſtus miſericorditer ſegregavit de medio reproborum ad vitam, cœleſtìque gloriæ prædeſtinavit candidatum, illuminans eum gratiâ ſuâ & charitate, &c. Judam verò proditorem juſtè deſeruit, & mortis æternæ cruciatibus propter admiſſa ſcelera deſtinatum reliquit, quem utrumque 2. Reg. 8. 2. Theodore. quæſt. 13. in hunc. locum. Cornel hîc. Angelomus hîc.

que funiculum & vitæ & mortis S. Paulus pulcherrimè paucis hisce com-
Rom. 9. 18. prehendit: *Cujus vult, miseretur.* En funiculum ad vivificandum! ecce sortem Matthiæ, & Divinæ misericordiæ argumentum! *Et quem vult, indurat.* En funiculum ad occidendum, quod in Juda verificatum est, atque in omnibus reprobis adhuc hodie verificatur, & imposterùm verificabitur! Fuit itaque S. Matthias Apostolus prædestinatorum imago, & Judas reproborum.

Attende hìc, quisquis es, cùm ignores an sis in numero salvandorum, aut reprobandorum, opera enim gratiæ nullam agnoscunt debiti
Gen. 28. 12. rationem; hinc etiam justi justo sibi timeant judicio. Jacob vidit scalam à terra usque ad cœlum pertingentem, per quam Angeli ascendebant, & descendebant. Anime mi! Licèt jam per hanc scalam ad cœlum ascendere tibi videaris, time nihilo secius salutari timore, quia adhuc cadere potes,
1. Cor. 10. 12. unde rectè Apostolus: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

6. Pulcherrima est illa quæstio, quæ inter SS. Patres ventilatur, quare Deus, unus in essentia, & trinus in personis, hominem, post angelorum lapsum in cœlo, voluerit creare in terra, cùm tamen sine illo idem fuisset Deus immensæ & infinitæ Majestatis, nulloque modo ac ratione illius indiguisset ministerio ac obsequio? Resp. S. Ignatius Societatis JEsu Fun-
S. Ignat. in libello Exercit. dator dignissimus, ac glorioſissimus: *Creatus est homo ad hunc finem ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat.* Ex quibus paucis sed emphaticis verbis, si prudens es, facilé creationis tuæ colliges finem, quòd non creaverit te Deus propter terram, sed propter cœlum, neque ut poneres finem tuum in rebus mundanis & transitoriis, sed
S. Aug. in Confess. in solo Deo: *Fecisti nos Domine ad te*, ait S. Augustinus, *& inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Verùm observa ulteriùs. Quare homo primum post Angelorum lapsum in cœlo à Deo creatus est? Cur non simul & semel, ubi Dominus à principio temporis creavit cœlum & terram? Resp. S. Bernardus, ut resarciret, & impleret ruinam Angelorum apostatantium, ad hoc enim alludit Propheta regius, ita de Christo venturo
Ps. 109. 6. Hugo hìc. S. Bern. ser. 1. de Advent. vaticinans: *Implebit ruinas*, hoc est ait Hugo Cardinalis: *Angelorum*, & Mellifluus: *Propter hoc enim & ipse creavit homines, qui supplerent locum illorum & ruinas.*

Cecidit & Judas, suum vendendo & tradendo Magistrum, qui mox ex desperatione se laqueo suspendit, & rectè ad Luciferum in infernum descendit, æternas ibidem daturus pœnas. O lapsum horrendum, per quem totum sacrum Collegium Apostolicum in communi omnium opinione plurimùm perdidit! Quid ergo consilii? O miram divinæ bonitatis providentiam ac clementiam! Substituatur aliud subjectum adeò dignum, adeò sanctum, quod *implebit ruinas.* Ecce sors cecidit super Matthiam, virum secundùm cor Dei, dum descendens é cœlo splendor illius capiti insedit,

eum

eumque ſancto Apoſtolorum Collegio adſcripſit, qui vitæ ſanctitate, doctrinâ, laboribus, virtutibus & martyrio millies, milliesque hanc *implevit ruinam*; dum poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem, accepto cum aliis Spiritu Sancto, primùm in Meſopotamiam profectus eſt, ubi plura hominum milla ad Chriſtum convertit, ac ſtupenda patravit miracula, unde à Clemente Alexandrino vocatur *multorum ſignorum patrator*, in qua regione mortiferum quoque venenum ſine ulla læſione bibit: *In Macedonia*, ait Jacobus à Voragine, *data eſt illi potio toxicata, quam ille in nomine Chriſti bibit, & nullam laſionem incurrit.* Ubi & viginti quinque excæcatos imponendo manus illuminavit; & cùm à gentilibus, manibus à tergo ligatis & funè collo impoſito, crudeliter affligeretur, & in carcerem mitteretur, à Chriſto Domino cum multo lumine ad eum veniente confortatus, de terra levatus, vinculis ſolutus, & carcere eductus eſt. Sic nimirum ſuos Electos probat Deus, qui non illos permittit tentari & vexari ſupra id, quod poſſunt, ſed faciet etiam cum tentatione proventum. Erige te, ô anima, adhuc gratiarum Dominus vivit, vulnera crucifixi JEſu, amoris tui, adhuc ſunt aperta, quò ſecurè in omni tribulatione tua confugias, hic non deſeret te, ſi tu ipſum priùs non deſerueris.

Clem. Alex. l. 2. Strom. Jacob. à Vorag. l. 1.

1. Cor. 10. 13.

Poſt Meſopotamiam profectus eſt Divus noſter in alias etiam remotiſſimas regiones, ubi verbum divinum maximo animarum cum fructu diſſeminavit; in quo Evangelico munere annos triginta & quid ampliùs non ſine ſummis laboribus, curis ac tribulationibus inter tot barbaras gentes impendit: *Plantando crucem*, ait devotiſſimus Ambroſius Spinola S. J. *in Aſia, in Africa, in Æthiopia, nihil intermittendo, quod pertineret ad gloriam divinam.* O ſi talem haberemus zelum, quàm alius nunc foret mundus! De Matthia refert Scriptura, quàm ingentem zelum habuerit in defendenda lege Dei, in deſtruendis idolorum aris, & in revocando cultu veri Numinis, qui potiùs mille mortes voluit ſubire, quàm legem Dei prævaricari. En inſignem typum in S. Matthia Apoſtolo expletum! dum idololatriam deſtruxit, & veri Dei cultum in tot regionibus usque ad mortem propagavit.

Sir. hac die in Medit. t. Mac 2. per totum.

7. Inter alia ſacra veſtimenta, quæ olim Deus Pontifici Synagogæ præſcripſit, erat & rationale, in quo erant collocatæ duodecim gemmæ pretioſæ. Vidit & dilectus Chriſti Diſcipulus in novo Teſtamento civitatem ſanctam & cœleſtem Jeruſalem, cujus fundamenta facta erant ex duodecim gemmis pretioſis: *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, Jaſpis: ſecundum, Sapphirus: tertium, Chalcedonius: quartum, Smaragdus: quintum, Sardonix: ſextum, Sardius: ſeptimum, Chryſolithus: octavum, Beryllus: nonum, Topazius: decimum, Chryſopraſus: undecimum, Hyacinthus: duodecimum: Amethyſtus.* En duas hîc habes pulcherrimas figuras per 12. gemmas pretioſas 12. Apoſtolos præſignantes, qui

Ex. 25. 15.

Apoc 21. 19.

fundamenta sunt Ecclesiæ militantis & triumphantis. Jaspis erat S. Petrus. Sapphirus S. Andreas. Chalcedonius S. Jacobus Major. Smaragdus S. Joannes. Sardonix S. Philippus. Sardius S. Bartholomæus. Chrysolithus S. Matthæus. Berillus S. Thomas. Topazius S. Jacobus Minor. Chrysoprasus S. Thadæus. Hyacinthus S. Simon. Amethystus S. Matthias. Et quare, dices, S. Matthiæ ultimo Apostolorum amethystus adscribitur? Hæc gemma, ait Cornelius, congruit S. Matthiæ, violaceus enim est, purpureus & roseus, hinc oculis humanis valde gratus, & est symbolum humilitatis & modestiæ, imò & cœlestis gloriæ.

Collige ex hoc summam modestiam, humilitatem & gloriam S. Matthiæ, qui in symbolo Apostolico composuit articulum: *Carnis resurrectionem, & vitam æternam*; hoc enim felix habitaculum Deus humilibus ac præsertim S. Matthiæ Apostolo suo præparavit, cui propter eminentes virtutes non incongruè applicare poteris illud Ecclesiastici: *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne*; & quia minor semper esse cupiebat, ideo inter reliquos 72. Discipulos major, imò & Apostolus factus. Ita nimirum aquæ cœlestium gratiarum non ad sublimes colles, sed in humiles valles derivantur; unde rectè S. Laurentius Justinianus de S. Matthia scribit: *Neque enim minus Petro & Apostolis cæteris Matthias adeptus est gratiæ, quamvis in vocationis ordine extiterit ultimus, eandem plenitudinem Spiritus, eademque munera spiritualia percepit, quæ reliqui* Cæteri Apostoli plerique à Christo Domino adhuc in hac mortali carne inter mortales conversante vocati sunt à mari, & à piscatorio reti, S. Matthias verò vocatus est à Christo jam in cœlo regnante, ubi priùs scrutinium cæterorum Discipulorum sustinere debuit, cœlestique oraculo, & luce de cœlo cadente approbatus est. Ecce non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat, & probat.

Eccl. 45. 4.

S. Lauren. Just. serm. de S. Matt.

8. Placuit autem divinæ Majestati, ut S. Matthias post annos triginta tres à morte Christi reverteretur in Judæam, ut ibidem in propria patria glorioſam acciperet Martyrii coronam, de quo sæpiùs memoratus Dionysius Carthusianus: *In Judæa insistebat prædicationis officio, plurimosque convertens, magna & multa fecit miracula, illuminavit cæcos, mundavit leprosos, claudis gressum, surdis auditum, defunctis restituit vitam.* Et ecce, quod illi summum apud Principes & populum Judæorum debuisset conciliare honorem & amorem, Divo nostro sub Pseudo-Pontifice Anano non alium paravit triumphum, quàm Crucem, lapides, secures: *Unde Judæi*, ait S. Antonius, *invidentes ipsum in concilio statuerunt. Duo igitur testes, qui eum de blasphemiâ accusârunt, in eum primi lapides miserunt.* Pepinus, Nadasius, & multi alii referunt, quòd primò instar Magistri sui, quem constantissimé prædicabat, fuerit crucifixus, & quia citò in Cruce non erat extinctus, à perfidis Judæis instar Stephani Protomartyris lapidibus petitus, & postremò,

Titinus in Chron c. 15. Dion. Carthus serm. 2. de hoc S.

S. Anton. ser. de hoc S. Ap

mò, antequam ſuum exhalaret ſpiritum, ſecuri, ut Paulus, percuſſus; cujus ſacrum corpus Romæ in Eccleſia S. Mariæ Majoris ſub lapide Porphyretico fuit ſepultum, ejusque caput in hodiernum usque diem populo ibidem monſtratur, licet etiam magna pars reliquiarum illius corporis Treverim fuerit translata. Hîc ad unguem adimpletum fuit illud, quod S. Paulus de primis illis Eccleſiæ Orthodoxæ columnis Apoſtolis, Martyribus & Chriſtianis ſui ævi locutus eſt: *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini*, magno enim beneficio Chriſtus illum afficit, quem ſuæ Crucis facit eſſe participem; ſicuti participem fecit S. Matthiam. Et quid tu ad hæc, Lector mi? Phil. 1. 29.

Percunctatus eſt aliquando Divus Petrus à Domino, ecquid præmii tribueretur illis, qui in hac mortali vitâ cuncta reliquiſſent, ipſumque eſſent ſecuti? Reſpondet Dominus: *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me in generatione, cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Collige ex hoc grandiſſimam dignitatem Apoſtolorum, ac præſertim S. Matthiæ, qui & ipſe in honoratiſſimo illo concilio, tanquam Senator ſummi & univerſalis judicis cœli & terræ, in conſpectu totius mundi ſedebit glorioſus. O admirabilis mutatio dexteræ Excelſi, qui, cùm adhuc in hac terra converſaretur inter homines, fæx & peripſema erat mundi, egenus, anguſtiatus, afflictus, contemptus, & ſicut ovis ad occiſionem deſtinatus, modò gloriosè regnat in cœlis, & in illo die magno erit Judex mundi, imò non hominum tantùm, ſed & Angelorum: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus?* Hoc erit præmium ſolis Apoſtolis à Domino concedendum, ut, qui fuerant Chriſto ſocii in paſſionibus, ac laboribus, nunc quoque ſocii fierent in exultatione, & gloriâ ſempiterna. Hinc in ultima Cœna, cùm nunc iturus eſſet ad mortem, eos pro valedictione hiſce blandiſſimis verbis conſolatus eſt: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus; ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* O felix & inæſtimabile præmium, fieri cohæredes cum Chriſto, & eidem divinæ aſſidere menſæ, atque voluptatum torrente exſaturari. O feliciſſime Apoſtole! O fortunatiſſime Matthia! jam finis eſt tuorum laborum ac perſecutionum; jam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit; nunc incipiunt apparere flores jucundiſſimi veris, & feliciſſimæ æternitatis. Nunc in te verificatur illud Veritatis: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt*; nunc tu vides in cœlis, quæ nec oculus vidit, & audis, quæ nec auris audivit; ô beatiſſime Apoſtole! intercede pro nobis, ut Deus &c. Matt. 19, 28. 1. Cor. 6. 3. Luc. 22. 28.

CONSIDERATIO VII.

De Dignitate, prærogativa, & Patrocinio S. Josephi.

Pro Festo S. Josephi.

Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Matth. 1. 20.

I.

Gen. 37. & seq.

QUatuor in Sacra Scriptura commemorantur Josephi, qui à Spiritu S. ob egregias virtutes speciali laudum commendantur præconio. Primus innocens ille, justus ac justissimus Josephus Jacobi Patriarchæ Filius est, qui à perfidis fratribus per invidiam captus, in cisternam veterem missus, Ismaëlitis 20. argenteis venditus, & in durissimam servitutem, ac carcerem traditus est; sed quia Deo revelante septem fertilitatis, ac sterilitatis annos in spiritu prævidit, à Pharaone, Ægyptiorum Rege, mirum in modum exaltatus, & totius regni Pro-Rex est constitutus, de quo Vates Regius:

Ps. 104. 21. *Constituit eum Dominum domûs suæ, & principem omnis possessionis suæ.*

Alter, qui in Sacro Evangelio singulari decoratur encomio, Josephus ab Arimathæa est, vir nobilis, justus, ac sanctus, qui in consilio malignantium solus in necem pientissimi Salvatoris nostri non consensit,

Matth. 27. 57. & cùm JEsus in Cruce expirâsset, audacter & sepositio omni metu ad Pilatum Judicem Romanum ingressus, petiit exanime corpus Crucifixi Redemptoris, quod acceptum mundâ sindone involvit, & in monumento suo novo, in petra viva excisо, cum aromatibus sepelivit.

Act. 1. 23. Tertius Josephus Barsabas dictus, ob insignem justitiam ac sanctitatem cognominatus est *Justus*, qui fuit unus ex 72. Discipulis Domini & cum S. Matthia in sortem Apostolatûs venit; postea creatur Episcopus Eleutheropolis in Palæstina; de quo plura Martyrologium Romanum 20. die Julii, ubi illius Festum agitur.

Verum-

Verumenim verò omnes præclaros iſtos, ac peculiari ſanctitate celebres Joſephos, longiſſimo intervallo ſuperat ac præcellit Sanctiſſimus Joſephus Chriſti Pater nutritius, & integerrimæ Virginis ac Matris Dei Sponſus digniſſimus, dictus ab Evangeliſta : *Vir Mariæ, de qua natus eſt JEſus, qui vocatur Chriſtus*, quod encomiorum omnium, quæ adferri poſſunt, compendium eſt, de quo Franciſcus Suarezius ſapientiſſimus Theologus commemorat, quòd in gatia & gloria ipſos antecellat Apoſtolos, & S. Joannem Baptiſtam, rationem aſſignans, quia ejus officium illorum præcellebat officio ; plus enim eſt eſſe Patrem, & Rectorem Chriſti, quàm ejusdem Præconem aut Præcurſorem. De hoc SS. Patriarcha, adjuvante benigno Numine, plura impræſentiarum occurrunt tractanda, & dilucidanda. Attentas requiro aures. Matt. 1. 16. 3. p. q 29. diſp. 8 Sect. 1.

2. Cùm immenſus Deus in vetere quondam lege dignum electæ Synagogæ ſuæ Sponſum ac Pontificem voluit ſeligere, placuit divinæ Majeſtati ejus, duodecim viros præcipuos ex duodecim tribubus Iſraël ſegregare, quorum virgæ aridæ & amygdalinæ, cui nomen ſuum inſcripſerant, in Sancto Sanctorum coram Arca Dei collocatæ ſunt, cum hac conditione, ut ille Veteris Synagogæ ſponſus agnoſceretur, cujus virga arida de novo reflorescceret : *Quem ex his elegero, germinabit virga.* Inter quas virgas tanquam decima tertia etiam poſita eſt Virga Aaron ; & ecce *ſequenti die regreſſus* (Moyſes) *invenit germinâſſe virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores.* Proinde meritò in digniſſimum ſponſum, & ſummum Synagogæ Sacerdotem electus eſt. *Omnia hæc illis contingebant in figura.* Num. 17. 5.

Voluit benignus Deus ſanctiſſimæ & Virgineæ Matri unigeniti Filii ſui providere de ſponſo quodam digniſſimo, cui & curam Virginis, & Filii ſui demandaret ; & quid fecit ? Per Pontificem tunc temporum intervallo Synagogæ præſidentem cunctos de domo & familia David nuptui habiles juſſit convocari, qui ſimiles virgas debebant ad Aram collocare ; & cùm ſinguli juxta ordinem virgam ſuam deferrent, ſola inventa eſt altero die virga Joſeph germinâſſe : *Proditus eſt itaque Joſeph*, ait S. Hieronymus : *Cùm enim virgam ſuam attuliſſet, & in cacumine ejus columba de cœlo veniens conſediſſet, liquidò omnibus patuit, ei Virginem deſponſandam fore.* Ex quibus abundè & dignitas, & ſanctitas S. Joſephi patet, dum ex maſſa virorum univerſorum in mundo ſolus à Spiritu Sancto in digniſſimum Patrem educatorem Chriſti JEſu Filii Dei & in Sponſum Sacratiſſimæ Deiparæ divinitùs fuit electus : *Incomparabilis Joſephi dignitas*, ait Gerſon, *ut Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi, illum Dominum ſuum appellarit* ; & in alio loco : *Decuit, ut Joſeph tanta prærogativa polleret, quæ ſimilitudinem exprimeret talis Sponſæ.* S. Hieron. de ortu V. Gerſon. 5. de Nat. Mar. Idem in Joſeph.

3. De Davide Iſraëlitarum Rege recenſent Sacræ Paginæ, quòd ſummo-

pere

pere timuerit, Arcam Dei in domum suam introducere, quia exemplo Ozæ temeré eam tangentis, & mox subitaneâ morte castigati, satis didicit,
2 Reg. 6. 9. Sancta sanctè esse tractanda: *Et extimuit David Dominum in illa die, dicens: Quomodo ingredietur ad me Arca Domini?* Hoc idem accidit S. Josepho Filio David: cùm enim ei esset desponsata Maria Virgo ex eadem progenie David oriunda, timuit vivam illam ac mysticam Arcam in domum suam introducere, ut proinde necessum fuerit, ut ab Angelo consolationem acci-
Matt. 1. 20. peret: *Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Et quare, dices, adeò sibi timuit SS. Josephus, cùm paulò post desponsationem Virginem gravidam advertit? Fortasse siniſtram de ea opinionem habuit? Minimè gentium. Cur igitur eam voluit deserere?

S. Bern. ser. supermissus est. Resp. Mellifluus, Josephum præ singulari sua modestia, & humilitate ejusmodi SS. Virginis ac Matris Dei consortio se indignum judicasse; unde in animo statuisse eam dimittere. Simili humilitatis Spiri-
Luc. 5. 8. Jo. 1. 27. tu Petrus ad Christum dixit: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.* S. Joannes Baptista: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigium calceamenti &c.* Item Centurio, cùm Christum cerneret domui suæ appro-
Matth. 8. 8. pinquantem, ut sanaret servum paralyticum, exclamavit: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ita, ait S. Bernardinus, & Divus Josephus se indignum reputabat, cohabitare tali ac tantæ Virgini, proinde occultè voluit dimittere eam, memor illius, quod quondam ad Moysen di-
Exod. 3. 5. ctum fuit: *Ne appropies huc: Solve calceamentum de pedibus tuis: Locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Cognosce ex hoc, anime mi, summam S. Josephi humilitatem, disce eam imitari in oratione, in templo, in sumptione SS. Eucharistiæ &c.

4. De Josaba referunt Regnum Israëlitarum Annales, quòd, cùm impia Athalia partim ex rabie, partim ambitione, ut sola liberè regnaret in Israël, omne semen regium, & filios Ochoziæ occidisset, clam Joas filium Ochoziæ sustulerit, eumque à furore Athaliæ, ne pariter interficeretur, occultaverit, qui Joas exinde suo tempore exinsperato ad Regium solium,
4. Reg. 11. 2. tanquam legitimus hæres evectus est: *Et abscondit eum à facie Athaliæ, ut non*
Matt. 2. 16. *interficeretur &c.* En insignem typum in S. Josepho nostro expressum! Cùm impius ac crudelis Herodes, ut Regium Davidis semen extingueret, plurimos Infantum è medio sustulisset, S. Josephus intempesta nocte per Angelum admonitus dulcissimum infantem JEsum sollicitè abscondit, & in Ægyptum transportavit, ubi septem annorum spatio commoratus est, donec locò Herodis Archelaus in Regno succederet.

Et quare, dices, æternus Pater dilectissimum Filium suum JEsum non per Angelorum ministerium à furore Herodis salvavit, qui illum longè citiùs, imò uno momento potuissent in Ægyptum transferre,

prout

prout olim Habacuc ab Angelo in Babyloniam translatus eſt? Reſp. hoc factum eſſe in ſingularem S. Joſephi prærogativam; & ſicut quondam *Iſraël diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos*; ita Deus Pater adamavit S. Joſephum noſtrum ſuper omnes cæteros Electos, cujus ſolius curæ, & diviniſſimum Filium ſuum, ac Virgineam ejus Matrem commiſit; *verè fidelis ſervus & prudens*, ait Mellifluus, *quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilii coadjutorem fidiſſimum.* Dan. 14 32. Gen. 37. 3. S. Bernard. hanc 2. ſup. Miſſus.

5. Ad Joſue invictiſſimi & pientiſſimi Belli-Ducis Imperium ſol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo: *Sol contra Gabeon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon: Steteruntque Sol & Luna &c.* Ingens ſine dubio hoc erat Orbi univerſo prodigium. Sed plùs mirandum eſt, quòd ad mandatum S. Joſephi myſticus ille ſol, qui eſt Chriſtus Deus noſter, & ſanctiſſima Mater ejus Maria, quæ pulchra eſt ut luna, ſteterint immobiles: ejusque voci libentiſſimè obtemperaverint, unde S. Lucas de Chriſto ait: *Et erat ſubditus illis &c.* Joſuæ 10. 12. Luc. 2. 51.

Plantaverat olim Deus in medio paradiſi arborem vitæ, cujus cuſtodiam poſt lapſum & expulſum Adamum commiſit Cherubino: *Et collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubin &c.* Arbor vitæ Chriſtus eſt, à quo omnes vitam, & gratiam participamus. Paradiſus voluptatis Maria eſt, ita S. Doctor Seraphicus; & Divus Joſephus Chriſti Nutritius, ac Sponſus intemeratæ Virginis, eſt ille Cherubim, cui Deus Pater utriusque & Filii & Matris curam ac cuſtodiam demandavit. Gen. 3. 24. S. Bonav. in ſpec. c. 2.

Propitiatorium quondam fieri juſſit Deus ex auro puriſſimo, cui adjungi voluit duos Cherubinos aureos ſeſe invicem aſpicientes: *Cherub unus in latere uno, & alter in altero: utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium.* Montanus hîc obſervat, quòd unus Cherubinus maſculinam, alter fœmineam præ ſe tulerit faciem. En rurſus perelegantem typum! Propitiatorium illud Chriſtum denotavit, quia *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*; per duos dictos Cherubinos SS. Virginem Mariam, & S. Joſephum intellige, ſeſe mutuò aſpicientes, & propitiatorium illud ſtipantes. Felix, qui ad hoc propitiatorium ſolet confugere. Ex. 25. 19. 1. Jo. 2. 2.

6. Vidit quondam Jacob Patriarcha in ſomnis mirabilem quandam ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen ejus tangebat cœlum, per quam portentoſam ſcalam Angeli Dei & aſcendebant, & deſcendebant; & quod majori admiratione dignum, illud eſt, quòd Jacob ipſum Deum, omnium bonorum fontem, in ſupremitate hujus ſcalæ quaſi innixum viderit: *Et Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Iſaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo.* Gen 28. 12

S. Aug. ser. 79. Labyrinthus hæc scala mysteriorum, & divinorum arcanorum est. S. Augustinus per illam Crucem Dominicam intelligit: *Dominus*, inquit, *scala incumbens est Christus in Cruce pendens.* S. Bernardus per eandem scalam Beatissimam Virginem subaudit: *Hæc*, inquit, *est scala Jacob &c.* Sed aptiùs Rupertus Abbas: Spiritus Sanctus, ait, per hanc scalam repræsentavit incarnationem Verbi, & generationem Christi ex Jacob nascituri, & descensuri per varios gradus, id est, generationes & genitores, quos enumerat S. Matthæus: *Abraham*, inquit, *genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus*, & sic de cæteris. Tandem in ultimo gradu ponit S. Josephum: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est JEsus, qui vocatur Christus.* Ex quibus patet, subintrat hîc Bernardus de Busto, quòd nullus Sanctus in cœlo sit major S. Josepho post B. Virginem benedictam, quia quàm proximé accedit ad Christum.

S. Bern. ser. d. D. V. pag. 594.

Matth. 1. 2.

Sed objiciet hîc nonnemo: Nunquid Veritas dicit: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista?* Resp. intelligendum esse inter Prophetas, quod ex discursu antecedente patet: *Quid exîstis in desertum videre Prophetam?* Ubi sermo Christi de Prophetis agit, inter quos sine dubio major est Joannes Baptista; quod adhuc clariùs explicat S. Lucas: *Dico enim vobis: Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est;* Sanctus autem Josephus non Præcursoris, aut Prophetæ nomen habuit, sed ipsius Christi Patris nomen: *Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te &c.* Ergo &c.

Matth. 11. 11.

Luc. 7. 29.

Luc. 2. 49.

7. Venerat aliquando ad Christum pientissimum Orbis Salvatorem Salome Mater filiorum Zebedæi, adorans eum humiliter, & supplicans, ut præ cæteris Apostolis duo filii Jacobus & Joannes in glorioso Christi regno primas obtinerent: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.* Sed mox repulsam passa est: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quibus ergo, dices, dextera & sinistra Christi in cœlesti regno à Patre parata fuit? Respondet Rupertus Abbas: Duæ sunt honoratissimæ in cœlo sedes, dextera debetur Matri Christi, & sinistra S. Josepho; proinde rectè memoratæ Zebedæi uxori, & filiis ejus à Christo dictum est: *Nescitis, quid petatis.*

Matth. 20. 20.

Daniel, quia arcanam illam Scripturam, *Mane, Thecel, Phares*, Balthasari Regi dextrè exposuit, ab eo purpura, & torque aureo donatus est: *Et prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in Regno suo.* Supra quod Maldonatus: *Scilicet primus in Regno erat Rex, secundus Regina, & tertius Daniel.* Erige mentis tuæ oculos, anime mi, & glorioſissimum Christi Regnum considera, in quo præsidet ipse Rex Regum, & Dominus Dominantium, olim pro omnium salute crucifixus, sed nunc super

Dan. 5. 29.

omnes

omnes Angelorum Choros & Beatorum agmina exaltatus, cui à Patre datâ eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra; ſecundas in hoc cœleſti Regno tenet Beatiſſima Virgo & Mater Dei Maria; de S. Joſepho verò illud appoſitè applicamus, & dicimus, quod olim à Daniele dictum eſt: *Et prædicatum eſt de eo, quòd haberet poteſtatem tertius in Regno ſuo.* Juvat hîc audire Gerſonem, Cancellarium Pariſienſem, piè ac prudenter de dignitate S. Joſephi ſcribentem: *Quantus*, inquit, *exiſtimandus eſt juſtus Joſeph in gloria & in cœlis, qui talis ac tantus inventus eſt in miſeria & in terris? Profectò cùm dicat Chriſtus: Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit, ille proximior videtur collocandus in cœlis, qui in miniſterio fuit vicinior, obſequentior, atque fidelior poſt Mariam inventus in terris.* Et ſi quondam Chriſtus Dominus dixit: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet:* Certè S. Joſephus, qui Chriſtum Dominum ſupremum omnium Prophetarum millies, milliesque in domum ſuam ſuſcepit, non potuit non ejus præmium omnium Sanctorum eſſe ſupremum.

Gerſon. ſer. de Nat. B.V.

Matth. 10. 41.

8. Recordor hîc illius potentiſſimi Perſarum Regis Aſſueri, qui nocte quadam, ſic Deo dirigente, nullum poterat capeſſere ſomnum, unde annales regios, & hiſtorias priorum temporum afferri, & prælegi ſibi fecit, in quibus benè acta, & merita diverſorum erant connotata; & cùm ventum eſſet ad illum locum, ubi ſcriptum erat, quomodo nuntiâſſet Mardochæus inſidias Bagathæ & Thares evnuchorum, Regem jugulare cupientium, Aſſuerus renovatâ detectæ conjurationis contra ſe per Mardochæum memoriâ, ſine mora præcepit, ut Mardochæus ob tantam in Regem fidelitatem, & conſervatam vitam, regiis afficeretur honoribus: *Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare &c.*

Eſther. 6. 9.

Et quis unquam hominum, aut Angelorum, plus fidelitatis, & obſequii Chriſto JEſu in his terris exhibuit, quàm S. Joſephus? eum à gladio Herodis eripuit, in vita conſervavit, proprio ſudore & labore aluit, educavit, fovit, cuſtodivit, & in arte fabrili ſecum exercenda direxit &c. Et quia omnes actiones S. Joſephi erant circa Verbum incarnatum, potiùs Angelus, quàm homo extitit, hinc piè creditur, eum poſt mortem cum Chriſto dilectiſſimo Filio inter cæteros Patriarchas reſurrexiſſe, quod non obſcurè inſinuare videtur S. Matthæus: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Juvat hîc audire S. Bernardinum Senenſem: *Piè*, inquit, *credendum eſt, quòd piiſſimus Filius Dei JEſus pari privilegio decoravit ſuum putativum Patrem, ſicut ſuam ſanctiſſimam Matrem, ut ſicut illam aſſumpſit in cœlum in corpore & anima glorioſam, ſic etiam in die reſurrectionis ſuæ ſanctiſſimum Joſeph in gloriam ſecum, ut ſicut illa ſancta familia, ſcilicet Chriſtus, Virgo & Joſeph, in laborioſa vita, & amoroſa gratia ſimul vixerunt in terris; Sic in amoroſa gloria nunc & corpore & anima regnent in cœlis; juxta regulam Apoſtoli:*

Matth. 27. 52.

S. Bern. ſer. tom. 3. a. 2. c. 1.

stoli : Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. Ecce sic honorabitur, quemcunque voluerit honorare.

9. Tobias junior, cùm per Raphaëlem Archangelum salvus & incolumis post varia exantlata vitæ pericula tandem ad patriam domum esset reductus, ac patri suo multa & magna per cœlestem illum comitem accepta enarrâsset beneficia, consilium invicem inierunt, quid mercedis ac præmii
Tob. 12. 2. tali ac tanto benefactori suo vellent assignare : *Respondens Tobias dixit patri suo : Pater, quam mercedem dabimus ei ? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus ? me duxit, & reduxit sanum &c.* Demum concludebant, quòd dimidium omnium bonorum allatorum ipsi vellent assignare : *& vocantes eum, pater scilicet, & filius, tulerunt eum in partem, & rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.*

Altiùs mente assurge, anima Christiana, & Unigenitum Dei Filium post glorioſam suam in cœlum ascensionem, cum Patre suo æterno colloquentem contemplare : Pater, quàm mercedem dabimus Josepho patri meo nutritio & comiti fidelissimo, qui me duxit, & reduxit sanum, ab ense impii Herodis defendit &c. Quid dignum poterit esse beneficiis ejus ? Et concluserunt ei, & sacratissimæ Sponsæ ejus Mariæ dimidiam regni
Richard. à S. Vict. in Esth. 5. cœlestis partem : *Regnum Dei*, ait Richardus, *consistit in duobus, in misericordia & justitia ; justitiam tanquam dimidium Filius Dei sibi reservavit, Matri autem* (addamus nos, & patri suo nutritio S. Josepho) *misericordiam tanquam alteram partem tradidit.* O summam S. Josephi dignitatem ! revera non est inventus similis illi.

Salomon Regum prudentissimus matri suæ Bethsabeæ juxta latus suum ad dexteram pretiosum thronum parari jussit, eamque benigne affatus
3. Reg. 2. 22. est : *Pete, Mater mea ; neque enim fas est, ut avertam faciem meam.* Christus, qui plus est quàm Salomon, non duntaxat in cœlo SS. Matri suæ thronum splendidissimum ad dexteram suam paravit ; *Positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus*, sed & Patri suo dilecto S. Josepho similem pretiosum thronum ad sinistram suam adornari voluit ; ita
P. Moral. l. 5. n. 11. n. 19. Petrus Morales : *Sanctissimus Joseph*, inquit, *cum Christo resurgente, corpore & anima resurrexit, & cum eodem Christo cœlos ascendente, ipse pariter corpore & anima cœlos ascendit, & prope ipsum Christum Dominum post Virginem Deiparam in sublimi gloriæ throno fuit collocatus.* Ad quem pari ratione Christus Dominus, (quis dubitet ?) illud Salomonis locutus est : *Pete, Pater mi : neque enim fas est, ut avertam faciem meam.*

10. Ex quibus patet, quàm potens sit S. Josephus in cœlo ad impetrandum, quæ à divina Majestate a nobis postulantur utilia ; & si benignus
Ps. 144. 19 Deus juxta Davidis monitum *voluntatem timentium se facit*, multò magis faciet voluntatem amantium se, & quis JEsum magis in hac vita amavit,

quàm

quàm S. noſter Patriarcha Joſephus ? Alii Sancti & Electi, imò & Angeli deprecatoriè, & tanquam ſervi à Chriſto Domino poſtulant ; S. Joſephus verò auctoritativè quodammodo, & velut Pater illius, cui ipſe univerſorum Dominus ac orbis Salvator Chriſtus in his terris erat ſubditus, qui nunc in cœlis eorum beneficiorum, quæ quondam à Patre ſuo nutritio acceperat, non erit immemor, ſed filialem illum affectum, quem hîc in terris erga ſuum dilectiſſimum educatorem habuit, nunc in cœlis perpetuò conſervabit : *Quibusdam Sanctis*, ait Doctor Angelicus, *datum eſt in aliquibus ſpecialibus cauſis præcipuè patrocinari, ſicut S. Antonio ad ignem &c. At ſanctiſſimo Joſeph in omni neceſſitate & negotio conceſſum eſt opitulari, & omnes ad ſe piè confugientes defendere, fovere, & paterno affectu proſequi.* S. Thom. in 4. diſt. q. 3. c. 2. ad 3.

Joſeph ille in veteri lege, licèt nunc ad Pro-Regis ſolium in Ægypto evectus, non tamen aſpernatus eſt pauperculos fratres ſuos, nec de illorum miſeria coram Rege Pharaone erubuit, ſed publicè eos ut fratres agnovit, fovit, nutrivit, cui etiam Pharao totius Regni reliquit diſpoſitionem : *Dixit itaque Rex ad Joſeph : Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te : terra Ægypti in conſpectu tuo eſt : in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen.* Sic hoc olim in umbra, quid nunc in veritate ? Si Rex Pharao quondam Joſephum, optimè de ſe & Regno ſuo meritum, gubernatorem, ac protectorem, imò & Salvatorem ſuorum ſubditorum conſtituit ; quid dicemus de Sanctiſſimo Patriarcha noſtro Joſepho, optimè de ipſo cœlorum Rege, & de univerſa Chriſtianitate merito ; Hic verificatur illud Vatis regii : *Conſtituit eum Dominum Domûs ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* Proinde, ô mortales omnes, *ite, ite ad Joſeph*, qui ſuos fratres, ac ſibi ſingulariter devotos in optimo loco faciet habitare, & tradet eis terram illam deſiderabilem, perpetuo cœleſti melle ac lacte manantem. Pſ. 104. 21. Gen. 41. 55.

11. *Ite ad Joſeph* vos cumprimis, venerandi Sacerdotes, qui quotidie Deo offertis immaculatum Agnum in Altari : ecce Joſeph illum educavit, nutrivit, & in templo pariter pro ſalute mundi obtulit ; unde non ſine cœleſti conſilio Evangeliſta eum in medio inter Mariam, & Filium poſuit : *Invenerunt Mariam & Joſeph & Infantem*, ſupra quod doctiſſimus Manſius : *Ponitur*, inquit, *inter Mariam & JEſum, ut pro nobis Mediator exiſtat.* Luc. 2. 16. Manſ. diſc. 8. de S. Joſ.

Ite ad Joſeph vos, Reges ac Principes, Illuſtres ac Nobiles, nam Sanctus Joſephus etiam regio ac nobiliſſimo ſanguine fuit prognatus ; & ecce, *quem multi Reges voluerunt videre, & non viderunt, audire, & non audierunt*, caſtiſſimus Joſephus quotidie vidit, audivit, & paterno affectu cum eo converſatus eſt. Luc. 10. 24.

Ite ad Joſeph vos, cives, opifices, & agricolæ, nam & S. Joſeph civis fuit in Bethlehem, & tributum, ut civis, Cæſari perſolvit ; opifex extitit, & quidem faber lignarius : *Non hic eſt fabri Filius? & ideo*, ſubintrat hîc S. Chryſoſtomus, *fabro lignario Maria deſponſata eſt, quoniam Chriſtus Eccle-* Matt. 13. 55. In cat. D. Th. in Matt.

sia sponsus omnium salutem operaturus erat per lignum Crucis. Fuit & agricola, nam teste Lyrano agrum Nazarethi habuit, quem ipse coluit, seminavit, & frumentum messuit &c.

Ite ad Joseph vos, conjuges, exules, pauperculi, desolati, ægri, moribundi, imò mortales omnes, nam omnium Patronus est S. Josephus, ac præsertim agonizantium: *Cui morienti*, ait S. Bernardinus, *adfuit JEsus & Maria.* Finio cum Echio: *Vos itaque charissimi, nolite Josephi tam sancti viri obliviscì, quin eum seduló invocate pio affectu, neque ille in necessitate vos deseret.*

Bern. to. 3. a. 2. c. Echius ho. 3. de S. Joseph.

CONSIDERATIO VIII.

De Verbo in purissimo Virginis MARIÆ utero incarnato.

Pro Festo Annunciationis B. V.

Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM. Luc. 1. 31.

1.

MIror, quoties animo perpendo Jonæ Prophetæ charitatem reverâ magnanimam, quâ, ne alii perirent, ipse solus perire voluit. Impugnabatur furiosis tunc navis turbinibus, quiâ Vates ille à facie Domini profugus in pelago vehebatur Mediterraneo; nunc ad ima & abyssum deprimebātur, nunc ad sidera usque videbatur attolli: *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas, & navis periclitabatur conteri.* Erant autem, ut fieri assolet, in illa navi diversarum regionum, & religionum homines, qui varios colebant Deos, proinde quilibet ad Deum suum clamabat, ut opem ipsis ferret in tempore opportunam. Sed frustrà omnia; donec tandem sorte missâ Jonas fuerit demissus in turbulentum mare, quod & ipse petiit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis:* In figuris hæc illis olim facta sunt.

Jonæ 1. 4.

Quòd mundus perturbato mari in sacris litteris comparetur, nemo est, qui hac de re ambigit; unde Vates coronatus illum appellat: *Hoc mare magnum & spatiosum.* Erat autem in Veteri Testamento summa rerum

Ps. 103. 25.

rum perturbatio, & mundus periclitabatur conteri; ne ergo omnes æternùm perirent mortales, Filius Dei misertus generis humani, se ipsum ultrò æterno Patri & Spiritui Sancto obtulit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* Missus est ergo in mare, dum hodierna die de cœlo descendit, & à B. V. MARIA, quod nomen *Mare* significat, cooperante Spiritu Sancto, in utero conceptus est; & quod singulari considerationè dignum, illud est, quòd Christus hoc ipso hodierno die post triginta quatuor annorum circulum in cruentum passionis mare, velut alter Jonas, quia ipse voluit, projectus est: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et quid sequitur de Jona: *Est stetit mare à fervore suo.* Supra quod Cornelius: *Sic Christo in mare passionis projecto, stetit fervor idololatriæ, omnisque erroris, rediit tranquillitas fidei, orbis pax, secura omnia & gentium conversio ad Deum: sicut ergo Jonæ submersio navis est relevatio, ita Christi interitus mundi est salus.* Ps. 68. 3. Jonæ 1. 15 Corn hîc.

Fuerunt autem hodie summa generi humano à Deo facta beneficia, hodie secundùm mentem SS. Patrum primus homo de limo terræ formatus & creatus est. Hodie Angelus Isaacum à gladio Patris sui eripuit. Hodie Moyses populum Israëliticum mirabiliter per rubri maris undas sicco pede traduxit. Hodie *Verbum caro factum est*, & habitare cœpit in nobis. Hodie Christus pro nobis crucifigi, & mori voluit &c. Ex quibus rerum consideranti abundé patet, quàm sancta & memorabilis sit hodierna dies, de qua meritò illud regii Vatis applicare possumus: *Hæc dies, quem fecit Dominus &c.* De qua celeberrima festivitate, & mysteriis in ea peractis, hodie occurrunt nobis consideranda. Jo. 1. 14. Ps. 117. 23.

2. Plures speciosæ Virgines Assuero potentissimo Persarum Regi quondam fuerunr repræsentatæ, ut unam ex illis seligeret, & acceptaret in Reginam, sed ex omnibus istis illi sola placuit Esther, pulchritudine & modestiâ, puritate & gratiâ, ac præsertim humilitate vitæ omnes sui ævi superans mulieres, unde de ea Scriptura dicit: *Et adamavit eam Rex plùs, quàm omnes mulieres.* Esther. 2. 17.

Inter omnes hujus mundi virgines ac mulieres, quæ à mundi primordio usque ad hoc tempus vivebant, & ad extremum usque vivent judicii diem nulla magis æterno Patri placuit, ut eam in dignissimam filii sui Matrem eligeret, quàm pientissima, purissima, ac humillima Virgo Maria, de qua jure meritissimo illud dicere possumus: *Et adamavit eam Rex plùs, quàm omnes mulieres.*

Cùm Abraham Patriarcharum decus, & credentium pater, annum nunc ætatis suæ ageret centesimum & quadragesimum, charissimo filio suo Isaaco dignam inquirere sponsam voluit; ideirco Eliezer domûs suæ procuratorem fidelissimum cum insigni comitatu in Mesopotamiam, & in Haram ad domum Nachor amandavit, ut ibidem Rebeccam virginem

officio-

Gen. 24. 10. officiosam, sedulam & castam, in dignam sponsam Isaaco eligeret: *Et abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum &c.*

Hunc Scripturæ locum B. Albertus Magnus ad hodiernam S. Gabrielis missionem applicat, dum à Patre cœlesti cum ingenti & splendidissimo Angelorum comitatu in Nazareth civitatem Galilææ fuit ablegatus, ut hoc summum incarnationis Filii Dei mysterium B. V. Mariæ insinuaret, eamque in filiam Patris, Filii Matrem, & Spiritûs Sancti Sponsam eligeret.

B. Albert M. in c. 1 Luc. Juvat hîc audire verba B. Alberti M. *Cùm Pater Abraham*, inquit, *mitteret ad ducendam uxorem filio, misit quidem unum Eliezer domûs suæ procuratorem, qui tamen multos comites habuit. Ista Pater summus unum quidem præcipuæ dignitatis Angelum misit, tamen cum illo multos creditur misisse Angelos suæ dignitatis, ita hîc factum arbitror.*

Venit autem hic Archangelus ad cubiculum SS. Virginis in specie venustissimi juvenis, facie amœnissimâ, aureis indutus vestimentis, capite gemmis pretiosissimis ornato, & pulcherrimo Olivæ ramo in læva instructus, & ut initium legationis suæ faceret, dixit Virgini de pedibus, &

Luc. 1. 28. profundé ad terram inclinatus: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Et quare non dixit: *Ave Maria?* Resp. Hadrianus

Hadr. Lyr. in Trisag. Mar. Lyræus, quia nimirum præ singulari quadam reverentia ausus non erat nomen Virginis, utpote ineffabile, proferre, nisi postquam ex colloquio ejus jam factus robustior, tandem dixit: *Ne timeas Maria &c.* Disce venerari hoc dulce Nomen Mariæ.

3. Solent autem summa à Deo beneficia miseris exhiberi mortalibus, dum in oratione, vel mentali, vel vocali, sunt constituti. Zachariam consule S. Joannis Præcursoris Domini Patrem, Sacerdotem pariter, ac Prophetam (cujus caput adhuc Romæ in Basilica Lateranensis religiosè servatur, & certis temporibus populo Christiano monstratur, quod & vidi, ac veneratus sum) Hic, inquam, cùm in templo oraret, & secundùm consuetudinem sacerdotii incensum in altari poneret, hoc est, thymiama

Luc. 1. 11. Deo adoleret, vidit Angelum ad se ingredientem: *Apparuit autem ei Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi, & Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum; ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita precatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi Filium, & vocabis Nomen ejus Joannem.*

Observa: Angelus ille, qui fuit Gabriel, unus ex primis aulæ cœlestis Principibus, conceptionem, & nativitatem S. Joannis Baptistæ piis ejus parentibus non indicavit, nisi in oratione & ministerio DEI occupatus. Quantò magis hoc credendum est de incarnatione Verbi; dum enim sacratissima Virgo, & mox futura dignissima Mater Filii Dei, in secreto pro totius humani generis salvatione, & Christi adventu oraret;

in

in altiſſimam contemplationem rapta, ſubitò vidit ante ſe ſtantem pulcherrimum juvenem, qualem ſe S. Archangelus exhibuit, qui ei dicebat: *Ave gratia plena &c.* & poſt aliqua interjecta: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JEſum.* Diſce devotè & ferventer orare, ſi gratiam aliquam à Deo, ac præſertim finalem, quæ ſub nullius cadit meritum, vis invenire. Luc. 1. 11.

4. Facta eſt autem, ait Didacus Stella, hæc ſalutatio in aurora ante ſolis ortum, ut ſignificaret nobis Angelus, verum ſolem juſtitiæ, Chriſtum Redemptorem noſtrum, jam jam naſciturum. Pulcherrimè de hoc ſummo myſterio ipſa ſacra Sponſa: *Vox*, inquit, *dilecti me pulſantis: Aperi mihi, ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Et quis, obſecro, ô Sponſa puriſſima, eſt ille dilectus tuus, oſtium pulſans, & ingreſſum ad te petens? Reſp. S. Bernardus, quando unigenito Dei Filio placuit incarnari ex Maria Virgine, ibi ſtetit ad oſtium, & pulſavit, ut S. Gabrieli nuntianti in incarnationis myſterium conſentiret; *Aperi*, ait Mellifluus, *Virgo beata, cor fidei, labia confeſſioni, viſcera Creatori: Ecce deſideratus cunctis gentibus pulſat ad oſtium.* O ſacratiſſima Virgo, profer verbulum *Fiat*, ut in utero tuo fiat homo, qui homines ab interitu redimat. En aſſenſum tuum præſtolatur Angelus! Dominus in porta eſt: *O Domina!* pergit idem Mellifluus Doctor, *reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod exſpectant & Superi. Ipſe quoque omnium Rex, & Dominus, quantùm concupivit decorem tuum, & tantùm deſiderat & reſponſionis aſſenſum.* Didacus Stell. in Luc. hîc Cant. 5. 2. S. Bern. ſer. 4. ſup. Miſſ.

Igitur auditâ diligenter annunciatione, ſentiens B. Virgo mentem ſuam ex Spiritûs Sancti obumbratione cœleſtibus magìs magìsque illuſtrari radiis, & cor inſolitis liquefieri charitatis ardoribus, tota deſcendens in ſeipſam, ſe promptiſſimam offerebat pro gloria Dei, & ſalute hominum ad omnes divinæ Majeſtatis voluntates, itaque fixis humi genibus, & oculis in cœlum ad Deum ſublatis, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Et ecce eodem temporis momento *Verbum caro factum eſt*, & noſtra ſe mortalitate induit. Pereleganter hîc Dionyſius Carthuſianus: *Quibus verbis prolatis*, inquit, *immediatè Unigenitum Patris æterni concepit: Itaque in inſtanti Spiritus Sanctus ex ejus puriſſimo ſanguine corpus formavit, & perfectè quantùm ad membrorum diſtinctionem organizavit; item in inſtanti anima Chriſti eſt creata, atque utrumque Verbo hypoſtaticâ, ſeu perſonali unione eſt conjunctum*: O potentiſſimum Verbum *Fiat!* hoc verbo mundus à Deo fuit creatus, eâdem voculâ à B. Virgine fuit reparatus. Diſce in omnibus, & in utraque fortunâ voluntati divinæ te perfectè ſubmittere: Fiat! fiat, ô mi Domine! in omnibus tua ſanctiſſima voluntas. Luc. 1. 38. Jo 1. 14. Dionyſ. Carth. in Luc. hîc.

5. Plures legi, & pro modulo meo evolvi Sacram Scripturam, & obſervavi inter alia notatu digna etiam hoc, quòd poſt creationem pri-

mi hominis mox benignissimus Deus pro illius habitatione curaverit,
Gen. 2. 7. eique assignaverit hortum voluptatis inhabitandum. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de lino terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,*
Gen. 2. 8. *& factus est homo in animam viventem.* Et quid immediatè sequitur? *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* Et quare hoc?

Adverte: Adam primus homo, quamprimùm à Deo erat formatus, mox positus fuit in terrestri paradiso, secundus Adam, qui reparavit, quod prior in paradiso destruxit, hoc est: Christus, teste B. Petro Damiano, non alium sibi in mundo elegit paradisum, quàm castissimum uterum in-
B. Petr. Dam. in serm. de annunt. B. V. temeratæ Virginis Mariæ: *Locum voluptatis uterum B. Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delitias Dominus; de cujus delitiis Spiritus Sanctus admiratorio sermone in amoris cantico eructat: Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens?*

Sapientissimus ille Salomon, de quo Scriptura refert: *Dedit quoque*
3. Reg. 4. 29. *Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris.* Hic tamen vir, talis ac tantus candidè
Prov. 30. 18. de se ipso fatetur, quòd tria non potuerit capere: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitùs ignoro: Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio maris, & viam viri in adolescentia.* Tria prima captu difficilia; & admirabila jam alibi in libro de dolorosa Matre consideratione 54. explicavi, ubi per viam aquilæ in cœlo Christus ascendens in cœlum, & per colubrum supra petram repentem, idem Christus, & hic crucifixus,
Num. 21. 9. fuit præsignatus, juxta illud Veritatis: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto &c.* Per viam verò navis in medio maris Crux Dominica adumbrata
Jo. 3. 14. est, quæ Christo pientissimo Redemptori nostro, velut navis in hoc mari magno, & spatioso hujus mundi inservîit, quâ mediante per mare rubrum passionis suæ nos traduxit ad cœlestem patriam.

Sed adhuc quartum restat explanandum, quare prudentissimus Sa-
Menoch. in Prov. 30. 18. lomon dixerit: *Viam viri in adolescentia?* Resp. Menochius in hunc Scripturæ locum, quòd in Hebræo textu legatur *Bealmach*, hoc est: *in adolescentula*, seu virgine, quibus verbis propheticè admirabilis Christi conceptio in utero Virginis, & ejusdem Nativitatis indicari videtur. Sed adhuc clariùs & meliùs Symmachus, Pagninus, Chaldæus, Lyranus & plures alii legunt: *Via viri in adolescentia:* hic vir, inquiunt, Christus est, utpote à primo conceptionis suæ instanti vir perfectus, imò perfectissimus,
Jer. 31. 22 de quo vaticinatus est Jeremias Propheta: *Fœmina circumdabit virum.* Et licèt tunc in primo conceptionis suæ instanti non fuerit quantitate corporis major, quàm apis, vel formica, prout alibi in libro de SS. Corde explicavi, tamen idem erat Deus, qui nunc est, & erit per omnem æternitatem. O anima Christiana! quàm admirabilia sunt ista, quæ hodier-

dierna luce in conclavi B. Virginis in domo Nazarethana, ſed nunc Lauretana patrata ſunt. Juvat hîc ad ſolatium noſtrum audire Doctorem Seraphicum: *Itaque hodie*, inquit, *eſt ſolemnitas Dei Patris, qui nuptias fecit Filio ſuo, in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie Filius ſibi univit inſeperabiliter. Hodie eſt ſolennitas nuptiarum Filii, & dies natalis ejus in utero, ſed poſtea erit ex utero. Hodie eſt ſolennitas S. Spiritûs, propter hoc opus mirificum, & ſingulare ipſius incarnationis, quod eidem attribuitur; & hodie incepit oſtendere benignitatem ſingularem humano generi. Hodie ſolennitas eſt glorioſæ Dominæ noſtræ, quæ à Patre in filiam, à Filio in Matrem, à Spiritu S. in Sponſam eſt recognita & aſſumpta. Hodie eſt ſolennitas totius curiæ cæleſtis, quia inchoatur eorum reparatio. Hodie eſt multò magis ſolennitas humanæ naturæ, quia ejus ſalus incepta, & redemptio, & totius mundi reconciliatio, & ſublimata eſt, atque deificata.* Hæc S. Bonaventura. S. Bonav. in lib. Med. de vita Chriſt.

6. Vidit quondam Rex Nabuchodonoſor in ſomnio mirabilem ſtatuam, quatuor mundi imparia regna portendentem, quæ ſtatua ab uno lapide, de monte abſciſſo, unico momento contrita eſt: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta eſt quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt ventô: nullusque locus inventus eſt eis: lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Dan. 2. 34. Cæterùm ſtatuam iſtam jam alibi de quatuor orbis monarchiis expoſui; quid autem lapis iſte, qui percuſſit ſtatuam, eamque penitus contrivit, præſignavit?

Reſp. S. Ambroſius, S. Auguſtinus & alii, lapis hic Chriſtus eſt, lapis fundamentalis, & angularis Eccleſiæ, qui, quà Deus à Patre genitus eſt ſine manibus creationis, & quà homo è Virgine hodie conceptus ſine manibus; id eſt, ſine opere virili, qui lapis myſticus mox hodierna luce in conceptione ſua giganteam iſtam mundi ſtatuam comminuere cœpit, & totaliter adhuc comminuet; ipſe verò creſcet in montem, dum regnum Chriſti ſpirituale evertet omnia regna mundi, omnesque Gentes ſubjiciet Chriſto & Eccleſiæ. Et hoc eſt, ad quod hodie alluſit Archangelus: *Et regni ejus non erit finis.* Luc. 1. 33. Et quare, quæſo, non meliùs amamus hoc Regnum & majori cum ardore quærimus? Omnia in hoc mundo, etiam quæ ſplendida & ſolida videntur, cum tempore tranſeunt, & inſtar paleæ, à vento agitatæ, in auras evolant, & evaneſcunt, ſolum Regnum Chriſti manet in æternum; *Suſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Dan. 2. 44. S. Ambroſ. ſer. 70. S. Aug. tr. 9. in Joan.

Rebecca quondam Jacobum dilectum filium ſuum mirum in modum animavit, ut ad Iſaac parentem optimis indutus veſtibus accederet, & ab eo largiſſimam impetraret benedictionem: *Statimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantium, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 17. 27.

S. Antonin. 4. tit. 15. Resp. S. Antoninus, quòd per dictam Rebeccam B. Virgo fuerit præfigurata, quæ hodie causa fuit nostræ benedictionis, dum dilectum filiolum suum vix conceptum Patri æterno primâ vice obtulit pro impetranda toti humano generi cœlesti benedictione: *Per Mariam*, ait S. Petrus Damianus, *redditur benedictio terræ, & quis neget, hanc & benedictam & dignam fuisse, ut benedictum illum fructum ventris conciperet & pareret, in quo omnes benedicuntur, juxta illud Davidicum oraculum: & benedicentur in ipso omnes tribus terræ.*

B. Petr. Dam. ser. de assumpt.

Gen 28. 12. 7. Mirabilem quondam Jacob Patriarcha in somnis conspicatus est scalam, super terram quidem stantem, sed cacumine suo usque ad cœlos pertingentem, per quam & Angeli Dei descendebant, & ascendebant, in supremitate autem hujus scalæ *vidit ipsum Dominum innixum scalæ.*

Rupert. Abb. hic. Resp. Rupertus Abbas, Spiritum Sanctum per scalam hanc repræsentâsse Incarnationem verbi ex stirpe Jacobi suo tempore nascituri, & per varios gradus, id est, generationes descensuri. Descendebant autem Angeli, ut hoc summum Incarnationis mysterium, quod erat negotium omnium sæculorum, primò B. Virgini annuntiarent, & exinde hominibus, qui & ascendebant, ardentia Patriarcharum desideria & preces ad Deum ferentes, quæ hodie completa sunt.

S. Aug. ser. 15. de temp. S. Fulgent. de laud. B. V. S. Augustinus per memoratam scalam sacratissimam Virginem intelligit: *Facta est*, inquit, *Maria scala cœlestis, per quam Christus descendit ad terras.* Et S. Fulgentius: *Facta est*, ait, *Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines mereantur ascendere ad cœlos.* Sed adverte, anime mi, si volumus ad cœlos ascendere, Angeli simus moribus & virtutibus necesse est; dejiciuntur ab hac scala immundi & impuri, neque tolerantur in illa superbi, avari, inimici, & injusti &c.

Gen. 32. 26. Item Jacob metuens fratrem suum Esau, cùm sua & suos per vadum traduxisset, ipse solus illa nocte mansit in castris, ut Deo quietè & ardenter posset supplicare, & partem aliquam inter tot curas necessario somno tribuere. Et ecce, post orationem occurrit illi Angelus luctator, qui luctabatur cum eo, donec prima in cœlo visa aurora: *Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora.*

Hailgrin. in Cant. 6. 9. Eminentissimus Cardinalis Hailgrinus per Auroram istam consurgentem B. Virginem subaudit, de qua cantabant Angeli: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Per Jacob cum Angelo luctantem indicantur Sancti, qui luctantes cum Domino orationibus & lacrymis Incarnationem Filii Dei nitebantur extorquere, & exauditi sunt, dum hodie sub auroram lux vera de cœlo in uterum Virginis descendit: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* Disce, anima Christiana, per ferventem orationem luctari cum Deo tuo, ac præsertim in tentationibus, tribulationibus, & persecutionibus, si vis impetrare, quod saluti tuæ erit proficuum.

8. Et

8. Et si placet ulteriùs progredi, consideremus mirabilem illam apparitionem, quâ olim Dominus Deus Moysi servo suo, tunc oves Jethro in deserto pascenti, in rubo ardente & incombusto se spectabilem reddidit: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat, quòd rubus arderet, & non cumbureretur.* Ad quid, obsecro, Dominus in rubo ardente & incombusto? cur non in nube lucida, vel in throno magnifico Moysi tunc apparuit? Exod. 3. 2.

Resp. S. Bernardus, & ex eo Cornelius à Lapide: *Ignis in rubo, est Deus in carne, sive verbum Caro factum*, quod hodiernâ luce in domo Nazarethana accidit, ubi Virgo Archangelo nuntianti assensum suum præbuit: *Ecce Ancilla Domini.* En, una ancilla Petrum in foro Caiphæ tremere, imò corruere fecit; sed hæc humilis ancilla Domini per verbum illud *Fiat* omnia erexit, & restauravit in integrum. Et pergit idem celeberrimus Scriptor & Interpres Cornelius: *Ignis in rubo est Deus in B. Virgine conceptus & natus, illæsâ ejus virginitate*; hinc & universa de hoc summo mysterio canit Ecclesia: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Sancta Dei Genitrix.* Ubi pro reflexione morali notandum, quàm aptè virginitas assimiletur rubo: rubus enim est humilis & asper; qui ergo servare discupit virginitatem, & castitatem suam, per viam asperam & humilem procedat necesse est; in deliciis enim & in arrogantia ac superbia non tam animi, quàm corporis puritas in discrimen venire solet, certòque est subjecta periculo ac naufragio. Corn. hic.

Et si plures de hac veritate sacros desideras conceptus, adverte, quod sanctus Lucas enarrat, quomodo aliquando pretiosissimus orbis Servator Christus, postquam domum Zachæi ingressus est, hunc Principem Publicanorum ad meliorem frugem cum omni familia sua reduxit, mox exinde præsenti populo & Discipulis parabolam de viro nobili in alienam regionem proficiscente, & suas meas inter servos distribuente, proposuerit: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi Regnum, & reverti &c.* Luc. 19. 12.

Resp. S. Basilius: Hic nobilis est Christus non solùm secundùm suam Deitatem, sed etiam secundùm genus humanum, ex semine David secundùm carnem exortus; hic ergo nobilis hodie abiit in regionem longinquam, dum de cœlo, ut homo fieret, descendit in terram, accipere sibi Regnum æternum, non per delicias, sed per Crucem & Passionem suam: *Rex æternus*, ait Divus Ambrosius, *æterno Rege progenitus, peregre profectus secundum corporis susceptionem; quia vias hominis tanquam iter ingressus alienum, in hunc mundum venit, ut Regnum sibi pararet de nobis, quibus ait per Lucam: Regnum Dei inter vos est.* S. Basil. in Catena. S. Ambr. l. 5. c. 6. de Fide.

9. Percurramus ulteriùs Scripturam, & inveniemus de hac veritate adhuc plures memorabiles conceptus. Gedeon vir rusticus quidem, sed animo excelsus, ubi in judicem gentis Hebrææ, & in vindicem, ut Aram Luc. 17. 21.

Baal & idola everteret, prælioque contra Madian capesseret, à Deo
Judic. 6. 36. specialiter electus est, duo ab eo petit signa: *Si salvum facis Israël per manum meam, sicut locutus es: ponam hoc vellus in area: Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël.* Et factum est ita, de nocte enim surrexit, & expresso vellere concham cœlesti rore complevit. Secundò Gedeon ad Deum, seu potius Angelum Dei legatum sibi in Ephra apparentem, dixit: *Ne irascitur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero signum quærens in vellere: Oro, ut solùm vellus siccum sit, & omnis terra rore madens, fecitque Deus nocte illa, ut postulaverat; & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.* Quæres hîc, lector prudens, cur Gedeon hoc signum, & non aliud à Deo postulaverit?

S. Ambr. ser. 9. S. Chrysost. serm. 3. de Annunt. S. Bernard. ser. 2. super Missus est. Mitto hîc sensum litteralem, & pergo ad Allegoricum. S. Ambrosius, S. Chrysostomus, & S. Bernardus per hoc vellus accipiunt Sacratissimam Virginem, quæ est vellus aureum, in quod decidit imber aureus & ros cœlestis, Christus Dominus Deus noster. Et sicut de sinu velleris egreditur Agnus, ita de sinu Virginis egressus est Christus, qui est verus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Ps. 71. 6. Collige ex hoc, anime mi, hodiernæ festivitatis excellentiam, ad quam veritatem jam pridem alluxit Vates coronatus: *Descendit sicut pluvia in vellus, & sicut stillantia super terram.* Ros non cadit nisi in tempore sereno à ventis quieto: ita Christus non nisi tempore pacifico sub Augusto Imperatore concipi, & nasci voluit. En, pacificos amat. Ros impinguat & fœcundat terræ fruges, germina & plantas; Christus rore gratiæ vix conceptus in utero Virginis, irrorans mundo illum fœcundavit, ut varias proferret virtutes. Et quos tu hactenus protulisti? Ros in apertam si illabitur concham, & constringitur, fit unio seu margarita pretiosa; Christus quà Deus in concham, seu purissimum Virginis uterum illapsus, & ex eo Spiritu S. cooperante corpus assumens factus est pretiosissima margarita & unio, puta Deus & Homo. Et quomodo misericordia & veritas obviârunt sibi, & justitia & pax se mutuò osculatæ sunt, O magnum Divinæ pietatis Sacramentum! Excitare, anime mi! considerans hoc summum Incarnationis mysterium, quia ipse Deus visitavit nos, oriens ex alto. Hîc oportet nos stare attonitos ad tantam Dei dignationem, dum ad nos vilissimos terræ vermiculos dignatus est descendere, & nobiscum fieri homo, & hoc non propter se, sed propter nos & nostram salutem. O extasin amoris! si meditari scis, excita in te affectus admirationis, gratiarum actionis, gaudii, amoris compassionis &c.

Gen. 27. 28. 10. Hodie verificata est illa benedictio, quam quondam Isaac Patriarcha dilecto filio suo Jacob impetravit: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*, per quem rorem B. Theodoretus Christi Domini Divinitatem, & per pinguedinem terræ ejus humanitatem subaudit.

Hodie

Hodie *Sapientia ædificavit ſibi domum*, dum Filius Dei, qui dicitur Sapientia Patris, corpus hominis aſſumpſit, in quo habitaret plenitudo Divinitatis. Per domum autem iſtam & dignum Dei habitaculum SS. Deipara præſignata eſt, de qua Jacob Patriarcha myſticè pronuntiavit: *Non eſt hîc aliud, niſi domus Dei & porta cœli.* Theodor. q 11 in Genes. Prov. 9. 1. Gen. 28. 17.

Hodie adimpletum fuit illud Siracidis: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, per quod tabernaculum rectè B. Virginem intelliges, in qua Dei Filius, dum conciperetur, novem menſibus habitavit, & quievit. Eccl. 24. 12

Hodie, ait Innocentius III. novum fecit Dominus ſuper terram: Mulier circumdedit virum gremio uteri virginalis; mulier, ſed intacta, Mater, ſed Virgo: hæc in utero circumdedit puerum, ſed virum; Infantem, ſed Deum. O verè novum, quod hodie fecit Dominus ſuper terram; quia ſtella ſolem, creatorem creatura, filia patrem concepit. Hodie denique B. Virgo, dum digniſſima Mater Dei effecta eſt, *quaſi vitis fructificavit ſuavitatem odoris*, ex hac enim vite prodiit pretioſiſſimus ille Cypri botrus, hoc eſt, Chriſtus, qui in torculari Crucis preſſus vinum rubrum nobis dedit, quod omnes inebriat &c. Cui ſit omnis honor & gloria, Amen. Innoc. III. in ſerm. de hoc Feſto. Eccl. 24. 23.

CONSIDERATIO IX.

DE VII. VERBIS.

De primo Verbo à Chriſto moriente in Cruce prolato.

Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt.
Luc. 23. 34.

1.

CUm Saul Rex Iſraël miſerandum in modum Dæmonum furiâ exagitaretur, Aulici ejus compaſſione moti ſtatuerunt expertum quondam Muſicæ Magiſtrum inveſtigare, qui pſallendi arte afflicti Regis animum non tam exhilararet, quàm & hoſpitem infernalem ab eo diſpelleret; in quem finem expediuntur Legati, diſcurrunt per terram Iſraël, & cùm ſylvam quandam trans-

transeunt, audiunt nescio quem sonorum citharæ sonum; accedunt, & juvenem inveniunt nomine David ovium suarum gregem custodientem, & citharâ suâ psallentem, cui paucis persuadent, ut relicto grege cum ipsis se
1. Reg. 16. conferret in urbem, & se Regi in Aula sisteret. Et ecce, vix *David tollebat*
23. *citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul & levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Et quare, haud immeritò hîc quæres, anime mi, malignus ille spiritus adeò extimuit hanc Davidis citharam, ut sine mora suum pararet abitum?

Cornel. hic. Resp. V. Beda, malignum spiritum à Saule virtute Crucis Christi futuræ esse depulsum, cujus typus erat cithara David; & sicut chordæ ferreis clavis in cithara distenduntur, ita Christus ferreis clavis per extensionem membrorum omnium distentus fuit in Cruce, *ut dinumerarent omnia ossa ejus.*
Ps 21. 18. Psallebat autem David septies de die cum cithara sua: *Septies in die laudem*
Ps 119 164. *dixi tibi*; Christus Filius David, antequam pretiosissimam animan suam in
Luc. 23. 34. manus Patris consignaret, in summis tormentis septem ultima edidit verba
Luc. 23. 44. nobis utilissima, ac singulari consideratione ponderanda. Primum fuit:
Jo. 19. 26. *Pater, dimitte, non enim sciunt, quid faciunt.* Secundum ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Tertium ad Matrem: *Mulier, ecce Filius tuus,* &
Matth. 27. ad Joannem: *Ecce Mater tua.* Quartum: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?*
46. Quintum: *Sitio.* Sextum: *Consummatum est.* Septimum: *Pater, in manus*
Jo. 19. 28. *tuas commendo spiritum meum.*
Jo. 19. 30.

Luc. 23 46. Hæc septem sacratissima verba, sunt septem buccinæ, quibus clangen-
Jos. 6. 12. tibus Josue (per anagramma: O JEsu) muros Jericho subvertit. Sunt
Apoc. 5 1. septem sigilla sacra, quibus librum vitæ sigillavit Agnus Apocalypticus,
Ex. 17. 20. pro omnium salute in ara crucis occisus. Sunt candelabrum septem fidium septemque ardentibus instructum lucernis, quibus mundus illuminatur universus. Sunt septem aristæ non jejunæ, sed granis pleniſſimæ, *quas*
Gen. 41. 26. olim Rex Pharao conspicatus est, quibus animæ saturantur famelicæ. Sunt septem crines Samsonis, quibus erasis, vires illius deperditæ; ita septem
Jud. 16. 19. his verbis in Cruce editis, defecit virtus & vita Divini nostri Samsonis! *Et hæc dicens exspiravit.* Hæc, inquam, septem ultima Christi verba per hanc Quadragesimam, adjuvante divino Numine, pro modulo nostro ex-
Luc 23. 34 plicabimus, & hodie in præsentiarum de verbo primo agemus: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*; ubi singulariter nobis considerandum, quis oraverit, quem oraverit, pro quibus oraverit, & in quem finem &c.

Ps. 103. 20. 2. Sol oritur, & moritur: *Sol*, ait Vates Regius, *cognovit occasum suum*; hoc est: Scit, quo cursum suum debeat intendere, ut ad occidentem perveniat; postquam enim per diem pertransiit in suo hemisphærio benefaciendo omnibus, bonis & malis, tandem magnis passibus ad occasum

suum

ſuum feſtinat, ut exinde de novo oriatur, & reſurgat mundo. Subintrat hîc S. Auguſtinus : *Quis hic ſol, niſi ſol juſtitiæ, qui eſt Deus noſter?* Ortus eſt autem in ſtabulo Bethlehemitico, pertranſiit dein per vitæ diem benefaciendo omnibus, ſanando ægros, & oppreſſos à Diabolo &c. Occidit autem in vitæ veſpere in Cruce, & quia rubicundus per primam ſanguinis effuſionem in circumciſione exortus eſt, factâ tandem grandi & ſanguinea pluviâ occubuit, quod ipſe prædixit : *Facto veſpere dicitis : Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum ; & manè : Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.* O cruenta, ſed & ſalutaris pluvia, dum in Calvario monte *pluit ſuper juſtos & injuſtos*; ſupra quod egregié Sanctus Gregorius Nazianzenus : *Non memineris communis hujus pluviæ, quâ ſegetes nutriuntur ; ſed illius pluviæ ſanguineæ, quâ à paſſionis nubilo Dominus inimicos animos ſibi emollivit, & Patri reconciliavit*, dum in Cruce moriens altâ exclamavit voce : *Pater, dimitte illis.*

S. Aug. in Pſ. 103.

Matt. 16. 2.

Matt. 5. 45.

S. Greg. Naz. in tetraſtichis

Luc. 23. 34.

Obſerva, anime mi, *Pater !* dixit, dum in Cruce orabat pro inimicis, non *Deus meus &c.* & quare hoc ? Reſp. Avancinus : Patris nomen uſurpat, ut ad pietatem moveat, moneatque eſſe Patrem non tantùm bonorum, ſed etiam malorum. *Pater* dixit, ait Sylveria, quia tunc quàm maximè ſe declarabat Filium æterni Patris, & fratrem omnium, dum non duntaxat præſentes crucifixores definiebat, ſed etiam futuros, videlicet peccatores omnes, ut illis Deus Pater ignoſceret. *Pater* dixit ; cùm enim in monte Thaboræo in ſumma eſſet gloria, eum quidem Pater ſuum declaravit Filium : *Hic eſt Filius meus dilectus*, in Cruce autem de illo tacebat, quia pro perſecutoribus orans, ait de Caſtillo, non egebat teſtimonio, ut veré crederetur Filius Dei, ſed ubi eum Centurio audivit : *Pater, dimitte illis*, mox illum ut Deum agnovit, & credidit : *Verè hic homo Filius Dei erat.* O Chriſtiani ! Diſcite ex hoc, ut ſitis quoque filii Patris veſtri, inimicos diligere, & benefacere his, qui oderunt vos : *Diligere inimicos*, ait Mellifluus, *magis divinum eſt, quàm humanum.*

Matt. 27. 46. Avanc. hîc

Sylv. hîc.

Matt. 17. 5.

de Caſtillo Illat. 127.

Marc. 15. 39.

S. Bern. lib. de Paſſ. D. c. 11.

3. Magna fuit illa charitas, quâ David quondam ſuum proſecutus eſt populum, dum tempore peſtis, ubi Angelus exterminator vultu truci & igneo, ſtricto gladio Regi & gregi ultimum minatus eſt interitum, ſeipſum pro ſalute populi in hoſtiam obtulit, & pœnam ab eo in ſe transferri poſtulavit : *Dixitque David ad Dominum, cùm vidiſſet Angelum cædentem populum : Ego ſum, qui peccavi, ego iniquè egi ; iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt ? Vertatur, obſecro, manus tua contra me.*

2. Reg. 24. 17.

Verumenim verò longè major fuit illa charitas, qua Chriſtus filius David dilexit populum ſuum, dum non voto tantùm, ſed ipſo facto Patri ſuo æterno ſe obtulit in hoſtiam placationis, in ſe ſuſcipiens omnium peccata hominum : *Iniquitates eorum ipſe portabit*, proprio cruore expian-

Iſa. 53. 11.

1. Reg. 31. 3. da, unde ne populus æternùm periret, cum Davide postulavit: *Vertatur, obsecro, manus tua contra me &c.*

Isa. 53. 6. Et quid factum est? *Totùmque pondus prælii versum est in JEsum*, dum *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm*, in quo cruentissimo prælio, S. Bern. l. de Pass. D. c. 12. *cùm JEsus*, ait S. Doctor Mellifluus, *in summa Crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo*; hinc non tantùm veniam postulavit Discipulis ipsum deserentibus, sed etiam sceleratissimis Judæis ac crucifixoribus suis: *Pater dimitte illis*, & quidem *illis*, qui eum in horto olivario durissimis ligârunt funibus; *illis*, qui illum cruentis cæciderunt flagellis; *illis* qui caput illius acutissimis confixerunt spinis; *illis*, qui eum ad atrocissimam condemnârunt Crucis mortem; *illis*, qui durissimis clavis foderunt manus & pedes ejus; *illis*, qui eum potaverunt amarissimo felle & aceto, ac tandem crudeli lanceâ Divinissimum latus ac cor transverberârunt. *Pater, dimitte illis.* Luc. 23. 34. O abyssus Divinæ & inauditæ charitatis! *Christus*, ait S. Anselmus, *in Cruce levatur, irridetur, blasphematur, & ecce dicit: Ignosce. O verbum magnæ patientiæ! vitam procurat iis, à quibus occiditur.* S. Anselm. de Pass. hic.

Jo. 15. 20. En tu, invide, quid agis? cur spiras vindictam? an discipulus super Magistrum, & servus super Dominum? Sed dices mihi: Inimicus læsit mihi famam; quid deinde? nondum tulit vitam. Impetiit me verbis asperis & calumniantibus; sed nondum te lauciavit flagellis & spinis. Minatus est mihi manibus, imò & pugnis; Deus benedicte, sed nondum te egit in Crucem. Variis me replevit dicteriis & verbis ignominiosis; sed neque hoc te è medio sustulit. Audi rursus citatum Mellifluum: *Videte nunc*, S. Bern. ser. ser. 4. Hebd. Major. inquit, *opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus. Omnium tamen dolorum immemor: ignosce, ait illis &c.* Audis hoc, quisquis tandem es? *Ignosce:* Sed repones: Honorem meum tangit: *respectus, respectus.* Imò verò majorem habebis respectum, si Christum, ut Christianus, sequaris, quàm stolidas tuas passiones.

Jo. 6. 61. 4. Verùm dicet mihi nonnemo: *Durus hic est sermo, & quis potest eum audire?* Noëmus, licet vir justus, & qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, cum à filio Cham protervè illuderetur, mox erupit in male- Gen. 9. 25. dictiones: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.*

Elias Prophetarum zelosissimus, cùm à Principe quinquagenario iro- 4. Reg. 1. 9. nicè vocaretur. *Homo Dei*, mox illum titulum ironicum effecit serium: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.*

Elisæus ejus discipulus, cùm ascenderet in Bethel, ut contra idolum, quod Jeroboam ex vitulis suis aureis constituerat, depugnaret, & à pueris petulantibus appellaretur *calvus*, sine mora eis à Deo justam impreca- 4 Reg. 2. 22. tus est punitionem & vindictam: *Vidit eos & maledixit eis in nomine Domini, &c.*

Zacha-

Zacharias Jojadæ Filius, ubi Joas Rex ad idola deflecteret, & ab eodem Zacharia hanc ob causam justè reprehenderetur, mox illum Rex in templi atrio lapidari, & necari jussit: *Qui cùm moreretur*, ait; *Videat Dominus, & requirat &c.* 2. Par. 24. 22

Non sic mitissimus Redemptor noster, non sic, *qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur*, cùm injustissimè à Judæis interficeretur, non vindictam, sed veniam & indulgentiam suis precatus est occisoribus: *Pater, dimitte illis.* O quàm melius clamat divinus ille sanguis, quàm olim justi Abelis à Caino effusus, qui mox dignam scelere vindictam expetiit; *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. 10. Non sic, inquam, Sanguis Christi, non sic, nullam hîc audis vindictam, nulla fulmina, nulla tonitrua, sed gratiam prorsùs immensam, ac summam morientis Salvatoris tui clementiam; & cùm ita pro inimicis suis in Cruce oraret Filius, observat S. Doctor Seraphicus, quòd afflictissima Mater ejus ad radices Crucis in genua procubuerit, & in SS. voluntatem patientis Filii sui plenissimè resignata, similiter pro iisdem facinorosis hostibus Deum oraverit, illîsque ex animo ignoverit: *Pater, dimitte illis.* O charitas Crucifixi JEsu & SS. Matris ejus Mariæ nunquam adæquanda! O quàm dissimiles sunt nostræ cogitationes & affectus, dum quâvis modicâ provocati offensione indignamur subinde tantopere proximo nostro, ut mox spiremus ultionem, & si desit vindictæ copia, interno flagramus odio, & prorumpimus in verba amara, aspera, injuriosa, & indignatione plena. Deum immortalem! si unicum verbulum minùs nobis placens concoquere non possumus, & vix tacti, furimus, quomodo, obsecro, perpetuas tolerabimus flammas? Proinde aut ignoscendum, aut æternùm nobis erit ardendum. Isaiam audite: *Quis*, inquit, *poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* 1. Petr. 2. 23. S. Bonav. de Pass. Dom. Isa. 33. 14.

5. Olim præcepit Deus, ut post transitum Jordanis populus erigeret sibi altare de lapidibus, quos ferrum non tetigit: *Quando ergo transieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis, in monte Hebal, & lævigabis eos calce: & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Deut. 27. 4. Mirabilis structura, altare erigere ex lapidibus crudis, & non dolatis, & quos ferrum non tetigit.

Resp. Antiquissimus Origenes, per ejusmodi lapides ferro non tactos designari Christianos, qui ferro usi non sunt ad sumendam de hostibus suis ultionem, sed pacificè ac mansuetè cum proximo suo vivebant, tanquam fideles Christi Crucifixi imitatores: & talis Christianus est verus, & destinatus lapis pro altari Dei. Juvat hîc audire propria Origenis verba super illud: *Ædificabis altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit: Qui*, inquit, *ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium nunquam recepit, sed* Orig. hom. 12. in Jos.

semper pacificus fuit, semper quietus & mitis, & Christi humilitati conformatus, hic est lapis electus pro construendo altari Deo; cæteris, subintrat S. Augustinus, fores cœli clausæ sunt; qui enim non dimittunt, ad Deum non ingredientur, nec à Deo illis bona venit; & quomodo *homo*, ait Siracides, *homini reservans iram, à Domino quærat medelam?* Si vultis ergo invenire Patrem in cœlis: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri;* supra quod iterum dictus Antistes Hipponensis: *Invenient Patrem in cœlis, qui imitati sunt eum in terris; si verò imitari non vis, exhæreditari disponis.* David, quia Saul infensissimo inimico suo in spelunca deprehenso pepercit, & præcisâ solùm orâ chlamydis liberè dimisit, meruit hoc vaticinium ab ipso hoste audire: *Nunc scio, quòd certissimè regnaturus sis, & habitaturus in manu tua regnum Israël.* Anima Christiana! si vis cum Deo, & Redemptore tuo Christo JEsu in cœlesti gloria æternùm gaudere, & regnare, en signum æternæ tuæ prædestinationis certissimum! *Dimitte*; hoc enim exemplar tibi in Calvario monte monstratum est: *Pater, dimitte illis &c.*

S. Aug. ser. 122. de Temp.

Eccl. 28. 5.

Matt. 5. 44.

1. Reg. 24. 21.

CONSIDERATIO X.

De secundo Verbo Christi in Cruce pendentis.

Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23. 43.

I.

Ps. 35. 7. MIrabilia sunt opera tua, Domine, & judicia tua abyssus multa, quod luculenter satis patet ex vocatione duorum illorum latronum, qui unà cum Christo infami Crucis ligno erant affixi; qui in via priùs pares, in exitu dispares, in vita ambo sceleratissimi; sed nunc in mortis articulo unus evadit Sanctus, alter perseverat iniquus; unus conversus, alter perversus; unus Æthiops mutat pellem suam, & super nivem in sanguine Agni dealbatur; alter nec pellem, nec vitam mutat, sed in suo remanet cœno & peccatorum turpitudine. Verbo: unus salvatur, alter damnatur. O felix & infelix mortalium conditio! Hic verificatum fuit illud veritatis: *Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.*

Matth. 24. 40.

Pul-

Pulcherrimam de hac veritate nobis exhibent figuram Sacræ Paginæ: Condemnantur die unâ à Pharaone Ægyptiorum Rege ad squalidum, & infaustum carcerem duo Aulæ regiæ Ministri, primus pincernarum præpositus, alter pistorum Magister, eò quòd peccaverant in Regem, in medio illorum sedebat vinctus innocentissimus Joseph, vitæ scelerisque purus, hic pincernarum præposito felicem prædixit exitum, restituendumque in pristinam Regis gratiam, Magistro autem pistorum infelicem, & extremo capitis damnandum supplicio. Rem exitus probavit, dum in utroque paulò post oraculum adimpletum: *Restituìtque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum; alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur.* Gen. 40. 21.

En! perelegantem typum tunc impletum, quando innocentissimus Salvator Orbis, per Joseph præfiguratus, in monte Calvario inter duos latrones medius cruci affixus est, ubi uni vitam promisit æternam: *Hodie mecum eris in paradiso* alteram æterno adjudicatum supplicio reliquit; unde rectè S. Augustinus. *Ipsa Crux*, inquit, *si attendas, tribunal fuit, in medio enim judice constituto, unus latro, qui credidit, liberatus; alter, qui insultavit, damnatus est.* Plura de hoc gratioso secundo verbo: *Amen dico tibi; Hodie mecum eris in paradiso*, ad solatium nostrum hodie audiemus. Luc. 23. 43. S. Aug. tr. 31. in Joan. Luc. 23. 43.

2. Postquam Arca Noëmica anno solari ferè integro per immensum pelagus jactata, nunc subsidentibus paulatim diluvii undis, & ipsa in summis Armeniæ montibus subsidere cœpit, justus Noë ad explorandum, utrum aquarum fluctus penitùs essent imminuti, nuntios duos per fenestram Arcæ dimisit, hoc est, columbam & corvum, qui ipsi referrent, an omninò cessâssent aquæ. Columba, cùm non inveniisset, ubi requiesceret pes ejus, quantocyus reversa est in Arcam, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo*, quam Noë extentis brachiis ac manibus apprehensam, lætabundus excepit, & pectori suo, tanquam felicis pacis nuntiam appressit; Corvus verò non ampliùs reverti voluit in Arcam: *Egrediebatur, & non revertebatur.* Gen 8. 11.

Pulcherrima ad intentum nostrum est figura. Arca Noë Crux est, quæ ab Ecclesia in hymno de S. Cruce appellatur: *Arca mundo naufrago*, per justum Noëmum expansis manibus ac brachiis columbæ reditum & gratissimum ejus adventum exspectantem, Christum, & hunc Crucifixum, subaudi, brachia & manus in ligno Crucis extendentem: per columbam exeuntem ex Arca, & ad vesperam revertentem ad Dominum suum, cum viresçente olivæ ramo, bonum latronem intellige, serò quidem, sed tamen seriò de peccatis suis dolentem & animitùs pœnitentem, & ideo à mitissimo generis humani Redemptore in gratiam susceptum: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso*: per corvum nigerrimum in cœno hærentem, & super putrida cadavera sedentem, latronem alterum in sceleri- Luc. 23. 43.

bus suis desperantem agnosce. O quot tales corvi etiamnum sunt, qui de die in diem suam differunt conversionem; columbæ verè gementes, & dignos pœnitentiæ fructus facientes, ô quàm raræ! sic nimirum *per multum cras, cras tandem dilabitur ætas.* Audiatur hîc Alcuinus: *Fortè*, inquit, *respondes, cras, cras, convertar; ô vox corniva! corvus non rediit ad arcam, columba rediit; si tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa; satis alienus es à fide, qui ad agendum pœnitentiam tempus senectutis exspectas &c.*

Alcuinus l. de virtut. & vitiis.

3. Veniunt hîc mihi in mentem duo illi bajuli, qui botrum insolitæ magnitudinis de terra Chanaan in vecte usque ad castra Israël, in deserto Arabiæ tunc locata, portaverunt: *Pergentèsque usque ad torrentem botri, abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Ex quo apparet, quam fertilis fuerit illa terra benedicta & promissa.

Num. 13. 24.

S. Augustinus per uvam illam in vecte pendentem, Christum in Cruce pendentem, subaudit, per duos verò bajulos, duo testamenta: *Præeunt Judæi*, inquit, *sequuntur Christiani; hi salutem suam ante conspectum suum gerunt, Judæi post dorsum; illi obsequium præferunt Christo, hi contemptum.*

S. Aug. ser. 100. de temp.

Possunt etiam per duos istos bajulos rectè subaudiri duo latrones cum Christo crucifixi; unus divinum illum Cypri botrum ante se vidit, & intellexit, & de ejus dulcedine gustavit: *Quoniam suavis est Dominus*, alter qui præcessit, nec botrum illum divinum attendit, nec dulcedinem ejus gustavit, proinde meritò à Deo rejectus periit, quia ipse perire voluit, dum obstinata ejus voluntas omnem offirmabat saluti suæ viam. Vide ex hoc, anime mi! quàm occulta sint Dei judicia, quæ nunquam possunt esse injusta; cur uni Deus dare solet gratiam efficacem, & non alteri? Resp. prædictus S. Antistes Hipponensis: *Noli investigare, si non vis errare. Miserebor*, ait Deus ad Moysen, *cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Interim cape tibi hoc reflexione morali, si divina te excitat gratia ad meliorem vitam, noli cordis tui valvas claudere lucenti soli, neque obicem divinæ gratiæ ponas, fortasse non amplius redibit: *Spirat ubi vult.*

Ps. 33. 9.

Exod. 33. 9.

Joan. 3. 8.

4. Sed quæ causa, dices, tam admirandæ conversionis in Disma latrone fuit? Resp. Beatus Arnoldus Cartonensis: Latro titulum, *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*, in Cruce scriptum vidit, & corde perlegit; ideo conversus à Christo audivit: *Hodie mecum eris in paradiso*; non enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quàm hoc SS. Nomen JEsus; quod dulcissimum nomen considerans hic latro in se rediit, seriò pœnituit, & veniam impetravit.

B. Arnold. de 7 verb. D. Act. 4. 12

Secunda ratio hujus conversionis fuit, cùm latro ille vidisset universalem quandam totius naturæ convulsionem, & elementorum commotionem,

tionem, lapideum quoque cor illius commotum, & liquefactum est, præsertim, ubi Christum magnâ voce in Cruce clamantem audivit: *Pater, dimitte.* Supra quod S. Vincentius Ferrerius: *Videns latro*, inquit, *qui pendebat in Cruce à dextris, quòd Christus oravit pro Crucifixoribus, & considerans Christi patientiam, habuit fidem de Christo, & contritionem de peccatis in corde.* S. Vinc Fer. 1. ſ. Paraſc

Tertia ratio, quare latro ille Christi meruerit amicitiam, fuit ingens illius zelus, quem in corrigendo socio, illiùsque animam lucrari satagendo ostendit, & adhibuit: *Respondens autem alter, increpando eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es?* En, quomodo timor Domini ipsi initium fuerit sapientiæ, unde mox & collegæ sui salutem cœpit zelari, & eum ob blasphemam linguam corrigere; supra quod Ludolphus Carthusianus: *Est documentum in latrone dextro, quòd injurias Dei nullatenus tolerare debemus, sed reprehendere, sicut fecit latro iste.* Luc. 23. 40. Lud. Carth. q. 2. c 63.

Quarta causa fuit, quia Redemptoris innocentiam publicè, & in conspectu truculentissimorum inimicorum defendit, ubi fremuerunt gentes adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus, ubi Principes convenerunt in unum, ut JEsum perderent, ipse solus munus defensoris sibi vindicavit, se ipsum ut reum accusando, & Christi summam innocentiam contra iniquissimos Judices & universam Synagogam strenuè tuendo: *Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.* O egregium spectaculum, cernere latronem quendam in ligno infami clavis ferreis affixum, & toto corpore cruentatum, tanto ardore honorem Dei, & Crucifixi Redemptoris quærentem, atque conversionem socii sui zelantem! O quot sunt, quos bonus hic latro aliquando confundet, & condemnabit, qui ob respectus humanos honorem Dei negligunt, neque defendunt, neque fraternam curant correctionem. Luc. 23. 41.

Quinta causa tam insolitæ extitit conversionis afflictissima, & dolorosissima Virgo Maria, quæ stans ad Crucis radices inter Filium patientem, & intet latronem media, advocata & mediatrix inter utrumque facta est, illíque divinam gratiam, ac delictorum veniam impetravit. Ita S. Anselmus, B. Petrus Damiani, Salmeron & plurimi alii; cùm enim B. V. & Mater cum Puero JEsu, & S. Josepho in Ægyptum ab Herodis gladio fugeret, Dismas latro in itinere eos offendens, quia divinum aliquid in Puero JEsu observaverat, contra aliorum latronum incursus eos defendit, quem latronem exinde post triginta, & amplius annos in monte Calvario agnovit, & ex motivo gratitudinis efficaciter pro eo intercessit, lumènque fidei, & Redemptoris sui notitiam, ac gratiam obtinuit finalem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Sylveira Tom. 5. lib. 8 c. 16 §. 8.

5. De David adhuc Pastore referunt Regum annales, quomodo oves curæ, ac custodiæ suæ concreditas ex faucibus leonum & ursorum eripuerit,

1. Reg. 17. 34. puerit, aque servaverit incolumes : *Veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebàmque de ore eorum.* Ita Christus filius David in Cruce eripuit ex faucibus inferni, & ore leonis animam Dismæ latronis. En primum effectum sacratissimæ ejus Passionis ! petiit ovis illa perdita unicum tantùm memento : *Dominę, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum*, & mox obtinuit gratiosum responsum : *Hodie mecum eris in paradiso.* Subintrat hîc S. Ambrosius, *ecce*, inquit, *uberior est gratia, quàm precatio.* Assuerus Rex formosæ Esther suæ dimidium Regni sui præsentavit : *Quid petis, ut detur tibi ? & pro qua re postulas, etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis.* Quod & Herodes fecit, dum propter saltum filiæ suæ Herodiadi pariter dimidiam Regni sui partem pollicitus est : *Pete à me, quodvis, quia quiqduid petieris, dabo tibi, licèt dimidium Regni mei*, quod tamen verbum neuter servavit. Plùs Christus Rex Regum, qui latroni pœnitenti non aliquam Provinciam, aut dimidiam quandam partem, sed totum Regnum suum promisit & dedit : *Hodie mecum eris in paradiso.* Et quis, obsecro, tali Domino non libenter inserviat ? quis ipsum non amet ?

S. Ambros. in Ps. 118. Esther 5. 6. Luc. 23. 43.

Hæmorrhoissa illa, quæ duodecim annis sanguinis fluxum passa est, retrò & furtivè ad Christum accessit, *& tetigit fimbriam vestimenti ejus*, & sic quodammodò sanitatem furata est ; *Dum Jesus*, ait S. Ambrosius, *ad filiam Principis synagogæ tenderet, furtivo quodam tactu sanitatis remedium prælibavit.* Ita & *Dismas latro*, inquit D. Chrysostomus, *furatus est cœleste Imperium*, unde rectè apud SS. Patres pii furis nomen obtinuit. Verùm non suadeo hanc furandi artem, ille quidem latro in mortis articulo adhuc salvatus est ; spera, ô peccator ! sed unus est, ne præsumas ; quia ex sententia S. Hieronymi ex centum millibus hominum, quorum mala vita fuit, indulgentiam in morte obtinebit vix unus.

Matt. 9. 10. S. Amb. l. 5. in Luc. c. 17. S. Chrysost. hom. de cruce & latrone.

6. De Elisæo Propheta recenset Scriptura, qualiter ferrum securis in aqua Jordanis mersum ad lignum, quasi ad suum manubrium, prodigiosè enatare fecerit : *Præcidit ergo lignum, & misit illuc, natavitque ferrum.* Per hunc Elisæum Christum subaudit, per lignum Crucem & per ferrum de profundo aquarum attractum Dismam bonum latronem. Ita etiamnum benignus Dominus per sanctam Crucem plurimos peccatorum ad se attrahere assolet, ut veniant *per Crucem ad lucem.*

4. Reg. 6. 6.

Salomon, cùm ad regium thronum in Israël esset evectus, ad se vocari jussit Abiathar, hominem morte dignum, & læsæ Majestatis reum, quia cum Adonia contra Salomonem conspiraverat, quem tamen Rex sapientissimus non interfici voluit, sed vitam donavit, quia David fidelis extitit, & cum eo multa incommoda & pericula pertulit : *Equidem vir mortis es ; sed hodie te non interficiam, quia portásti Arcam Domini*

3. Reg. 2. 26.

Dei

Dei coram David Patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit Pater meus &c.

Ecce plus in purpureo Crucis throno (*quia Dominus regnavit à ligno*) quàm Salomon in aureo, & eburneo suo solio. Meruit quidem Dismas latro propter enormia sua scelera mortem sempiternam: *Equidem Vir mortis es; sed hodie te non interficiam*, sed potiùs tibi novam dabo vitam, dum adhuc *hodie mecum eris in paradiso*, quia patienter, portàsti Arcam Domini, hoc est Crucem, & unà mecum, & partim etiam propter me dolores omnes, quos ob meam defensam innocentiam tibi addiderunt Hebræi, & insuper in animo verè contrito, & humiliato dignos pœnitentiæ fructus fecisti, ideo dico tibi: *Hodie mecum eris in paradiso.* O quàm multi hodie volunt esse cum Christo in paradiso, sed renuunt esse in Cruce cum illo! Si non compatimur, quomodo cum illo conregnabimus? *Ad magna præmia*, ait S. Gregorius M. *perveniri non potest, nisi per magnos labores.* Sta hîc, anime mi, & perpende, quos grandes labores pro lucrando cœlo, pro honore Dei promovendo, & pro animarum salute procuranda perfeceris; Timeo, ah valde timeo, quin hac in parte sis valde debilis. Incipe hodie, & millies dic cum bono latrone: Domine, memento mei!

S. Gregorius M. hom. 37. in Evang.

CONSIDERATIO XI.

De Verbo tertio Redemptoris nostri in Cruce patientis.

Mulier ecce Filius tuus -- Ecce Mater tua. Jo. 19. 26.

I.

ET quis non miretur, quod immensus Deus, *qui omnia in sapientia fecit*, & cuncta suaviter ad suum finem disponit, cùm Unigenitus ejus Filius pro omnium salute in Ara Crucis immolaretur, etiam tunc in tam cruento, ac luctuosissimo sacrificio sanctissimam, & dolorosissimam Matrem illius voluerit esse præsentem: *Stabat autem juxta Crucem JEsu Mater ejus?* Et quid, obsecro, innocentissima illa Virgo juxta infame & patibularium lignum? Quid candidissima illa columba inter nigerrimos corvos? Quid ovis inter omnes mitis inter cruentos lupos?

Ps. 103. 24.

Jo. 19. 26.

Simon de Cassia l. 13. Resp. Simon de Cassia, author pius & antiquus, quia ruina generis humani per Adamum & Evam in infausta illa arbore scientiæ boni & mali in paradiso quondam ope serpentis Avernalis machinata est; igitur ad reparandum illud gravissimum damnum in totum genus humanum transfusum secundus & melior Adam, Filius Dei *lignum notavit, damna ligni ut solveret.* Et quemadmodum Eva, pomum ex arbore illa prohibita decerpendo, omnis nostræ ruinæ primum extitit instrumentum; ita voluit Pater æternus, ut & Maria, secunda & melior Eva, verè *Mater cunctorum viventium*, in propria persona ad arborem Crucis staret immota, & illud repararet, quod Eva priùs exstruxerat; unde canit Ecclesia: *Quid Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine.* Juvat hîc audire piissimum & illuminatissimum Doctorem Taulerum ita dolorosissimam Matrem alloquentem: *Sicut Eva*, inquit, *usurpans temere de arbore scientiæ boni & mali, homines in Adam perdidit, ita tu de arbore Crucis dolorem in te suscepisti, satiatàque amaritudine, unà cum Filio tuo hominem redemisti.* En! quomodo Pater etiam *Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; ita nec propriæ ejus Matri pepercit, dum illam voluit pro nobis sic affligi juxta Crucem.

Ecclesia in Hymn. de S. Cruce.

Taul. c. 11.

Rom. 8. 31.

Hanc ergo sacratissimam, & afflictissimam Matrem suam cùm Filius Dei nunc morti proximus Cruci adstantem observâsset, priusquam Patri suo cœlesti Spiritum suum commendaret, voluit dilecto suo Discipulo commendare & Matrem, ac vicissim in manus SS. Matris suæ memoratum Discipulum: *Cùm vidisset ergo JEsus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri: Mulier, ecce Filius tuus! deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua!* O summam in nos Christi in Cruce morientis charitatem! dum non Joanni soli, sed & nobis omnibus, ac singulis dixit: *Ecce Mater tua!* Supra quod egregiè Lanspergius: *In hoc verbo*, ait, *Ecce Mater tua, haud modica nobis est consolatio, scientibus, non Joanni tantùm sed & omnibus Christi Discipulis, omnibùsque filiis gratiæ de Maria Beatissima à Christo dictum: Ecce Mater tua.* Plura de hac veritate in præsenti consideratione dilucidabimus.

Jo. 19, 26.

Lanspers in hom. 48.

Gen. 22. 2. Ad Abraham quondam dictum est à Deo: *Tolle Filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi eum offeres in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* ubi Scriptura observat, quòd Abraham triduum integrum impenderit, donec ad illum montem Moria (postea Calvariæ locum) pervenerit, ubi loco Isaac Christus pro humani generis salute immolatus est: *Die autem tertio elevatis oculis, vidit locum procul.* Et quare voluit Deus immolationem Isaac tanto tempore differri? Nunquid meliùs, & majoris obedientiæ actus fuisset, si mox in paterna domo post acceptum mandatum, Deo in gratissimum holocaustum à genitore suo fuisset sacrificatus? Resp. antiquissimus Origenes, quòd per tres illos dies Abraham mirè fuerit in animo cruciatus, atque interea in continua fuerit agonia: *Per triduum*, inquit, *ambulat Abraham, ut*

Orig. hic.

ut per totam viam cogitationibus discerpatur ; hinc urgente præcepto, illinc filii affectu reluctante &c. Et Alcuinus : *Quatenus longitudine temporis tentationis etiam augeretur incrementum, nam per triduum iter protenditur, & per totum triduum crescentibus curis paterna viscera cruciantur.* Sauciabat autem quàm maximé patris animum illud filii colloquium : *Pater mi ! At ille respondit : Quid vis fili ? Ecce*, inquit, *ignis & ligna, ubi est victima holocausti ?* Maluisset enim ipse pater potiùs mori, & immolari, quàm ut immolaret filium. Alcuin. hic. Gen. 22. 7.

Verùm hæc omnia contingebant illis in figura. Observa, anime mi, per triduum duntaxat perpessus est Abraham hos animi angores ; sed afflictissima Mater JEsu per triginta tres annos, etiam ab illo tempore, quo B. Simeon ipsi prædixit : *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur*, similes mentis cruciatus, imò incomparabiliter majores tulit. Abraham solùm per triduum *portabat in manibus ignem & gladium* ; Dolorosissima Virgo autem assiduò in corde suo divini amoris portabat ignem, & usque ad montem Golgathæum fulminantem Simeonis gladium, qui virginem & ejus animam non tantùm pertransiit, sed & intimé penetravit, ac tunc præsertim, quando interfuit luctuosissimo illi, & cruentissimo spectaculo, in quo Filius innocentissimus à sanguinariis istis tam indigna pro homine indigno in Cruce sustinuit. Cum Sara, licèt secundùm mentem S. Augustini fuerit conscia futuræ filii necis, Deus in tantum dispensavit, ut non debuerit interesse filii immolationi ; sed cum pientissima Matre JEsu nulla à Patre cœlesti dispensatio facta est : *Vidit enim suum natum morientem, desolatum, dum emisit spiritum.* Augebantur autem summoperé virginei pectoris dolores, quòd Filius proximus morti nullum cum ipsa colloquium, ut Abraham cum Isaac, instituerit, sed solummodò paucula hæc ei verba insinuaverit : *Mulier, ecce Filius tuus.* O verbum luctuosum, *& penetrabilius omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum* ! Juvat hîc audire apem Clarævallensem S. Bernardum : *An non*, inquit, *tibi plùs quàm gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus ? Mulier ecce Filius tuus. O commutationem ! Joannes tibi pro JEsu traditur, Servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, Filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licèt ferrea pectora recordatio scindit ?* S Aug. de Temp. ser. 73. Jo. 19. 26. Hebr. 4. 12. S. Bern ser. 12. de Stell.

3. Olim mutavit Deus nomen Sarai conjugis Abrahæ Patriarchæ in nomen Sara : *Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Ad quid nominis istius mutatio ? & cur Deus Sarai convertit in Saram ? Adverte ex S. Ambrosio, Hieronymo & aliis : Hactenus Sarai unius familiæ erat Domina, & hoc nomen Sarai indicat, jam vero facta est Sara, hoc est, absolutè Princeps & Domina, dum Mater Gen. 17. 15. S. Ambros. Hier. apud Corvel.

plurimarum gentium, imò cunctarum per Isaac filium suum, quem peperit, facta est; ex eo enim natus est Christus secundùm carnem, qui est Pater omnium gentium fidelium, & Christianarum, harum etiam Avia, Mater, Domina, & Princeps Sara fuit. Proinde non *Sarai*, *sed Sara.*

A figurante ad figuratum. Mutavit & Christus Dominus in Cruce jam jam moriturus dulcissimum nomen Matris in nomen mulieris, quod jam in nuptiis Chananæis illi priùs præsignavit, ubi dixit: *Quid mihi, & tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Et quæ illa hora? Hora illa, ait S. Augustinus, erat hora Passionis, ubi Christus pendens in Cruce, eam de novo mulierem appellavit: *Mulier, ecce Filius tuus.* Ubi observandum, quòd mulier sit nomen, quod Virginibus, ac Matribus indifferenter competit: *Non dixit*, inquit Lyranus, *ei, Mater, sed Mulier, vocans eam communi nomine, ne ex teneritudine nominis materni, si exprimeretur, aggravaretur animus Virginis videntis Passionem Filii.* Juvat hîc audire & piissimum Taulerum ad prædictum nomen Sarai & Sara pereleganter alludentem: *Mater*, inquit in persona Christi crucifixi, *non tantùm mea Mater, sed generaliter Mulier, ob ingentem fœcunditatem tuam diceris, quemadmodum olim Deus ad Abraha conjugem dixit, quòd non amplius Sarai, sed Sara diceretur, qui Matrem multarum gentium te constitui, per hosce, quos modo pateris dolores, proles edes innumeras, erisque Mater omnium, quia per gratiam meam in me sunt credituri. Hos omnes, ceu proprios filios tuos, in sinu maternæ gratiæ tuæ confovebis.* Ita illuminatissimus Taulerus.

Jo. 2. 4. S. Aug. hîc Jo. 19. 26. Lyr. hîc. Joh. Tauler. cap. 44.

4. Sunt & aliæ rationes gravissimæ, quare pientissimus orbis Redemptor Christus nunc morti vicinus SS. Matrem suam non Matrem, neque Mariam, sed Mulierem vocare voluerit? Resp. primò S. Joan. Chrysostomus: *Cur, ô bone JESU, Matrem tuam erubescis, quæ tanta te cum devotione nutrivit, tanto cum affectu lactavit, tantis cum obsequiis tibi servivit? sed ideo factum esse arbitror, ne materno nomine Matri dolorem amplius excitares &c.*

S. Chrysost. ho. 84. in Jo.

Secundò, ut multos averteret insultus & injurias, quas aliàs impii Judæi, milites Pilati & plebs petulantissima Matri suæ intulissent, si ex ore Christi crucifixi intellexissent, eam esse veram hujus Crucifixi Matrem, proinde, ut tales amoveret contumelias, eam simpliciter Mulierem nominavit. Tertiò, ne suavius & affectu filiali loquendo delicatum cor Virginis rumperetur: *Ne materna pium*, ait Baptista Mantuanus, *laceraret viscera nomen:* Quartò, ut illam admoneret illius vaticinii à Salomone quondam prædicti? *Mulierem fortem quis inveniet?* Per hoc enim tacitè illi insinuare voluit, eam ipsam esse hanc fortem Mulierem, & generosam Machabæam, nullis unquam casibus, adversitatibus, & perturbationibus fractam. Quintò, ut ostenderet, se affectus omnes humanos erga parentelam suam exuisse, & ad cœlum tendendo omnibus abdicâsse terrenis: *Commendabat*, ait Ammonius Alexandrinus, *JEsus Mariam genitricem Cruci vicinam Joanni Disci-*

Prov. 31. 1.

Ammon. Alex. in Harmonia Evangelica.

Discipulo Mulierem appellans, ne quid affectibus humanis tribuere videretur, qui Patris cœlestis jam ageret negotium.

5. Collige ex hoc anima Christiana, qualis ac quantus fuerit dolor afflictissimæ Matris Christi, cùm hunc dilectissimum filium suum taliter sibi in Cruce valedicentem audiret: *Mulier.* Et licèt tunc temporis fuerit etiam præsens S. Joannes Evangelista, nulla tamen verbo in sacro suo Evangelio de internis hujus SS. Deiparæ doloribus mentionem fecit, aut quòd ad istam valedictionem aliquid responderit; rationem assignat S. Laurentius Justinianus: *Vocem*, inquit, *emittere non valebat, absorbuerat enim cor illius tristitiæ nimietas, vocisque organum, & linguæ detinebat officium, ne quid loqueretur ad Filium; eò autem angebatur acriùs, intùsque vociferabatur, quò foris loqui minùs poterat.* S. Laur. just. de agone Christ c. 11.

Magnus fuit ille dolor, quem Eva ex cruenta Abelis innocui filii sui morte hauserat; neque dubium est, quin rei novitate steterit attonita, seipsam præ nimio animi dolore non ampliùs capiens, nondum enim hactenus hominem aliquem mortuum viderat, nec ullam mortis experta erat tyrannidem, hinc pavor, mœror & luctus, qui tandem in amarissimas solutus est lachrymas: *Cùmque essent in agro, consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Gen. 4. 8. Plùs in agro Calvariæ, & in Cruce, quàm justus Abel in campo Damasci; Eva non præsens adstitit, quando Abel filius furcâ ligneâ ab impio Cain trucidabatur; sed dolentissima Virgo, & Mater JEsu ipsi cruentissimæ lanienæ interfuit, quando dulcissimus Natus fuit flagellatus, spinis coronatus, & clavis ferreis Cruci suffixus, ubi suprema Unigeniti sui verba audiit: *Mulier, ecce filius tuus*, Ecce *Mater tua*; Jo. 19. 26. ô mœror! ô luctus! quis eum poterit explicare? *Admiramini*, ait Propheta Hebræus, *& obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur.* Habac. 1. 5.

6. Jacob Patriarcha, ubi solùm vestimentum Josephi dilecti filii sui laceratum, & in sanguine hædi intinctum conspicatus est: *Scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore &c.* Gen. 37. 34. Sed afflictissima Virgo Filium suum suomet vestitum sanguine, ac millenis laceratum vulneribus morientem vidit, & suprema hæc verba de se ad S. Joannem proferentem, *Ecce, Mater tua*, ubi rectè illud Threnorum de se dicere poterat: *Subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Idcirco ego plorans, & oculus meus, deducens aquas, quia longè factus est à me consolator.* Thren. 1. 16.

Et si adeò commota sunt viscera illius Matris coram judicio Salomonis stantis, ubi audiêrat Filium suum ex sententia judicis per medium gladiô esse dissecandum, ex cujus dolore & lachrymis mox prudentissimus Rex collegit: *Hæc est Mater ejus.* Quid, obsecro, dicemus de acerbissimis animi doloribus sanctissimæ Matris Christi sub patibulo Crucis omnibus tormentis, & agoniæ Filii crucifixi personaliter adstantis? unde moriens

riens JEsus ad dilectum Discipulum : *Ecce mater tua.* O pientissima Domina ! jam non poteris negare, te nostram esse Matrem, quia plùs, quàm prædicta Sara, ad radices Crucis facta es nobis Mater, ubi ad meliorem vitam nos indignos filios tuos in summis peperisti doloribus. Quis ergo non amet te, ô pientissima ?

3. Reg. 3. 27.

Pro coronide hujus Considerationis adhuc unam peculiarem nostræque saluti valde proficuam in medium proferamus quæstionem. Dic, anime mi ! quare Christus non citiùs in vita sua SS. Matrem suam D. Joanni, & nobis fidelibus recommendarit in Matrem, quàm cùm jam morti esset proximus, & nunc SS. Animam in manus Patris traditurus : *Ecce Mater tua!* Cæterum, quòd in Cruce omnium fidelium Mater à Christo moriente fuerit designata, jam superiùs diximus ; quod & pereleganter expendit, ac exponit Rupertus Abbas super illud : *Mulier cùm parit, tristitiam habet,* & subjungit : *Proinde, quia B. Virgo in Passione Unigeniti sui dolores ut parturientis sustinuit, omnium nostrûm salutem peperit, & facta est omnium nostrûm Mater.* Ergo sub Cruce etiam mea ac tua Mater effecta est ? Et ita quidem est. Rationem audiamus à doctissimo Mansio, cur primùm in morte à Christo Mater nostra fuerit denominata : per hoc, inquit, fideles suos, quorum dilectus Discipulus figura erat, docere voluit, quòd in fine vitæ suæ confidenti animo ad SS. Matrem se convertere, eàmque in adjutorium invocare debeant ; hinc Ecclesia nos docuit : *Maria Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ, tu nos ab hoste protege, & in horâ mortis suscipe. Etiam me, ô Domina !*

Jo. 16. 21. Rup. Abb. hic.

Mans. to. 3. tr. 6. disc. 10.

CONSIDERATIO XII.

De quarto Verbo à Verbo Crucifixo prolato.

DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46.

I.

Luc. 21. 28.

Levate capita vestra, ô mortales omnes ! *quoniam appropinquat Redemptio vestra.* Ecce JEsus, & hic Crucifixus, circa horam nonam clamavit voce magna : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* O vox, quæ instar horrendi tonitru mox sua efficaciâ usque ad infernum penetravit ; vox, quæ cœlum, terràmque tremere fecit ; vox, quæ velum templi scidit, & monumenta aperuit ;

Matth. 27. 26.

ruit; vox, quæ creaturas etiam insensibiles tam fortiter pulsavit, ut præ nimia compassione ad mortem sui Creatoris universam terrarum orbem susque dèque vetere velle viderentur: *Voluit*, ait Didacus Stella, *edere hanc vocem magnam jam jam moriturus, ut nos desides, jacentes somniculosos, imò & mortuos ad tam incredibile miraculum aspiciendum excitaret, quale erat, quòd Vita moreretur, & Deus pateretur.* Did. Stella hic in Luc.

Multa tulit patientissimus Job, ad quem ulcere pessimo toto corpore percussum, & in fœtido sterquilinio sedentem, venerunt solandi causâ ejus amici, & consanguinei: *Cumque elevâssent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Job. 2. 12. Plùs tulit Dominus JEsus in sterquilinio Calvariæ: verè vir dolorum, & ulcere pessimo toto quoque corpore percussus, ubi amici ejus steterunt de longè, solo Mater stabat juxta Crucem, quæ magis illius augebat, quàm leniebat dolorem, unde inter summos & extremos cruciatus nihil tristius, nihil luctuosius de ipso audiebatur, quàm quartum illud verbum, quo Dei Filius ab ipso Patre suo se desertum magnâ voce conquestus est, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46. O David! quid quondam dixisti: *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum.* Ps. 30. 35. quomodo ergo, & quare à Deo Patre in supremo illo Crucis agone derelictus est ipse justissimus, & Sanctus Sanctorum? Causam hujus mysterii impræsentiarum examinabimus.

2. Non nuda parabola, sed vera juxta Cornelium, & alios historia est, quam enarrat B. Lucas de Viatore illo, *qui descendebat ab Hierusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abiêrunt, semivivo relicto.* Luc. 10. 30. Pientissime JEsu! Tu per illum viatorem præsignatus es; descendisti enim de cœlesti Hierusalem in Jericho (in fallacem hunc mundum) sed tandem, postquam pertransisti benefaciendo omnibus, incidisti in latrones, Judæos & Gentiles, à quibus spoliatus, & semivivus es relictus (Divinitas enim vitam, quam nunquam perdere poterat, retinuit, sed humanitas veniens in profundum maris submersa est, & vitam amisit) Verè incidisti, ò Domine, in latrones, dum medium inter illos in colle Golgothæo in infami Crucis ligno, tanquam illorum corriphæus, pependisti. Quoties, ò dulcis JEsu! objiciebant tibi inimici tui: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15. 2. Ecce, jam etiam cum illis pateris, & mortem sustines atrocissimam innocentissimus. O triadem mirandam, nunquam in orbe spectandam! Deus inter latrones!

O Angeli, qui quondam templi Solimæi honorem tanto zelo & ardore defendistis, aut Heliodorum prædonem regium, verberibus probè

2. Mach. 3. 27. bè mulctatum sine mora ex illo ejeceritis: *Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum ejecerunt.* Et quomodo, obsecro, potuistis videre templum illud vivum, atque Sanctissimum, Dominum vestrum, tam protervè, & truculenter profanari, vastari, exscindi, & solo æquari? quomodo potuistis, inquam, sine compassionis sensu audire illud lamentabile, & relatu terribile: *Eli, Eli, lama sabachtani, hoc est: Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46.

Apud prædictum Viatorem Jerichuntinum sauciatum pertransiêrunt in via Sacerdos & Levita, videntes bene illius angustias & plagas; non tamen illi succurrebant. Heu! non simus tales Christiani, & sine ullo commiserationis motu, Christum crucifixum amorem nostrum prætereuntes, sed potiùs cum Samaritano illo infundamus in vulnera ejus oleum & vinum: Oleum, inquam, commiserationis & sinceræ charitatis, & vinum mortificationis, compunctionis, ac veræ pœnitentiæ, sæpiùs considerantes illius suprema, ac Sacrosancta septem verba, ac præsertim hoc quartum verbum; *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Juvat hîc audire Sanctissimam, ac Dolorosissimam ejus Matrem; ita quondam ad S. Brigittam loquentem: *Quando Filius meus dixit: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me! hanc vocem ego, donec ad cœlum veni, nunquam oblivisci potui, quam, plùs ex compassione mea quàm suâ permotùs, protulit; tunc ego exinanita corrui in terram &c.* Revel. lib. 4. cap 70.

3. Cùm pientissimus Redemptor Christus in horto Gethsemani in prima illa sanguinea agonia ad Patrem tertiò orâsset: *Apparuit illi Angelus confortans eum.* Et quare, haud immertiò quæres, non simili modo in ultima agonia in Cruce idem Angelus Christo agonizanti apparuit *confortans eum?* An non pater æternus derelicto Filio suo in summis illis tormentis constituto integros Angelorum exercitus poterat submittere, qui eum consolarentur? Potuit, sed non fecit. Luc. 22. 43.

Danielem in lacum leonum missum consolatus est Deus: *Et ait Daniel: Recordatus es mei, Deus, & non dereliquisti diligentes te.* Dan. 14. 37.

Josephum inter tot discrimina rerum, & casus adversos benignus Dominus nunquam deseruit: *Descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap. 10. 13.

Susannam falsò à duobus nequissimis sycophantis accusatam, cùm jam jam duceretur ad mortem, Deus orantem exaudivit, & per puerum Danielem senes, proprio ore convictos, jure talionis populo interimendos reliquit: *Quæ flens suspexit ad cœlum; erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino &c.* Dan 13. 35.

Paulum inter tot persecutionum fluctus quotidie morantem, non duntaxat confortavit, animavitque, sed & omni gaudio replevit: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra &c.* 2. Cor. 7. 4. Pa-

Paralyticum illum 38. annis decumbentem, & non habentem hominem, qui in aquæ motu ipsum in piscinam probaticam mitteret, ipse Dominus consolari dignatus est; *Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine! hominem non habeo &c.* Jo. 5. 6.

Et quis est, obsecro sodes, qui verè speravit in Domino, & confusus est? Davidem audiamus ita de suis majoribus scribentem: *Appropinquaverunt usque ad portas maris; Et clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos. Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Ps. 106. 18 Et Filium proprium unicè dilectum, ô Pater æterne, & Deus totius consolationis! in supremo illo Crucis agone tantoperè clamantem ad te non exaudis? *Et circa horam nonam exclamavit JEsus voce magnâ: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46.

4. Observat hîc gentium Doctor Paulus, quòd Christus non tantùm valido cum clamore ad Patrem tunc in Cruce exspirans clamaverit, sed & clamori lachrymas addiderit: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationèsque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis, offerens exauditus est pro sua reverentia.* Et quomodo in illa desolatissima derelictione exauditus?

Resp. S. Chrysostomus, quòd in prima illa agonia in horto Christus, jubente Patre, fuerit consolatus ab Angelo sibi apparente, & in ultima Crucis agonia à latrone pœnitente, qui tum temporis officio confortantis Angeli functus est, cujus miranda conversio pretiosissimo Redemptori in derelictione sua magis placuit, quàm si Pater ipsi plùs quàm duodecim Angelorum legiones in auxilium submisisset: *In horto*, inquit, *Christus confortatus fuit ab Angelo apparente, & in Cruce à latrone pœnitente*, qui Christi innocentiam non tantùm defendit, sed & eum verum esse Regem gloriæ, Deìque Filium publicè promulgavit, qui bonus latro fuit primitiæ fructum Passionis Christi: *Novum hunc fructum*, ait illuminatissimus Taulerus, *& primum botrum, quem Dominus JEsus ex infœcundo solo nostro, multo sudore, multaque pretiosi sanguinis sui irrigatione in ligno Crucis suæ obtinuit, cœlesti Patri suo, ceu pretiosum munus, ingenti cum gaudio per legatos Angelos misit. Quòd si gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quæ illic lætitia de hujus est latronis concepta salute, quem jam propè desperaverant? Quanto putamus cum gaudio Pater cœlestis primitias has frugum Passionis filii sui suscepit?* ah! si tantum gaudium habet Deus, & Homo Christus, & Angeli ejus de invento uno peccatore, seriam pœnitentiam agente, cur ergo, anime mi, toties de illis subtrahis? O quàm infaustum est, semper parturire, & nunquam parere, semper proponere, & nunquam seriò exequi! cur non dicis cum illo Prodigo revertente? *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* S. Chrysost. ser. de bono latr Jo. Tauler. c. 43. Luc. 15. 18

5. Alias rationes, cur Christus in agone suo supremo à Deo Patre se

S. Lau. ser. 16. de Past.

derelictum conquestus est ? assignant SS. Patres : *Vox ista*, ait S. Leo, *doctrina est, non querela, nam cùm in Christo Dei & hominis una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui à quo non poterat separari, pro nobis tepidis, & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit ?* Et hoc quidem ad nostram doctrinam, erudiens non eousque pientissimi nostri Redemptoris deveniſſe dolores, ut noluerit eos etiam internâ Dei assistentiâ mitigare, ut nos sic doceret, si opus fuerit, pro honore Dei libenter omni, & divino & humano carere solatio, atque in nullo nos ipsos quærere.

Orig. hic. apud Corn.

Antiquissimus Origenes censet, ideo Christum ultimo vitæ suæ momento hoc quartum dixisse verbum : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliqui sti me ?* Per quod, inquit, queri voluit de paucitate salvandorum, & multitudine damnandorum, in quibus perit fructus Passionis ejus.

V. Beda hic.

Venerabilis Beda existimat, quod per prædictum quartum verbum Christus voluerit insinuare grande illud cordis sui desiderium plura pro hominum salute patiendi : *Christus*, ait, *ex vi tormentorum suam mortem accelerari videns, & volens diutiùs pro nobis ferre tormenta : hanc amore refertam querimoniam Patri proposuit, dicens : Pater ! cur tam citò me mori disposuisti ? cur non moras protrahis, ut magis magisque pro hominum salute adhuc crucier ?*

S Bonav. de med. Pass.

Addit S. Bonaventura : *Christus tanto desiderio exarsit patiendi, ut tribus horis in Cruce exsaturari non potuerit, sed expetierit in ea pati usque ad finem mundi.* O summi amoris prodigium.

Sim. de Cassia. lib. 13.

Simon Cassianus aliam assignat rationem, cur Pater filium suum sine ulla consolatione in tot tormentis ac supremis cruciatibus reliquerit. *Ideò*, ait, *Christus est derelictus in pœnis, ne nos derelinquamur in peccatis, ut ipsius derelicto sit nostrorum liberatio peccatorum ; ideo derelictus in pœnis suis, ne Christi suos fideles exemit ab æternitate pœnarum.*

S. Cyprian. tr. de Pass.

Derelictus denique est Christus in tormentis, ut illius exemplo animaremur, & discereremus patientiam. Ita S. Cyprianus : *Derelictus*, inquit, *est Dominus, ut exemplum nobis patiendi exhiberet. Patet in cœlum via, sed ardua & difficilis, præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, sed stupendum Dei patientis exemplum nos excitaret. Derelictus est, ut amorem suum erga nos ostenderet, ut justitiam misericordiamque suam nobis patefaceret, ut amorem nostrum ad se raperet.*

6. Coronidem huic considerationi imponat S. Petrus Martyr ex sacra Div. Dominici familia, cui die quadam apparuerunt S. Catharina, S. Agnes, & S. Cæcilia, cum eo familiariter in cubiculo de rebus cœlestibus colloquentes. Pertransiit quidam religiosus, & advertens, quòd contra Sacri Ordinis Regulas fœminæ in cœnobium à B. Petro fuerint admissæ, mox eum apud P. Priorem accusat, qui sine mora Petrum ad se accersitum graviter objurgat, & ad carcerem, ut in eo duram ac longam peragat pœnitentiam, condemnat. Accidit autem, ut aliquando amicè

amicè coram Christo crucifixo conquerens diceret: *Domine, tu scis innocentiam meam, cur ergo, me silente, tu taces? Cur me non defendis, sed in hac infamia tamdiu derelinquis?* Ad quem Christus de Cruce: *Et ego, ô Petre, quid commerui, ut pro te in hac Cruce confixus sim? Disce ex me patientiam exercere in quibuslibet afflictionibus tuis, quia omnes tuæ meis æquiparari nequeunt.* Audis hoc, anima Christiana? Si subinde derelinqueris à Deo, cogita, te priùs ipsum sæpiùs dereliquisse. Solet autem ejusmodi desertio sæpenumero fieri in pœnam peccati & teporis nostri; vel ob meriti nostri augmentum; vel ut probemur, quinam simus ex nobis, tanquam ex nobis; vel denique ad humiliationem nostram & majorem Dei gloriam, cui sit omnis honor &c. Surius in ejus vita 29. Apr.

CONSIDERATIO XIII.

De Verbo quinto, & siti Christi in Cruce morientis.

Sitio. Joannis 19. 28.

1.

CErvus â canibus & vertagis agitatus, ac telo, vel glande plumbeâ saucius ad fontes aquarum vivarum summo anhelat desiderio, ut vehementissimam suam possit restinguere sitim; unde David Rex venatione se exercens, bellisque assuetus sæpiùs à venatione & armis suas duxit comparationes, & in Psalmo 41. à venatione cervi: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum &c.* S. Hieronymus per hunc cervum canibus & vertagis in venatione agitatum, Christum patientem & vulneratum subaudit, ille enim erat, de quo Vates Regius: *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.* Canes, inquam, erant scelerati illi Judæi, qui Christum captum ex horto Oliveti primò agitabant ad torrentem, de torrente in civitatem, in civitate ad Annam Pontificem, mox ad Caipham tunc Synagogæ præsidentem; tum ad Pilatum Romanum judicem, paulò post ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatum, ac demum ad montem Calvariæ, ubi per consilium malignantium iniquissimâ sententiâ in crucem actus, vulneribus saucius & opprobriis saturatus in supremo mortis articulo ar-

Ps. 41. 2. S. Hieron. in Ps. 21. Ps. 22. 17.

dentissimâ siti, adinstar cervi agitati & sitibundi, æstuare & torqueri cœpit; proinde lamentabili voce exclamavit: *Sitio.* Plura de hac siti nobis hodie occurrunt considerandа, & utinam tali desiderio anima nostra sitiret ad Deum fontem vivum!

2. Samson bellator fortissimus, ubi cruentum prælium cum Philistinis præliavit, ac mille viros maxillâ asini prostravit, ex labore tum itineris, tum mactandi tot hostes fessus, vehementem sitim passus est: *Sitiensque valde clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam, en! siti morior.* Judic. 15. 18. Ecce perelegantem typum in Crucifixo Redemptore nostro in Cruce expletum! postquam enim contra tot hostes, puta mundum, carnem, dæmonem, peccatum, ipsamque mortem acerrimè pugnavit, ardentissimam sitim pati cœpit: *Sitio.* Samsoni *aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt aquæ, quibus hausti, refocillavit spiritum, & vires recepit.* Nihil simile de Christo legitur, quòd vel unicam aquæ guttulam in ardentissima illa & suprema siti, ubi aruerunt omnia interiora ejus, impetraverit, sed acetum illi offerebant, potum vulneribus noxium: *Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus;* O miserandam consolationem! ô triste refrigerium! paulò ante luctuosam illam crucifixionem *dederunt ei vinum bibere cum felle mistum*, nunc in exitu vitæ acerbissimum acetum. Hîc adimpleta est Scriptura illa: *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Supra quod egregié S. Laurentius Justinianus: *A sæculo*, inquit, *non est auditum, ut homini sitienti, lasso, vulnerato, ac morienti pro sitis refrigeratione acetum, hyssopo & felle daretur mixtum. Excedit totius humanitatis limites ista crudelitas. Ingrati scelesti, sine pietate, absque misericordia, quod brutis impenditur, sitienti Dei Filio denegârunt.* O anime mi! tunc offers Christo acetum, quando cor tuum est amaricatum, & rancore, aut impatientiâ plenum; vel quando dies optimos transigis in mundanis & carnalibus, senectutem autem tanquam fœces ætatis sitienti Deo tuo vis offerre. Sed eamus ulteriùs.

Matth. 27. 34. Ps. 68. 22. S. Laurent. Just. de agone Christi c. 19.

3. De Agar fugitiva refert Sacra pagina, quod filiolum suum Ismaëlem præ nimia siti in deserto fatiscentem subter unam arborum abjecerit, quasi desperatum, & mox moriturum: *Et abiit, sedítque è regione procul, quantùm potest arcus jacere. Dixit enim, non videbo morientem puerum: & sedens contra levavit vocem suam, & flevit.* Verùm benignus Deus exaudivit vocem pueri illius, qui misit Angelum suum, qui Matri ostendit puteum aquarum viventium, ex quo uterque abundè refectus est. O Angeli pacis, quomodo potuistis videre Dominum ac Deum vestrum præ vehementissima siti in ligno patibulario contabescentem? Ismaëlem puerum immorigerum frigidâ potâstis, & Creatorem vestrum deseritis? Eliæ sitienti Prophetæ in horrido deserto sub umbra juniperi recumbenti, & singulis

Gen 21. 16.

momen-

momentis mortem exſpectanti, aquam providiſtis: *Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Reſpexit, & ecce, ad caput ſuum ſubcinericius panis & vas aquæ; comedit ergo & bibit &c.* Et Filium Dei extremam ſitim patientem non attenditis? 1. Reg. 19. 5.

Olim Chriſto Domino veſtro, ubi 40. diebus jejunârat, & ter in trino illo conflictu Dæmonem ſuperaverat, non duntaxat congratulati eſtis, ſed & cibum ac potum ei offerentes, debiti obſequii veſtri officia exhibuiſtis: *Et ecce, Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Et cur, obſecro, hîc in Cruce ac ſupremo cruento agone nec unicam liquoris ſtillam ei ſubminiſtratis? Verùm altum hîc erat in cœlo ſilentium. *Angeli pacis*, ait Iſaias, *amarè flebant*, voluit enim mitiſſimus Dominus, quia jam omnia membra ſuos habuerunt cruciatus, ut & lingua ardentiſſimâ ſiti torqueretur; ita Mellifluus: *Fractis membris omnibus, dulcis JEſus voluit puniri & linguâ*; quod etiam inſinuavit Evangeliſta, dum ait: *ut conſummaretur Scriptura; dixit: ſitio*, noluit enim pretioſiſſimus orbis Redemptor, ut vel unus apex, aut jota unum præteriretur, ſed ut in omnibus voluntas Divini Patris adimpleretur. O anime mi! diſce hîc obediendi ſtudium, diſce ſervare, ac zelare legem Dei & regulam tuam, & nec latum unguem ab ea diſcedere. Matt. 4. 11. Iſaias 33. 7. B Bernard. c 37. de Paſſ. Jo. 19. 28.

4. Ab Angelis me converto ad Patrem cœleſtem: Omnipotens, æterne Deus, quis ſum ego, ut loquar ad te? Terra, pulvis & cinis, imò nihilum: loquar tamen ad te, quia juſta loquor. Et nunquid quondam in deſerto in gravi ſiti & aquarum penuria rebelli populo Iſraëlitico ex duriſſima petra copioſum & limpidiſſimum fontem produxiſti, ut homines & jumenta eorum reficeres? *Cumque elevaſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta*; & dulciſſimo ac in omnibus obedientiſſimo Filio tuo in extrema ac ferventiſſima ſiti, ubi omnis humor in carne defecit, ubi lingua adhæſit faucibus ejus, ubi aruit, tanquam teſta, virtus illius, ubi languebant cuncta ejus membra, & cor ſiti nimiâ flagrabat incenſum; & tu, inquam, Sanctiſſime Pater! dilectiſſimo Filio tuo, in quo tibi ſemper benè complacuiſti, nec ſtillam aquæ frigidæ in extrema neceſſitate ſubminiſtras? O cœli obſtupeſcite! Num. 20. 11.

Et quid de te dico, ô omnium matrum afflictiſſima Mater! quæ quondam in nuptiis Cananæis præſens fuiſti, ubi nullus convivarum clamabat: *Sitio*, nihil ſeciùs ſingulari motapietate ac miſericordiâ ſuper diſcumbentes ad ſuaviſſimum Natum tuum dicebas: *Vinum non habent*; Ecce jam venit hora illa, de qua tunc temporis intervallo tecum in illo convivio loquebatur Filius: *Nondum venit hora mea*, jam, teſte D. Auguſtino, venit illa hora paſſionis ejus, nunc ipſe Filius tuus, qui olim aquam mutaverat in vinum, intolerabili ſiti in Cruce perit, & te præſente ac audiente rauca voce clamat: *Sitio*. Et cur, obſecro, ad radices Crucis non in genua pro- Jo. 2. 3.

voluta ad Patrem cœlestem clamâsti: *Vinum non habet?* Enimverò clamavit, sed non voluit Pater, & mater morientem non poterat juvare Filium; unde obsérvat S. Vincentius Ferrerius, quòd, quando mitissimus Redemptor in Cruce clamavit, *Sitio*, sanctissima Mater ejus ibidem præsens illi dixerit: *O Fili! non habeo, nisi aquam lacrymarum.* O mortales omnes! attendite atrocissimum hunc dolorem pientissimi Salvatoris vestri, en! qui paulo ante dicebat: *Si quis sitit; veniat ad me, & bibat*, nunc ipse fons sitit, & præ siti, deficit: *En! siti morior.* Et nunquid olim præceptum erat: *Sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri;* sed noluit Div. Pater, ut moriens Filius vel unâ frigidâ stilla reficeretur, sed ut felle amarissimo & aceto potaretur; ratio est, ait S. Hieronymus, *ut hoc aceto succus lethalis pomi abstergeretur;* & S. Athanasius: *Fel gustat, ut dulcedinem amaræ voluptatis Adami sanet*; ille & posteri ejus pomi dulcedinem, Christus autem fellis & aceti gustavit amaritudinem; ita S. Augustinus: Juvat hîc audire ipsa Sponsi crucifixi verba, quæ B. Angelæ de Fulgineo de Cruce intimavit: *Pro peccatis orîs tui, & gulæ tuæ, quâ delectata fuisti in comessatione, & ebrietate, & ciborum suavitate, ego habui os fame, & jejuniis, & siti tabefactum, & aceto, myrrhâ & felle amaricatum.* Applica hoc pro te, mi Lector!

S. Vinc. Fer. in serm. de Parasc.

Jo. 7. 37. Jud. 15. 18. Isa. 21. 14. S. Hier. in c. 14. S. Marc.. S. Athan. q. 136. ad Antioch S. August. l. 9 medit. c. 7. Bolland. 4. Jan 2. Reg. 23. 15.

5. Davidi quondam in expeditione belli sitienti: *O si quis mihi daret potum aquæ!* mox tres generosi milites per medios hostium cuneos penetrantes non sine vitæ periculo desideratam aquam attulerunt: *At ille noluit bibere: sed libavit eam Domino.* Et quare, dices non bibit? Resp. S. Ambrosius: *Non aquarum sitiebat elementum, sed sanguinem Christi*, proinde prævidens in spiritu hanc Christi in Cruce morientis igneam sitim, *oblatam aquam Domino libavit, significans, sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum; illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum.*

S. Ambr. Apol. 1 Davidis, c. 7.

Hoc idem in bello accidit Rudolpho I. Rom. Imp. Cùm enim contra Ottocarum Bohemiæ Regem cruentum bellum gereret, aliquando, prout est varia fors belli, non commeatûs tantùm, sed & gravi potûs penuriâ ipse & omnis ejus exercitus laborare cœpit, hinc ad modum Davidis haustum frigidæ optare à nonnullis præsentibus auditus est. Observabant hoc Imperatoris desiderium nonnulli generosi milites, qui sine mora excurrentes de castris, hydriam aquâ plenam, quæ messoribus deferebatur, ad illum detulerunt, quam tamen Imperator nullo modo accipere, & aquam bibere voluit, sed jussit, ut vasculum, quibus ablatum erat, absque mora restitueretur, hinc in publicas has erupit voces: *Non mihi, sed exercitui sitiebam.*

Æneas Syl. l. 3. comment in res gestas Alphonsi.

Vide hîc, atque perpende causam moralem ardentissimæ illius sitis, quam moriens JEsus in Cruce passus est: *Sitio*, dum non sibi tantùm, sed quàm maximè nobis sitiebat, ait S. Augustinus: *Sitis mea*, ait in persona Christi, *salus vestra, sitis mea redemptio vestra: sitio fidem vestram, salutem vestram,*

S. Aug. in Es 62.

vestram, gaudium vestrum, plùs animarum vestrarum, quàm carnis meæ cruciatus me tenet.

6. Vidi ego in pugna Höchstadiana ad Danubium in Suevia Anno 1704. die 13. Augusti, ubi plura hominum cæsa sunt millia, quanto desiderio milites vulnerati ac moribundi in acie ac arena ad unicum aquæ potum anhelârint non de suis querimonias moventes vulneribus, quasi nihil mali fuissent passi, sed solummodò de sua gravissima siti lamentabili conclamabant voce: *Sitio, sitio*, Ratio est, quia magnam corporis defatigationem & copiosam cruoris effusionem naturaliter vehemens sequitur sitis. Collige ex hoc, anime mi, gravissimam & atrociſſimam sitim, quam Christus in Cruce pertulit, non enim conquestus est de sua Cruce, non de spinarum aculeis, non de perforatis manibus ac pedibus, nihil de plagis & doloribus omnibus, sed tantummodò de siti, quia post longam defatigationem multùm sanguinis in monte Olivario, in flagellatione, in Coronatione, in detractione vestium, ac postea in Cruce affixus per quatuor illos patentes fontes profuderat, quomodo ergo fieri potuit, ut non vehementissimâ cruciaretur siti? En anima Christiana, quomodo Divinus ille Patiens duplici fuerit cruciatus siti, corporis videlicet & animæ! *Tantum laboraverat*, ait Lyranus *& de sanguine emiserat, quod corpus ejus erat defectum & aduſtum, & propter hoc sitiebat supra modum; & talis sitis fuit maximum tormentum.* Lyr. hîc. Sed longè majorem sitim ac tormentum illi causabat salus animæ nostræ, ubi prævidit, quòd in multis tam pretiosa & copiosa redemptio esset perdita; hoc enim vero illi sitim causabat maximam.

Et hoc est, de quo mitissimus & Crucifixus JEsus per os Regii Vatis conqueritur: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, dum videt, quòd homines ex Passione sua tam amarâ in virtutibus nequidquam proficiant, hoc enimverò magìs illius vehementissimam adauget sitim: *Sitit enim*, ait Salmeran, *sitiri a nobis.* Ps. 68. 27. Salmer. hîc. O temulenti & ebrii! qui potentes estis ad bibendum, *qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam*; ô injusti, ô blasphemi, ô immundi de grege porci, & vos, ô peccatores omnes, quid, quæso, pretiosissimo Redemptori vestro in Cruce sitienti cum impiis illis deicidis aliud offertis, quàm amarissimum fel & acetum? Sed quid tandem de vobis fiet? Audite Verbum Domini! *Discedite à me maledicti in ignem æternum; Sitivi enim, non dedistis bibere.* Subintrat hîc antiquissimus Origenes: *Potemus JEsum pœnitentiæ lacrymis, ut dicat de nobis benè potantibus: Sitivi, & dedistis mihi potum.* Sit nobis exemplo dives ille Epulo, qui, cùm in igne gehennali summis cruciaretur tormentis, solùm de ardentissima siti sua lamentatus est, rogans Patrem Abraham: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Ne & hoc aliquando nobis contingat, restinguamus nunc maturè sitim Isa. 5. 11. Matth. 25. 34. Orig. in Matth. hîc. Luc 16. 24.

Christi

Christi JEsus crucifixi per veram contritionem & pœnitentiæ lacrymas, per largam eleemosynam in pauperes &c. hac aquâ & nostram & Christi sitim, nostræ salutis avidam, extinguemus.

CONSIDERATIO XIV.

De Verbo sexto Christi in Cruce agonizantis.

Consummatum est. Jo. 19, 30.

1.

TRia sunt verba in Sacra Scriptura novi Testamenti tam profunda, quæ à mortalitate humana vix capi, aut explicari possunt: & tamen summa fidei nostræ orthodoxæ in se continent mysteria. Primum est: *Verbum Caro factum est.* ubi Spiritus Sanctus per os & pennam Evangelistæ factum ipsum, sed non modum tam admirandæ & Divinæ Incarnationis voluit explicare: *Generationem enim ejus quis enarrabit?* Si illum spectas ut Deum, ætas ejus est æternitas, quia Pater ejus eum genuit ab æterno; si illum intueris ut hominem, ætas illius, quâ ex Matre Virgine prodiit in mundum, prorsùs nova & admirabilis fuit, quia conceptus in utero virginis operante Spiritu Sancto, qui & univit Verbo hypostaticè naturam humanam: *Quis ergo generationem ejus enarrabit?*

Jo. 19. 17.

Isa. 53. 3.

Jo. 19. 17.

Secundùm Verbum æquè difficile explicatu est: *Ibi crucifixerunt eum.* En! tantum mysterium redemptionis nostræ tam pretiosæ, tam copiosæ, quod nulla lingua edicere, nullus intellectus capere, & nullus calamus valet exprimere, à sacro Evangelista brevissimâ tantùm, & quasi per transennam scribitur, & annotatur descriptione, non addendo modum, an humi, vel in aëre, vel quibus modis, affectibus & cruciatibus vita nostra fuerit in Crucem acta; non enim poterant, prout observat hîc Salmeron, præ animi teneritudine & commiseratione plura verba addere, & tam horrendum facinus, quod nunquam orbis viderat, aut videbit, pluribus exaggerare verbis; ita enim placuit Spiritu Sancto, ut plura nostræ relinquerentur meditationi ruminanda, & quia in tali ac tanto mysterio omnis humanus deficit intellectus.

Tertium Verbum, quod in ultimo vitæ momento jam fugiente animâ patientissimus Redemptor noster effatus est, quod pari ratione vix sufficien-

ter

ter poterit explicari, erat illud, quod S. Joannes annotavit: *Consummatum est.* Verbum hoc erat laconicum, in se plurima, imò infinita complectens mysteria; dum enim JEsus morti nunc esset vicinus, respexit animo Prophetarum dicta de sua persona figuras, sacrificia & Scripturas omnes de se testantia; consideravit insuper decreta æterni Patris circa redemptionem humani generis, & quia vidit omnia à se exactissimè esse perfecta, dixit: *Consummatum est*; de quo verbo sexto pro modulo nostro plura in præsenti occurrunt consideranda. Jo. 19. 30.

2. Quo pretiosissimus Salvator noster Patri suo cœlesti jam ab æterno se promptum exhibuerit, ut in tempore pro nobis in Cruce moreretur, satis indicat Isaias Prophetarum Princeps: *In misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit Redemptor tuus Dominus*; unde vocatur *agnus occisus ab origine mundi*, non in se, sed in suis typis; erat enim præfiguratus in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ovium; in agno masculo quem Abraham pro filio suo Isaac sustinuit & immolavit; in agno paschali absque macula, cujus sanguine domorum superliminaria aspergebantur; in jugi sacrificio ab Hebræis quondam ex lege manè & vespere immolato; in aliis ovibus & agnis omni festo quondam oblatis; hinc ab Isaia ovi ad occisionem ductæ, & à Jeremia agno mansueto raptato ad victimam comparatur, à S. Joanne Baptista verò extento digito omnibus demonstratur: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi.* Omnes has figuras exactissimè adimplevit Agnus ille divinus & immaculatus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, dum sese in sacrificium cruentum pro salute totius mundi Patri in Arca Crucis obtulit, unde dixit: *Consummatum est.* Isa. 54. 8. Apoc. 13. 8. Gen. 4. 4. Gen. 22. 13. Ex. 12. 5. Ex. 29. 38. Isa. 53. 7. Jer. 11. 19. Joh. 1. 29. 1. Petr. 2. 22.

3. Videamus, & perpendamus convenientiam typi atque prototypi. Moyses infantulus vix in lucem natus à Matre in fiscella scirpea bitumine linatâ positus, & in arecto ripæ Nili ventis, frigori, & naufragio expositus est. Christus in stabulo natus, pannis à Virgine Matre involutus, atque in præsepio reclinatus, mille ærumnis & gladio Herodis jam tunc fuit expositus; hunc typum & scripturam oportebat impleri, & impleta est. Unde moriens in Cruce mitissimus Salvator dixit: *Consummatum est.* Exod 2. 3.

Sephora tulit petram acutissimam, & circumcidit filium suum, dicens viro suo: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, Christus, ubi consummati sunt dies octo ab ortu suo, simili acutissimâ petrâ circumcisus est, ubi etiam *factus est Principatus super humerum ejus.* Hunc Principatum, seu Crucem, quam imposuit ei Pater, per omnem vitam in corde, ac tandem etiam super humeros suos portavit, hinc moriens in ligno magnâ voce exclamavit: *Consummatum est.* Ex. 4. 25. Isa. 9. 6.

Samuelem adhuc puerulum adducebant parentes ejus in domum Domini in Silo, ut offerrent eum Domino. Christus parvulus per manus SS. Parentum suorum simili modo in templo præsentatus est; cui 1. Reg. 1. 24.

Luc. 2. 34. justus Simeon vaticinans prædixit: *Ecce, positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum* (hoc est in Crucem,) *cui contradicetur.* Exinde ad Matrem conversus: *Et tuam*, inquiebat, *ipsius animam pertransibit gladius.* Omnia hæc nunc adimpleta sunt, proinde rectè concluſit moriens Salvator: *Consummatum est.*

Gen. 31. 41. Gen. 29. 20. 4. Jacob per viginti annos in domo Labani servivit, & per annos quatuordecim pro formosa Rachel, & tamen videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine. Christus plures annos pro acquirenda sponsa sua Ecclesia, vel anima fideli in summis impendit laboribus, cujus nunc in Cruce cum illa desponsatio facta est, quam proprio sanguine, & stylo ferreo

Isa. 49. 16. subscripsit: *In manibus descripsi te.* Ecce, *consummatum est.*

3 Reg. 19. 4. Elias in afflictione, & persecutione Jezabelis projecit se, & obdormivit in umbra juniperi, ubi petivit animæ suæ, ut moreretur; sed ab Angelo roboratus, grandem adhuc illam, quam illi Deus designavit, perfecit viam. Christus in summa afflictione, & persecutione Synagogæ in

Matth. 26. 31. horto Olivario humi prostratus usque ad mortem anguſtiatus est: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ubi pariter ab Angelo confortatus, grandem illam, quam illi Pater descripsit, perfecit, imò cucurrit Passionis viam, unde tandem, cùm in altitudinem maris deveniſſet, exclamavit nunc per mortem submergendus: *Consummatum est.*

2. Reg. 20. 9. Amasa per fallax osculum Joab in necem traditus fuit: *Salve mi Frater. Et tenuit manu dexterâ mentum ejus Amasæ, quasi osculans eum.* Pientiſſimus Servator orbis per infidum Iscariothis osculum traditus est in manus peccatorum, & in mortem, per quam mortem omnium superavit, hinc in supremo mortis agone illud laconicum effatus est: *Consummatum est.*

3 Reg. 22. 24. 5. Michæas Propheta ab impio Sedecia graviter percuſſus est, quia intrepidè veritatem Regi, & populo scelerato veritatem prædicavit. Chri-

Jo. 18. 22. stus ab uno assistente ministro similem ob causam graviſſimâ alapâ exceptus est. Samsoni fortissimo, sed nunc capto Philistini ambos eruerunt ocu-

Jud. 16. 21. Luc 22. 64. los. Christo Judæi velaverunt oculos, ut eò liberiùs eum percuterent: *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Daniel innocentiſſimus peſſimè apud Darium Regem ab invidis, & infensiſſimis satrapis erat accusatus:

Dan. 6. 13. Luc. 23. 2. *Non curavit de lege tua, & de edicto, quòd constituisti.* Christus apud Romanum Præsidem simili modo delatus est: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram &c.*

1. Reg. 21. 14. David in aula Achis Regis Geth pro insano habitus fuit: *Vidistis hominem insanum &c.* Christus æterna Patris Sapientia adinstar insani, &

Luc. 23. 11. dementis in aula Regis Herodis alba veste illusus est: *Sprevit illum Herodes cum exercitu suo & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.* Job

Job. 2. 7. peſſimo ulcere, & quidem toto corpore à Satana percutiebatur: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere peſſimo, â planta pedis usque verticem*

ticem ejus. Christus columnæ alligatus marmoreæ simili modo à Satanæ ministris crudelissimè flagellatus est. Jo. 19. 1.

Agnus ille masculus ab Abrahamo immolandus, inter vepres quasi spinis coronatus, hærebat cornibus. Christo agno divino spineam imponebant coronam, antequam eum in Ara Crucis immolarent. Isaac patientissimè ligna holocausti ad montem Moria, in quibus erat immolandus, & cremandus in holocaustum, portavit: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac Filium suum.* Christus bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, in quo erat pro totius humani generis salute immolandus. Serpens ille Mosaicus in castris pro signo positus est, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Christus benedictus Dei & Mariæ Filius, tanquam maledictus pendebat in Cruce, ut cunctarum mederetur animarum vulneribus. Hos & similes typos considerans pientissimus JEsus in ligno Crucis in fine vitæ exclamavit: *Consummatum est! Consummatum est!* Gen. 22. 13. Marc. 15. 17. Gen. 22. 6. Num. 21. 6.

6. Sperabant quidem Dæmones, & impia Synagoga, cùm viderent Christum tam alta novi ædificii locâsse fundamenta, se illi dicturos & objecturos: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Et ecce: *Consummatum est*, quid in universa lege veteri, vel à Patriarchis de Christo præfiguratum, vel à Prophetis prædictum, vel à cœlesti Patre ipsi præscriptum erat. Verbo, totum opus redemptionis nostræ *consummatum est.* O Christiani! ita & vos vivite, ut morientes cum gaudio simili modo aliquando dicere possitis: *Consummatum est* opus ac negotium salutis nostræ: *Cursum consummavi &c.* non enim, qui benè cœpit, coronabitur, sed, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Luc. 14. 30. 2. Tim. 4. 7. Matth. 10. 22.

Cæterùm tentabant impii Judæi Christum in Cruce pendentem argumento ad speciem non levi, dum ei objiciebant: *Si Rex Israël est, descendat nunc de Cruce, & credemus ei. Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.* Pientissime JEsu! ecce Judæi, ad quos salvandos de cœlis descendisti, jam volunt ad te se convertere, & ut verum Regem in Israël, ac Messiam agnoscere, sed hoc unum obstat, ut descendas de Cruce; O impii & execrandi deicidæ! ideo Filius Dei in Crucem ascendit, ut Christus tormentum non duntaxat inciperet, sed consummaret, idcirco jam fugiente spiritu exclamavit: *Consummatum est.* Juvat hîc audire S. Bonaventuram: *O superbi Judæi*, inquit, *non attendentes, quoniam majoris virtutis est, patienter in tormentis usque in finem perseverare, quàm de Cruce descendere, & ab infirmitate carnis miserabiliter superari, si enim nullus salvabitur, nisi qui perseveraverit usque in finem; quomodo Christus JESUS nomine, & re salus diceretur, si in Cruce patienter usque in finem non perseverâsset?* Quis SS. Martyrum, & Christianorum inter tot adversa habuisset exemplum tolerantiæ? Nihil sic elucet, subintrat hîc S. Augustinus quomodo caput Martyrum; ibi meliùs Matth. 27. 42. Luc. 23. 35. S. Bonav. ser. Dom. infra. Oct. Nat. D. S. Aug. in Ps. 63.

S. Greg. M. hom. 21. in Evang. liùs intuemur, quod illi experti sunt; parum ergo erat Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo; & si de Cruce tunc descendisset insultantibus cedens, virtutem patientiæ non demonstrâsset; sed exspectavit paululum, toleravit opprobria, sustinuit irrisiones, servavit patientiam, distulit admirationem: & qui de Cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plús igitur fuit de sepulchro surgere, quam de Cruce descendere: plùs fuit mortem resurgendo destruere, quàm vitam descendendo

S. Bernard. ep. 119. servare: *Tolle perseverantiam*, ait Mellifluus, *neque obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Lauda navigantis felicitatem; sed cùm venerit ad portum.* Observa, anime mi, cùm venerit ad portum, ubi consummatum est.

7. Ex quibus omnibus hactenus enarratis satìs superque colliges, quam necessarium sit nobis, mihi & tibi, ô mi Lector! ut in bene cœptis perseveremus, & opus nostrum, quod miseratio divina nobis imposuit, con-

Luc. 9. 62. summemus, quia *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Saul, quia in bono non perseveravit, & Regnum,

S. Hieron. ep 28. ad Lucinium. & vitam, imò & animam suam perdidit: *Cœpisse*, ait S. Hieronymus, *multorum est; ad culmen pervenisse, paucorum.* Quia perseveravit mulier illa Cha-

Matth. 15. 22. nanæa: *Miserere mei, Domine fili David: filia mea malè à Dæmonio vexatur*, meruit in oratione sua à Christo exaudiri: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Quia perseveravit amicus ille ad ostium de nocte pulsans:

Luc. 11. 18. *Amice, commoda mihi tres panes*, impetravit ab amice suo, quotquot habebat necessarios. Quia perseveravit Magdalena, peculiari amore in crucifixum amorem suum æstuans, & accensa, aliis recedentibus à monumento,

Jo. 20. 16. meruit invenire & videre illum, quem tanto desideraverat ardore: *Conversa illa dicit ei Rabboni &c.* Qua perseveravit pastor ille sedulus, & indefessus in inquirenda ove amissa, tandem eam post plurimos exantlatos

Luc. 15. 6. labores summo cum gaudio invenit: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem*

Luc. 15. 8. *meam; quæ perierat.* Quia perseveravit & mulier illa Evangelica in quærenda drachma amissa: *donec inveniat*, pari modo illam (quis dicet quo animi cum gaudio?) reperit: *Inveni drachmam, quam perdideram.*

En fructus perseverantiæ! dum usque ad consummationem in opere

Luc. 12. 50. bono fortiter, & constanter perseveramus. Jam sanguineus ille Baptismus, quem Christus per omnem vitam suam tantoperè desideravit: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur*, deductus est ad finem, & perfectissimè completus. Jam calix amarissimæ Passionis, quem

Jo. 18. 11. dedit ei Pater, unâ cum fæcibus est exhaustus: *Calix, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Jam chirographum decreti, quod adversus nos erat, & con-

Coloss. 2. 14. trarium nobis, de medio est sublatum, & illud affixum Cruci; quin igitur

Eccl. 29. 20. restat? Audi Ecclesiasticum in utramque aurem tuam tibi occlamantem:

Apoc. 1. 10. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Proinde: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

CON-

CONSIDERATIO XV.

De Verbo ſeptimo Chriſti in Cruce exſpirantis.

Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.
Luc. 23. 46.

I.

ANtiquiſſimum eſt illud Romanorum adagium : *Ultima verba cana ſunt*, quia ſingularem præ ſe ferunt energiam : & quodammodò nobis prophetant. Scripturam conſule de Jacob Patriarcha, qui morti proximus convocatis filiis ſuis non tam benedixit, quam ſingulis prophetavit, quæ ipſis & poſteris ejus bona vel mala eſſent eventura : *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura ſunt vobis in noviſſimis diebus.* Gen. 49. 1.

Hoc fecit & David Iſraëlitarum Rex, qui moribundus ultima filio ſuo Salomoni dedit monita, ut Dei præcepta exactè obſervaret, ſcelera puniret, benè meritis gratiam rependeret, & ſic illum in Regno ſuo fore felicem ; *Appropinquaverunt autem dies David, ut moreretur, precepitque Salomoni filio ſuo, dicens : Ego ingredior viam univerſæ terræ, confortare, & eſto vir, & obſerva cuſtodias Domini Dei tui &c.* 1. Reg. 2. 1.

Eodem feré modo valedixit filiis ſuis inclytus ille Machabæus, & Iſraëlitarum Dux Mathathias, qui, cùm graviſſimum bellum cum Antiocho inſtaret, filios ſuos ad ſe convocatos, ad legem Dei ſervandam, & tuendam paternè adhortatus eſt: *Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege &c.* 1. Mach. 2. 46.

Quid dico de Tobia Seniore morituro, quam ſalutaria virtutis ac ſalutis monita filio ſuo Tobiæ juniori reliquerit : *Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtitue : cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli : & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus &c.* Tob. 4. 2.

Ita etiamnum faciunt pii parentes, qui morti proximi ſuos ad ſe vocare aſſolent filios, quos pro ultima vice fideliter monent, quomodo im-

posterùm erga Deum & proximum se gerere debeant &c. &c. quorum suprema dicta ac monita filii morigeri notant animo, eorumque non ampliùs per omnem vitæ cursum obliviscuntur, proinde sæpiùs dicere solent: Hoc & hoc documenti in ultimo suo agone mihi reliquit dilectus genitor meus, vel charissima mater mea: ex quibus colliges, quòd ultima morientis verba sint cara ac pretiosa.

Animæ Christianæ! non vobis hodie Jacobum Patriarcham, aut Davidem Regem, vel Mathathiam ducem, aut Tobiam seniorem, vel alium quempiam mortalium morientem, & ultima verba ad vos promentem propono, sed ipsum pretiosissimum orbis Redemptorem Christum JEsum, Luc. 23. 46. & hunc crucifixum agonizantem, & ultimum verbum loquentem: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Plura de hoc impræsentiarum examinabimus.

2. Perfectissimum quondam typum Christi patientis repræsentavit Job vir tolerantissimus. Job Rex erat Idumææ: Christus Judæorum, imò Rex Job. 2. 7. Regum, & Dominus universorum. Job omnibus privatus est bonis, & nudus ac ulcerosus sedit in sterquilinio: Christus nudus & spoliatus, vulneribusque plenus pependit in Cruce. Job vir erat dolorum, dum à capite usque ad talos à Satana erat ulcere pessimo percussus: Christus flagris, spinis, clavis ferreis cruciatus & confossus est, verè vir *dolorum, despectus, &* Isa. 53. 3. *novissimus virorum.* Job ab amicis omnibus erat derelictus, qui stantes de longè eum non cognoverunt: Christus non ab amicis, sed etiam ab ipso Matth. 27. 46. cœlesti Patre erat desertus, unde ad eum exclamavit: *Ut quid dereliquisti me?* Corpus Job traditum erat voluntati Satanæ, sed non anima, quam sibi Job. 2. 6. soli benignus excepit, & reservavit Dominus: Luc. 23. 25. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva:* Christus traditus est voluntati & potestati Judæorum: *JEsum verò tradidit voluntati eorum*, ut illum pro arbitrio suo omni crudelitatis carnificinâ afficerent, cruciarent, dilaniarent, ac transfoderent, sed nullam in animam ejus ministri Diaboli habebant potestatem. *Verumtamen animam illius serva*, hinc destructo corpore nunc agonizans in cruce ani- Luc. 23. 46. mam soli Patri suo tradidit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Disce ex hoc, anime mi, semper majorem spiritûs tui, quàm corporis, habere curam, anima enim, si perdas, sufficit, si salves animam tuam; ut autem securè aliquando spiritus tuus in manus Dei Patris transeat, vide nunc, ùt Gal. 5. 24. corpus tuum semper per mortificationem pendeat in Cruce, *qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

3. David, cùm in deserto Maon à Saule hoste infensissimo, & ab ejus exercitu ex omni parte diffuso circumcingeretur; ut eum perderent & mactarent, neque ullus ampliùs ei pateret effugii locus, id unum præ cæteris a Deo instantissimè flagitavit, ut, si corpus nunc esset perdendum, saltem

tem mitissimus Dominus animam suam servaret, & quidem in manibus suis, ut sic securiùs Dœmonum insidiantium posset evadere ungues, hinc tanto ardore ad Deum in supremis illis clamavit angustiis: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Ps. 30. 6.

Hanc sententiam, & Christus Filius David nunc morti proximus, & ab hostibus suis omni ex parte in Cruce cinctus: *Circumdederunt me canes multi*, usurpavit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Jam tradiderat patientissimus Redemptor omnia sua diversis, nimirum Apostolis suis pacem, hostibus veniam, Veronicæ sudarium, militibus vestimenta & pallium, latroni paradisum, Joanni Matrem, & Matrem Joanni: tortoribus corpus; sola nunc adhuc restabat anima, quam ut gemmam omnibus thesauris chariorem, ac longè pretiosissimam Patri suo cœlesti in illo Crucis legat testamento: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Ps. 21. 17 Luc. 23 45 Luc. 23. 46.

Stabat nunc Dæmon in insidiis, inhians tantæ præda, juxta illud Habacuc: *Egredietur Diabolus ante pedes ejus*, & juxta illud Joannis: *Venit Princeps mundi, & in me non habet quidquam.* Imò prout observat V. Beda, Salmeron & alii: Satanas tunc super brachium sinistrum Crucis stetit, diligenter observans, an in eum aliquid jus habere posset, & aliquam maculam in eo inveniret: nec inde recessit nebulo, donec Christus spiritum reddidit; quo reddito Satanas cernens se confusum, recessit fraudatus desiderio suo, & descendens in tartara, invenit spiritum Christi divinitati unitum suo aspectu Patres limbi beantem, & consolantem, Dæmones autem à se damnatos horribili terrore cruciantem, atque vexantem. Ita doctissimus Salmeron. Habac. 3 5. Jo. 14. 30. Salm tom. 10. tr. 46.

Disce pro doctrina morali, quia juxta mentem SS. Patrum proprius Dæmon singulis adversatur, ac præsertim moribundis, quos conatur inducere ad peccata & desperationem, uti S. Martino morienti apparuisse non ignoramus, qui ei dixit: *Quid adstas cruenta bestia, nihil in me, funeste, reperies.* Proinde juxta exemplar Christi, quod in Calvariæ monte nobis monstratum est, quotidie singulari studio ac pietate, præsertim priusque somnum capiamus, animam nostram in manus Dei Patris, & in SS. Vulnera, ac apertum cor JEsu commendemus. Ita sub lapidum grandine fecit S. Stephanus: *Domine JEsu suscipe spiritum meum.* Assuesce proin sæpiùs anime mi, huic orationi in vita tua, ut etiam in morte, & vitæ articulo dicere merearis: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* S. Chrysost. hom. 34. in Matth. S. Ephrem & plur. alii

4. Gedeon Hebræorum Dux inclytus, cùm contra innumeros ferè Madianitas ad bellandum se accingeret, trecentos tantum selegit viros, in ardentissima siti per aquæ haustum probatos, cum quibus in hostem potentissimum irruit, & clangens tubis, lagenarumque complosione, & inde lampadibus effulgurantibus adeò hostilem exercitum de nocte intempesta percutit, ut ipsi milites

Jud. 7. 20. milites mutuâ sese trucidarent cæde : *Cùmque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dexteris sonantes tubas, clamaverunt que : Gladius Domini & Gedeonis.*

Isa. 9. 4. Hic Gedeon liberator gentis suæ, & victor glorioſissimus, teste Cornelio in Isaiam, expressus fuit typus Christi Redemptoris & Triumphatoris, dum in Cruce Madianitas, hoc est, peccatores terræ, Judæos & Gentiles, omnemque exercitum avernalem *non ferro, sed ligno* debellavit; & sicut Gedeon in ipso certamine ingentem excitavit clamorem, quo hostilia terruit castra; ita Christus in cruento illo Crucis prælio jam acturus animam, Luc. 23. 46. obtentâ perfectissimâ victoriâ, magnâ voce clamavit: *Et clamans voce magnâ JEsus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo clamore etiam moriens terruit infernum, ut captivos redderet &c. Et quemadmodum Jud. 16. 30. fortissimus Samson morte sua Philistæos inimicos obruit : *Multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat ;* Ita pretioſissimus orbis Servator per mortem suam de peccato, morte & inferno triumphans, plures mortuus, & exinde tertia die redivivus, quàm unquàm antea, ad verum Oſee. 13. 14. vitæ lumen convertit : unde de illo Oſee Propheta : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos ; ero mors tua, ô mors! morsus tuus ero, inferne.*

O anima Christiana! quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit Ps. 115. 15. tibi : Nunquid & tu calicem salutaris accipies, & sacrificabis ei hostiam Hebr. 12. 2. laudis & gratiarum actionis ? Aspice proinde sæpiùs in auctorem fidei, & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptâ ; & recogita eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem &c.

5. Placuit autem Crucifixo Salvatori nostro primum in Cruce verbum à dulcissimo Patris nomine inchoare : *Pater, dimitte illis &c.* & simul in eodem verbo : *Pater, in manus tuas &c.* vitam finire, ut universus terrarum orbis intelligeret, quòd à primo vitæ suæ exordio usque ad supremum spiritum Patri suo semper extiterit filius obedientissimus, & illius adimplendæ voluntati in omnibus intentissimus ac studioſissimus; hinc in oratione Dominica non voluit, ut eum appellaremus Deum omnipotenAuct op. imperf. hom. 14. tem, cœli terræque Creatorem, Dominum immensæ Majestatis &c. Sed ut illum sub Patris nomine invocaremus ! *Pater noster, qui es in cœlis &c.* Rationem assignat Auctor operis imperfecti : *Patrem*, inquit, *se magis, quàm Deum voluit dici, ut nobis magnam fiduciam daret ad petendum, & spem largam ad impetrandum.* Et hæc causa est, quòd Filius Dei in Cruce moriens altâ articulatâ voce inclamaverit : *Pater, in manus tuas &c.* ut divinam placaret justitiam, Deumque cum homine reconciliaret, & nobis exemplum præberet similiter orandi, & cùm hanc supremam faceret orationem, Hebr. 5. 7. observat Gentium Doctor Paulus, quòd cùm clamore valido & lacrymis

se

se obtulerit, & exauditus sit pro sua reverentia, quia Filius Dei erat, de toto rigore justitiæ pro innumeris debitis nostris satisfaciens &c. Disce hîc, anime mi, in omni necessitate tua, ac præsertim in suprema, cœlesti Patri tuo corpus & animam, ac potentias omnes animitùs commendare: *Voluit Dominus*, ait Lucas Burgensis, *piè moriendi exemplum hîc nobis relinquere, ne ut bestiæ, aut ut homines Athei moriamur, sed persuasi, animam nobis esse immortalem, quæ victura sit etiam mortuo corpore, commendemus eam Dei benignitati, ut servetur, cùm à malis spiritibus tum à suppliciis futuri sæculi, & tandem aliquando corpori beatè restituatur.* Luc. Burg. hîc in Luc.

6. Quare autem, dices, Christus spiritum suum in manus Patris commendavit, & non in sinum Abrahæ, prout olim in lege fieri consueverat? Lazarum consule, cujus anima post obitum in sinum Abrahæ ab Angelis deportata est: Rationem assignat Salmeron, quòd Christus per hoc septimum & ultimum verbum nobis voluerit insinuare magnum quoddam solatium & prærogativam, quâ electorum animæ imposterùm erant gavisuræ, dum non amplius recommendantur & transferuntur in sinum Abrahæ, sed in manus ipsius Dei Patris omnipotentis: *Quo verbo*, inquit, *indicavit, olim spiritus justorum ad inferos descendere solitos, jam verò post Christi mortem in manus Domini reddi, & commendari.* Accedit ad solamen nostrum, quòd Christus Dominus per hoc ultimum verbum omnes fideles suos, eorumque animas à corpore separatas Patri suo æterno impensè commendaverit: *Cùm in Cruce dicit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat, per ipsum, & in ipso vivificandos: membra enim illius sumus, & multa ista membra unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergo in se Deo commendat.* Ita S. Athanasius. Luc. 16. 22. Sal. To. 10. tr. 46. S. Athan. lib. de hum. Christi natura.

Denique subjungit Evangelista: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Et quare inclinato capite? Resp. Taulerus: Inclinavit Christus caput versùs terram declinando à glorioso illo Crucis titulo, ostendens, se gloriam omnem & honorem flocci pendere, totamque vitam suam in abjecta & humili se velle claudere paupertate. Jo. 19. 36. Taul c. 36. de vita & Pass. Chr.

Et quare *inclinato capite?* Resp. Salmeron: inclinat caput, quasi gratias agens Patri pro venia peccatorum obtenta, pro victoria contra peccatum, Diabolum, mortem, infernum ac mundum impetratâ, & pro Patre placato, ac reconciliato mundo. Sal. loc. cit.

Et quare *inclinato Capite?* Resp. Hugo Cardinalis, ut ostendat, quòd in Cruce porrectas habeat aures ad exaudiendum preces humilium; unde Psalmista ait: Inclina Domine aurem tuam mihi. Hug. Card. hic.

Et quare *inclinato capite?* Resp. Joannes Ferus: Caput inclinavit, per hoc nos etiam consolari volens, ut sciamus, eum non adversum à nobis. Jo. Ferus in hist. Pass.

Et quare *inclinato capite?* Resp. S. Augustinus, ut nobis supremum daret osculum, quos planè gerebat in pectore: *Caput*, inquit, *habet inclinatum* S. Aug. de Virg.

natum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenta ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc, quanta sint, cogita: hæc in statera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in Cruce. Ita Crucifixum amorem suum meditari solebat S. Martha Christi Hospita, quæ mortis horâ appropinquante, ante Crucem in terra prostrata prælegi sibi fecit de supremis Magistri sui cruciatibus, & cùm ventum esset ad illa verba: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, felicissimè exspiravit. O si talis sors me, & te maneret, optime Lector!

Madr. Lyræus lib. 5. cap. 5.

CONSIDERATIO XVI.

De vita & fortissimo certamine S. Georgii Martyris,

Pro Festo S. Georgii Mart.

Certamen forte dedit illi, ut vinceret. Sap. 10. 12.

1.

JAm pridem hæc quæstio inter doctos ventilata est, in quo consistat vera hominis fortitudo? Fortis fuit Samson, qui leonem obvium in vinea discerpsit; mille Philistæos maxillâ asini trucidavit; Gazæ à civibus circumfessus portas civitatis æreas in montem asportavit, & concutiens duas templi columnas ruinâ tria hominum millia obruit, & ita *plures interfecit moriens quàm ante vivus occiderat.*

Judic. 16. 30.

Fortis fuit David, qui adhuc puer pastoritius leones & ursos jugulavit: *Veniebat Leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam.*

2. Reg. 17. 34.

Fortis fuit Eleazar filius Saura, qui in bello Machabæorum videns ingentem Regis elephantem loricatum, & super cæteros imminentem, in quo ipse Rex Antiochus sedebat conspicuus, sine mora per hostium cuneos penetravit, *interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc, & ivit sub pedes elephantis, & suppositus se ei, & occidit eum, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic &c.*

1. Mach. 6. 45.

Fortis fuit Jesbaam, de quo Scriptura: *Qui octingentos interfecit impetu uno.* Fortis Semma, qui, dum Philistæi agrum lente plenum succendere,

2. Reg. 23. 8.

vel

vel deprædari volebant, fugientibus cæteris commilitonibus, ipse solus hunc agrum tutatus est: *Stetit ille in medio agri, & tuitus est eum, percussitque Philistæos, & fecit Dominus salutem magnam &c.* Fortis Abisai, Bonajas, & Jonathan, tres illi robustissimi heroës, qui Davidi sitienti aquam è cisterna Bethlemica per media castra hostilia attulerunt: *Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum & hauserunt aquam &c.* 2. Reg. 23. 12. 2. Reg. 23. 16.

Laudo hos & similes generosos milites, sed vera fortitudo non consistit in robore corporis, sed animi, unde rectè Poëta ille Christianus:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire potest.

Multi enim vicerunt Regna, provincias, urbes, munimenta, castra hostilia &c. Sed se ipsos, ac passiones suas vincere non poterant, dum subinde à vilissima muliercula superati sunt. Audiatur S. Gregorius M. *Justorum*, inquit, *fortitudo est, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, & adversitatis metum in corde superare*, & hæc omnia propter Deum, ut ipsum aliquando lucrifaciamus. In hoc, inquam, consistit vera fortitudo. Et talis fuit S. Georgius fortissimus Christi Martyr, cujus hodie festivitatem, Sancta celebrat Ecclesia, de quo plura occurrunt tractanda, & dilucidanda. S. Greg. M. lib. 7. Mor. cap. 8.

2. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia.* Loquitur hic Sapiens de certamine Jacobi Patriarchæ, qui fortissimum quondam certamen cum Esau fratre suo persecutore, cum Labano iniquo, & cum Chananæis gentilibus, ac demum cum ipso Angelo habuit, cum quo per noctem luctans, eumque tandem vincens (ita volente Deo) desideratam ab eo obtinuit benedictionem, & nomen novum ac glorioſum: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam, si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?* Ejusmodi durum certamen, imò & fortiorem agonem objecit Deus S. Georgio Martyri hoc fine, ut vinceret, & ut victor glorioſus ab eo coronaretur. Erat autem hic ab infantia Christianus, in Cappadocia natus, tribunus militum, & Diocletiano Imperatori ob virtutem militarem apprimè charus, ideo ab illo comitis titulo honoratus est. Mortuâ marte & hæres multarum divitiarum destinatus, statuit amore Christi incensus, suas in pauperes erogare opes, ut sic in immanissima illa Christianorum persecutione se expeditiorem ad imminens pararet pro Christo perferendum martyrium. Sap. 10, 12. Gen. 32. 28. Nadas. in anno cœl. hoc festo.

Refert Scriptura de Aod secundo Israëlis Judice, quod fuerit ambidex-

Jud. 3. 15. dexter : *Qui utrâque manu pro dextera utebatur*, quod huic egregio militi & postea Judici magna commoditas æquè ac laus in bello contra Eglon fuit, major enim laus est, in hostem utraque manu quàm una tantùm posse pugnare. Subintrat hîc Cornelius : Vir sanctus, inquit, est ambidexter, novit enim uti tam adversis quàm prosperis, tam desolatione, quàm consolatione, tam tentatione, humiliatione, quàm honore & exaltatione ad
2. Cor. 6. 7. suum commodum, uti fecit Job, David, & Paulus dicens : *Per arma justitiæ à dextris à sinistris.*

Talis ambidexter fuit S. Georgius Martyr, qui noverat in illis cruentis Diocletiani persecutionibus cum S. Sebastiano primæ cohortis duce in Aula Cæsarea occultare Christianam Religionem, ut eam magis promoveret, ubi opus erat, in media irruere pericula, ut eandem Religionem verbo & opere, imò & proprio sanguine defenderet, dicens cum Apostolo:
Phil. 3. 8. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

3. Joseph Arimathæus nobilis decurio, vir bonus & justus, cùm contra JEsum subornaretur impium concilium & consilium, ut eum Judæi perderent, non consensit voluntati eorum, & licèt videret, quòd omnium in se concitaret odium, ipsamque vitam certo exponeret periculo, nihilosecius audacter introivit ad Pilatum, & petiit ab eo corpus JEsu cru-
Luc. 23. 51. cifixi. Et quare hoc ? Causam assignat S. Lucas : *quia exspectabat & ipse Regnum Dei*, & S. Marcus : *Ipse erat exspectans Regnum Dei.*

Marc. 15. 43. En ! alterum Josephum ab Arimathæa in S. Georgio M. qui cum fuisset vocatus ad consilium, in quo Diocletianus Imperator cum Consule suo Magnentio & Senatoribus Romanis statuit, omnes è medio tollere Christianos, ubi alii Consultores adulabantur Imperatori, ejusque impium probabant consilium, solus Georgius causam Dei egit, & stans inter illos, rupe Marpesiâ fortior, fidem orthodoxam ad salutem necessariam gravissimis rationibus defendit, non sibi de vitæ jactura metuens, sed solum proximi quærens salutem, & cumprimis omnipotentis Dei gloriam, nam & *ipse erat exspectans Regnum Dei.* Disce hîc audacter defendere honorem Dei, & pro salute proximi promovenda omnes impendere vires.

Dum David contra Goliam, immanem illum gigantem, esset pugnan-
1. Reg. 17. 25. dum, allectabant illum ex una parte promissa à Rege præmia; *Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis &c.* Ex altera parte dehortabatur eum Eliab frater ejus, & ipse Saul, ut nullo modo tam periculoso se committeret duello : *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* His tamen non obstantibus, statuit David, contempto omni periculo, cum Golia decertare : *Ego pugnabo adversus Philistæum.*

Plus quàm David in suo cruento certamine S. Georgius Christi Martyr.

Pro-

Proponebat illi in dicto consilio Imperator gentilis opes & divitias, favores & gratias, dignitates & honores; ex altera parte verò intendebat ei Tyrannus minas, verbera, carceres, enses, cataſtas, rotas &c. ſi non gentilium adoraret idola. Quid hîc S. Georgius? *Ego*, dicebat cum Davide, *pugnabo adverſus Philiſtæum*, non timeo minas tuas, ô Diocletiane! nec promiſſis capior præmiis, nec terreor pœnis: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Ego amore mei Salvatoris, pro me tanta ac tam indigna paſſi, feras, ignes, equuleos, & quævis alia tormenta ſubire deſidero, ut dolorem dolori, amorem amori, non ex æquo, ſed quoad poſſum, rependam: paratus ſum cum Chriſto & pro Chriſto in carcerem & in mortem ire. Ecce generoſum animum hujus glorioſiſſimi Martyris. Et nos heu! quàm tepidi adhuc ſumus, ſi pro Chriſto, pro cœlo, & pro animarum promovenda ſalute aliquid nobis eſt tolerandum. Phil. 1. 21.

4. Cùm Gedeoni heroi ſtrenuiſſimo contra innumeros Madianitas pugnandum eſſet, obſervat ſacer Textus: *Spiritus autem Domini induit Gedeon.* Septuaginta legunt: *Et Spiritus Domini fortificavit Gedeonem*: Chaldæus autem: *Spiritus fortitudinis, qui à Domino proficiſcitur. induit Gedeonem*, unde cum lætitia, cum paucis ſuorum militum in prælium deſcendit, hoſtemque mirabili ſtratagemate ſuperavit. Jud. 6. 34.

Agedum S. Georgi, Tribune militum generoſiſſime! adeſt nunc tempus cruentiſſimæ pugnæ, quam cum immaniſſimo tyranno, mundo, carne, dæmone, & idololatris te oportet inire. Et ecce jam paratum ſe exhibet Georgius, quia *Spiritus Domini induit eum*, *Spiritus fortitudinis, qui à Domino proficiſcitur*, *fortificavit Georgium.* Vide, Lector Chriſtiane, & admirare tanti herois fortitudinem ac conſtantiam. Oneratur ferreis catenis, & diriſſimé juſſu Tyranni cæditur, ſed majora expetit S. Georgius pro Chriſto pati. Exinde in ſqualidum protruditur carcerem, in quo extenditur in terra oppreſſus ſaxo ingenti ſuperimpoſito, & S. Martyr Deo gratias agit, quia dignus habitus eſt pro nomine JEſu contumelias & tormenta pati. Paulò poſt rota paratur cuſpidibus armata acutis, laniantur & diſcinduntur cuncta ejus membra, cruore generoſo ex vulneribus ubertim manante, & Georgius magis gaudet, quò atrociùs cruciatur. Interim audita eſt vox de cœlo delapſa: *Non time, Georgi, quia ego tecum ſum*; & ecce repentè adſtat coram eo Angelus in veſte candida & fulgente, qui in mediis illis tormentis Georgium ſolatus, & amplexus eſt, ſolvens eum à rota, & ſanans ejus vulnera, ad quod inſolitum miraculum duo Prætores Gentiles, & ipſe Imperatrix Alexandra ad Deum verum & vivum converſi ſunt. Vide hîc, & conſidera, anime mi, quomodo benignus Deus fideles ſervos ſuos in cunctis adverſis miro replere ſoleat ſolatio, præſertim, ſi pro fide & juſtitia patiantur adverſa: *Fidelis autem Deus eſt*, ait Apoſtolus, *qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Ambr. Spin. in vita hoc feſto. 1. Cor. 10. 13.

5. Nabuchodonosor Rex, quia vidit, quòd tres illi Pueri Babylonici, Ananias, Azarias & Misaël, nullo modo, nec blanditiis, nec minis possent persuaderi, ut statuam auream à se erectam adorarent, furore & irâ percitus præcepit, ut sine mora in ardentem mitterentur fornacem, in qua tamen mirabiliter à Deo per Angelum suum à flamma ignis illæsi fuerunt
Dan. 3. 50. servati: *Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.*

Lippellous in vita S. Georg. M. 23. April. De S. Georgio Martyre ulteriùs vita commemorat, quòd Diocletianus, ubi nec promissis grandibus, nec inflictis hactenus cruciatibus aliquid apud S. Georgium profeciisset, maxima rabie agitatus, eum vinctum in foveam calcariam præcipitari jusserit; in qua destitutus omni humano auxilio, & solâ Dei ope fretus, ac protectus, in tertium usque diem prorsus illæsus in ardente illa & effervescente calce permansit, & quia ab omnibus mortuus & virtute calcis consumptus credebatur, magna hominum caterva elapso triduo ad illam foveam cum ministris Diocletiani pervenit, in qua S. Georgium præter omnium opinionem mirabili splendore fulgentem, vivum & incolumem reperierunt, benedicentem & laudantem cum præ-
Dan. 3. 57. dictis tribus SS. Pueris DEUM: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula &c.*

Nabuchodonosor ille prædictus, licét ferocissimus ac potentissimus, per hoc insigne miraculum (quòd tres illi Sancti Pueri & Martyres illæsi fuerint in ardente fornace à DEO conservati) ad meliorem mentem & frugem reductus, & conversus est; hinc mandavit omnibus populis, gentibus ac linguis in sua ditione constitutis, ut Deum verum ac vivum humiliter
Dan. 3. 69. colerent, & adorarent: *Neque enim*, dicebat, *est alius Deus, qui possit ita salvare &c.* Sed ex tot ac tantis prodigiis, quæ Deus per S. Georgium, aliosque SS. Martyres patravit, magis obstinatus factus est Diocletianus; & quia insuper S. Georgius in fanum gentilium ingressus, præsente ingenti hominum multitudine Dæmonem coëgit, ut publicè fateretur, alium non esse Deum, quàm adoratum à Georgio, quem Dæmonem etiam SS. Crucis signo deturbavit, & cætera idola in illo fano comminuit, multi gentilium ad veram, orthodoxamque fidem conversi sunt, frementè interim Diocletiano crudelissimo Tyranno, qui hæc omnia arti magicæ adscripsit. Hoc
Luc. 12. 15. habent obstinati & moderni temporis Hæretici ac Libertini: *Cavete ab hoc fermento.*

6. S. Paulus inter tot decumanas constitutus persecutiones & angustias, ubi foris instabant pugnæ, intus timores, in omnibus tamen superavit, propter eum, qui dilexit nos. Et quemadmodum ignis maximus aquæ guttas vix sentiens haurit, ita aquæ tribulationum ejus non poterant extinguere charitatem in JEsum, unde in omnibus necessitatibus, persecutionibus & tribulationibus ad Christum amorem suum exclamare solitus est:

est: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames?* Rom. 8. 35.
an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius &c. Et tandem concluſit:
quia neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura
alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro.

S. Georgi, Martyr inclyte, dic nobis, quid te à Charitate Chriſti JEſu Nadaſ. loc
crucifixi poterat ſeparare? audio reſponſum: Nihil, nihil, tormentum cit.
nullum, pœna nulla, divitiæ & dignitates nullæ, neque altitudo, neque
profundum, hoc eſt, nulla proſperitas, nulla adverſitas, unde in ferreis,
candentibusque igne crepidis cucurrit fortiter, lætus inter graviſſimos decan-
tans cruciatus: *Curre, Georgi, ut apprehendas; ſic enim curris, ut non in caſſum.*
Ad extremum, ubi adhuc multa pro Chriſto & fide tormenta perpeſſus eſt,
toto corpore dolorum victima, meruit videre Chriſtum pretioſiſſimum
Redemptorem ſuum, qui ei apparens, & amplexu recreans, dixit: *Ecce* Sap. 10. 12.
jam dignus factus es, qui mecum regnes; unde, priusquam illi præcideretur
caput, Deo pro acceptis beneficiis & ſuperato forti certamine gratias egit:
Certamen forte dedit illi, ut vinceret, ignoſcens ex animo omnibus, Deumque
impenſiſſime rogans, ut populum gentilem à Dæmone excæcatum miſeri-
corditer illuminaret, ac charitate ſua inflammaret, quod paulo poſt, re-
gnante Conſtantino Magno Imperatore, factum eſt. O anime mi, roga Marc. 10.
& tu hunc Sanctum, ut eandem tibi gratiam à Deo dignetur impetrare; 51.
dic cum illo cæco Bartimæo: *Rabboni, ut videam*, & ut faciam in omnibus
ſanctiſſimam voluntatem tuam.

In hoc glorioſiſſimo agone S. Georgii Martyris adimpletum fuit illud
Prophetæ regii: *Tranſivimus per ignem & aquam: & eduxiſti in refrigerium.* Pſ. 65. 12.
Per ignem tranſiit, dum ex calcaria fornace illæſus evaſit, dum faces arden-
tes ad latera ejus admotas ſuperavit, dum ferreis & ignitis calceis indutus,
Angelico præſidio ſervatus eſt; ſimilis adamanti in igne illæſo, hoc addito
lemmate: *Semper adamas*; ſimilis Salamandræ in igne viventi, cum hac
epigraphe: *Durabo.* Similis telæ confectæ ex Asbetino lapide, ut ex lino
Jndico, cui hoc lemma adjiciunt: *Semper pervicax.* Sed & tranſivit per
aquam, ſcilicet tribulationis, & per mare rubrum Paſſionis, dum mem-
bratim corpus ejus ungulis ferreis dilaceratum fuit, ita ut ejus viſcera appa-
rerent. Quid nunc reſtat: *Et eduxiſti in refrigerium*; nunc cum Chriſto
glorioſus regnat in cœlo S. Georgius, & protectorem agit S. R. Eccleſiæ,
dum plures ei à Deo impetravit victorias. Age, fortiſſime Martyr,
aſſiſte & nobis in ſupremo illo agone, ex
quo pendet æternitas.

)(o)(

CON-

CONSIDERATIO XVII.

De vita & glorioso agone S. Philippi Apostoli.

Pro Festo S. Philippi Apost.

Dicit ei Philippus : Domine ostende nobis Patrem.
Joan. 14. 8.

I.

Num. 1. 4. IN duodecim quondam tribus voluit Deus populum suum Israëliticum esse divisum, quibus singulis ducem unum præfecit, qui illi populo non tam præesset in bello, quàm & illum subactis inimicis feliciter in terram promissionis traduceret. Voluit autem immensus DEUS, ut nulli formidolosi ad bella procederent, sed fortes & impavidi eligerentur viri ; unde per Sacerdotem & duodecim illos duces instante prælio
Deut. 20. 8 voluit, ut publicè in castris proclamaretur : *Quis est homo formidolosus & corde pavido ? vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Christus Dominus conscripturus exercitum suorum fidelium, quos securé per hæc mundi rerumque discrimina ad cœlum, terramque desiderabilem perpetuo melle & lacte manantem perduceret, duodecim quoque duces elegit, hoc est, duodecim Apostolos, quos omnes voluit esse generosos, invictos, & ad omnia prælia cum mundo, carne & Dæmone ineunda animosos.

Typum pulcherrimum de hac veritate nobis exhibet fortissimus Gedeon, qui, cùm contra innumeros Madianitas ad prælium descenderet, & triginta duobus millibus militum viginti duo millia, & mox omnes illos, qui in siti prono ore aquam fluminis potaverant, ultrò dimisit, & solos sibi trecentos reservavit, cum quibus in hostem de nocte intempesta irruit, eosque in-
Judic 7. 3. genti cæde profligavit, unde publicè in castris suis proclamavit: *Qui formidolosus, & timidus est, revertatur*, ne scilicet pavidi aliis generosis militibus hanc suam effricarent formidinem. Ita fecit & Christus Dominus, qui quasi
Matth. 10. 38. alter Gedeon timidos à sua militia rejecit, & rejicit, dicens: *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et ut majorem adhuc suis adderet

deret stimulum fidelibus, in alio loco adjecit: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16. 24.

En! quomodo Christus formidolosos & pavidos à se rejicit, & generosos seligit milites; unde, ut eos animaret, emphaticè illis inculcavit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. 28. Inter quos generosos duces, & milites primarios etiam elegit duos illos Apostolos, quorum memoriam hodie celebrat S. Mater Ecclesia, videlicet SS. Philippum & Jacobum, quos ad prælia truculenta & cruenta missurus, omnem priùs ab eorum cordibus hodie conatus est amovere timorem: *Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite &c.* Jo. 14. 1. Plura de hoc SS. Apostolorum invicto animi robore hodie nobis occurrunt exponenda, & vobis considerandа ac imitanda, & quidem pro nunc de S. Philippo Apostolo. Aderit Deus, ut congruenter loquar.

2. Duo aliquando ad Christum Dominum veniebant candidati, qui sese ejus tradere volebant disciplinæ, scriba unus, & legis Doctor, qui auditâ ejus prædicatione, & visis tot miraculis commotus, in album discipulorum ejus volebat inscribi, hinc ad illum dicebat: *Magister, sequar te, quocunque ieris.* Matt. 8. 19. Sed mox hunc scribam avarum & superbum perstringebat benignus Dominus, detegens illius latens avaritiæ ulcus: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos? Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Et dimisit eum inanem.

Post Scribæ illius abitum, & spe sua frustratum, accessit alius, & quidem unus ex Discipulis JEsu, qui ei dicebat: *Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum*, ad quem pientissimus Salvator: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matt. 8. 21. Quæres hîc, qualis hic fuerit Christi Discipulus, qui priùs jam illi adhæserat, & nunc ex occasione mortui parentis sui ad tempus aliquod breve dimissionem à suo Magistro petiit, ut posset suum sepelire patrem?

Resp. Clemens Alexandrinus: Hunc Discipulum fuisse S. Philippum Apostolum, & licèt hic in vocatione sua tertius extiterit, vocatis pridie Andrea & Petro, ac proinde jam Christum priùs sit secutus; ubi tamen percepit, patrem suum nunc vita functum, à Christo eum sepeliendi facultatem petiit, sed non impetravit, *Tu autem vade, & annuntia Regnum Dei*, ut sic ejus vocatio, & constantia in sequela Christi usque ad mortem & gloriosum martyrium perseverandi magis probaretur. Clem. Alexand. lib. 3. stromat. c. 2. Luc. 9. 60. Supra quod pereleganter D. Ambrosius: *Paterni*, inquit, *funeris sepultura prohibetur, ut intelligas humana postponenda divinis. Bonum studium, sed majus impedimentum. Nam qui partitur studium, derivat affectum; qui dividit curam, differt profectum; ergo priùs obeunda, quæ maxima sunt.* S. Ambros. lib. 7. in Luc. 9. 19. Matth. 19. 22. Neque Philippus tunc à Christo recessit, quòd nihil impetraverit, ut adolescens ille, *qui erat habens multas possessiones;*

nes; sed potiùs voce Christi, & verbo vitæ animatus in sua cœpta vocatione, reliquum perfectionis inter alacri & generoso animo usque ad vitæ finem
Luc. 9. 62. constantissimè persecutus est. Ex quibus disce, anime mi: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Qualis es tu hîc?

3. De Jehu Rege testantur sacræ Paginæ, quòd cum Jonadab viro egregio, probo, & in lege Dei zeloso arctam inierit amicitiam ac familiaritatem; unde cùm in Samariam se conferret ad delendas ibidem idolorum aras, & destruendos impios Baali cultores, eum socium itineris, & testem
4. Reg. 10. fidelem adhibere statuit, interrogans eum: *Nunquid est cor tuum rectum,*
15. *sicut cor meum cum corde tuo?* ad quod Jonadab sine mora respondit: *Est*; & Rex: *si est? da manum tuam; & levavit eum ad se in currum.*

En! alterum Jonadab in S. Philippo, quem Rex Regum Christus ob mentis candorem specialiter elegit ad confundendos, & evertendos Baali & aliorum idolorum cultores, hinc *levavit eum ad se in currum*, hoc est, in Crucem, in quo triumphali curru de idololatria, Satana, mundo, & peccato gloriosè triumphavit.

De Davide tunc belli Duce recenset Scriptura, quàm familiaris fuerit Jonathæ regio Principi, & vicissim Jonathas Davidi: *Anima Jonatha*
3. Reg 18. *conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Erat
1. & S. Philippus mirum in modum Christo familiaris, quod patet ex eo, quia, cùm hominum multitudo aliquandò ad Christum venisset, nec haberent homines, quod manducarent, solum Philippum tanquam familiarem suum
Joan. 6. 5. in consilium adhibuit, eumque interrogavit: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*

Aliâ vice, cùm ad S. Philippum venissent quidam Gentiles, eumque
Jo. 12. 21. rogâssent, ut ipsis accessum ad JEsum pararet: *Domine, volumus JEsum videre.* Philippus quasi cubicularius sui Domini, & intimus familiaris cum S. Andrea Christum accessit, & benignum pro gentibus ab eo responsum impetravit: *JEsus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis &c.*

Jacob Patriarcha cùm audisset, filium suum Joseph regnare in Ægy-
Gen 45. 28. pto, dixit; *Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit.* Ita & S. Philippus Apostolus, cùm enim sapiùs Christum Dominum de Patre suo æterno lo-
Jo. 14. 8. quentem audisset, semel in hæc verba prorupit: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Vide hîc, & considera, quàm benè S. Philippus
Jo. 17. 3. agnoverit, omnem sufficientiam nostram ex Deo esse: *Hæc est autem*, ait ipsa Veritas, *vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti,*
S. Aug l. 1. *JEsum Christum.* Unde S. Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est*
Conf. c. 1. *cor nostrum, donec requiescat in te*; quod summum bonum ubi aliquando obtinuerimus, meritò cum S. Philippo poterimus dicere: *Sufficit nobis.*

4. Varia quondam pretiosissimus orbis Servator Christus dilectis suis

Disci-

Discipulis dedit monita, cùm illos in orbem universum ad prædicandum Evangelium, & ad convertendas gentes amandaret, inter quæ & illud insigne est: *Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos.* Et quare, dices, oves? Resp. Cornelius: Nullum animal tam inerme & debile est, quàm ovis. Sic Christus suos Apostolos dimisit sine armis, sine virga, sine viatico, inter lupos, Scribas, & Pharisæos, inter Gentiles & Tyrannos, inter Reges & Principes sanguinarios, ut suâ doctrinâ & morum sanctitate, ac mirâ mansuetudine ejusmodi lupos converterent in oves. Ita quondam misit Isaiam & Eliam, Elisæum & Jeremiam, cæterosque Prophetas, ad Duces, Reges, & populum impiissimum, ut vel eos converterent, vel optatam martyrii palmam ab illis incredulis obtinerent. Matt. 10. 16.

Agedum S. Philippe! nunc tua res agitur, qui pari modo à Christo Domino missus es ad prædicandum Evangelium, tanquam ovis mansueta inter lupos, dum in orbis divisione Scythiam, Phrygiam, aliasque nactus Provincias, iisdem satis in fide Christiana excultis, tandem non aliam mercedem ab illis efferatis gentibus reportâsti, quàm flagella, carceres, lapides & Crucem.

Ovis, si ostendis ramum viridem, aut paucas herbulas, trahitur, non vi trahitur, ait S. Augustinus, sed amore, & quidem trahitur usque ad lanienam & mortem. Ovis libenter se lanâ suâ spoliat, ut aliis succurrat; unde S. Martinus Episcopus, cùm aliquando ejusmodi tonsam vidisset oviculam, ad adstantes dixit: *Hæc adimplevit præceptum Christi*, hic enim dicit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Ovis paucis est contenta, & tamen omnibus utilis est lacte, lanâ, pelle, carne &c. S. Aug. tract. in Joan. Luc. 3. 11.

S. Philippus Apost. eodem tempore non tantùm pastor, sed & ovis fuit; pastor respectu nostri, & ovis respectu Dei: *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Dixi: Ovi sufficit ostendere ramum viridem, & trahitur; ita & S. Apostolo nostro sufficiebat ostendisse Crucem, & tractus est non vi, sed amore usque ad Crucem. Spoliavit se & lanâ suâ libenter, hoc est, hæreditate paterna, aliisque temporalibus mediis, memor illius: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* Lac quoque dedit, dum gentes remotissimas in fide Christi erudiit: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* Tandem dedit & pellem suam flagris, verberibus, & ferreis clavis in Crucis patibulo extensam, & saxorum grandine contritam: Hic, ait Metaphrastes, Hierapoli in Scythia imperante Domitiano Kalendis Maji Crucis suspendium passus est, & ab obstinatis barbaris saxis obrutus glorioso suo martyrio finem dedit. Sed unde tanta animi illius fortitudo? Resp. quia *aspiciebat in Authorem fidei, & consummatorem JEsum; qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* Rom. 8. 36. 1. Tim. 6. 8. 1. Cor. 4. 1. Metaph. ap. Niceph. & Isid. Hebr. 12. 2.

5. Plures fortissimi milites, quos David Rex quondam habuit, in secundo Regnum libro enarrantur, inter quos primariò recensetur & laudatur Banajas:

2. Reg. 23. 20. najas: *Et Banajas filius Jojadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel, ipse percussit duo leones: Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.* Addit Scriptura: *In diebus nivis*, quo tempore quàm maximè leones ob famem & prædæ defectum sævire in homines solent.

Pepin. hoc festo, item Bessæus &c. Plùs S. Philippus, qui per signum S. Crucis infernalem percussit leonem & draconem; cùm enim in Asia superiore ad quendam locum perveniisset, ubi specie draconis dæmoni divinus adhibebatur cultus; immanem illum draconem in deserta loca coëgit abire, & quos pestifero halitu serpens ille Stygius interfecit, signô Crucis ad vitam resuscitavit, ubi etiam dejecta Martis statuâ, & aliis destructis idolis, primò Crucem Christi erexit, quam populo in fide benè instructo proposuit adorandam; & in hujus memoriam existimat Pepinus, Bessæus, & alii, hodie erigi & statui solere arbores Majales.

Cùm pientissimus Redemptor noster in Cruce exaltatus summos pateretur cruciatus, dicebant ei Principes Sacerdotum cum scribis & senioribus, ut de Cruce descenderet: *Si Rex Israël est, descendat de Cruce, & credemus ei.* Sed noluit mitissimus Dominus suam deserere Crucem, per quam nos statuit à servitute peccati & Diaboli liberare: *Si voluisset*, ait Theophylactus, *descendere, neque principio ascendisset: sciens enim per hoc salvandos homines, sustinuit, ut crucifigeretur;*

Matt. 27. 42.

Theophyl. in Marc. c. 15.

Hoc idem S. Philippo Apostolo evenit, cùm enim adinstar Magistri sui Christi in Cruce penderet affixus, ut nunc eum populus vellet demittere, rogavit, ut priùs in Cruce moreretur, quod & impetravit, dum paulò post spiritum suum immaculatum Deo feliciter reddidit, Anno ætatis suæ 87. ubi priùs 20. annis per diversas Provincias strenuè laboravit, ut populum ad cognitionem veri Dei, & amorem Redemptoris nostri JEsu Christi adduceret; cujus sacrum corpus Hierapoli Phrygiæ à Christianis sepultum, postea Romam delatum, in Basilica duodecim Apostolorum unà cum corpore S. Jacobi Apostoli conditum est; ubi in hodiernum usque diem religiosè colitur: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.*

Esther. 6. 9.

Assuerus Rex, ubi Mardochæum ob insignia merita condigno voluit afficere honore, proprium suum ac generosissimum equum assignavit, in quo velut triumphans per Susam civitatem regiam vectus est, præcedente Amano & clamante: *Hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare.* Christus, plùs quam Assuerus S. Philippo Apost. suo dignissimo proprium quoque equum triumphalem, hoc est, Crucem consignavit, qua mediante ad cœleste Regnum glorioſus transvectus est. Disce ex hoc, anima Christiana, agnoscere & æstimare virtutem Sanctæ Crucis, & qualis in ea sit absconditus thesaurus, per Crucem enim venitur ad lucem.

Esther. 6. 11.

CON-

CONSIDERATIO XVIII.

De Sanctissima Vita, & Morte S. Jacobi Apostoli, Minoris.

Pro Festo S. Jacobi Apost. Min.

Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Gal. 1. 19.

1.

CUM contra Madianitas & Amalec, atque contra omnes ferè populos Orientales Gedeoni Hebræorum Duci esset pugnandum, Deus non nisi paucos, nudos & inermes selegit milites, qui sinistrâ portabant lucernas in lagenis latentes, & manu dexterâ tubas, quibus clangentibus hostes confuderunt, & dissipârunt: *Tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini & Gedeonis.* Ita, subintrat in hunc Scripturæ locum B. Theodoretus, Christus Dominus universum terrarum orbem suo subjecturus imperio & fidei, non nisi nudos & inermes elegit Apostolos, qui in omnem terram euntes, ex una parte ferebant lucernam miraculorum, & ex altera tubam prædicationum, quibus plures gentes & populos Christo Duci ac Regi suo subjecerunt. Jud. 7. 20. B. Theod. 9. 15. in Jud.

Vidit quondam S. Joannes Angelum, qui personam Christi gerebat, similem Filio hominis in medio septem candelabrorum, cujus capilli erant candidi, oculi ejus tanquam flamma ignis, *& pedes ejus similes aurichalco.* Et quare hoc? Resp. S. Andreas Cæsariensis Episcopus, Victorinus, Alcazar & alii: Pedes Christi, inquiunt, sunt Apostoli, qui nomen Christi quasi per totum orbem deportârunt, similes sunt autem aurichalco, quia suâ sapientia splenduerunt ut aurum, & ad magistri sui exemplum in tentationis camino egregiè fuerunt probati, & examinati. Inter quos singulariter elucet S. Jacobus Apostolus, dictus *Minor* ad distinctionem S. Jacobi Majoris, & *Justus* propter incomparabilem fidem, sapientiam, & vitæ sanctæ excellentiam, de quo D. Paulus scribit: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*, Christi videlicet consobrinum; de quo sanctissimo Viro plura hodierna luce occurrunt explicanda & considerandа. Apoc. 1. 15. S. Andr. Ep. Cæsar. hic ser. 1. Gal. 1. 19.

Ps. 111. 2. Ps. 23. 6. Matt. 10. 3. Matt. 9. Ap. Act. 1. 23. 2. Ita est, quod Vates Regius jam pridem enunciavit : *Generatio rectorum benedicetur* ; & in alio loco : *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Beatus Jacobus patrem habuit Alphæum, virum probum, justum & honestissimum, Matrem verò Mariam Cleophæ, mulierem sanctam, cujus memoriam etiam sancta recolit Ecclesia, quæ cum dolorosa Matre sub Cruce JEsu stetit, prout recenset S. Joannes c. 19. v. 25. Avus ejus fuit Cleophas, vir pius & spectabilis, proavia verò S. Anna Mater MARIÆ genitricis Christi : fratres ejus uterini extiterunt Simon, & Thadæus Apostoli, & Joseph cognomento *Justus*, ob peculiarem sanctitatem in actis Apostolorum commendatus. Et nunquid hîc in veritate cum Psalte coronato dicere possumus : *Hæc est generatio quærentium faciem Dei Jacob.*

Cant. 2. 16. Manss. disc. 1. De Cœlesti Sponso dicitur : *Qui pascitur inter lilia.* Sponsus hic Christus est, in domo S. Josephi, & B. V. MARIÆ, tanquam inter duo lilia educatus, & advertit Mansius & alii, quòd S. Jacobus noster jam tunc à juvenilibus annis Christi fuerit contubernalis, & inter ista castissima lilia purissimam semper duxerit vitam, unde & virgo in ævum permansit : Talis, ait citatus Mansius, S. Jacobus verè fuit : siquidem corpus ejus, & gravissimorum authorum opinione, virgineum fuit, anima autem ejus adeò immaculata extitit, ut in materno utero sanctificata fuisse credatur. Vide hîc, animemi, quanto in pretio apud Deum sit cor purum & immaculatum. Imitare, saltem quantùm potes.

Matth. 26. 48. De Juda Iscariote refert Scriptura, quòd hoc suis commilitonibus ac lictoribus dederit signum, ut illum in monte Olivario tenerent, quem ipse osculo esset excepturus : *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Et quare hoc? Et nunquid noverat Dominum suum? & quidem optimè. Quare ergo dubitavit? sed nox erat, & quia milites Romani Christum non noverant, ideo hoc illis signum, & notam infallibilitatis dedit. Verumtenim verò adhuc alia subest ratio. Advertunt aliqui Interpretum, quia S. Jacobus Minor Christum vultu & vita referebat, adeò ut, qui ipsum videret, Christum ipsum videre videretur, ideo timebat ille tenebrio, ne fortè inter noctis erraret umbras, & Jacobum pro Christo traderet ad lanienam; Unde Dionysius Carthusianus : *Jacobus iste dictus est frater Domini, scilicet Christi, quoniam in vultûs dispositione, lineamentisque corporis, ac modo conversationis extitit simillimus.*

Dionys. Carth. in S. de illo.

Gen. 29. 20. Ephes. 4. 27. 3. Jacob Patriarcha nullis parcebat laboribus, ut formosam Rachelem obtineret sponsam, cui quatuordecim anni *videbantur dies pauci præ amoris magnitudine.* S. Jacobus noster pro Ecclesia sua Hierosolymitana, ut illam acquireret & conservaret sponsam, *non habentem maculam, aut rugam*, non quatuordecim duntaxat, sed triginta annis indefesso studio & labore servivit, pro qua sponsa sua salvanda, & vitam & sanguinem exposuit.

Dictus

Dictus Jacob veteris teſtamenti magnâ curâ & ſollicitudine gregi ſuo lanigero paſcendo invigilavit, unde de ſe ipſo dixit: *Diu noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* Gen. 31. 4. Verùm longè majori cum ſtudio, zelo, & labore S. Jacobus Minor, tanquam Paſtor & Epiſcopus ſuo gregi ſpirituali Hieroſolymæ præfuit, pro quo conſervando & augendo *diu noctuque æſtu urebatur & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis ejus*, dum verbo & exemplo Dominicum paſcebat gregem, diem conſumens prædicando, docendo, ſcribendo, de cujus Epiſtola canonica refert S. Chryſoſtomus: *Quomodo*, inquit, *Epiſcopus gregem cum ſcientia paſcere debeat, is apertè poteſt intelligere, qui Catholicam ejus legit Epiſtolam!* noctem autem conſumpſit oran- S. Chryſoſt. hom. 5. in Marth. do, juxta exemplum divini Magiſtri ſui, de quo S. Lucas recenſet: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. 12. O qualis eſt noſtra oratio! quàm tepida, quàm miſera, quàm diſtracta, quàm exiguus animarum Zelus! Superi! quàm longè adhuc ab hoc viro ſanctiſſimo diſtamus.

Jacob Patriarcha indormiens ſuper lapides; *Vidit Dominum innixum ſcalæ*: Divus Jacobus Ap. Min. præcæteris Apoſtolis Chriſtum Dominum à mortis reſurgentem, & ſibi apparentem, conſpicatus eſt; ita S. Paulus: *Viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus.* 1. Cor. 15. 7. Ex quibus collige S. Jacobi dignitatem & ſanctitatem eminentem, erat enim ſpeculum, & imago cœleſtis vitæ, hinc perdius ac pernox in oratione cum Deo & Angelis verſabatur, in quo quaſi in vivo antitypo Chriſti facies moresque reſplendebant; idcirco fideles poſt aſcenſionem Domini in cœlum ex diverſis provinciis certatim pergebant Hieroſolymam, ut S. Jacobum viderent, & in eo Chriſtum intuerentur. Audi S. Ignatium Martyrem ita ad S. Joannem ſcribentem: *Si licitum mihi eſt apud te, Hieroſolymam volo aſcendere, ut videam illum venerabilem Jacobum, quem referunt JEſu Chriſto ſimillimum facie, vitâ, & modò converſationis, ac ſi ejusdem frater eſſet gemellus.* S. Ignat. M. in ep. ad S. Jo. Evang.

4. De pientiſſimo Redemptore noſtro commemorat S. Lucas, quòd homines certatim ad illum accurrerint, ut illius poſſent tangere veſtimenta, & ſic à ſuis ſanari languoribus: *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* Luc. 6. 19.

Hæmorrhoiſſa illa, quæ per tot annos ſanguinis laborabat fluxu, & omnia ſua medicis erogaverat, ſine ſpe tamen ſanitatis acquirendæ, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum JEſu, dicebat enim: *Quia, ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.* Marc 5. 28. Tetigit, & ſalva facta eſt.

In quali conceptu ſanctitatis S. Jacobus noſter apud omnes fuerit, teſtatur S. Hieronymus: *Vir*, inquit, *fuit tantæ ſanctitatis, & rumoris in populo, ut fimbriam veſtimenti ejus cuperent attingere*; & hodie Breviarium Romanum: *Tanta autem erat Jacobi vitæ ſanctitas, ut fimbriam veſtimenti ejus certatim hominis cuperent attingere.* S. Hier. in ep. ad Gal. Et ſi tranſeunte S. Petro per plateas infirmi per ejus umbram projectam (vel potiùs per fidem in JEſum) ſanati ſunt:

Ita

Act. 5. 15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Et quis dubitare poterit de S. Jacobo fratre Domini, quàm mirandam habuerit sanandi infirmos virtutem, præsertim cùm de illo dicat vita: *Manus, quæ semper movebantur ad benefaciendum.* Et quemadmo-
Act. 10. 38. dum de Christo dicitur: *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* Ita & S. Jacobus faciebat signa & prodigia magna & multa in populo, pertransiendo & benefaciendo omnibus. Invoca eum, & experieris.

5. De S. Stephano suam referunt Apostolorum Acta, quòd ingenti zelo, libertate ac spiritu causam suam egerit, atque publicè in concilio Hebræorum Hierosolymæ defenderit, refricando illis in memoriam vitam Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysis & Prophetarum, qui jam tunc temporis intervallo prænuntiârunt de adventu Justi, hoc est, Christi, quem tamen ipsi eorum posteri negaverunt, & non acceperunt. Et subdit deinde ingenti zelo de-
Act. 7. 13. tonans: *Durâ cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis &c.* Vide hîc, Lector prudens, quàm duré duros in concilio S. Stephanus increpaverit Judæos, ut declararet libertatem & fortitudinem Evangelici Spiritûs.

Sur. de S. Jac. Min. V. Beda, cit à Mans. disc 2. Verùm S. Jacobus noster leniùs & mansuetiùs cum Judæis egit, de quo Surius: *Oculus ejus lenis & placidus.* Et quare hoc? Resp. V. Beda, quòd ideo S. Jacobus post S. Stephani lapidationem à cæteris Apostolis electus & creatus Hierosolymorum Episcopus, ut Judæos ex prædicta zelosissimi Protomartyris oratione & asperrima increpatione exacerbatos suâ mansuetudine ac lenitate mitigaret, atque ad meliorem frugem reduceret, quod & pro possibili per triginta annos cum ingenti fructu fecit. Ex quibus disce, pro temporis diversitate adhibendam esse in correctione proximi discretionem, quæ est Mater virtutum, memor illius Doctoris gentium:
Gal. 6. 1. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

6. Cæterum mirantur SS. Patres, quare S. Jacobus Alphæus in cruenta illa persecutione S. Stephani, vel S. Petri, aut Jacobi majoris, non fuerit ab Herode & impiis Hebræis captus, carceri mancipatus, & occisus?
Act. 8. 1. *Facta est autem persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis &c.* in qua persecutione prima & generali Ecclesiæ plures quàm bis mille Christianorum pro fide Christi erant occisi, & reliqui cum S. M. Magdalena, Martha, Lazaro &c. dispersi in varias regiones, cujus persecutionis meminit & Saulus, sed nunc Paulus: *Et cùm occiderentur, ego detuli sententiam &c.* Unde ergo venit: quòd noster S. Jacobus Apostolus Minor non fuerit à Judæis
Act. 26. 10.

inter-

interfectus cùm tamen liberè & intrepidè Christum & hunc crucifixum prædicavit ?

Ratio est, quia ab omnibus, imò ab inimicis Vir sanctus & justus semper fuerat æstimatus, unde ipsi soli patebat ingressus ad Sanctuarium. Abstinentia insuper illius fuit admirabilis ; carnes nunquam comedit ; panem & potum suum cum Davide miscebat cum fletu ; balneo & oleo nunquam usus est ; cùm tamen in Palæstina homines in æstate contra solis ardorem utroque indigeant. Simoni Mago in Samaria, quæ vicina est Hierosolymæ, errores suos spargenti, Apostolicâ libertate restitit, & hunc lupum à grege suo avertit. Primus post S. Petrum in primo concilio Solymæo suam edixit sententiam, nimirum, Christianos non obligari lege & legalibus Moysis ; & quia non ignorabat, quòd ipsemet Christus per Crucem & Passionem suam sibi & aliis aditum ad cœlestem & æternam paraverit gloriam, longum quoddam & valde pœnosum sustinuit martyrium, quam & verbo & exemplo constantissimè docuit, & tenuit, in se Christum crucifixum perfectè exprimens, pro cujus denique honore, & amore glorioſum obivit martyrium, cùm jam esset annorum ætatis 96. Anno à Christo nato 63. Act. 15. 13.

De S. Petro Ap. constat, quomodo præsentibus Discipulis nobilem de Christo confessionem fecerit : *Tu es Christus Filius Dei vivi* ; quamobrem Dominus eum constituit Ecclesiæ fundamentum. Plus S. Jacobus Alphæus, qui die Paschatis præsente ingenti Judæorum & Gentilium multitudine ex edito templi loco, cùm à Principibus Sacerdotum fuisset interrogatus, quid de Filio hominis sentiret, libera voce & magnâ constantiâ confessus est, eum generis humani esse Redemptorem, nunc verò in cœlis ad dextram Patris sedere, ac tandem ut Judicem venturum ad vivos & mortuos judicandum. Ad quam publicam confessionem indignati Sacerdotes vociferati sunt : *Justus erravit, justus erravit.* Proinde ex edito illo loco ipsum egerunt præcipitem ; alii autem Judæi, qui deorsum erant, lapides in eum mittebant, ille autem ardens charitate in Deum & proximum juxta exemplum Christi Crucifixi altâ voce exclamavit : *Domine, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Interim unus ex Judæis accessit, & apprehensa fullonis perticâ, valido & atroci ictu sacrum ejus caput impetiit, & cerebrum excussit. Quid nunc restat, nisi ut Sancto huic animitùs gratulemur, eumque impensiùs rogemus, ut nobis à Deo dignetur impetrare duas istas alas, quibus ille hodie ad cœlum volavit, hoc est, charitatem Dei & proximi. Matth. 16. 16.

CONSIDERATIO XIX.

De Cruce salus, vita & resurrectio nostra.

Pro Festo Inventionis S. Crucis.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.
Joan. 3. 14.

I.

PUtabam semper hactenus, mundum esse rotundum, sed ut video, mundus quadrangulatus est, & in forma Crucis non duntaxat à Deo *creatus*, sed & in eodem signo à Deo & Homine Christo
Gen. 1. 1. *recreatus.* Attende: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Nota *altum & profundum*, cœlum & terram, ac lineam à summo cœlo Empyreo usque ad inferni abyssum protensam. Postea Deus per *longum & latum*, per lineam transversam in producendis aliis creaturis progressus est, sed hoc est Crucem, prout rerum consideranti patet, quàm maximam formare. Ergo, sed ulteriùs.

Observa *Orientem & Occidentem*, dein, *Meridiem & Septentrionem*, & nunquid has quatuor plagas considerando Crucem quàm maximam formas?
S. Hieron. Marc. c. 11. *Ipsa species Crucis*, ait S. Hieronymus, *quid est aliud, nisi forma quadrata mundi?* Et hoc est, ad quod allusit Gentium Doctor: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum.*
Ephes. 3. 18. Ubi, teste S. Gregorio Nysseno, Apostolus expressé ad quatuor Crucis cornua alludit, idcirco summum cornu crucis altitudinem, & imum profundum, transversum vero unum longitudinem, alterum latitudinem appellat, ut per hoc indicaret, quòd totus terrarum, quàm latè patet, orbis, ad Crucem pertineat.

S. Greg. Nyss. Orat. 1. de resurr. Considera ulteriùs quatuor orbis partes: *Asiam*, *Africam*, *Americam & Europam*, & Crucem tibi repræsentabunt. Attende quatuor ventos: *Eurum*, *Zephyrum*, *Austrum*, *& Aquilonem*, ad unum centrum conflantes,
Ezech. 37. 9. prout fiet ante judicii diem, Crucem rursus spectabis; *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscent.*

Et

Et nunquid *Deus creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam ?* Gen. 1. 27. Sed quomodo hoc ? dices ; Extende brachia, & Crucifixum exprimes, ita, S. Athanasius : *Homo*, inquit, *ad formam Crucis figuratam habet imaginem, ut qui sit ad imaginem Crucifixi.* S. Athanasius Sina. l. 1. ana. Contempl. Gen. Stellæ sine Cruce micare non volunt ; avis sine Cruce volare non potest ; *Terra*, ait S. Justinus, *sine Crucis vestigio non aratur.* Navis sine Cruce & malo ruinæ & submersioni singulis momentis obnoxia est, unde lemma: *Male sine malo.* Fructus ferè omnes Crucem in medio præ se ferunt ; vide nuces, quarum nucleos Crux distinguit, item poma, pyra, malum paradisiacum &c. S. Justin. M. Apolog. 2. Sed neque flores sine Cruce floresçunt ; Perpende Granadillam, seu florem Passionis, & in ea non tantùm perfectissimam Crucem, sed & cætera Dominicæ Passionis instrumenta tibi ad oculum demonstrabit. Inspice instrumenta Mechanica, & ipsa tibi Crucem designabunt. Sed in quem finem hæc omnia ? Nisi ut Crucem salutis nostræ tessaram jugiter in memoria habeamus, & in ea Crucifixum Redemptorem ac Mediatorem nostrum Christum JEsum humiliter adoremus. Plura de hac veritate hodie occurrunt consideranda.

2. Quemadmodum pictor priùs in umbra suam designat & delineat imaginem, & exinde ad vivos transit colores ; ita Deus SS. Crucem, in qua mundum deperditum per Filium suum ab interitu suo tempore erat redempturus, per varias umbras & Scripturarum antiquarum figuras voluit præsignare, unde Apostolus : *Hæc autem omnia in figura contingebant.* 1. Cor. 10. 11.

Talis umbra fuit arbor vitæ, de qua Scriptura : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suave : lignum etiam vitæ in medio paradisi.* Gen. 2. 9. Per hoc lignum seu arborem vitæ in medio paradisi Crux Dominica fuit præfigurata, quæ in medio paradisi, hoc est, Ecclesiæ, erecta vitam dat mundo, omnibusque fidelibus ad hanc vitæ arborem, tanquam ad tutissimum asylum, confugientibus ; unde de illo canit Ecclesia in Officio de S. Cruce : *Hæc est arbor dignissima, in medio paradisi situata, in qua salutis Author propriâ morte mortem omnium superavit.*

Quàm benè igitur fecerunt proto-parentes nostri, quòd post admissum in paradiso peccatum sine mora ad hoc vitæ lignum se contulerint, & à facie irati Numinis se ibidem in medio paradisi absconderint: *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Gen. 3. 8. Orig ho. 1. in Gen. Supra quod pereleganter antiquissimus Origenes : *Impulsu quodam primi parentes ad arborem se contulerunt, ut significaretur, jam tunc unicum perfugium in arbore Crucis esse constitutum.* Disce ex hoc, anime mi ! quam securum sit atque consultum, maturé in omni tum corporis, tum animæ necessitate cum proto-parentibus tuis ad vitæ lignum, hoc est, ad SS. Crucem confugere, si cum apostaticis non vis æternùm perire, *in Cruce enim salus, vita & resurrectio nostra.*

3. Cùm vastissimæ diluvii aquæ totam terrarum molem anno ferè integro solari inundâssent, & Arca Noëmica hactenus per immensum pelagus jactata, subsidentibus paulatim fluctibus, in summis Armeniæ montibus incepit quiescere, Noë Patriarcha columbam quandam tempestatis nuntiam dimisit, quæ, diminutis ubique locorum aquis, tandem ramum quendam viridem invenit, quem ex virescente oliva rostrô suô defractum in Arcam ad proprias Noëmi patroni sui manus in signum reconciliationis Deum inter & hominem lætabunda deportavit: *Et illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virescentibus foliis in ore suo.*

Gen. 8. 11.

Trita est hæc figura, sed non omnibus constat, ubi locorum hæc sedula & felix columba hunc florentem olivæ ramum acceperit, cùm in comperto sit, quòd in communi illo cataclysmo non solùm urbes & castella, villæ & pagi, verùm etiam omnes arbores, plantæ ac virgulta cum hominibus & animantibus extra Arcam Noëmicam fuerint penitus subversa, vastata, eradicata? si ergo nec arbor, nec ullum virgultum in terris superfuit, ubi dicta columba florentem olivæ surculum decerpsit, vel accepit.

Resp. S. Ambrosius, quòd in universali illo diluvio adhuc una & unica fuerit conservata arbor oliva, de qua columba memorata virescentem rami surculum rostrô defregit, & ad hospitium sibi notum detulit, & sic tanquam gratissima & diu exspectata pacis nuntia pacem cœlum inter & terram de novo confirmandam annuntiavit.

S. Ambr. lib. de Arca. c. 19.

Per olivam illam in mediis diluvii undis & fluctibus intactam & semper floreścentem jure merito Dominicam Crucem intelligimus: *Crux Domini*, ait S. Bonaventura, *est oliva misericordiæ*, per columbam verò pacis nuntiam, expansis in modum Crucis alis virentem oleæ ramum post diluvium Noëmo ferentem, Christum & hunc crucifixum subaudimus, qui ad vesperam in Paraśceve in Calvariæ monte deperditum mundum cum Patre æterno reconciliavit; ideo dicit Apostolus: *Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Ecce, quomodo in veritate in Cruce sit salus, vita & resurrectio nostra.

S. Bonav. l. 4. Compendii. Theol. c. 21. Col. 1. 19.

4. Progrediamur ulteriùs. Miror, dum perpendo, quòd Jacob laudatissimus ille Patriarcha ferè omnem suam spem in baculo suo collocaverit, unde gloriatur: *In baculo meo transivi Jordanem.* Ad quid, quæso, ille baculus? Respondetur quoad litteram, cùm Jacob nocte tota aliquando colluctaretur cum Angelo, ab eo nervum femoris reportavit vehementi percussione & collisione Angeli luxatum & claudum; unde, quia nervus pedis ad ambulandum inutilis factus est, baculum solidum in itineribus adhibere solitus erat, cujus ope & adminiculo feliciśimè Jordanem, flumen rapi-

Gen. 32. 10.

rapidiſſimum, transgreſſus eſt, ita de ſe ipſo teſtatur: *In baculo meo tranſivi Jordanem.* Cui baculo pro lemmate inſcribo: *In virtute tua.*

Per hunc baculum Jacobi SS. Patres, ac præſertim S. Auguſtinus SS. Crucem ſubaudit, in quo Chriſtus Dominus Jordanem Paſſionis ſuæ pertranſit, & feliciter ſuperavit, atque cum duabus turmis, velut alter Jacob, una Angelorum, altera hominum, in cœleſtem patriam, unde priùs exierat, regreſſus eſt: *In baculo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis egredior.* S. Aug. ſer. 79 de Temp. Gen. 32. 10.

Sta hîc, & conſidera, anima Chriſtiana! Baculus quondam Jacob in tranſitu Jordanis pro ſolatio & fulcro fuit; quid, obſecro, non faciat baculus SS. Crucis, quæ ſola ſpes noſtra eſſe debet ad tranſeundum Jordanem hujus mortalis vitæ, & imminentis judicii, tum particularis, tum univerſalis, donec hujus ope feliciter ad terram promiſſionis melle & lacte manantem perveniamus. In hunc finem & Pſaltes regius de hoc myſtico Crucis baculo, totius orbis Chriſtiani fulcimento, decantavit: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*; ac tunc primùm te conſolabitur, anima Chriſtiana, quando cum tota æternitate tibi erit pugnandum. Tunc utique videbis, & miraberis, & dilatabitur cor tuum, quàm bonum, quàm dulce, ac ſecurum ſit in ſuprema illa agonia, ſi maturè in vita omnem fiduciam in hoc SS. Crucis baculo, & in Paſſione ac meritis Crucifixi JESU, ſi tamen te illi bonis operibus conformaveris, ſolide collocâſti. Audi S. Cyrillum: *Ut canes fuſtem, ita Dæmones fugiunt Crucem.* Pſ. 22. 4. S. Cyrill. Catach. 4.

Et nunquid vitis, ſi fulcro & ſtipite caret, marceſcit, vileſcit, & pedibus tranſeuntium proteritur, unde de illa lemma: *Innixa uberior*, vel ſi mavis: *Fulcimento creſco.* Sic quoque anima Chriſtiana, ſi Crucis fulcimento non juncta, & innixa eſt, inter tot mundi, carnis & Satanæ tentationum pericula pereat neceſſe eſt; idcirco quotidie ac præſertim in tempore tentationis cum Pſalmiſta ex toto corde ad crucifixum amorem noſtrum clamemus, & ſuſpiremus: *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino ſpem meam.* Pſ. 72. 28.

5. De eodem Jacob refert Scriptura: Cùm in patriam poſt ſervitutem Labano factam rediiſſet, quantocyùs ſtatuerit ſuam familiam ab idolis & idololatria expurgare; in quem finem Deo vero & vivo ex lapide aram ædificat, & oleo inungit, omnibus ac ſingulis ex familia ſua imperans, ut abjectis Labani idolis aureis Deo cœli & terræ ſolùm imposterum inſerviant. Et ſubjungit Scriptura: *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea ſubter terebinthum.* Ad quid, obſecro, ita perditio: An non poterat Jacob hæc aurea idola & pretioſas domeſticorum inaures meliùs, pro familiæ

familiæ suæ commodo, vel in sacros, vel in pauperum usus applicare; Ad quid aurum, cui acquirendo orbis tantopere inhiat, tanquam rem vilissimam abjicit, & in terræ visceribus infodit, & quidem sub terebintho?

Resp. ad hanc quæstionem pulcherrimè Rupertus Abbas, quòd per dictam arborem terebinthum nil aliud, quàm SS. Crux pientissimi Salvatoris nostri fuerit adumbrata: *Ego quasi terebinthus extendi ramos, & rami mei honoris & gratiæ*; sub hac ergo arbore omnia mundi idola & peccata à Christo Domino fuerunt defossa, dum quasi terebinthus extendi ramos suos, hoc est, brachia sua in Cruce ad populum non credentem, & contradicentem; & quemadmodum terebinthus est arbor utilissima: *Terebinthus*, ait citatus Rupertus, *est arbor resinam generans pretiosissimam*; ita *lignum Crucis virtutis est optimæ, subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, ne ultra ullum vestigium reperiatur.* O mortales omnes, venite, qui laboratis, & onerati estis, & sub hac salutari Crucis terebintho omnia vestra idola, hoc est, peccata & scelera, præsertim mortalia infodite, dignosque aliquando pœnitentiæ fructus facite.

Eccl. 14. 22.

Rup. Abb. in hunc loc.

Cæterùm potuisset quidem Jacob aurea illa idola & pretiosas inaures suorum domesticorum in alios & meliores usus convertere, sed noluit, ait Cornelius, ne quod supereset vestigium idololatriæ, & ut sic familiaribus suis majorem ingeneraret illorum idolorum execrationem, atque sic occasione ablatâ, eò liberiùs summo unico ac vero Deo soli animitus inservirent. Juvat hîc audire Doctorem Seraphicum: *Crux*, inquit, *est optima medela, contra Zabulonis tela valde salutifera: in omnibus pressuris gravibus & duris totum remedium Crux est. Nullus se excuset, in quocumque sit statu, quia nullus est, qui non inveniat in arbore Crucis suavissimum fructum, & sufficientissimum nutrimentum.*

Cornel. hîc.

Bonav. in laud. de S. Cruc.

6. Nondum recedo à Patriarcha Jacob, qui, cùm annum ætatis 147 inter varios rerum casus compleviset, tandem præ nimia senectute, quæ ipsa est morbus, ægrotare cœpit, quem Joseph Ægyptiorum Pro-Rex cum filiis suis Ephraim & Manasse, ut suprenam ab avo suo impetrarent benedictionem, invisit. In hunc finem Manasses natu major ad dextram Israëlis, seu Jacob in lectulo tunc sedentis, Ephraim verò natu minor ad sinistram illius à dicto Josepho collocati sunt, qui genibus flexis, & capite in gremium avi sui demisso humiliter ultimam morientis præstolati sunt benedictionem. Et quid Jacob? Audi Scripturam: *Qui extendens manum dextram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat.* Quàm mirabilis, quæso, est hic benedicendi modus! Adverte, Lector prudens: Jacob manus suas transponit, dextram scilicet super sinistram, & ita benedicendo valedicit duobus filiis Joseph.

Gen. 48. 14.

Obser-

Obſervat hîc S. Jo. Damaſcenus, quòd Jacob, ſic per modum Crucis & in Cruce benedicendo filiis Joſeph, non ignoraverit SS. Crucis myſterium, cujus formam ante obitum ſuum tam ſtudioſe manibus ſuis expreſſit, cancellatæ enim manus ejus perfectam formabant Crucem, à qua omnis gratia & benedictio in humanam gentem promanavit. Rupertus Abbas per Ephraim gentes intelligit, quæ per manuum transpoſitionem, hoc eſt, per Crucem, cui lubenti credebant animo, ſalvatæ ſunt, & per Manaſſen natu majorem, ſed à Jacob poſthabitum, Judæos à Deo rejectos ſubaudit, quia Crucem & in ea affixum Dominum noluerunt agnoſcere. Audi & B. Petrum Damianum: *Si quis*, inquit, *deſiderat ab omni vinculo maledictionis abſolvi, & plenam novæ gratiæ benedictionem conſequi, Crucem diligat, ex qua omnis plenitudo benedictionis emanat.*

S. Damaſc. l. 4. c. 14.

Rup. Abb. hîc & Tertu. lib. de Baptiſ. B. Dam. de Invent. S. Crucis.

7. Mira quondam Deus per virgam Moſaicam patravit miracula. Per hanc Nilum Fluvium in ſanguinem convertit: *Et elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in ſanguinem &c.* Exod. 7. 20.

Per hanc Pharaonem cum exercitu ſuo in Profundo maris ſubmerſit, & populum Hebræorum per mare rubrum ſicco pede in Palæſtinam traduxit: *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum &c.* Ex. 14. 16.

Per hanc Amelec filium Eliphaz, & nepotem Eſau cum omni hoſtili exercitu expugnavit: *Venit autem Amelec, & pugnabat contra Iſraël in Raphidim, dixitque Moyſes ad Joſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amelec: Cras ego ſtabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea &c.* Exod. 17. 8.

Per eandem virgam, cùm populus in deſerto graviſſimâ aquarum penuriâ laboraret, & parùm abfuiſſet, quin tota multitudo in ſeditionem verteretur, ex duriſſima petra largiſſimam aquarum fontem produxit: *Percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta.* Et quis, obſecro, ad tanta virgæ Moſaicæ prodigia non obſtupeſcat: Num. 20. 11.

S. Auguſtinus & communiter alii per dictam virgam, tot ac tantorum miraculorum, operatricem, nihil aliud, quàm Crucem Dominicam intelligunt, per hanc enim nos Chriſtus, dux & legifer, non duntaxat per mare rubrum ſacratiſſimæ Paſſionis ſuæ, ſubmerſo in eo Pharaone infernali, feliciter in Palæſtinam cœleſtem, & terram deſiderabilem traduxit, ſed & Amelec, hoc eſt mundum, carnem, peccatum, glorioſe ſubjugavit, & percuſſus in Cruce virgâ lanceæ largiſſimum omnium gratiarum, & benedictionum fontem ad noſtram copioſam redemptionem profudit. Hæc eſt illa virga regia, de qua Vates regius vaticinatus

S. Aug. tract. 26. in Jo.

Ps. 109 1. S. Chrysost. tom 5. f. 32. cinatus est: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; Dominare in medio inimicorum tuorum*, per quam virgam virtutis S. Chrysostomus, & alii SS. Crucem subaudiunt, in qua virga Deus & homo Christus hactenus quàm maximè suam potentiam, divinitatem, misericordiam, justitiam ac virtutem ingentium prodigiorum & beneficiorum ostendit: *Non aberraveris*, ait S. Chrysostomus, *si Crucem Domini voces virgam virtutis, hæc enim virga mare, & terram convertit, & magnâ potestate complevit; cum hac virga Apostoli egressi per universum orbem omnia perfecêre &c.* Et addit, quòd SS. Crux Regum coronis longè sit splendidior, & innumerabilibus diadematis melior, armatura invicta, murus inexpugnabilis, trophæum contra Dæmones, & munimentum insuperabile &c. Ecce quàm miris laudibus SS. Crux à SS. Patribus extollatur. Glorientur igitur Reges & terræ Principes in sua potentia, Dominio, Majestate gloriâ, divitiis &c. *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri JEsu Christi, per quem salvati, & liberati sumus.*

8. Et si placet ulteriùs progredi, ad aquas de Marath nos conferamus. Et quid video hîc? En! ingentem exercitum, jam per triduum in deserto Sur ardentissimam sitim sustinentem, & aquæ potum summo cum desiderio præstolantem. Et ecce, cùm aquas nunc tandem invenissent, easque vellent haurire, ob nimiam amaritudinem non poterant ne quidem gustare. Quid ergo consilii in re tantoperè desperata? Populus ad Moysen suum Ducem fugit, hic ad Deum, impensissimè rogans, quatenus aquas illas amaras, dulces redderet atque potabiles. Et quid factum est? Moyses *clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod, cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Quæres hîc, quale hoc fuerit lignum tam efficacis virtutis ac dulcoris, ut totum lacum potuerit indulcorare, & omnem salsuginem ex aquis exsugere? Resp. Abulensis, lignum illud fuisse nominatum *Adelpha*, quod ex se amarum & mortiferum est, quod nihilosecius Deus, ut suam ostenderet potentiam & bonitatem, ad dulcorandas illas aquas adhibere voluit, ut eò majus esset miraculum.

Ex. 15. 25.

Per lignum hoc, amarissimum quidem, sed amaras in dulces vertens aquas, rectè D. Hieronymus, Basilius & passim alii SS. Patrum, lignum SS. Crucis designant, quod amarum quidem nobis esse videtur, sed postquam attactu membrorum Christi Domini sanctificatum fuit, omnes amaritudines, generi humani miserias, indulcorare cœpit: *Hoc lignum*, ait Cornelius, *significat lignum Crucis, illius enim virtute, memoriâ & meditatione Sanctis omnis labor & dolor dulcescit &c.* Per aquas autem amaras de Marath, tribulationes, tentationes, persecutiones, labores, infirmitates & ærumnas hujus mundi subaudi, de quibus Psaltes regius in propria & de propria persona testatur: *Intraverunt aquæ usque ad animum meum &c.* Si ergo vis, anime mi, ut aquæ istæ amaræ in hac mortali vita tua tibi videantur dulces,

Corn. hîc.

ces, mitte in eas lignum vivificum SS. Crucis, & omnis amaritudo tibi vertetur in dulcedinem: *Lignum*, sunt verba Lippomanni, *id est, Crux, dulcia facit omnia hujus mundi adversa.* Audi & Rabanum: *Sancta Crux, tu cura es, ægrotos medicans; tu gaudium, mœstos consolans; tu sanitas, dolentes latificans; tu status credentium benè; tu firmitas operantium benè; tu beatitudo perseverantium ritè &c.* Pſ. 68. 2; Raban. l. 1. de laude Crucis.

8. Agglomoremus plures figuras, & sacros conceptus in fasciculum unum. Israëlitis ex Egypto quondam à servitute sua exeuntibus, & in terram desiderabilem tendentibus monstravit viam columna nubis & ignis: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Ad quid, dices, Dominus in columna nubis & ignis? Ex. 13. 21.

Resp. S. Hieronymus: *Crux Christi humani generis columna est*; in hac enim præcessit nobis Christus Dominus, qui *est nubes*, ait Cornelius, *qua homo, & ignis, quà Deus*, monstrans nobis viam per desertum hujus mundi ad cœlestem & æternam patriam. Audi hîc S. Chrysostomum: *Crucem*, inquit, *semper habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis: nam sicut columna nubis, figura nostra Crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis pateretur; ita Crux ante oculos visa omnem statim abigit malam voluptatem &c.* S. Hieron in Pſ 95. S. Chrysost. ser. de Jos.

Cùm Hebræus quondam populus super Manna nauseare cœpit: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo*, misit Deus ignitos serpentes in castra eorum, qui venenatis morsibus horrendam in populo causabant stragem: igitur pœnitentiâ ducti Moysi dixerunt: *Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te, ideo ora pro nobis Dominum ut tollat à nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, vivet.* Num. 21, 5.

Serpens hic æneus, quid aliud præsignavit, quàm Christum Dominum in palo Crucis exaltatum? Ita ipse hanc figuram dignatus est explicare: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Jo. 3. 14. O pientissime JEsu! O Crucifixe Amor! Si jam olim umbra tui in Cruce pendentis, ab ignitis serpentibus sanabat percussos, quid modò à te sperare possumus, qui sub umbra SS. Crucis quotidie vivimus? *Non te pigeat*, ait S. Bernardus, *videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre Regem in solio residentem.* S. Bern. in tr. de pass.

9. Samsonis fortissimi Herois hîc recordor, qui ubi à Philistæis captus, oculis privatus, in carcerem conjectus, in fanum Dagonis idoli deductus est, ut in hoc loco coram Gentibus non tam luderet, quàm & ab illis illuderetur. Verùm Samson duas domûs columnas, quibus tota fabrica & pondus innitebatur, ambabus manibus fortiter apprehen-

dens, tam forti nisu in modum Crucis eas concussit, ut facili conatu domum dejiceret universam, omnesque præsentes interficeret Philistæos,
Jud. 16. 29. cum quibus & ipse moriens exclamavit: *Moriatur anima mea cum Philistæis, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multoque plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat*, cui heroi sub ruina sepulto pro lemmate inscribo: *Virtus prostrata triumphat.*

En! hîc iterum pulcherrimum typum pretiosissimi Redemptoris
Cornel. hîc. tui, in Cruce & per Crucem de inimicis suis triumphantis: *Samson*, ait Cornelius, *typus fuit Christi, manus extendentis ad duo Crucis extrema, quibus collegit, & oppressit Dæmones, peccatum & gehennam.* Proinde moriens cum Samsone plures interfecit, quàm vivus, dum morte sua nobis vitam & libertatem reconciliavit: *In Cruce gloria & victoria.*

Cùm vehementissima pestis Hierosolymam quondam vastaret, & in obvios quosque cives, & incolas crudelissimè sæviret, David Rex, utiratum Numen sibi & omni populo redderet propitium, in Aream Areuna
2. Reg. 24. 25. ascendit, ubi altare publicum erexit, in qua pacifica pro salute totius Regni obtulit sacrificia: *Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.*

Collige ex hoc iterum ex figura figuratum, & ex umbra veritatem; nam per hanc, & similes victimas in lege Deo oblatas, ordinarie Christus Dominus in Ara Crucis suo tempore pro salute totius mundi immolandus præsignabatur. Jugulabantur autem ejusmodi victimæ, & holocausta per modum Crucis expansa, videlicet divaricatis cruribus, & toto eorum
Cornel. in Levit. c. 5. v. 5. corpore expanso, *ut per hoc*, inquit Cornelius, *significaretur Christus, qui quasi victima expansus, mactatus est in Cruce pro redemptione hominum; in qualibet ergo hostia ita distentâ, quasi in imagine viva repræsentabatur Christus crucifixus, & in Cruce parimodo distentus.*

10. Cùm olim justissimus Deus tribus annis, & sex mensibus terram ob commissa scelera siccitate, sterilitate, & gravissimâ fame castigaret, interim Eliam Thesbitem juxta torrentem à corvis pasci voluit, qui quotidie illi panem, & carnem manè & vesperè deferebant. Posthæc eundem Prophetam ad mulierem viduam in Sareptha amandavit, ut ab illa
3. Reg. 17. 10. vitæ necessaria reciperet: *Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam; cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua, quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: En! colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* Miraberis, anime mi, quòd hæc mulier paupercula adeo sollicita fuerit de duobus

sibi

sibi lignis ante mortem colligendis? Quid sibi volunt hæc duo ligna Sarepthanæ illius viduæ, quibus suam supremam consolari expetebat inopiam.

Benè, ait Rupertus Abbas, hæc inops vidua in extrema sua necessitate hæc duo transversa colligebat ligna, quia per illa Crux Dominica non obscurè præfigurata fuit, quæ ex duobus lignis, uno erecto, & altero transverso est composita, atque unicum miseris mortalibus solet esse solatium, ac tunc præsertim, dum ad alteram vitam nobis erit migrandum: *En*, inquit dictus Rupertus in persona hujus prædictæ viduæ, *colligo duo ligna, & meam consolor inopiam, amplectens duo ligna Crucis*, in qua Cruce Domini & nobis unica, ac ultima spes æternæ vitæ debet esse reposita. Rup. Abb. de Trin. l. 5.

Pro coronide dictorum inserviant nobis tres illi pueri Babylonici, Sidrach, Misach & Abdenago, quare in mediis flammis fuerint servati illæsi: *Et ambulabant in medio flammæ laudentes Deum*? Resp. S. Andreas Episcopus Cretensis, quòd per virtutem SS. Crucis, quam extentis brachiis formabant, fuerint servati immunes: *Extinxerunt*, inquit, *flammam manuum extensione, Crucem exaltatam adumbrantes.* Si vis, anime mi, evadere flammam gehennæ ignis, Crucem ama, Crucem sequere &c. Dan. 3. 24. S. Andr. Cretens. Orat. 2. de exalt. S. Cr.

CONSIDERATIO XX.

De bona educatione S. Viti ejusque Martyrio.

Pro Festo S. Viti Martyris.

Ego quasi Vitis fructificavi suavitatem odoris.
Eccl. 24. 23.

I.

PUlcherrimè ipsa Veritas Christus in sacro Evangelio se ipsum Viti comparat: *Ego sum vitis vera.* Et quomodo vitis? Resp. 1. Vitis non seminatur, ut cæteræ plantæ, sed in terra benè culta plantatur: Christus ab æterno genitus de Deo, & Filius de Patre in terra Virginea non seminatus, sed plantatus est. 2. Vitis cultro adunco usque ad lachrymas circumciditur: Christus octavo à Nativi- Jo. 15. 1.

tate die pari modo circumcisus est. 3. Vitis circum foditur ligonibus, ut
Ps. 21 18. plures fructus afferat : Christo *foderunt manus & pedes ejus*, ex quibus pretiosus ille fructus redemptionis nostræ promanavit. 4. Vitis vincula sua tenet & funiculos, quibus seipsam alligat, & partim etiam à vinitore alligatur : Christus vinculis, & funiculis charitatis se ipsum in Passione sua alligavit : *Oblatus est, quia ipse voluit*, & ad columnam & Crucem ab aliis alligatus est. 5. Vitis spineo septo, ne aliis in prædam fiat, coronatur : Christus spineo serto redimitus fuit. 6. Vitis populum arborem amat, cui se alligat, & quasi maritat : Christus Crucem in sponsam acceptavit. 7. Vitis inter omnes plantas fœcundissima est, ramos suos longé lateque diffundens : Christus plùs fructus affert, quia ipse benedictus fructus, gratiarum suarum ramos usque ad fines ultimos terræ extendens.
Isa. 53. 7.
Eccl. 24. 23. 8. Vitis flores odoratos habet : Christus *quasi vitis fructificavit suavitatem odoris.* 9. Vitis per fructum suum lætificat cor hominis, & panis illud confirmat : Christus in SS. Eucharistia, quia est panis vivus, qui de cœlo descendit, & per vinum germinans virgines, mirum in modum cor hominis confirmat, & lætificat : proinde rectè se viti assimilavit : *Ego sum vitis vera.*

S. Vit. Vitis. S. Vitus, *Vitis*, de quo benè illud Siracidis poteris applicare : *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, vitis enim, dum floret, suavem exspirat odorem. S. Vitus in flore adolescentiæ suavissimum jam exspiravit virtutum odorem. Vitis Brassicam fugit, & si fugere non potest, moritur ; S. Vitus à puero omne peccatum fugit. Vitis variis tempestatum injuriis obnoxia est : S. Vitus pluribus persecutionibus, & tormentis fuit agitatus. Vitis, si pro fulcimento ulmum habet, plures fructus progenerat ; S. Vito S. Modestus Martyr pro fulcimento fuit. Vitis singulari curâ indiget, si optatos ab ea exspectas fructus ; oportet enim eam plantare, alligare, pasticare, defrondere, putare &c. Sic S. Viti pueri & Martyris glorioſissimi singularem curam habuit cumprimis S. Angelus Custos ejus, & S. Modestus, ejus Moderator, quorum ductu & hortatu ad tantum sanctitatis apicem pervenit ; quod ansam hodie præbet, plura de bona Educatione hujus sanctissimi adolescentis, & de ejus glorioso pro Christo agone differendi.

Eccl. 11. 6. Olympio. cit. à Corn. hic. 2. Rectè Ecclesiastes : *Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua*, quod Olympio sic exponit, quasi dicat : A principio vitæ stude virtutibus usque ad ejus finem, & ab ineunte pueritia operare virtutem ; neque dixeris : Nunc adolescentior cum sim, fruar deliciis, quas habet vita, postea verò, cum ad senectutem pervenero, ad pœnitentiam me convertam ; nequaquam enim nôsti, quid tibi eventurum sit, aut quando aderit finis vitæ. Ergo *manè semina semen tuum.*

Samuel

Samuel adhuc puer octo annorum dignus est habitus, cui Deus appareret, eumque eligeret ad arguendum Heli Pontificem, & judicem totius Israël : *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli; & vocavit Dominus Samuel, qui respondens ait : ecce ego.* 1. Reg. 3. 1.

David adhuc puer à Deo ob egregios mores in Regem Israël, posthabitis aliis ejus fratribus, selectus est : *Adhuc reliquus est parvulus ; surge, unge eum; ipse est enim &c.* 2. Reg. 16. 11.

Daniel adolescentulus duodecim annorum ob vitæ sanctitatem Spiritu S. repletus est, in qua ætate mira excellebat sapientia ; unde senes illos calumniatores, & alienæ pulchritudinis appetitores manifestavit, & confudit : *Suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri &c.* Dan. 13. 45.

Tobias à patre relictus orphanus, & ab avia Debbora, matre patris ejus, probè & piè educatus, singularia â primis vitæ annis dedit, & reliqui sanctitatis specimina, unde de eo Scriptura : *Hæc & similia secundùm legem Dei puerulus observabat &c.* Tob 1. 8.

Joseph filius Jacob Patriarchæ, quare impollutam etiam inter gentes pravas conservârit in Ægypto innocentiam, causa primaria fuit bona illius educatio ; unde de eo Sacer textus recenset, quòd puer sedecim annorum pascens cum fratribus suis gregem, *accusaverit fratres suos apud patrem crimine pessimo &c.* Gen. 37. 2.

Sic nimirum subintrat hîc Barradius, ex eadem cera, cùm mollis est, juxta diversos digitorum ductus, vel Angelus effingitur, vel Dæmon : Ita ex eadem natura, dum mollis est ætas, vel Angelo similis puer, vel Cacodæmoni efformatur. Barrad. D. 2. Epiph. t. 2. Ex. vita S. Viti. à diverſ. ſcripta.

3. S. Vitus, de quo hodie canit Ecclesia, *admodùm puer*, à Moderatore suo velut cera mollis in Angelum efformatus est, dignus, cui Angeli sæpiùs assisterent, & in tot fidei persecutionibus opem ferrent. Erat hic natus Mazaræ in Sicilia illustribus ac prædivitibus parentibus sed idololatris, Imperii Romani clavum tunc tenente Diocletiano immanissimo Tyranno; ubi crudelissima in Christianos sæviebat persecutio, & quia puer erat docilis, ac ingenuus, illi adjunctus est Moderator S. Modestus, qui eum in fide Christiana, aliisque sacris scientiis clam instruxit, unde & insciis parentibus, contemptis & ejectis idolis, sacro Baptismatis fonte tinctus, ablutus est, dignus, qui jam tunc in tam tenera ætate multa patraret miracula ; hinc illuminabat cæcos, sanabat ægrotos, & ab obsessis, velut quondam David puer, citharâ orationis suæ malignos ejiciebat spiritus.

Miratur orbis Eleazari senis constantiam ; dum enim ab impio Tyranno primùm blanditiis, deinde minis & cruciatibus in ipsum positis, ad divinam legem violandam vehementiùs urgebatur, cum & amici illi suaderent, iniquâ commiseratione moti, ut ad Regis mandatum simularet tantùm, se de sacrificii carnibus manducasse, contra omnia hæc tela

hac unicâ cogitatione, & voce se obarmavit, quòd vitam semper hone-
2. Mach. 6. stam, & legi divinæ conformem à puero duxerit: *At ille cogitare cœpit*
23. *ætatis, ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus, & secundùm sancta, & à Deo conditæ legis constituta; respondit citò, dicens: præmitti se velle in infernum &c.* Nota, *à puero*, & quid valeat bona educatio.

S. Vitus, ubi tanquam Christianus ad Valerianum Judicem Romanum, & Gentilem delatus est, neque blanditiis, neque minis, cruciatibus ab illo Tyranno ad sacra Christi deserenda adduci potuit, & quia firmiter in hac Christianæ fidei professione perseverabat, primo patri gentili traditus est, ut eum ad idolorum cultum reduceret. Sed incassùm omnia, hinc de novo judici sistitur, qui eum catomis, hoc est, virgis majoris ignominiæ irrogandæ causâ crudeliter cædi jussit, cujus cogitatio & vox tunc erat cum S. Eleazaro: *Præmitti se malle in infernum*, quàm fidem & legem Chri-
Gen. 39. 9 sti, quam semel veram agnoverat, derelinquere: *Quomodo*, exclamabat cum castissimo Josepho, *possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Absit, absit hoc à me, magis enim præmitti volo infernum, quàm prævaricari legem Dei mei &c. &c.

Tob. 5. 5. 4. De Tobia juniore refert Scriptura, quomodo invenerit juvenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, qui se illi ultrò in itineris comitem, ac ducem in Rages obtulit. Erat autem hic egregius juvenis non alius, quàm S. Raphaël Archangelus, qui hunc clientem suum per diversa rerum discrimina sanum, ac incolumen duxit, & reduxit, à devoratione ceti, & à Dæmonio liberavit, ac multa alia exhibuit beneficia. Hoc & S. Vito accidit, dum benignus Deus Angelum illi submisit, qui eum é manibus Valeriani judicis, & proprii parentis liberavit, atque cum S. Modesto, & Crescentia ejus educatoribus, naucleri functus officio, in navi é Sicilia in Regnum Neapolitanum transvexit.
1. Cor. 10. Ecce, quàm benignum Dominum habemus, *qui non patietur nos tentari supra*
13. *id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.*

3. Reg. 17. Elias tempore summæ sterilitatis; ubi cœlum tribus annis, & sex
6. mensibus non pluerat, à corvo quotidie bis pane & carne refectus est: *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* S. Vitus, cum in illo Regno Neapolitano juxta fluvium Siler sub obaca arbore sederet expositus, per plures dies ab aquila cum comitibus suis abundè enutritus est, quæ illis quotidie panem & alia alimenta subministravit. Vide hîc, & considera, qualem curam mitissimus Dominus erga servos suos gerere soleat, dum eos in nulla afflictione
Ps. 54 23. & necessitate deserit. Proinde & tu, anime mi! *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse enutriet te: non dabit in æternum fluctuationem justo.*

5. Cùm

5. Cùm quondam Nabuchodonoſor Rex auream erexiſſet ſtatuam, ut in ea adoraretur, tres Pueri Sidrach, Miſach, & Abdenago liberè id recusârent, hinc in fornacem ardentem miſſi ſunt; ſed miſit Deus Angelum ſuum, qui excuſſit flammam ignis, eosque ſervavit illæſos: *Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Dan. 3. 24. S. Vitus, ut Diocletiani filiam à Dæmonio liberavit, magna illi ab Imperatore oblata ſunt dona, ſi Chriſto relicto ad adoranda idola ſe verteret; ſed quia conſtanter ac intrepidè Chriſti fidem prædicaverat, contruſus exinde in carcerem læta voce unius & veri Dei laudes decantabat, & in illis tenebris cœleſti luce & Angelorum conſortio fruebatur. Immiſſus poſtea in fornacem ardentem, ſeu in ingens vas plumbo liquato, reſinâ ac pice plenum, prædictorum trium Puerorum more divinos hymnos, pſalmos, Deique laudes dicebat, ab omni flamma illæſus. Nota hîc intrepidam fortitudinem, pietatem & reſignationem S. Viti & Sociorum, hinc meruerunt à Domino, ut illæſi in igne permanerent; Hoſce imitemur, & ſimilia experiemur.

De Daniele recenſent ſacræ Paginæ, quomodo innocens in lacum leonum miſſus fuerit, ut à leonibus devoraretur vivus: *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum.* Dan. 6. 16. Sed quid accidit? Audi ipſum Danielem loquentem: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me.* Pari modo S. Vito leo, cui juſſu Cæſaris dilaniandus erat objectus, blandiebatur, & pedes lingebat. Tum Sanctus adoleſcens ad Imperatorem converſus dicebat: *O Diocletiane! Beſtiæ, feritate poſitâ, obediunt Domino, & tu eum non cognoſcis, nec ei pares?*

Fulmen hoc fuit in animo truculentiſſimi Tyranni: Et quia inſuper vidit, quòd omnis populi multitudo ad tanta commoveretur patrata prodigia, inſanâ excandeſcens irâ lictoribus ac carnificibus præcepit, ut corpora SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ in cataſta ſternerent, & ita eorum cæderent membra, ut oſſa eorum penitùs divellerentur, in quo ſupplicio, ubi Sancti illi Martyres tam immaniter erant lacerati, ut eliſis cunctis corporis membris in ipſa pateret viſcera aſpectus, victricem Dei manum laudantes, ſuperato Tyranno, mundo, carne, Dæmonio, glorioſi ad æternam requiem tranſiërunt. Ite, ite nunc, animæ felices, ite, viciſtis, ſuperâſtis omnes inimicos veſtros, & nunc in æternum cum Deo & electis ejus in cœleſti gloria triumphatis, laudentes ſine intermiſſione Divinam potentiam, quæ vos inter tot cruenta confortavit certamina, & glorioſos effecit victores, &c.

Cæterùm, quod concernit S. Viti M. reliquias, refert Bagatta Veronenſis, quòd illius ſacrum corpus poſt felicem ex hoc mundo tranſitum per triduum ab aquila fuerit obſervatum, donec illibatum à Nobili Matrona Benef. Bagatta de admirandis Orbis Chriſtiani.

trona Florentia unguentis conditum, honorificè sepeliretur. In Apuliæ urbe Poliniana ex brachio S. Viti M. etiamnum hodie exstillant guttulæ quasi olei, quo inuncti, qui à canibus rabidis læsi sunt, mox sanantur. In Ecclesia S. Salvatoris Tarenti ejus Sanguis in ampulla vitrea religiosè asservatur, qui singulis annis, dum illius festum celebratur, de novo liquescit quasi recens de corpore fusus. O Sancte Vite; verè Vitus, vitis, ora pro nobis Dominum, ut & nos dignos pœnitentiæ & virtutum fructus faciamus.

CONSIDERATIO XXI.

De Vita, Moribus & Morte Præcursoris Domini.

Pro Festo S. Joannis Baptistæ.

Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Luc. 1. 66.

1.

Vita a SS. um ex Sujo, tum ex Bagatia.

EX aurora cognoscitur secutura dies, ex flore fructus, ex clangore vas, & ex moribus tenelli infantis præcocibus, quisnam ac qualis tandem sit futurus homo. De S. Benedicto refert Vita, quòd in utero inclusus materno, antequam in lucem nasceretur, jam auditus sit psallere. S. Vincentius Ferrerius in ventre Matris auditus est, adinstar tenelli canis, latrans. S. Nicolaus, ubi sacro Baptismatis fonte ablutus est, se ipsum supra pelvim in pedes erexit, ac elevatis manibus, & oculis in cœlum intentis pro suscepto sacri Baptismi beneficio Divinæ Majestati humiles gratias egit. S. Edmundus Episcopus Cantuariensis præter communem nascentium morem sine ullis sordibus, totoque corpore mundus è maternis visceribus in lucem prodiit, hinc in Baptismate appellatus est *Edmundus*. Cùm S. Peregrinus, è Scotiæ Regina natus, à Sacerdote solemni ritu baptizaretur, infans tenerrimus ad verba & formam baptizantis clarâ vôce coram omnibus adstantibus respondit, *Amen*. Ubi S. Augustinus infans Neapoli in mundum editus, & paulò post

in

in templo à Matre ſua Beatiſſimæ Virgini in altari præſentatus eſt, infans vix unus menſis ſenſibili & clarâ voce Divinam Matrem ſalutavit: *Ave Maria &c.* Naſcente in oppidulo Paula, S. Franciſco de Paula, auditi ſunt Angeli amœniſſimam perſonare hymnodiam. Quo tempore natus eſt Joannes Dei, Fratrum infirmos curantium Fundator, ultrò & nemine impellente auditæ ſunt campanæ principalis Eccleſiæ cunctis admirantibus ſonoro tono hanc illuſtrare nativitatem.

De his & pluribus aliis Sanctis, nunquid jure merito illud dici, & applicari poteſt, quod hodiernâ luce amici, cognati & vicini de S. Joanne Baptiſta, Præcurſore Domini recens à Sancta Eliſabetha in lucem progenito, dicebant: *Quis, putas, puer iſte erit?* Sì jam nunc Spiritu Sancto eſt repletus, quantus erit per reliquum vitæ curſum? Proinde amici illi non absque ſingulari cauſa hoc amicabile inter ſeſe inſtituebant certamen, quo nomine hunc infantem, tam prodigiosè à S. Matre ſterili in lucem natum, vellent appellare. Erant, qui nomen Patris Zachariæ ei volebant imponere, ſed reluctabatur Mater: *Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.* Interim pugillarem petit Zacharias, ſcribit, & ſimul clarâ voce eloquitur: *Joannes eſt nomen ejus.* Stat hîc attonitus S. Ambroſius, cur Pater, ſcribens nomen Joannes, vocem recuperârit? Et reſpondet S. Doctor, quia Joannes vox erat, idcirco in ejus nativitate Pater mutus loquitur, & D. Hieronymus: Magnum myſterium, inquit, Joannes eſt nomen ejus, Joannes enim ſignificat gratiam Dei; de cujus S. Præcurſoris laudibus plura in præſenti occurrunt tractanda & conſideranda.

Luc. 1. 66.

S. Ambr. in Lucam, c. 3. Et S. Hieron.

2. Quàm inſigni quondam pompâ, concrepantibus ubique muſicorum inſtrumentis & concinentibus tot Levitarum choris, totiusque populi applauſu & concurſu David Rex arcam fœderis exceperit, & ex domo Abinadab in domum Obededom, & exinde in Sion tranſtulerit, ſatis abundè Sacræ declarant paginæ, ut animi ſui jubilum ac ineffabile gaudium, quod ex præſentia hujus Arcæ Divinæ conceperat, magis magisque demonſtraret, non erubuit, depoſitâ regiâ purpurâ ac paludamento, ſolo indutus ephod publicè coram univerſa populi multitudine in ſaltus prorumpere: *Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum*; & licèt Michol Regina eum palàm levitatis inſimularet, perrexit tamen in ſaltu ſubſiliens, donec memoratam Arcam Dei in tabernaculo novo à ſe in Sion erecto honorificentiſſimè collocârit. Ad quid, obſecro, inſolitus iſte ſaltus? An non indignum erat Regiæ Davidis Majeſtati in ejusmodi publicas ſaltationes coram Arca fœderis, inſpectante omni populo, prorumpere? Verumenim verò aliud hîc latet myſterium.

2. Reg. 6. 14.

Obſervat in hunc locum S. Ambroſius, Eucherius & alii, quòd David tunc temporis per Divinam revelationem non obſcurè agnove-

rit, & prævideret per hanc fœderis Arcam Christum & SS. Matrem ejus Mariam designari, qui suo tempore, hoc est, post mille annos ex suo germine & prosapia regia essent nascituri: *Quia David*, ait Eucherius, *coram Arca Domini humiliter saltando non erubuit, mox promissionem Filii Dei ex sua stirpe nascituri suscipere promeruit.* Et S. Ambrosius: *Saltavit*, inquit, *Propheta David ante Arcam: Arcam autem quid, nisi sanctam Mariam, dixerimus? Siquidem Arca intrinsecùs portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem*, hoc est, Christum. Et hæc causa erat, quòd David non erubuerit præ insolito gaudio publicé prorumpere in cantus & saltus, quo Christum suo tempore in mundum venturum honorabat.

Eucher. hîc. apud Corn. S. Ambros. serm 25. de Sanctis.

A saltu Davidis ad saltum S. Joannis Baptistæ transitum faciamus. Cùm B. Virgo, viva fœderis Arca, & nunc Christo gravida per montana in civitatem Juda, hoc est in Hebron cum festinatione migrâsset, ut ibidem saluraret, & pacem precaretur Elisabeth, protinùs sancta illa Matrona arcanam Verbi Incarnationem in ea factam agnovit, unde eam Matrem Domini appellavit: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus.* O saltum mirabilem! De Jacob & Esau dicit Scriptura: *Collidebantur in utero ejus parvuli.* Non sic Joannes, sed ad adventum Christi & Mariæ exultavit, & ad instar Davidis coram Arca illa mystica præ gaudio saltavit: *Non simpliciter exilivit*, ait antiquissimus Origenes, *sed in gaudio; senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, antequam de Matris utero procederet.* En figuram de saltu Davidis coram Arca Dei pulcherrimè adimpletam! O si nos tanto cum jubilo, veneratione, humilitate, amore & adoratione Christum in SS. Evchariſtia toties ad nos venientem exciperemus! Parvulus Joannes, prout SS. Patres observant, post saltum istum in utero Matris non obvertit tantùm faciem versùs Mariam & JEsulum, sed & genua flexit, & Deum præsentem adoravit. Quid nos faciamus in præsentia SS. Evchariſtiæ.

Luc 1. 41 Gen. 25. 22

Orig. apud Cornel. hîc

3. Progrediamur ulteriùs. Postquam David adhuc puer & inter fratres minimus à Samuele Propheta in Regem Israël fuit inunctus, recessit paulatim à Saule Rege Spiritus Domini, & exagitabat eum Spiritus nequam & malus Dæmon, interiùs eum possidendo, & diris phantasmatibus, mœroribus ac doloribus affligendo. In quem finem conferunt Proceres Aulæ, & inito consilio statuerunt, ut homo quæreretur sciens psallere citharâ, ut quando arripuerit Saulem Spiritus nequam, manu sua psalleret, & Rex leviùs hoc malum ferret. Et ecce, ex voto hoc successit consilium, dum mox inventus est David, quem de caula ad Aulam, & de pascuis ad Regiam adduxerunt. Et sequitur: *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat; recedebat enim ab eo Spiritus malus.* Res mira, quæ non immeritò in stuporem me rapit,

1. Reg. 16. 23.

rapit, quòd malus Dæmon suavem illam citharæ Davidicæ harmoniam non potuerit tolerare, sed mox aufugerit in orcum? Latet sine dubio in hac cithara magnum mysterium.

Respondet Ven. Beda, quòd cithara illa Davidica Crucem Christi repræsentaverit, in cujus virtute malus spiritus fugatus est. S. Bonaventura verò per eandem citharam Beatissimam Virginem & Christi Matrem subaudit, quam *citharam Spiritus Sancti* appellat. Et ecce, ut primùm hujus mysticæ citharæ, MARIÆ, vox sonuit in auribus Elisabeth: *Magnificat anima mea Dominum*, mox à Joanne puerulo Spiritus malignus, qui hactenus per aliquot menses per peccatum Originale eum possederat, recessit, & pulso peccato hæreditario exultavit infans præ gaudio in utero materno. O Superi! quàm suavis hæc erat cithara! Proinde meritò à parentibus puer iste nominatus est *Joannes*. Ven. Beda hîc apud. Cornel. S. Bonav. in Cat. Virg. Lit. A.

Et quare, *Joannes?* Rem per similitudinem cape. Solet nonnunquam contingere, ut furti, vel homicidii, vel proditionis aut alterius noxæ reus per Judicis sententiam ad mortem damnatus ad supplicii locum trahatur. Ex una parte comitatur reum Confessarius, ex altera carnifex vinctum tenens, reus medius incedit, præ horrore mox secuturæ necis jam semimortus. Interim de longè & inopinatò auditur vox clamantis: *Gratia, gratia.* Hæc inter caduceator magis, magisque appropinquans reo insinuat, Principem esse placatum, mortisque sententiam revocatam. O Deum immortalem! quale hoc reo est gaudium & populi comitantis lætitia, ac congratulatio!

Adverte: An non genus humanum tot obnoxium peccatis jam ducebatur ad mortem, & quidem sempiternam? Infernus tormentorum locus jam erat illi paratus, & sententia à supremo Judice ac Principe lata: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Verùm hodie inopinatò puer à sterili Matre nascitur in lucem, qui universo generi humano suo nomine & omine *gratiam, gratiam*, proclamat; quid enim aliud significat hoc nomen *Joannes*, quàm *gratiam*, quam hodie perdito generi humano supremus cœlorum Princeps, verè benignus ac clemens Dominus addicit paulò post per Christum concedendam? Proinde meritò hanc diem speciali honore celebrat Sancta Mater Ecclesia: *Et multi in nativitate ejus gaudebunt, erit enim magnus coram Domino.* Vide nunc causam, quare puer iste vocatus sit *Joannes*, id est, *gratia.* Honora eum, & impetrabit tibi à Deo gratiam efficacem ac finalem. Ezech. 18. 4. Luc. 1. 14.

4. Venit hîc mihi in mentem, quod Scriptura de Thamar refert, quæ duos progenuit filios Phares & Zaram, qui gemelli mirabilem in modum pro primogenitura decertârunt. Cùm nunc tempus adesset partûs, prævenit in effusione Zara manum per uterum matris protendens, quod cer-

nens obstetrix, hujus infantis manum coccino seu rubro funiculo notavit, ad quod puer iste manum cum ligamine de novo in uterum matris retra-
Gen 38. 27. xit, & fratri suo Phares ultrò primogenituram concessit : *Unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens: Iste egredietur prior; illo verò retrahente manum, egressus est alter, dixitque mulier : quare divisa est propter te maceria ? Et hanc ob causam vocavit nomen ejus Phares. Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem appellavit Zara.*

S. Chryso. hic. S. Paschas. in cap. 1. Matth. Luc. 1. 78

Hæc omnia, subintrat hîc S. Chrysostomus, dirigente & disponente divino Numine facta sunt, quia voluit Deus non Zaram, sed Phares primò nasci. Et quare hoc ? *Zara*, ait S. Paschasius, nil aliud significat, quàm *Oriens*, de quo dicitur : *Visitavit nos Oriens ex alto*, hoc est, Christus, qui est Sol oriens justitiæ ; Coccinum autem manui ejus circumligatum erat futuræ Passionis indicium, quod Zara puer retraxit in uterum, qui Passio Christi jam tunc, & à primo conceptionis instanti incepit ; per *Phares* autem, cui Zara lubens primogenituram concessit, rectè intelligitur S. Joannes Baptista, *Phares* enim interpretatur *Divisor*, vel *divisio*, ille enim vetus & novum Testamentum divisit, & Christo in nativitate, vitâ & morte præcucurrit.

Sic Phosphorus, seu Stella matutina dividere solet noctem à die, solemque præcurrit, ut felix post tristem noctem diei Nuntius, unde recte illi pro lemmate inscribes : *Me duce redditur Orbis* ; vel si magis arridet :
Jo. 1. 7. *Testimonium perhibet de lumine*, quæ omnia S. Joanni Præcursori Domini aptissimè poterunt applicari. Et quemadmodum Stella matutina post tenebrosam noctem gaudium annuntiat universo mundo ob solem astrorum Regem mox venturum ; ita hodie S. Joannes per ortum suum gaudium annuntiavit cumprimis Sanctis parentibus, Angelis in cœlo, Patribus in limbo, vicinis & cognatis in Hebron & Jerusalem, imò bonis omnibus.
S. Bern. ser de S. Jo. Bapt. Hinc rectè Mellifluus : *Hodie dies nobis illuxit insignis, & tantó diebus cæteris sanctior, quantò sanctiorem hominem terris infundit. In hac siquidem die natus Sanctorum splendor, justorum gloria, lætitia Angelorum, excellentissimus homo, consanguineus Christi, amicus Sponsi, &c.* Quid, obsecro, præclarius de tanto Sancto dicere poterat Mellifluus?

5. Verùm est, magnus fuit Noë in ortu suo, de quo Lamech pater
Gen. 5. 29. in Spiritu Prophetico hoc insigne vaticinium ac testimonium tulit : *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Sed major in ortu suo & per omnem vitam extitit S. Joannes Baptista, dum longè abundantiùs per adventum suum consolatus est genus humanum. Noë octo duntaxat animabus in Arca saluti fuit, S. Joannes verò innumeris, &c. *Iste consolabitur nos &c.*

Gen. 18. 10. Magnus fuit Isaac, ab Angelo Patriarchæ Abrahamo prænuntiatus : *Habebit*

Habebit filium Sara uxor tua, & anno ætatis suæ vigesimo secundo Deo T. O. M. ultrò in victimam præsentatus. Verùm longè major fuit S. Joannes Baptista, dum non solùm ab Archangelo Gabriele Zachariæ Pontifici fuit promissus : *Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem*, sed & quia ultrò sese victimam ob defensam veritatem Deo in carcere obtulit, &c. Luc. 1. 13.

Magnus fuit in ortu & in vita sua Samuel Propheta à sterili matre natus, de quo Scriptura testatur : *Et cognovit universus Israël à Dan, usque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Verùm longè excelsior fuit tum in præclara fama, tum etiam sanctitate S. Joannes, Præcursor Domini, quia non solùm ab omnibus habebatur Propheta magnus, sed & Orbis credebatur Messias. Unde pereleganter Innocentius tertius, explicans illa Angeli verba : *Erat magnus coram Domino*, de S. Joanne ait : *Magnus erat in prædestinatione, magnus in annuntiatione, magnus in conceptione, quia conceptus non exigente naturâ, sed gratia operante ; magnus in natura, quia de Sacerdotali genere ; magnus in persona, quia præcessit ante Deum in Spiritu & veritate Eliæ : Magnus in gratia, unde vocatum est nomen ejus Joannes, repletus Spiritu Sancto adhuc ex utero Matris suæ : Magnus in officio ; ipse enim vox Verbi, præco Judicis, paranymphus Sponsi, lucerna solis, finis legis, initium Evangelii. Magnus in merito, in dignitate, in potestate, in opinione, in prædicatione, in passione.* Ecce, quid sit esse magnum coram Domino ; esto tu parvus in oculis tuis, ut sis magnus in cœlo ; sola enim hæc magnitudo vera est, quæ coram Deo est : Et quid aliam quæris, anime mi ? 1. Reg. 1. 20. Innoc. 8. ser. de Nat. Joan.

6. Mirabilem quondam visionem habuit dilectus ille Christi Discipulus, cùm in Insula Pathmos versaretur in exilio. Vidit is mulierem amictam sole, & stellæ duodecim ornabant caput ejus, quæ peperit filium masculum : *Et draco stetit ante mulierem, ut, cùm peperisset, filium ejus devoraret. En mulier fugit in solitudinem.* Magnum hîc latet mysterium. Omissis pluribus aliis interpretationibus respondetur cum Cornelio, mulierem illam fuisse Beatissimam Virginem sole amictam, quia Christum verum justitiæ solem peperit, & duodecim stellis, id est, omni virtutum genere ornatum. Draco insidians ejus partui, erat Herodes impius infanticida, qui divinum hunc partum & Filium ejus adhuc in tenerrima ætate voluit devorare ; sed mulier fugit in solitudinem, hoc est in Ægyptum : *Nota*, ait à Lapide, *alludit ad fugam B. Virginis & Christi in Ægyptum.* Apoc. 12. 4. Cornel. hic.

Verùm, ubi interim remansit S. Joannes Præcursor JEsu, quòd in tam cruenta Innocentium strage non fuerit occisus ? Respondent Cedrenus, Nicephorus & alii, Elisabetham in immani illa persecutione cum hoc dulcissimo suo filiolo tunc bimulo, ut eum à gladio Herodis eriperet, fugisse ex civitate Hebron in desertum, quod erat in montanis Judææ, Cedrenus in Comp. Histor. Nicephor. lib. 1. c. 14.

dæ, ubi in spelunca deliteſcens paulò poſt ſanctè defuncta eſt, Joannes vero eſcâ ſylveſtris locuſtæ enutritus, atque ab hominum inquinamentis longiſſimè remotus, cum Deo & Angelis converſabatur; & quia cum Angelis Angelicé vivebat, non incongrué poſtea ab hominibus æſtimatus & habitus eſt Angelus, quod teſtimonium non ſolùm à Malachia Propheta, ſed etiam ab ipſa veritate Chriſto tulit: *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Ex quibus ſequitur, Joannem nullam egiſſe infantiam, quia jam in ſexto menſe à conceptione ſua à Deo rationis uſum accepit; proinde rectè Eccleſia de eo canit in laudibus: *Eliſabeth Zachariæ magnum virum genuit Joannem Baptiſtam, Præcurſorem Domini.* Magnum Virum, inquam, quia ipſe Patriarcha, & Princeps in limbo exiſtentium fuit, quibus Chriſtum jam in mundo præſentem annuntiavit. Propheta extitit, & juxta teſtimonium Chriſti plùs quàm Propheta. Apoſtolus, id eſt, Miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Martyr ſeu teſtis, quia venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, & quia pro juſtitia multa paſſus, ac demum decollatus eſt. Confeſſor, quia confeſſus, & non negavit: Confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Virgo, quod ſolitaria ac ſanctiſſima ejus vita teſtatur: *Quis Sanctorum virorum*, ait S. Bernardus, *ſimilis in caſtitate & laude Joanni venit æquandus?* En! quomodo S. Joannes omnes virtutes collectivé ſumptas poſſederit. Et quales tu habes, anime mi? Ah! timeo, ne multis ſcateas nævis, examinate, & emenda.

Matth. 11. 10.

S. Bern. ſer. 69.

7. Recordor hîc Reginæ Sabæ, quæ, ex Æthiopia & ultimis terræ finibus Jeroſolymam venit, ut Salomonis Regum prudentiſſimi audiret ſapientiam: *Sed & Regina Saba, audita famâ Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus.* Obſerva: *Venit tentare eum in ænigmatibus.* Et in quibus, dices? Mitto hic multa obſcura & intricata, quæ illa Regina Salomoni propoſuit ſolvenda ænigmata, & ſolùm refero de duobus florum manipulis, quos illi exhibuit, quorum unus ex veris & naturalibus, alter ex fictis erat compoſitus floribus, ita tamen arte pictoriâ elaboratis, ut eosdem ſimillimos referret flores, quos nemo poterat diſcernere, quibus oſtenſis interrogavit eum, quosnam veros ex dictis manipulis judicaret flores? At ille, quia ſenſu hoc non poterat diſcernere, mox, prout erat ſapientiſſimus, nonnullas afferri mandavit apes, quæ naturâ magiſtrâ ſine mora, relictis falſis, ac fictis floribus, ad veros volârunt, ex quibus mellis ſuccum cœperunt colligere. Tum gravi voce prudentiſſimus Salomon ad Reginam? *Ecce*, inquiebat, *iſti ſunt veri, alii flores ficti.*

3. Reg. 10. 1.

Calam. in Auct. & ſupplet. de Labata propoſit. 2.

Dixi, in tantum crevit autoritas, & ſanctitas S. Joannis Baptiſtæ, ut paſſim ab omnibus Chriſtus crederetur, & haberetur; hinc ſolemnis legatio ad eum amandata eſt non plebis, ſed Pontificum & Principum

Syna-

Synagogæ, an ipſe eſſet Chriſtus ? quibus reſpondit : *Veniet fortior poſt me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum illius.* Sed neque hoc ſolvit dubitationem populi ac Principum ; proinde opus erat altiori indagine. Paulò poſt advenit verus Meſſias, & Altiſſimi Filius *JESUS Nazarenus*, id eſt, *floridus*, petens à dilecto Præcurſore ſuo, ut in Jordanis ab ipſo baptizaretur flumine. Et quid Joannes : *Flos campi & lilium convallium ? Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me ?* Interim deſcendunt ambo in flumen, baptizatur Chriſtus, & ſubjungit S. Lucas : *Factum eſt autem, cùm baptizaretur omnis populus, & JEſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum : & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Ecce, inter utrumque florem campi Spiritus Sanctus velut apis argumentoſa debuit diſcernere, quisnam verus eſſet flos, ac Filius Dei ; fuit enim S. Joannes tantæ apud populum æſtimationis, ut, niſi columba illa ſuper Chriſti caput ſediſſet, arbitrati fuiſſent homines, vocem illam : *Hic eſt Filius meus dilectus*, ad Joannem pertinere. O anima Chriſtiana, lætare cum hoc S. Joanne Baptiſta, quem Dominus ad ſummum ſanctitatis, & gloriæ evexit faſtigium, unde ab ipſo ore Veritatis hoc inſigne tulit encomium : *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta.* Gratulare hnic Sancto, & roga ſæpiùs, ut Deum tibi reddat propitium, amicus enim Sponſi eſt.

Luc. 3. 16. Matt. 3. 14. Luc. 3. 21. Matth. 11. 11.

8. Agite, inſpiciamus nunc glorioſum hujus Sanctiſſimi Præcurſoris Domini agonem. Jeremias Propheta, quia Sedeciæ Regi & Principibus ejus veritatem prædicavit, non aliam ab his Proceribus mercedem, quàm carcerem tulit : *Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melchiæ filii Amelech, qui erat in veſtibulo carceris ; & ſubmiſerunt Jeremiam funibus in lacum.*

Jer. 38. 6.

Joſephus, quia caſtitatem defendit, & adulteram reprehendit, à Puthiphare innocens obſcuro carceri mancipatus eſt : *Tradiditque Joſeph in carcerem, ubi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.*

Gen. 39. 20.

Ita & S. Joanni Baptiſtæ accidit, qui inter dracones & aſpides in deſerto ſecurus vivebat, nunc, quia Herodi veritatem dixit, & notam ejus reprehendit libidinem : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, mox in carcerem detruſus eſt : *Vinxit eum in carcerem propter Herodiadem.* O judicia Dei, quanta abyſſus ! Joannes ſanctiſſimus & Chriſti conſanguineus in carcere, & Herodes impiiſſimus in convivio !

Marc. 6. 18.

De Balthaſare refert Daniel, quòd grande ſuis Optimatibus fecerit convivium, in quo unusquisque ſecundùm ſuam bibebat ætatem ; & ubi jam temulentus erat Rex, juſſit afferri vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor Pater ejus de templo, quod fuerat in Jeruſalem, ut biberet ex eis Rex, & Optimates, & uxores, & concubinæ, En !

Dan. 5. 1.

typum

typum in convivio Herodiano expletum, dum Rex temulentus, & Optimates ejus, & concubina ejus adultera non duntaxat vino, sed & innocentis Præcursoris sanguine voluerunt inebriari; in quem finem in Natali hujus sacrilegi Regis adornatum fuit illud grande convivium, ut Joanne è vivis sublato majori cum licentia Rex adulterinis, & incestuosis frui posset amplexibus. Ita D. Hieronymus: *Herodes cum Herodiade ordinavit, quomodo posset Joannem occidere, & invento concordi consilio fecit convivium; in quo filia Herodiadis tripudiaret, quâ saltante finxit, se, Rex, ultra modum delectatum in salutatione illius, moxque jurejurando promisit dare, quod peteret.* Erat autem conventum inter illos, ut caput Joannis Baptistæ postularet. O scelus abominandum! *Tanti causa mali fœmina sola fuit.* Fugite fugite cum Elia hoc malum, fugite similes Jezabeles & Herodiades: *Cujus lingua*, loquitur de Elia S. Chrysologus, *clavis facta est cœli, tanquam reus fugit à facie mulieris; hæc dejicit pueritiam, perdit juventutem, adjicit & inquietat emortuam senectutem.*

S. Hier. in Matth. 14.

S. Crysol. serm. 172.

Marc. 6. 27. *Et misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere, & attulit caput ejus in disco; & dedit illud puellæ, & puella dedit matri sua.* O barbarum spectaculum! Convivium luxuriosum cruentis conditur epulis, & caput à busto rescissum argenteo impiis convivis apponitur in disco. *Et cur disco?* quærit S. Chrysologus, *cur pretiosè gestas, quem viliter occidis?* Et respondet sibi Sanctus: *Nisi quia pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Ecce, quomodo benignus Deus fideles servos suos, etiam in summo ignominiæ gradu honorare soleat. Hîc verificatum fuit illud S. Præcursoris vaticinium: *Illud oportet crescere, me autem minui;* Minutus est Joannes capite, & Christus crevit in Cruce. Natus est Christus mox post solstitium hyemale, quo tempore dies sunt brevissimi. Ecce plùs Christus Altissimi Dei filius humiliare se non poterat, quàm ut inter jumenta nasceretur, & in Cruce inter duos moreretur latrones, & quia de torrente in via bibit, ideo nunc meritò exaltat caput; S. Joannes verò natus est in solstitio æstivo, quo tempore sol est altissimus, plùs enim hîc S. Præcursor Domini ascendere non poterat: *Non surrexit major:* O sanctissime Præcursor! Gratulamur tibi omnes in unum impensissimè te rogantes, ut nobis reddas propitium venturum judicem Christum &c.

S. Chrysol. serm. 147.

Jo. 3. 30.

CON-

CONSIDERATIO XXII.

De Prærogativa, Virtutibus, Vita & Morte S. Petri Apostoli.

Pro Festo S. Petri Apostoli Princ.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. 18.

I.

SI Ecclesia Dei est illa mulier, à dilecto Christi Discipulo olim in Insula Pathmos in cœlo aëreo observata, quòd fuerit *amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*, tunc verus justitiæ sol, quo est amicta, est ipse Christus sponsus ejus, luna nobilior stellis sub pedibus ejus, non ut calcetur, sed ut mulierem, id est, Ecclesiam Dei fulciat, ac sustentet, est B. Virgo, quæ Ecclesiam suis meritis ac precibus, quasi basis & columna fulcit ac sustentat; duodecim stellæ verò ornantes caput ejus, sunt duodecim Apostoli, qui Ecclesiæ Dei ut stellæ præfulserunt, & hoc in capite, id est, in initio Ecclesiæ Christianæ: Inter quas stellas jure meritò principatum sibi vendicat stella matutina, quæ est omnium lucidissima, id est, S. Petrus Apostolorum Princeps, & Christi in his terris Vicarius dignissimus, de quo Ecclesiasticus: *Quasi stella matutina in medio nebulæ.* Apoc. 12. 1. Eccl. 50. 6.

Si Ecclesia Dei est illa domus, quam Sapientia sibi ædificavit, S. Petrus columna est, & fundamentum principale: *Qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Prov. 9. 1. Eccl. 50. 1.

Si Ecclesia est illa navicula in mediis jactata fluctibus, S. Petrus est providus navarchus ad felicem salutis portum eam inter adversa, & prospera secure gubernans, ac ducens. Matt. 8. 14

Si eadem Ecclesia est thesaurus absconditus, pro quo cœlestis negotiator Christus non primam, sed ultimam sanguinis guttam exposuit, S. Petrus est ejus thesaurarius, ac dispensator fidelis, cui tradidit Dominus claves Regni cœlorum. Matth 13. 44.

Matth. 13. 47. Si sæpius dicta Ecclesia est illa sagena missa in mare, ex omni genere pisces congregans, S. Petrus est ille piscator, qui per rete suum (Verbum Dei) magnam, imò innumerabilem concluſit, & cœpit animarum multitudinem: *Sagenam*, ait S. Chrysostomus, *misit in mare, & piscatus est orbem*

S. Chrysost. hom. 4. de verb. Isa.

Si denique Ecclesia est ovile, & oves Christi fideles, S. Petrus est summus pastor, cui Dominus universorum suas concredidit pascendas oves: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Supra quod S. Maximus: *Rectè*, ait, *ei arbiter occultorum Dei Filius pascendas oves suas, tuendasque commisit, cui noverat in nutriendo grege Dominico nec studium deesse, nec fidem &c.* De cujus SS. Principis Apostolorum laudibus, ac virtutibus plura hodie sunt considerandа.

Jo. 21. 15. S. Max. ho. 1. de nat Apostol. Pet. & Pauli.

2. Mirabiliter Deus homines, quos ad perfectiorem statum eligit, ad se vocare assolet. Petrus piscator in Bethsaida natus, & moratus per miraculosam piscium capturam, dum ad verbum Christi ingentem piscium copiam, ita ut rete rumperetur, ad se è mari attraxisset, illicò ad Dominum conversus est: *Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. Et ait ad Simonem JEsus: Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens* Quam mirabilem vocationem Petri, & sociorum ad Apostolicæ vitæ institutum longè antea prævidens Jeremias Propheta vaticinatus est: *Ecce*, inquit, *ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Ratio est, quia mitissimus Dominus per pauperes piscatores voluit convertere Imperatores, Reges, Principes, Oratores, & orbem universum, *homines enim quasi pisces maris.* Disce ex hoc, vocantem Deum sequi; Petrus relictis retibus mox secutus est Dominum, sequere & tu illum, si te vocat ad ardua magni consilii Angelus: *Relinquenda sunt*, ait S. Hieronymus, *retia aranearum, quibus velut culices tenebamur, puta vanitates mundi.*

Luc. 5. 9. Jer. 15. 16. Habac. 1. 14. S. Hieron. in Marc. c. 1.

Quomodo, & quâ ratione Aaron ad summum Pontificatûs apicem in veteri Synagoga à Deo fuerit electus, Sacræ Scripturæ liquidò indicant. Mandaverat Deus, ut quælibet tribus, quarum erant duodecim, ad tabernaculum virgam afferrent aridam, & cujus germinâsset virga, ut ille ad summam hanc eveheretur dignitatem: *Quas cùm posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus invenit germinâsse virgam Aaron.*

Num. 17. 7.

Observa Lector prudens, & nunquid *facta est contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse major?* En! plures jam tunc in Ecclesia Dei ambiebant majoratum. Verùm mirabili modo Incarnata Patris Sapientia hanc composuit contentionem, dum Discipulis suis hanc proposuit quæstionem Theologicam: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Ubi inter duodecim virga arida S. Petri sola floruit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; agnoverat

Luc. 22. 24. Matth. 16. 16.

enim

enim Petrus superiore Spiritu illustratus, quòd Christus sit ille, de quo Isaias vaticinatus est: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini &c.* Proinde jure merito, posthabitis aliis, à Christo ad hunc summum Pontificatûs apicem electus est. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* O Anime mi! Quem tu dicis esse Christum? Si Deum dicis? Ubi est honor & amor ejus? Cur tę & creaturas magìs quàm illum amas? Isa. 11. 1.

3. Et sequitur: *Et tibi dabo claves Regni cœlorum.* Et quare, quæres cum S. Chrysostomo, non Angelis pretiosissimus Orbis Servator has cœli claves commisit? Et nunquid olim Deus post Adami lapsum paradisi claves alicui Cherubinorum consignavit: *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ?* Et quare nunc in novo testamento non pariter Angelis, sed Petro, utpote homini fragili, & labili cælorum claves tradidit? Cur non saltem S. Joanni Baptistæ, aut Evangelistæ, cui & SS. Matrem suam moriens JEsus in Cruce concredidit? *Stant tot innocentes*, ait Optatus Milevitanus, *& peccator accipit claves*, Respondet citatus S. Chrysostomus: *Ideo non Angelis hæc potestas commissa est, quia nunquam peccaverunt, sed homini passibili supra homines ordinatur, ut, dum in aliis suas recolit passiones, mitem apud eos se præbeat & benignum.* O peccatores! erigite animum. En! Petrus peccator præsidet, cœli claves tenet, & Christi Vicarius designatus est, gaudete, quia *habemus hîc Pontificem, qui potest compati infirmitatibus nostris*; Hoc unum adhuc nobis deest: *Si secuti fumus errantem, ut sequamur & pœnitentem.* Matth. 16. 19. Gen. 3. 24. Milevitan. 7 Conc. Par. S. Chrysost. hom. 80. in Matth. Hebr. 4 15.

Fuit autem S. Petrus durius à Christo habitus quàm cæteri Apostoli, ut sic eum ad singulare certamen, patientiam, humilitatem & gloriæ coronam disponeret; hinc eum, cùm paulò ante cœlorum claves ei tradidisset, Satanam appellavit: *Vade post me Satana, scandalum mihi es.* Et quid, quæso, bonus Petrus tunc peccaverat, quòd tam durum à Christo acceperit responsum? Adverte: Christus Dominus tunc cruentam suam prædixerat Discipulis Passionem, & Crucifixionem, cui ignominiosæ morti optimo zelo se opponens Petrus reposuit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc;* voluit enim, licèt ignorans mysterii, impedire Passionem Christi, & consequenter redemptionem nostram, hominùmque salutem, ideo Satan, id est, adversarius appellatus est quia adversabatur Domino: Non tamen ideo à benignissimo Salvatore repulsus fuit: *Nota*, ait Hugo Cardinalis, *quòd non ideo repellitur Petrus, sed sequi jubetur.* Disce hîc, si subinde ob defectus tuos à Superioribus increparis, vel durius cæteris haberis, cum S. Petro patienter ejusmodi tempestates sufferre, *patientia enim est nobis necessaria, ut reportemus promissiones.* Matth. 16. 23. Hugo hîc. Hebr. 10. 36.

Matth. 14. 39. 4. Permisit autem Dominus ad correctionem nostram, ut Petrus in plures laberetur defectus, hinc eum increpavit ob modicam ac debilem fidem, cùm super mare ambulans, vidensque ventum validum, cœpisset mergi, proinde pavidus exclamavit: *Domine, salvum me fac.* Ad quem S. Chrysost. hìc ap. Corn. Christus: *Modicæ fidei quare dubitâsti?* Pereleganter hîc S. Chrysostomus: *Sicut si pullus*, inquit, *cùm antequam volare queat, nido exiens in terram decidat, mater velociter raptum in nidum restituit: Sic tunc Christus cum Petro peregit.* Disce hîc, si tentaris, si tribularis, si cruciaris, pleniore fide ac fiduciâ invocare opem Christi, aderit ille in tempore opportuno; audi Doctorem 2. Cor. 10. 13. gentium: *Tentatio vos non apprehendit nisi humana: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Fuit autem Petrus quàm maximè à Christo reprehensus in monte Olivario, cùm ab eo jussus, ut unà secum in oratione vigilaret, primus in Marc. 14. 37. gravem somnum delapsus est: *Simon dormis? Non potuisti unâ horâ vigilare?* Et nunquid, Domine, & cæteri omnes dormitabant Discipuli? Cur ergo solus Petrus à te increpatur? Resp. S. Petrus Chrysologus, quia cæterorum erat Superior Discipulorum S. Petrus, ideo meliori illis debuisset præire exemplo. Sed & alia adhuc subest ratio, quam observes, rogo: Petrus priùs pro re temporali & caduca, imò pro vilissimo lucro noctes integras inter labores, & curas inanes potuit transigere insomnis; audi Luc. 5. 5. ipsum loquentem: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Nunc Christo in monte Oliveti orante, cùm ipsi pariter esset vigilandum & orandum, ne in aliquam intraret tentationem, nec unam horam potuit in oratione pro animæ salute impendere; proinde meritò à Christo inculpatus est: Marc. 14. 37. *Simon dormis?* Et quid tu ad hæc & ista, anime mi? Quomodo tu vigilas in oratione Dei? An non temporalia potiùs, quàm cælestia quæris & cures? Examina conscientiam tuam, an non sæpiùs similem promeritus sis increpationem: *Simon dormis?*

5. Gravissimus autem fuit Petri lapsus in foro Caiphæ, ubi Chri- Matth. 26. 35. stum ter negâsse perhibetur, ubi paulò ante ad eum dixerat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Et quare, dices, permisit Deus tam S. Aug. s. 24. de Temp. miserandum in Petro lapsum? Resp. S. Augustinus: *Petrus non addidit, cum adjutorio Dei; promiserat quidem, se pro Deo moriturum, sed quid est homo sine gratia Dei? Nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum.* Hîc stans considera, quis ac qualis sis, recedente à te gratiâ divinâ. Sed & hic lapsus inserviebat Petro pro majori humiliatione, animi contritione, cautio- Rom. 8. 28. ne, imò & pro majori gloria: *Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Supra quod idem S. Augustinus: *Diligentibus Deum,* inquit,

inquit, *omnia cooperantur in bonum, etiam peccata ; nam ex casu humiliores, cautiores, & ferventiores resurgunt.* O si & nos! S. Aug. l. de corr. & grat. c. 5.

Moyses Hebræorum Dux ac legifer durissimam petram, & verbo & verbere fregit, ut abundantes populo sitienti subministraret aquas : *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Christus plùs, quàm Moyses duram illam & vacillantem petram, supra quam ædificare voluit Ecclesiam suam, unico obtutu & aspectu in salutares aquas, & copiosas lachrymas convertit : *Et conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras flevit amarè.* Ita nimirum sol, mundi oculus, cùm altissimas petras glacie, & nive rigentes ardentioribus radiis respicit, eas in abundantes aquarum rivos dissolvit, unde lemma : *Solvit, & vidit.* Num. 20. 8. Luc. 21. 61.

Memorandam de hac veritate nobis exhibent figuram Machabæorum libri, ubi Hebræi, cùm in captivitatem Babylonicam ducerentur, priùs sacrum ignem in alto, & sicco puteo absconderunt. Tandem, cùm longo post temporum intervallo ab exilio reverterentur in patriam, & in illa cisterna sacrum illum inquirerent ignem, locò ignis crassam & congelatam, invenerunt aquam, quam super altare cum sacrificio positam sol oriens in ignem ingentem convertit : *Sacrificia, quæ imposita erant, jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsâ aquâ.* Et ecce, ubi *tempus adfuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Sol justitiæ est Christus DEUS noster, qui cùm in atrio Caiphæ Petrum olim fidelissimum Discipulum suum, & ob singularem zelum ignitum, sed nunc ob trinam negationem propemodum in glaciem & aquam crassam mutatum, denuo benigno vultu aspexit, mox in eo extinctum charitatis ignem reaccendit : *Et conversus Dominus respexit Petrum.* Et quid factum est? *Accensus est ignis magnus*, & cujus anima paulò minùs habitâsset in inferno, nunc ad suavissimum JEsu obtutum, & aspectum plenè se colligens errorem agnovit, & ruptis lachrymarum cataractis, culpam suam per omnem vitam deploravit : *Divino vidit intuitu,* ait S. Leo, *& patentis animum mox ut respexit, erexit.* Ita Struthio, teste Berchorio, ova sua, in calido sabulo collocata, tam diu fixo oculorum obtutu intuetur, donec pullis suis intra ovorum sinum etiamnum reclusis per efficaciam aspectûs sui vitam quodammodo impertiatur, unde lemma Picinelli! *Oculis vitam.* O Domine JEsu, respice etiam nos iisdem misericordiæ oculis, quibus Petrum respexisti in atrio, Matthæum in telonio, Magdalenam in convivio, Publicanum in templo, latronem in patibulo : *Protector noster aspice Deus.* Verùm pergamus ad alia. 1. Mach. 1. 21. Luc. 22. 61. S. Leo ser. 9. de Pass. Dom. Berchor. l. 7. c. 17. Ps. 83. 10.

6. Moyses diu quondam à Deo petiit : *Ostende mihi gloriam tuam*, & responsum accepit : *Ego ostendam tibi omne bonum ;* quod tunc adimple- Ex. 33. 18.

tum est, quando stans sub foramine petræ non quidem faciem Dei prætereuntis, sed solummodò posteriora ejus vidit. Felicior S. Petrus qui primus inter Apostolos divinitatem Christi agnovit, & faciem ejus sole splendidiorem non duntaxat in monte Thaboræo, sed quàm maximé post glorioſam Christi resurrectionem primus inter Discipulos conspicatus est: Petro ergo, ait Cornelius, quasi pœnitenti ac lapso, & quasi Principi Apostolorum primò apparuit Christus, ut eum in caverna sua, in qua amarissimè peccata sua deplanxerat, consolaretur, lachrymas abstergeret, & in novam spem erigeret, unde S. Lucas: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Luc. 24. 34.

Dices, quare Christus non primò apparuit S. Joanni, qui tam constans in Passione Dominum suum secutus est, & stans ad radicem Crucis unà cum dolorosissima Matre usque ad finem Passionis constantissimé permansit? Observa, anime mi, hîc summam benignissimi JEsu clementiam, dum primò Petro, qui fugerat, & eum negaverat, se spectabilem reddidit, ut peccatores animaret pœnitentes, & ut ostenderet, quantùm æstimaret pœnitentium lachrymas. Neque exprobravit Petro admissum crimen, sed blandissimè eum consolatus est. Disce, quâ benignitate peccatorem contritum debeas excipere, & quomodo injuriarum à proximo illatarum obliviſci.

Jo. 21. 15. Interrogavit autem Dominus trina vice Petrum, an se diligeret? *Simon Joannis diligis me?* Ad quod Petrus in animo sincero ac contrito: *Domine, tu omnia nôsti, tu scis, quia amo te.* O utinam & ita semper respondere possem pientissimo Redemptori meo! *Tu scis, quia amo te.* Ah infelix ego peccator, quàm longé adhuc absum ab isto perfecto amore! amo potiùs me & commoda mea, quam te, ô mi JEsu! Et si quandoque aliquo intensiore te diligo amore, mox iterum deficio, & tepesco. Adjuva me, ô Domine.

7 Ad hanc trinam amoris confessionem Petrus à Christo destinatur summus animarum Pastor: *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* Jo. 21. 17. Moyses, ubi supremus totius populi Hebraici Pastor à Deo erat designatus, ut eum per desertum in Palæstinam ac terram desiderabilem traduceret, mox in hoc suo regimine ingens onus sentire cœpit, quod ipsâ morte gravius ipsi videbatur; proinde humiliter de tanto conquestus est onere: *Cur imposuisti pondus universi populi super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram; pro qua juráſti patribus eorum?* Num. 11. 11.

Verumenimverò longè majus onus Christus imposuit S. Petro & successoribus ejus, dum eis curam regendi universam Ecclesiam commendavit: *Pasce agnos meos: pasce oves meas*, quas omnes S. Petrus in sinu suo Jo. 21. 17.

pater-

paterno, imò & in corde suo portavit, & pro omnium salute, quantùm potuit, laboravit: *Toti præsidebat Ecclesiæ*, ait Dionysius Carthusianus, *universasque oves suas imò totum genus humanum Christus ei commisit, ac subdidit.* Ex quibus patet, quanto charitatis igne in Deum & proximum flagraverit Petri animus, qui omnes volebat salvos facere, unde nec labori, nec cruori suo pepercit. Disce, si curam animarum habes, qualem pro eis debeas gerere curam. Audi S. Bernardum, quare Christus ter repetierit *Tó Pasce.* Et quare ter? Causam subjungit idem Mellifluus: *Pasce*, ait, *mente, pasce ore, pasce opere.* Et quomodo hoc? Respondet idem: *Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* En! habes hîc ideam veri ac zelosi animarum Pastoris. Si verus Petrinus es, imitare S. Petrum, hic enim est Pater tuus, currus Israël & auriga ejus.

Dionys. Carth ser. 2. de Nat. Ap.

S Bernard. serm. 2. de Resurr.

8. Fuit autem primum miraculum, quod S. Petrus post S. Spiritus missionem patraverat, quòd claudo illi ab utero matris suæ ad portam speciosam templi Hierosolymæ rectum gressum restituerit: *Apprehensâ manu ejus dextra allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ, & exiliens stetit, & ambulavit &c.* Et quare, dices, primum, quod post Christi in cœlum ascensum S. Petrus fecerat prodigium, sanatio prædicti claudi fuit, cùm hæc & plura alia etiam in novo Testamento illis contigerunt in figura? Nota ex S. Ambrosio, D. Petrum primum hoc edidisse miraculum in pedum memorati claudi confirmatione, ut sic ostenderet, se esse fundamentum Ecclesiæ: *Rectè priùs pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita in homine membrorum fundamenta confirmet &c.* Verùm & alia claudicatio membrorum hîc observanda est: *Usquequò*, dicebat quondam Elias ad populum, *claudicabitis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* O quàm periculosa est hæc claudicatio nunc in virtutem, nunc in vitium! &c. Sed & hos confirmat S. Petrus juxta illud Christi: *Simon, Simon, ecce, Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos &c.*

Act. 3. 7.

S. Ambros. serm. 2. de S. Pet. & P.

4. Reg. 18. 21.

Luc. 22. 31.

De Josue perhibetur, quòd per sonitum tubarum civitatem Jerichuntinam non tantùm prostraverit, sed & solo æquârit: *Clangentibus tubis, postquàm in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illicò corruerunt.* Hoc & Gedeon fecit, qui per sonitum tubarum castra Madianitarum evertit, & centum viginti millia hostium unâ nocte confudit & fudit: *Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes, ululantesque fugerunt: Et nihilominùs insistebant trecenti viri buccinis personantes, immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.*

Josue 6. 20.

Judic. 7. 21.

Plus S. Petrus, quàm Josue & Gedeon, qui per tubam sacri Evangelii & verbi DEI cum sociis suis Apostolis, quorum sonus in omnem terram

terram exiêrat, Regnum Diaboli & idololatriæ evertit; hunc enim ob finem ipse, tanquam cæterorum caput, Romam venit, ut ex hac urbe, tanquam totius mundi capite, in omnes alias Provincias & Regna fidem Christianam diffunderet; unde recte S. Leo: *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus diffunderet.*

S. Leo in Nat. S. Pet. & P.

9. De Loth observat Scriptura, quòd, cùm ex urbe Sodoma egressus esset, mox Pentapolis, exceptâ Segor, igne cœlesti fuerit concremata: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo &c.* Et quare, dices, ignis ille cœlestis tam diu tardavit, donec Loth appropinquaret Segor: *Sol egressus est super terram; & Loth ingressus est Segor?* Resp. Abulensis, quòd umbra Loth impediverit cœleste illud incendium, & conflagrantiam Sodomæ, erat enim persona insignis ac longa, hinc longam quoque à se in primo ortu solis projiciebat umbram; *unde Deus*, inquit citatus Abulensis, *non solùm corpori, sed & umbræ ejus hanc reverentiam detulit, ne ignis devastans magis, umbram corporis tangeret.*

Gen. 19. 24.

Abulens. hîc

S. Bernard. serm. de S. P.

Si hoc umbra Lothi, quid dico de umbra S. Petri? Quid potentius S. Petro, ait Mellifluus, cui terra obedivit, dum mortuos reddidit, & mare sub pedibus ejus se calcabile præbuit, qui Simonem Magum Spiritu oris sui in aëre attigit? Et quia tot infirmi afferebantur à credentibus, ut Petrus omnes non posset tangere, nunquid sola illius umbra ad curationem suffecit infirmorum? Audi Scripturam: *Magis autem angebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros: & vexatos à Spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Vide ex hoc, quomodo omnes primi Christiani singulariter in S. Petrum oculos suos defixerint, & quomodo in necessitatibus suis tum animæ, tum corporis ad illum tanquam ad patrem suum magnâ cum fiduciâ accesserint, erat enim supremus thesaurarius gazæ Christi, de quo Vates Regius: *Constituit eum Dominum domûs suæ, & Principem omnis possessionis suæ.*

Act. 5. 14.

Ps. 104. 21.

10. Coronidem huic nostræ Considerationi imponat humilis Mardochæus, sed nunc à potentissimo Persarum Rege Assuero mirum in modum exaltatus; dum enim conjurationem duorum Palatinorum contra Regem subornatam fideliter revelâsset, non duntaxat fides illius in Annales regios relata est, sed & Rex præcepit, ut regiis affectus honoribus, diademate coronatus, & purpurâ indutus, ac regio equo impositus

tus

tus per Ammanum, ſummum Aulæ miniſtrum per plateas civitatis circumcideretur, qui clamavit: *Hoc honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare.* Eſt. 6. 11.

Age, S. Petre, humilis ſerve ſervorum Dei, & Vicarie Chriſti in his terris fideliſſime! Age, inquam, humilis Mardochæe! nunc tempus eſt, ut & tu cum Mardochæo poſt tot exantlatos decumanos labores aliquando exaltêris. Et ecce, equus regius jam paratus eſt, cui imponaris, & corona pretioſiſſimis ornata gemmis te exſpectat, *hoc enim honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare.* Equus ille regius Crux eſt, in quo & qua Rex Regum in monte Calvariæ triumphavit, & tibi ampliſſimam ad ſimilem obtinendam gloriam paravit, hic, inquam, equus te Romæ exſpectat. Et quid ad hoc Petrus? Rogatu Chriſtianorum è carcere Mamertino fugit, licèt Paſſionis cupidiſſimus, ſed non effugit Crucem, dum in via Appia (nunc ante portam S. Sebaſtiani) ei occurrit Chriſtus, ad cujus intuitum Petrus attonitus: *Domine, quo vadis?* & Chriſtus: *Vado Romam iterum crucifigi.* Corn. in Jo. c. 13. v. 36. Ex quibus verbis Petrus intelligens voluntatem Domini ſui, de novo Romam ad carcerem ſuum rediît, & paulò poſt, ubi priùs ad columnam marmoream alligatus acerbiſſimè fuit flagellatus, impii Neronis juſſu in monte prælto, ex quo urbi & orbi adhuc peramanter benedicebat, ferreis clavis crucifixus eſt, de quo D. Chryſoſtomus: *Gaudeas*, inquit, *Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad Magiſtri ſimilitudinem rectâ quidem figurâ, ſicut Dominus noſter, crucifigi voluiſti, ſed magis inverſo capite, veluti è terra ad cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa ſanctiſſima pertranſiêrunt. Tu cum omni fiducia in manus Domini animam tradidiſti, qui aſſiduè ei & ejus Sponſæ Eccleſiæ ſerviiſti, qui ferventi ſpiritu Dominum dilexiſti omnium Apoſtolorum fideliſſimus &c.* S. Chryſoſt. hom. in Princip. Apoſtol. O beatiſſime Pater! quid reſtat? Niſi ut filii tui, licèt indigni, tibi hodierna luce ex toto cordis affectu gratulemur, humiliter te rogantes:

Reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, quam plantavit dextera tua, &c. Pſ. 79. 15.

CONSIDERATIO XXIII.

De Matre misericordiæ B. Elisabetham visitante.

Pro Festo Visitationis B. V.

Intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Luc. 1. 40.

1.

POstquam Beatissima & intemerata Virgo Deum & hominem Christum, Spiritu S cooperante, in purissimo utero suo concepit, rectà S. Gabriel Archangelus, absolutâ legatione suâ ad limbum Patrum se contulit; & quia cœtus ille SS. Patrum per tot sæcula summis cum desideriis desideratum cunctis gentibus exspectabat, ideo per gratissimum Archangeli nuntium dicti Patres miris repleti sunt gaudiis. Interim SS. Virgo tum ob Divinam Filii Dei Incarnationem in se peractam, tum ob insperatum nuntium, quòd cognata sua Elisabetha ex singulari dono Dei in extrema senectute sua conceperit filium, miro repleta gaudio, cogitare cœpit, quomodo eam quam primùm posset invisere, & de tanta gratia divinitùs concessa, illi animitùs gratulari. Abiît ergo *in montana cum festinatione in civitatem Juda*; hoc est in Hebron, *& intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Et quare cum tanta festinatione? Quid, obsecro, Virginem ex solitudine sua tantopere dilectâ extraxit, ut nec asperitate montium, aut longitudine itineris, vel aliâ molestiâ potuerit retardari, quin prodiret in publicum, & sua S. Elisabethæ deferret officia? Resp. Vincentius Brunus, quòd hoc fecerit officiosa ejus & obsequiosa charitas, quæ eam permovit ad ineundam sponte hanc visitationem, & ad tolerandam omnem itineris defatigationem, ut citò per Verbum incarnatum ferret suppetias Joanni in utero materno, adhuc in peccato originali existenti, dum eodem momento, quo Virgo salutavit Elisabeth Spiritûs Sancti gratiâ ab hac communi labe mundatus & liberatus est: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.*

Hadr. Lyr. in Trisag. Mar.

Luc 1. 40.

Vinc. Brunus in Medit. de h. v.

Jerem. 1. 5.

De

De Arca Dei refert Scriptura, quomodo per ejus præsentiam domus Obededom, dum tribus mensibus in ea permansit, mirum in modum à Deo fuerit benedicta: *Nuntiatùmque est Regi David, quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus propter Arcam Dei.* Arca pietatis & gratiæ, ait Doctor Seraphicus, Beatissima Virgo est, in illa asservabatur Manna, in hac panis vivus, qui de cœlo descendit. Arca Dei mansit in domo Obededom tribus mensibus: De B. Virgine & Matre Dei dicitur: *Mansit autem Maria cum illa quasi tribus mensibus.* David coram Arca illa fœderis saltavit totis viribus, quia teste S. Ambrosio ex illo figurante agnovit figuratum, hoc est, SS. Matrem Dei ex germine suo nascituram. Præcursor Domini exultavit in utero Matris suæ præ gaudio, quia & ipse agnovit præsentiam MARIÆ & Verbi Incarnati &c. O mortales omnes, si divinam desideratis benedictionem, hanc misericordiæ Matrem in domum vestram, imò & cor vestrum recipite, *& obviabit vobis quasi Mater honorificata.* Plura de hoc mysterio pro consolatione nostra audiemus. 2. Reg. 6. 12. S. Bonav. in hymno de B. V. S. Ambr. ser. 25. de Sanct. Eccl. 15. 2.

2. Anna Elcanæ, quia ex singulari Dei miseratione Samuelem concepit, exultans Deo hymnum singularem cecinit; & quia Prophetam in utero concepit, Prophetiæ quoque gratiam participavit, unde composuit, & læto animo illud canticum Evcharisticum decantavit: *Exultavit cor meum in Domino meo.* Hoc fecit hodiernâ luce & SS. Virgo ac Mater Christi, dum Spiritu sancto plena ambulans super montana Judææ in simile canticum ob conceptum Orbis Messiam soluta est: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* O præstantissimum omnium canticorum canticum! quia divino Spiritu plenissimum, quod proinde non immeritò Ecclesia quotidie in officio vesperarum solemni ritu decantat, ut pro Verbo Incarnato cum divina Matre Deo Patri gratias agat. O si simili devotione, sicut SS. Deipara, illud decantaremus! 1. Reg. 2. 1. Luc. 1. 46.

Cùm Judith, heroina illa fortissima, cum resecto Holofernis capite in Bethuliam reverteretur, totius populi gratulatione & applausu recepta est, quam Ozias Princeps sic allocutus fuit: *Benedicta es filia Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram &c.* Ad hoc quoque allusit cumprimis S. Gabriel Archangelus, dum Virginem in domo Nazarethana simili ferè modo salutavit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, & hodierna luce S. Elisabeth exclamavit voce magna, & dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Quibus verbis allusit mulier prudentissima & à Spiritu Sancto illuminata ad illud Dei oraculum & promissum Davidi quondam factum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, &c.* Et subjungit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ecce, Elisabetha non suis arrogavit meritis hanc à SS. Dei parente factam visitationem, sed gratiæ inexspectatæ: *Non sui meriti, sed muneris esse fatetur divini*, ait S. Ambrosius. En! formam habes, quomodo agere debeas cum Judith. 13. 23. Luc. 1. 28. Ps. 13. 11. S. Ambr. hic in Luc.

SS. Deipara, Domina nostra, & qua veneratione & altissimo humilitatis sensu ejus Divinum Filium in SS. Evchariſtia excipias, & accipias : *Sancta sanctè.*

3. Achior & Nabath consobrini Tobiæ, ubi post tot casus adversos viderunt tot exinde prosperos Tobiæ successus, cum gaudio venerunt eum visitantes, & ei congratulantes de omnibus bonis à Deo ipsi & domui ejus exhibitis : *Venerunt consobrini Tobiæ gaudentes ad Tobiam, congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus.* Et quis dicet, quomodo sibi invicem congratulatæ sint duæ illæ Matres sanctissimæ, MARIA & Elisabeth, de tam mirando rerum successu ? Hæc, quia matrona erat grandæva, prudens & sancta, à Deo edocta optimè cognoscebat arcanam Verbi Incarnationem in sua cognata factam, unde præ insolito gaudio exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Et illa vicissim eam salutavit : *Pax tecum &c.* O pax, quæ exsuperat omnem sensum ! O si tali pace frueretur cor nostrum & conscientia nostra ! *O peccatores*, subintrat hîc citatus Brunus Asceta devotissimus, *erigite animos, & nolite desperare, si enim tanta est MARIÆ charitas, ut dignata sit visitare Elisabeth, eique licét multò inferiori servire, non dedignabitur quoque ad vos solandos & juvandos venire : nec unquam veniet vacua, quia secum defert fructum sui ventris, hoc est, JEsum Salvatorem nostrum, vitam nostram, & omne bonum nostrum, beati, qui visitantur à MARIA, beati, qui obviam eunt MARIÆ, nam sicut scriptum est: Qui inveniet illum, inveniet vitam & salutem à Domino.*

Tob. 11. 20.

Brunus in Medit. hoc festo.

4. Jam intelligo, qualem sitim quondam Rex David in arce & spelunca Odolla habuerit, dum coram suis militibus non abhorruit publicè exclamare *O! si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem.* Erat tunc temporis intervallo Bethlehem, patria Davidis, in manibus Philistinorum, quam optabat ab hoste extorqueri, & sibi reddi: omnes enim, vel saltem plerique suam amant patriam, unde sitim suam de aqua patriæ desiderabat mitigare; & hic sensus literalis est. Sed & aliud hîc latet mysterium. Resp. Methodius : *Cisterna Bethlehemitica Davidem refocillans, Maria est :* David ergo sitiebat Christum ex stemmate suo & Virgine nasciturum, unde dictus Pater ita SS. Deiparam alloquitur : *Tu Bethlemica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem David desideravit, ex qua immortalitatis poculum cunctis emanavit.* Et ecce, Rex potentissime! completum est votum ac desiderium tuum, post sex menses nascetur tibi Filius David, & Salvator mundi, quem tantoperè desiderâsti. O si tali desiderio anhelaremus ad Christum *desiderium collium æternorum!*

1. Reg. 23. 24.

Method. orat. in Hypapantem

Gen. 49. 26.

1. Reg. 16. 23.

Sed & David per citharam suam à Saule Israëlitarum Rege infestum ejecit Dæmonem : *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat.* Et quomodo per citharam ? Resp.

S. Bo-

S. Bonaventura: *Cithara Spiritùs Sancti Maria est*, vix enim hæc dulcisona cithara in domo Zachariæ audita est: *Pax tibi*, sine mora à S. Joanne recessit malignus Spiritus, qui priùs per peccatum originale illum infestaverat: *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans (Joannes) in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth.* Adverte hîc: *Vox Virginis*, ait Theophylactus, *vox erat in illa Dei*, ad quam Joannes non solùm eodem instanti à labe originali purgatus est, sed & usus rationis illi fuit acceleratus, ut Christum, Deo revelante, in utero Virginis incarnatum agnosceret, humiliter adoraret, ex toto corde diligeret, illique gestu corporis & insolito saltu exhiberet reverentiam. O qualem reverentiam nos facimus coram SS. Evchariştia, ubi idem Deus & Homo Christus nobis præsens existit! heu quàm tepidi hîc sumus, & quàm incurii! *Sursum corda.*

S. Bonav. in Carm. Virg. lit A. Luc. 1. 41.

5. Hic adimpletum fuit illud Salomonis: *Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.* Navis hæc B. Virginem præsignavit, deportans panem suum, id est, Christum, panem vivum, panem Angelicum, panem Divinum, qui de cœlo descendit. Accurrite filii hominum, ut repleamini bonis: *Esurientes implevit bonis.*

Prov. 31. 14 Cornel. hic Luc. 1. 53.

Hîc verificatum fuit illud cœlestis Sponsi ad Sponsam suam purissimam: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Et quare sicut acervus tritici? Unum in utero suo sacratissima Virgo gestabat granum, de quo S. Augustinus: *Ipse Dominus JEsus erat granum mortificandum, & multiplicandum; mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum.* Si ergo unum tantùm SS. Virgo in castissimo utero suo portabat granum, quare venter illius à Spiritu Sancto integro tritici acervo comparatus est? Resp. Vincentius Regius: *Mater*, inquit, *jam erat omnium nostrûm, cùm primum Christi est affecta Mater, in ipso enim Christo omnes nos continebamur, & ideò venter ejus acervus tritici dicitur; unum illa in utero gestabat granum, Christum scilicet, & tamen continebat acervum; nam propterea venter ejus acervus dicitur.*

Cant. 7. 2. S. Aug. tr. 51. in Joan. Vinc. Reg. digress. 1. Moral. de Visit.

Hic completum fuit illud Regii Vatis: *Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit: Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Supra quod S. Augustinus: Quid est veritas, nisi Filius Dei? Quid est terra, nisi caro? Veritas ergo de terra orta est, id est, Christus de Virgine; hæc enim est terra, de qua formatus est verus & secundus Adam; terra, quæ germinat Salvatorem; terra, de qua eductus est panis vivus; terra, quæ dedit fructum suum; terra, quam benedixit Dominus; terra, de qua dicitur: cecidit semen in terram bonam. *Etenim Dominus dabit benignitatem*, hoc est, ostendet misericordiam suam erga genus humanum per Virginem, unde à S. Gregorio Naz. appellatur:

Ps. 84. 12. S. Aug. in hunc Ps.

S. Gregor. Naz. de Christo pat. *Generis humani bonum*; per ipsam enim, & in ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum.

3. Reg. 10. 18. 6. Salomon paravit sibi thronum ex candidissimo ebore & auro mundissimo, in quo sedere, & populi causas audire consueverat: *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis.* Thronus gratiæ, ait B. Albertus Magnus, est Beata Virgo Maria gratiâ plena; unde Apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum ejus gratiæ, Mariæ.

B. Alb. M. serm. de dedicat. Eccl.

Olim columna nubis & ignis Israëlitas deduxit in terram desiderabilem: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.* Supra quod Richardus à S. Laurentio: Maria, ait, hæc columna est, habet enim duo officia, ut protegat à fervore solis justitiæ, tanquam nubes; & etiam contra Diabolum, quasi igneus murus, & contra vitia & peccata &c.

Ps. 104. 39. Rich. à S. Laur. lib. 7.

Virga illa aurea Assueri Regis quondam pacis, reconciliationis, ac misericordiæ signum extitit: *At ille ex more Sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur &c.* Per hanc virgam auream Assueri, inquit Hugo Cardinalis, significata est Maria, de qua in libro Esther dicitur: Quod extendit contra eam virgam auream, & hoc fecit signum clementiæ; sic Deus B. Virginem nobis dedit, ut ipsâ mediante gratiam ejus inveniremus.

Esther. 8. 4. Hugo Card. in Ps. 109. 2.

Finito diluvio fœdus inter Deum, & homines de non ampliùs inducendis diluvii aquis per iridem, seu arcum cœlestem firmatum est: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Per hanc pulcherrimam, & tricolorem iridem, teste S. Bonaventura, præfigurata fuit sacratissima Virgo Maria, ipsa enim est *arcus fœderis in nubibus cœli*, quæ contulit mundo pacem, unde de se ipsa ait: *Inventa sum coram eo, quasi pacem reperiens.*

Gen. 9. 13. S. Bonav. in spec. c. 14 Cant. 8. 10.

Cùm duo illi exploratores à Josue in civitatem Jericho submissi, apud Rachab diverterent, Jerichuntini rem odorati eos statuerunt armatâ persequi manu, quibus tamen, sicut & domui Rachab signum salutis fuit funiculus quidam coccineus, quo mediante salvabantur in ipso urbis excidio immunes: *Si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos &c.* Supra quod pereleganter Rupertus: *Funiculus*, inquit, *coccineus defensionis nostræ B. Virgo est*; quis enim verè Christianus homo speravit in eam, & pudore est affectus? Aut quis hominum ejus imploravit maternam intercessionem, & ab ea derelictus est? Reverâ nullus unquam ait Eutychianus in vita S. Theophili. *Quamobrem ego quoque peccator*, pergit idem, *rogo tuum perennem fontem, ex quo fluunt ad animas nostras curationes; præbe mihi viscera curationum &c.*

Jos 2. 18. Rupert. Abb. hic.

CON-

CONSIDERATIO XXIV.

De Vita & Virtutibus S. Udalrici Episcopi Augustani.

Pro Festo S. Udalrici Episcopi.

Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Tit. 1. 7.

1.

NOn possum capere, quare Elcana in sacra scriptura dicatur *Vir unus*; ita enim habet primus Regum liber, & prima illius verba: *Fuit Vir unus de Ramathaim Sophim de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana.* Et quare *vir unus?* Nunquid etiam illo temporis intervallo plures in mundo fuerunt viri? Fortasse Spiritus Sanctus, qui est Autor S. Scripturæ, ad hoc alluſit, quòd fuerit Vir singularis, egregius, eximius, justus, & sic quasi unus ex multis? Resp. antiquissimus Origenes, ideo Elcanam vocari virum unum, quia sanctus & justus erat; peccatores enim multiplices sunt, nunc læti, nunc tristes; nunc irati, nunc turbati, sed Elcana in utraque fortuna permansit *vir unus*, dum eâdem fronte prospera, & adversa à Deo accepit: *vir unus* omni tempore. 1 Reg. 1. 1. Origenes in hunc loc.

Talis *vir unus* & S. Udalricus Episcopus Augustanus extitit, unus in pace & bello, unus in sanitate & infirmitate, unus in vita & morte, semper in Deum resignatissimus, qui meritò cum Apostolo dicere poterat: *Scio humiliari, scio & abundare; (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati.* Verè fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam Augustanam, dum quasi Abel Deo inserviebat innocentia cordis, quasi Enoch in munditia mentis, quasi Jacob in laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine & regimine, quasi Aaron in Pontificali dignitate, & quasi Elias in ardenti zelo, illud semper animo recolens, de quo omnes Episcopos, & animarum Pastores fideliter monet Apostolorum Princeps: *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* S. Udalrico succinit D. Paulus, hanc Timotheo, Philip. 4. 12. 1. Pet. 1. 5. 3.

1. Tim. 4. 12. Tit 2. 7. theo, Ephesinorum Episcopo, dictans regulam: *Exemplum*, inquit, *esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & castitate.* Et Tito Cretensium Episcopo: *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Ita S. Udalricus fidelibus & formam & normam se præbuit vivendi, de quo SS. Antistite, Diœceseos Augustanæ dignissimo Patrono, plura hodie nobis occurrunt exponenda, & utinam pro viribus imitanda.

2. Nobilitas, quò antiquior, eò & præstantior est, præsertim si virtutibus, ac egregiis adornetur moribus animìque dotibus unde Sapiens: Prov. 31. 23. *Nobilis in portis vir ejus &c.* Ex simili Nobili, imò illustrissima, & antiquissima familia ortum suum traxit S. Udalricus Episcopus Augustanus decimus nonus, à patre Hubaldo Comite Kyburgensi Dilingensi, Witislingensi, & matre Thietburga, Burcardi primi hujus nominis Suevorum Ducis filiâ, anno Christi 890. progenitus. Et, ne malitia in hoc periculoso mundi stadio tractu temporis ejus mutaret intellectum, adhuc puer á piis Parentibus, velut novus Samuel à matre ablactatus, Dei T. O. M. cultui 1. Reg 1. 28. consecratus est: *Commodavit eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*, in quem finem ad celeberrimum Cœnobium S. Galli missus, pio ac religioso viro erudiendus traditus est, sub cujus disciplina mirum in modum non tam litteris, quàm & virtutibus profecit, jam tunc *Sanctuli* Thien 3. 27 nomen promeritus. O quàm *bonum est viro, cùm portaverit jugum Domini ab adolescentia sua!* qui enim huic jugo assuetus est, hic facilè in adversis Matth. 11. 30. erit patiens! *mitis & humilis corde.*

De Tobia observant Sacræ Paginæ, quòd ab infantia in timore Dei Tob. 1. 8. & in observandis mandatis Domini fuerit educatus: *Hæc & similia secundum legem Dei puerulus observabat.* Ita S. Udalricus sub sancta illa disciplina ab infantilibus annis Deum timere didicit, illam pulcherrimam gnomam semper sibi ante oculos ponens, quam olim Deus Abrahamo præscripsit: Gen. 17. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus*; unde neque in ætate virili, ac profectâ ab hac via recta recessit, aspero plerumque cilicio corpus suum castigans, sæpissimè jejunans, esùque carnium penitus abstinens, ac super nudam terram brevissimum somnum capiens interdum tota nocte in oratione Dei pervigil. Disce hîc, quid sit à teneris bonis assuescere moribus & operi- Prov. 22. 6. bus; unde rectè Sapiens: *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* O anime mi! si & tu talibus, & tam sanctis à primis vitæ annis fuisses educatus, & assuetus moribus, fortasse in meliorem evasisses virum. Erige te ipsum, adhuc potes fieri.

3. Noluit quondam pretiosissimus Orbis Servator Christus, ut lucer- Luc. 8. 16. na ardens collocaretur sub vase, aut subtus lectum, ut habet S. Lucas, Matt. 5, 15 neque sub modio, ut scribit S. Matthæus, *sed super candelabrum, ut luceat* Jud. 7. 19 *omnibus, qui in domo sunt.* Ita fecit Gedeon, qui, licèt aliquantisper sub lagenis lucernas suas absconderit, eas tamen in tempore opportuno produxit

duxit in publicum, quarum ſplendore Madianitas terruit, & inſignem ab eis reportavit victoriam. Tales lucernæ ſunt viri ſancti, zeloſi & Apoſtolici, qui non debent abſcondi ſub vaſe, ſub lecto, vel ſub modio, ſed poni ſuper candelabrum, ut prædicatione ſua, & ſanctitatis ſplendore aliis præluceant Chriſticolis, imò & mundo univerſo; proinde mox ſubjungit eadem Veritas Chriſtus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Matt. 5. 16.

Talis lucerna ſplendens & ardens, ſed adhuc ſub vaſe, & lagenâ abſcondita erat quoque S. Udalricus Comes illuſtriſſimus, dum in juventute ſua tot bonis inſtructus exemplis in dicto S. Galli cœnobio ultrò voluntariam paupertatem, caſtitatem & obedientiam amplexus eſt; & dum habitum monaſticum aſſumere ſtatuit, placuit benigniſſimo Numini, ut hæc lucerna non ulteriùs lateret ſub modio, & in abſcondito, ſed ut poneretur ſuper candelabrum, ut omnibus bono præluceret exemplo, qui in domo Dei tunc erant, & etiamnum ſunt, hoc eſt, in Eccleſia Dei omnibus Chriſti fidelibus, ac præſertim ampliſſimæ Diœceſi Auguſtanæ. Hinc Româ redux unanimi conſenſu, ſingulari Dei providentiâ ita diſponente, Auguſtanæ Eccleſiæ, licét invitus & reluctans, præficitur Epiſcopus, anno Chriſti 923. In qua Pontificali dignitate Apoſtoli monitum exactiſſimé ſemper, quoad vixit, implevit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe &c.* Tit. 1. 7.

4. Cum Sennacherib Aſſyriorum Rex Hieroſolymam arctiſſimâ cingeret obſidione, & minaces ac blasphemas ad Ezechiam Iſraëlitarum Regem miſiſſet litteras, ut civitatem traderet, Ezechias ad Deum in animo contrito & humiliato converſus, meruit audire: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* 4. Reg. 19. 34. Et quid factum eſt? Illâ nocte venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia virorum.

Anno Chriſti 955. numeroſiſſimus, & formidabilis Ungarorum exercitus vaſtaverat Auſtriam, Bavariam, & Sueviam; obſeditque Auguſtam Vind. in qua obſidione S. Udalricus civibus, & incolis unico erat ſolatio ac ſubſidio, unde generale jejunium, precèsque publicas ad placandam Numinis iram indixit; & dum pugnabant fortiter milites præſidiarii ac cives contra hoſtiles aſſultus, interim ſine intermiſſione in Eccleſia Cathedrali B. V. à devoto fœmineo ſexu, Virginibus, orphanis, imò & ab infantibus fiebant cum lachrymis preces ad Deum: *Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem &c.* Pſ. 73. 19. Quibus armis Divus noſter cœlum expugnavit, & exercitum Barbarorum fugavit, ubi de novo illud adimpletum eſt: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David* (Udalricum) *ſervum meum.* Vide ex hoc, quanto in pretio haberi debeant viri juſti & Sancti, cùm propter eos Deus civita-

civitatibus, & Provinciis sceleratis parcere soleat. Si decem fuissent justi in Sodomis, non igne cœlesti conflagrâssent miseri, unde Deus ad Abraham: *Non delebo propter decem.*

5. Moyses, ut se contra Amalecitas defenderet, Josue invictissimum belli Ducem ad præliandum contra Amalec amandavit, ipse verò durante
Ex. 17. 3. hâc pugna cruentâ in montem ascendit: *Ego stabo in vertice collis*, inquiebat, *habens virgam Dei in manu mea.* Per hanc virgam Mosaicam, & victricem communiter Interpretes Dominicam Crucem subaudiunt, cujus virtute infernalis Amalec cum exercitu suo victus, & subjugatus est.

En! pulcherrimum typum. Paucis post annis reversi sunt Ungari cum formidabili exercitu in Germaniam, in qua urbes & pagos miserandâ clade, incendiis, rapinis ac cædibus devastârunt. Quid consilii in re tantopere desperata? Venit quidem in succursum Augustissimus Impe-
Jo. 6. 9. rator Otto secundus, se tantùm cum octo legionibus; *sed hæc quid sunt inter tantos?* Et quidem inter tot barbaras inimicas phalanges pluribus hactenus victoriis insolentes? Non despondet animum S. Udalricus Antistes Augustanus, dum Deo fretus, velut alter Moyses, non ense, vel armis, sed virgâ SS. Crucis, quam prius ab Angelo acceperat, munitus, in campo Lyceo occurrit hosti validissimo, & dum interim pugnat Imperator cum hostibus, velut Josue cum Amalecitis, ipse Moysen imitatus *Virgam Dei habens in manu sua*, hoc est, Crucem Dominicam cœlitus dono illi missam, per virtutem ejusdem hostem Gentilem ingenti strage confudit, vicit, debellavit: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ*, in Cruce enim gloria & victoria.

6. Balthasari Regi temulento, & in convivio vasa sacra profananti apparuit manus quædam cœlestis, vel ex aëre condensato, prout volunt in-
Dan. 5. 5. terpretes, ab Angelo assumpta, quæ ei scribebat in pariete sententiam, & simul interitum: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis; tunc facies Regis commutata est &c.* Sed longe felicior S. Udalricus Præsul Augustanus, cui devotissimè quotidie celebranti non tantùm adstiterunt Angeli, sed & ipsa divina manus ei visibiliter apparuit, sacrosancta ejus benedicens, & cum eo Cruces formans; quod, cùm die Paschæ in Ecclesia Cathedrali Augustana solemne Missæ sacrificium perageret, ei coram omni præsenti populo accidit; in quem finem, dum calix in solemni Missa ibidem elevatur, etiamnum hodie à ministrante non pulsari solet cymbalum. Disce, homo Christiane, sacris exhibere venerationem, ac debitam reverentiam: *Sancta sanctè.*

7. Voluit quondam Deus, ut Aaron rationale cum duodecim gemmis
Ex. 28. 29. in pectore gestaret, in quo erat Urim & Thummim: *Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum &c.* Per Urim, ait S. Gre-

S. Gregorius, intelligitur doctrina, quæ in Episcopo, & quolibet animarum Pastore necessariò requiritur, & per Thummim veritas, ac vitæ integritas, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Utrumque habuit SS. Antistes noster Udalricus, & *Urim* & *Thummim*, doctrinam & veritatem, ac vitæ integritatem excellentissimam; unde amœnissimâ Suadâ suâ Regum, Principùmque animos ad bella paratos mirificè composuit, justitiam semper exactissimè observavit administravìtque; plures Ecclesias à fundamentis ædificavit; egenorum, viduarum, ac orphanorum, singularem curam habuit; peregrinos domi epulô excepit, nummis & vestibus donavit; & ut mores suorum Clericorum, ac laicorum cominus investigaret, ipse eques, cùm adhuc junior esset, senex verò curru vectus latissimam suam Diœcesin visitando lustravit, eradicans, & emendans, quod scabiosum & Simoniacum erat, & implantans, quod ad honorem Dei proximìque cedebat salutem. En! quomodo hîc S. Episcopus noster factus sit forma gregis sui, & exemplar bonorum operum in omnibus. Audiant, & imitentur hoc Sacerdotes omnes. S. Greg 2. p. Past. c. 3. Tit. 1. 9.

8. Moyses permagni æstimavit ossa Josephi, quondam Ægyptiorum Pro-Regis, quæ in exitu Israël de Ægypto transtulit in Palæstinam: *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum &c.* S. Udalricus aliquoties Romam profectus est, ut Sanctorum obtineret Ossa & Reliquias, quas impetratas maximâ veneratione coluit, Augustam tulit, & venerationi fidelium exposuit, ut tali Sanctorum exemplo animati, ipsi quoque magìs in fide, & amore Dei accenderentur. Ex. 13, 19.

Elisæus viduæ pauperculæ oleô succurrit: *Non habeo, ancilla tua, quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar &c.* S. Udalricus oleo sacro à se benedicto ægros, surdos, claudos, cœcos & ruptos ungebat, & sanabat. 4. Reg. 4. 2.

Elias mortuum resuscitavit ad vitam: *Et conversa est anima pueri intra eum, & revixit.* S. Udalricus militem innocentem ob violati thori suspicionem à Comite Rhenano obtruncatum, & è terra erutum per ingens prodigium vitæ restituit, qui adhuc 27. annis vitam protraxit in obsequio Dei. 3. Reg. 17. 22.

S. Petrus Apostolus post Christi resurrectionem siccis pedibus super maris undas ambulavit: *Simon Petrus, cùm audisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare.* S. Udalricus pari miraculo super lacum Bodamicum ambulavit, & sicco pede fluvium Tharr exundantem in Italia & Vindam in Suevia cum suo Capellano transmeavit. Denique, ubi mortem prævidit, super cinerem in figuram Crucis consperSum obire voluit, ut morientem in Cruce Dominum suum imitaretur. O felicem sortem, si talem & tu poteris aliquando subire mortem! Jo. 21. 7.

CONSIDERATIO XXV.

De S. M. Magdalenæ mirabili Conversione, & Pœnitentia.

Pro Festo B. Magdalenæ.

Stans retrò secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7. 30.

1.

SI parva licet componere magnis, mihi indigno hodie accidit, quod quondam S. Gregorio M. Pont. Max. & Ecclesiæ Doctori Morali evenit; dum is vice quadam B. M. Magdalenam ad pedes pretiosissimi Salvatoris nostri Christi JEsu humiliter provolutam, & amarissimis lachrymis vitam malè actam deplorantem attentiore mente considerâsset, non potuit se cohibere sanctissimus Pontifex, quin pariter in similes ardentes profunderetur lachrymas; proinde auream suam arripuit pennam, & inter ubertim stillantes ex oculis lachrymarum rivulos hæc Orbi Christiano notatu dignissima reliquit verba, altùm mentibus nostris imprimenda. *Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere; cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* Hoc, inquam (si parva licet componere magnis) & mihi indignissimo hodierna luce contingit, dum flere magis libet, quàm aliquid dicere. Et quis est, obsecro, sanæ mentis homo, qui, dum se peccatorem, prout est, considerat, dignum morte, inferno & damnatione sempiterna, & quòd toties peccando à Deo summo bono recesserit, eùmque gravissimè sceleribus suis offenderit, quis, inquam, est, qui non in similes prorumpat lachrymas, & coram Deo, & Amore suo Crucifixo ad sacratos ejus pedes prostratus cum pœnitente & lachrymante hac peccatrice exclamet: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, ut defleam diebus ac noctibus innumera

S Greg. M. hom. 33. in Evang.

delicta

delicta mea, quibus te, ô amantissime JESU, toties offendi, & provocavi ad iram?

Olim in veteri lege sanctæ, ac devotæ mulieres specula sua Deo dicabant, ut Sacerdotes tabernaculum Domini ingredientes in eis se contemplarentur, & si quid maculosum in eis esset, per fontem abstergerent: *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Subintrat hîc Cornelius: Nota, inquit, priscam devotionem & ritum, quo sanctæ mulieres, præsertim, cùm se totas Dei obsequio dicabant, sua specula & ornamenta, per quæ ante vanitati, & mundo servierant, jam conversæ, secum pariter Deo consecrabant. O felix pœnitens *Maria Magdalena*, cujus nomen per anagramma sonat: *Mala mea grandia*; tu fuisti in his terris simile speculum, in quo omnes peccatrices animæ suas potuerunt intueri, & juxta exemplar emendare, ac eluere maculas. Agite! mortales omnes: nemo mundus à sorde, neque infans unius diei, in peccatis enim concepti & nati sumus: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ergo, si æterna salus seriæ nobis curæ est, hoc speculum hodie, imò sæpius impensiusque consideremus, ut, si secuti simus eam errantem, sequamur & pœnitentem.

Ex. 38. 8.

1. Jo. 1. 8.

2. Duplex via in cœlum est, innocentiæ una, altera pœnitentiæ; viam innocentiæ ambulavit Christus orbis Salvator pretiosissimus, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*; & B. Virgo, ac mater ejus Maria, quæ ab omni culpa originali, & actuali semper extitit immunis, atque nonnuli alii Sanctorum, puta S. Josephus Christi Pater nutritius, & S. Joannes Baptista, S. Jeremias Propheta, & quibus datum est, ut in utero materno à noxa originali sanctificarentur &c. &c. Sed viam pœnitentiæ plerumque omnes tenere debent, qui ad cœlestem, & æternam aspirant beatitudinem, dum nemo mundus à peccato, saltem veniali, proinde omnes indigent pœnitentiâ; unde Veritas Christus: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.*

1. Petr. 2. 22.

Luc. 13. 2.

Inter quos pœnitentes, & salvatos animos hodie S. Mater Ecclesia in singulare speculum proponit M. Magdalenam genere nobilissimam, opibus divitem, formæ gratiâ illustrem, & quia parentes ejus per immaturam mortem citò ab hoc sæculo nequam fuerunt sublati, ideo major sese obtulit licentia, ac libertas deliciis carnis, & mundi hujus immundi vanitatibus indulgendi; unde factum est, ut fræna plena cupediis omnibus laxaret, populòque publicum scandalum fieret; unde S. Lucas non dubitavit eam appellare peccatricem: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.*

Luc. 7. 37.

Apoc. 17. 3. S. Joannes olim vidit *mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem, & mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus.* Per quam mulierem non incongruè Magdalenam, dum adhuc erat in peccaminoso damnationis statu, poteris intelligere, per bestiam autem, habentem capita septem, Dæmonium & septem peccata
Luc. 8. 2. mortalia, quibus erat obsessa Magdalena, unde iterum Lucas: *De qua septem Dæmonia exiêrunt.* Hoc est, ait V. Beda: Christus septem vitia capitalia ab ea expulerat. Ex quibus colliges miserabilem Magdalenæ statum, in quo, tanquam Diaboli mancipium, per duodecim annorum spatium permansit, non absimilis illi Hæmorrhoissæ, quæ immundo
Marc. 5. 25. sanguinis fluxu duodecim annis laboravit: *Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim &c.* Sed tandem & mulier illa, & Magdalena optatum invenit remedium. Utraque Christum cœlestem adiit Medicum: Illa *venit in turba retrò, & tetigit vestimentum ejus, dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.* Magdalena immundi san-
Luc. 7. 38. guinis fluxu in anima laborans pariter accessit Christum retrò: *Stans retrò secus pedes ejus.* Non enim audebat, ut immunda, ejus audire & intueri faciem. *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus*, illius in corpore, hujus in anima.

3. Mulier illa Evangelica, quæ decem habebat Drachmas seu potiùs gemmas, ubi unam per incuriam perdidit, jacturam tam pretiosæ rei advertens, non ampliùs destitit eam tamdiu inquirere, donec tandem illam inveniret; in quem finem evertit & purgavit domum scopis, candelam accendit, aquas sparsit, & inclinata tamdiu quæsivit, donec sum-
Luc. 15. 8. mo animi cum gaudio eam recepèrit: *Quærit diligenter, donec inveniat*; hanc mulierem pulchetrimè expressit Maria Magdalena; perdidit illa drachmam suam (pretiosam animam Dei imagine insignitam) *drachmam Evan-*
S. Gregor. Nyss orat in mul. peccat. *gelicam*, ait S. Gregorius Nyssenus, *quam acceperas, & quâ dives effecta fueras, ignavia tua perdidisti? Pœnitentiæ lucernam accende. Inclinare diligenter; illam in terrenis affectibus defossam conquire; inventam tolle.* Fecit & hoc Magdalena. Et ecce hodie, postquam diligenter & usque ad terram inclinata multis profusis cum lacrymis eam inquisivit, in domo Simonis Leprosi ad pedes Christi JEsu invenit. O quanto animi cum jubilo & inexplicabili ejus gaudio! & quis dubitet, quin Angeli Dei ob tam
S. Bern. in Cant ser. 30. mirabilem hujus peccatricis conversionem singulare festum egerint: *Lacrymæ enim pœnitentium*, ait Mellifluus, *Vinum sunt Angelorum.* Audi Ve-
Luc. 15. 10. ritatem: *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

De

De S. Joanne Apocalyptico refert Scriptura, quòd aliquando aperto cœli oſtio viderit ſedentem in throno, hoc eſt, Filium Dei, & in circuitu ejus viginti quatuor Seniores ſedentes, & *in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Apoc. 4. 6. Per ſedem illam Chriſti gratiam accipe, de qua Paulus: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus.* Hebr. 1. 8. Per mare autem vitreum ſimile cryſtallo Magdalenam ante hunc thronum proſtratam, & in ſuis natantem lacrymis ſubaudi. Imitemur & nos hoc mare cryſtallinum: *Venite, adoremus, & procidamus ante Deum; ploremus coram Domino, quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud &c.* Pſ. 94. 5.

4. Recordor hîc Joſephi Ægyptiorum Pro-Regis, quàm duré quondam ab initio perfidos ſuos fratres tractaverit, cùm tempore famis frumentum empturi in Ægyptum deſcenderent, quos non duntaxat Regionis exploratores appellavit, ſed etiam, ut fures in carcerem conjici juſſit, ubi miſeri in ſe revertentes ſuam cœperunt agnoſcere perfidiam ac peccata, quæ in innocuum olim Joſephum patraverant; *Deus invenit peccatum noſtrum.* Tandem, cùm omnes ruerent in genua, amaris lacrymis ſuam deflentes iniquitatem & afflictionem, non potuit ultrà ſe cohibere mitiſſimus Joſeph, quin pariter cum illis in lacrymas ſolveretur, proinde elevavit vocem cum fletu, dicens: *Ego ſum Joſeph - - - Oſculatùsque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos.* Gen. 45. 3. En! quomodo lacrymæ fratrum Joſephi animum ad compaſſionem & clementiam potuerunt commovere.

Chriſtus plùs quàm Joſeph, ubi Magdalena hortatu Marthæ ſororis ad primam concionem venit, ſeverum ab initio erga hanc peccatricem monſtravit vultum, interim de extremo judicio & pœnis inferni ſempiternis diſſerens, quæ peccatores, pœnitentiam in dies differentes, in mundo altero manerent: *Ibunt hi in ſupplicium æternum; juſti autem in vitam æternam.* Matt. 25. 46. Hinc primus timor, pavor & anxietas in corde Magdalenæ; unde finitâ concione ſine mora abiît in Aulam, & in Aula ad interius conclave ſuum, ubi facto mari lacrymarum pretioſa exuit veſtimenta, inaures & armillas, & nigrum ſaccum induta ſedit in amaritudine animæ ſuæ plorans die ac nocte ſua graviſſima, quibus Deum offenderat, delicta; & quia mala ſua grandia agnoverat, ſtatuit ipſum adire cœleſtem Medicum, cum Sponſa dicens: *Surgam & circuibo civitatem; per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea.* Cant. 3. 2. Et quia intellexit, JEſum amorem ſuum verſari in domo Simonis leproſi, irruit opportunè importunè in convivium; advolvitur ſacratiſſimis Salvatoris pedibus, & quis dicet, quo dolore, quo amore, quibus lacrymis, ſingultibus ac gemitibus? *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Luc. 7. 38. Hîc vidiſſes optimum JEſum, quo-

quomodo velut alter Joseph non se ampliùs potuerit cohibere, sed elevatâ voce, & non sine subortis piis lacrymis hanc pœnitentem mulierem allocutus sit : *Ego sum Joseph, ego sum JEsus*, lacrymæ tuæ moverunt cor meum ad clementiam ; habes igitur placatum judicem : *Remittuntur tibi peccata ; vade in pace.* O lacrymæ, quàm potentes estis ! Et nostræ lacrymæ, ô anima Christiana, ubi sunt ?

5. Peccat Adam, & pœnitenti DEus condonat culpam, sed non pœ-
Gen. 3. 19. nam : *In sudore vultûs tui vescêris pane &c.* Peccat Eva, ignoscit Deus, sed mox pœnam dictat : *Multiplicabo ærumnas tuas &c.* Peccat David, pœnitenti indulget Deus : *Dominus transtulit peccatum tuum*, sed mox pœnam
2. Reg. 12. addit : *Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Peccat Ezechias, ostendens Legatis Regis Babyloniæ thesauros suos ex vana quadam gloria ; pœ-
4. Reg 20. nitet exinde Rex, sed nihilo seciùs illi pœna intimatur : *Ecce, dies venient,*
17. *& auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, &c.* Peccat Jonas inobediens Deo, dolet paulò post animitus in perturbato mari, sed mox in pœnam
Jonæ 2, 1. illi præparatur vivus carcer : *Et præparavit Dominus pîscem grandem, ut deglutiret illum.* Peccat & Magdalena, dolet de peccatis, & absque mora à Deo & Homine Christo remittuntur illi peccata, non tantùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, dum prostrata ad pedes JEsu plenarias lucrata est indulgentias & plenissimum Jubilæum : *Vade in pace.* O felicem peccatricem ! Et quæ causa tantæ gratiæ & insoliti beneficii ?

Jo. Gerson. ser. de quær. rendo Dom. p. 4. Jo. Trith. l. 1. hom. 14

Observat Joannes Gerson, quod lacrymæ de corde verè contrito prodeuntes tantæ sint efficaciæ, ut ipsi Deo quodammodo imperent, ut omnia dimittat, eùmque mitigent, quantumcunque priùs fuerit succensus ; & Joannes Trithemius : Magna, inquit, est utilitas lacrymarum, quia nullum est tam grave peccatum, quòd contritio lacrymis non deleat comitata. Proinde non ampliùs mirandum est, quòd Deus Adamo & cæteris pœnitentibus remiserit quidem culpam, sed non pœnam temporalem, quia, prout observat D. Ambrosius, lacrymæ con-
S. Ambr. serm. 46. triti animi illis deferunt, lachrymæ enim veniam non postulant, sed merentur ; causam non dicunt, & misericordiam consequuntur. Ex quibus facilè erues rationem, quare pœnitenti Magdalenæ à Christo Domino plenissimum jubilæum fuerit insinuatum : *Remittuntur tibi peccata : Vade in pace*, quia *lacrymis suis cœpit rigare pedes ejus* ; lacrymæ enim,
Escobar. l. 3. Coll. Chr. p. 2. sect. 3. ait Escobar, sunt compendiosa via ad sanctitatis verticem & si illæ tibi desunt, saltem ploret cor tuum propter offensum Deum, summum bonum.

Gen 8. 9. 6. Columba à Noëmo quondam post diluvium emissa, cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in Arcam : Extendìtque manum suam, & apprehensam intulit in Arcam. Columba

sedu-

ſeducta aſſiduò gemit, & eſt ſymbolum, teſte Bellarmino de gemitu columbæ, pœnitentis animæ ad Dominum ſuum poſtliminiò redeuntis: unde David non aquilæ, non accipitris, non milvi, ſed columbæ à Deo flagitavit pennas: *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* Pſ. 54. 7. Supra quod egregiè le Blanc: Gemitus ille columbæ eſt dolor pœnitentium, petentium recipi in Arcam Noë, id eſt, in Eccleſiam, in ſtatum & domicilium juſtorum & in cœlum: Dum corvus, id eſt, impœnitens procraſtinans, adhæret cadaveribus.

Talis columba ſeducta, & ad Noëmum ſuum (Chriſtum) rediens extitit & Magdalena noſtra, dum noluit cum corvo diutùs adhærere fætidis, ſpurcis & luxurioſis cadaveribus, ſed *ut cognovit, quòd JEſus accubuiſſet in* Luc. 7. 37. *domo Phariſæi, attulit alabaſtrum; & ſtans retrò ſecùs pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Adverte, *ut cognovit*, avidiſſimè enim ſalutis ſuæ arripuit occaſionem alibi forſan non habituram; & tu, anime mi, tamdiu exſpectas.

De muliere illa Sunamitide, Eliſæi Prophetæ hoſpita, recenſet Scriptura, quomodo in amaritudine animæ ſuæ ad dictum Prophetam venerit, & humi humiliter proſtrata ambos Viri Dei pedes apprehenderit, dicens intra ſe multis cum lacrymis: *Vivit Dominus, & vivit anima tua,* 4. Reg. 4. *non dimittam te.* Voluit autem Giezi eam amovere, ſed non permiſit Eli- 30. ſæus: *Dimitte illam; Anima enim ejus in amaritudine eſt.*

En! typum in hodierno Evangelio expletum. Venit Maria Magdalena in amaritudine animæ ſuæ ad JEſum, apprehendit ambos pedes ejus, & intra ſe dicit: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te;* & cum Sacra Sponſa: *Tenui eum, non dimittam.* Voluit quidem Simon Pha- Cant. 3. 4. riſæus eam à Chriſti pedibus amovere, ſed noluit benignus Dominus hanc à ſe abjicere filiam prodigam & oviculam errantem, nunc denuò ad Paſtorem ſuum revertentem, ſed eam paterno defendit affectu: *Dimitte illam: Anima enim ejus in amaritudine eſt;* quia Deum, omne bonum ſuum, tot offendit peccatis, ſed nunc ſuper omnia, & ex toto corde diligit: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. 47. Charitas enim eſt mors criminum, & vita virtutum.

7. Jam incipiamus Veſperas. Primus in eis Pſalmus ita incipit: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos* Pſ. 109. 1. *ſcabellum pedum tuorum.* Quid hoc eſt? Hunc ipſiſſimum Pſalmum Chriſtus quondam objecit Phariſæis ac Legisperitis, ut illum ſolverent: *Congregatis autem Phariſæis interrogavit eos JEſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? Cujus* Matth. 22. *filius eſt? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in ſpiritu vocat* 41. *eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, do-*

nec ponam inimicos scabellum pedum tuorum? Observa hîc cum S. Hieronymo, quomodo Christus hìc Doctores Judæorum expresse docuerit, Messiam seu Christum non esse purum hominem, ut ipsi autumabant, sed esse Hominem Deum, sive subsistentem in persona verbi; ita enim interpretari, & intelligere nos oportet prædictum Psalmum: *Dixit Dominus*, hoc est, Deus Pater, Domino meo, hoc est, Filio suo incarnato: *Sede à dextris meis*, id est: Sede mihi modò à dextris meis, mecùmque nunc quietè in æquali potestate regna super omnia; *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, usque dum in novissimo die omnes inimicos tuos, quasi scabellum, subjiciam pedibus tuis. Subintrat hîc antiquissimus Origenes, qui per inimicos Christi peccatores subaudit: *DEUS*, inquit, *ponit inimicos Christi scabellum pedum ejus, non ad perditionem, sed ad ipsorum salutem.*

Menoch. in hunc loc. Orig. hîc.

Hæc ad amussim hodie in S. Maria Magdalena sunt adimpleta, vix enim Christus Dominus in ædibus Simonis Pharisæorum Principis discubuit, mox venit nota illa in civitate peccatrix pœnitens ac gemens, & se ipsam faciens scabellum Domini, vim lacrymarum ob admissa delicta profudit, confitens publicè Christum verum Deum ac hominem, & qui potestatem haberet remittendi peccata; proinde tamdiu ad pedes Christi, ut vilissimum scabellum, jacere voluit, donec ab illius ore perciperet illud consolatione plenum: *Remittuntur tibi peccata, vade in pace.* En! hîc formam habes, anima peccatrix, quomodo pari ratione Christi pretiosissimi Redemptoris ac Crucifixi amoris tui debeas fieri scabellum, non ad perditionem tunc in die judicii, sed ad tuam salutem. Imitare proinde S. Magdalenam semper, quasi scabellum ad Christi pedes sedentem: Si consideras hodiernum convivium: *Stans retrò secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus.* Si domum Marthæ sororis ejus: *Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Si suscitationem Lazari fratris ejus: *Videns eum, cecidit ad pedes ejus.* Si Christum in Cruce pendentem: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi.* Si sepulchrum Domini: *Erat autem ibi Maria Magdalena, & alter Maria sedentes contra sepulchrum.* Si Christum à mortuis resurgentem: videns JESUM, procumbit ad pedes ejus, & JESUS ad eam dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.*

Luc. 7. 38. Luc. 10. 39. Jo. 11. 32. Gant. 2. 3. Matth. 27. 61. Jo. 20. 17.

Ecce semper ad pedes Christi jacet Magdalena pœnitens. Et tu quid? Petra illa in Cades bis à Moyse percussa (*Gemina percussio*, subintrat hîc S. Augustinus, *duo ligna Crucis significat*) largissimas profudit undas: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Et cor tuum, ô peccator! durus hac petrâ & saxo existat? Cervus, si vulneratus, vel veneno serpentis infectus est, in fonte vivo salutem suam quærit, ac invenit; & tu, ô! anima Christiana, telo peccati saucia, ac lethifero infecta veneno, non pari modo cum pœnitente Magdalena ad fontem vivum, de Cruce ex

S Augustt. 16. in Joan. Ps. 77. 20.

quin-

quinque SS. Vulnerum canalibus uberrimè in ſalutem tuam promanantem anhelas?

8. Cæterùm mirantur, & quærunt ſacri Doctores, quare B. Maria Magdalena in hac ſua mirabili converſione nec ullum verbum ad Chriſtum pientiſſimum Salvatorem ſuum effata ſit? An fortaſſe præ doloris interni magnitudine linguam ſuam non poterat ſolvere in voces? Et quare non cum muliere illa Chananæa clamavit: *Miſerere mei, Domine, fili David: Filia mea* (anima mea) *malè à Dæmonio vexatur?* Cur non cum eadem Chananæa ad pedes Chriſti ad menſam diſcumbentis proſtrata, ſe pauperculo catello comparavit: *Nam & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum?* Quare non cum filio prodigo filia hæc prodiga dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum & coram te?* Cur non cum Davide pœnitente exclamavit: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine?* Quare non cum Jacob pedes Chriſti tenens, & lacrymis eos rigans, Divinam benedictionem & abſolutionem petiit: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi?* Nihil horum ſacra commemorat Scriptura. Et quare ſaltem non clamavit: O Domine JEſu! propitius eſto mihi peccatrici, en! *abyſſus abyſſum invocat*, abyſſus miſeriarum abyſſum miſericordiarum! peccavi, & malum coram te feci, ſed doleo animitùs, quia Deum meum, ſummum ac unicum bonum meum, offendi, ignoſce, Domine, ah ignoſce! impoſterum millies mori deſidero, quàm in talia relabi peccata, proinde à pedibus tuis non diſcedam, donec audiam illa ſummæ conſolationis verba: *Mulier, remittuntur tibi peccata tua.* Nihil, inquam, horum ad pedes Chriſti locuta eſt pœnitens Magdalena, & tamen à benigniſſimo Domino plenariam conſecuta eſt indulgentiam: *Vade in pace.* O Prodigium!

Matth. 15. 22.
Matth 15. 27.
Luc. 15. 18.
Pſ. 24. 7.
Gen. 32. 26.

Ad dilucidandum hunc ſacrum conceptum, obſerva, quòd tria in homine loquantur etiam ſine lingua & verbis: imprimis loquitur ſanguis innocenter effuſus, ut Sanguis Chriſti & juſti Abelis: *Quid feciſti? Vox Sanguinis fratris tui clamat ad me de Terra.* Secundò loquitur cor humanum; Annam Samuelis matrem conſule: *Porro Anna loquebatur in corde ſuo, tantùmque labia illius movebantur, & vox penitas non audiebatur.* Tertiò loquuntur ad Deum lacrymæ noſtræ, unde David ait: *Auribus percipe lacrymas meas*, & Poëta: *Interdum lacrymæ pondera vocis habent.* Agar interroga, quæ per lacrymas morienti filio à Deo fontem impetravit: *Et ſedens contra, levavit vocem ſuam, & flevit.* Eſau conſidera, qui per lacrymas benedictionem paternam extorſit: *Cùmque ejulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper &c.* Ezechiam attende per lacrymas mortem fugantem, & vitam ſibi prolongantem: *Flevit itaque Ezechias fletu magno &c.* Et nunquid mulier illa vidua in Nain per lacry-

Gen. 4. 10. Hebr. 12. 24. 1. Reg. 1. 13.
Gen. 21. 16. Gen. 27. 38.
4. Reg. 20. 5.

Luc. 7. 13. lacrymas filii defuncti resuscitationem à Christo impetravit? *Quam cùm*
Jud. 7. 18. *vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere.* Cives Bethulienses lachrymæ ab interitu liberarunt: *Factus est fletus & ululatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas unâ voce clamârunt ad Deum, dicentes: Peccavimus &c.*

Ex his colliges, quomodo & lacrymæ apud Deum vocem habeant, & qualiter amarissimæ, & instar rivuli & perlucidi currentes lacrymæ pœnitentis Magdalenæ ad sacratissimum Cor JEsu, plùs quàm millenæ aliæ linguæ, locutæ sint, illùdque divinissimum Cor ad impertiendum delictis veniam, & ad elargiendum gratiam ac misericordiam disposuerint, & inflexerint, non enim tantum aliquas, sed ingentem lacrymarum copiam pro-
Luc. 7. 38. fudit, unde Evangelista: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus*, qui sacratissimi pedes JEsu ex itinere erant pulverulenti, quos nihilosecius lacrymis suis ab-
Pet. Cell. c. 12. luit, & purificavit: *O lacryma!* acclamat Petrus Cellensis, *tu portas refringis inferni, vincis invincibilem, ligas omnipotentem, naufragium es vitiorum, portusque naufragatorum.* Et tu, anime mi, fortasse nec unicam lacrymulam, quòd toties peccatis tuis Dominum ac Deum tuum tam protervè offenderis, hactenus profudisti? ô cautes! ô rupes! temporalia plangis, & æter-
S. Ephrem. ser. de compunct. animi na negligis; quid erit aliquando de te? Audi saltem S. Ephrem: *Ploremus hîc paululùm, ut non plangamus illic æternùm.*

Deut. 28. 66. 9. Olim in Deuteronomio mandavit Deus: *Erit vita tua quasi pendens ante te.* Supra quod S. Leo: *Christus*, inquit, *est vita tua pendens in*
S. Leo ser. 8. de Pass. *Cruce.* Hæc inquam, vita Christus crucifixus semper erit in oculis nostris,
S. Aug. in Joan. c. 6. cujus solus aspectus curare poterit omnia animæ nostræ vulnera: *Fratres*, subintrat hîc S. Augustinus, *ut à peccatis sanemur, Christum crucifixum intueamur, quomodo, qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum. Num. 21.* Et quam gratum hoc pretiosissimo Servatori nostro, ex eo patet, quòd aliquando ad S. Gertrudem dixerit: *Filia, qui*
Barr. in Plan. S. c. 2 exerc. 4. *amanter Crucifixum in vivis intuetur, eum amanter respicere Crucifixus in hora mortis dignabitur.*

O! quis dicet, quo dolore & amore hanc vitam suam in Cruce pendentem in monte Calvariæ aspexerit & contemplata fuerit B. Maria Magdalena? Ploravit illa quidem, prout dictum est, in domo Principis Pharisæorum peccata sua sed nondum tunc temporis gnara, quanto & quàm immenso Divini Sanguinis pretio Christo Domino amori suo statuta essent delicta illa, quæ deplangebat: Verùm, ubi vidit ipsa præsens in Passione Christum in Cruce pendentem, & quinque rosei sanguinis fontes de sacris ejus vulneribus in ablutionem peccatorum suorum, & ad totius mundi salutem scaturientes, quis, obsecro, explicare poterit, quantum tunc creverit in corde ejus dolor & amor, & quibus lacrymis tam indignam

Domi-

Domini sui necem deploraverit; proinde, cùm de ligno depositus fuit mitissimus orbis Redemptor, & pedes ejus clavis perfossos potuit contingere & amplecti, non cessavit ab osculis & planctu, donec lacrymæ in illa deficerent. O pientissime JEsu! simili affectu & amore ac cordis compunctione mihi opus esset, si te vitam meam in Cruce pendentem intueor. Percute, Domine, durissimam petram cordis mei virgâ SS. Crucis tuæ, ut diffluat in lachrymas, quia te, ô summum bonum meum, offendi.

Tandem post gloriosam Christi in cœlos ascensionem secessit B. Magdalena in eremum, ubi 30. annis vitam sanctissimam in assidua pœnitentia, & in summa austeritate, herbis solummodò & radicibus arborum victitans, transegit. Hîc verificatum fuit illud: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, hoc est, prout exponit S. Gregorius M. in SS. Vulneribus, & in Corde JEsu erat habitatio ejus, donec tandem inter choros Angelorum ad divinum Sponsum fuerit assumpta. O felix pœnitentia! quæ tantam gloriam Magdalenæ peperit. Si sequi vis, fac nunc dignos pœnitentiæ fructus. Cant. 2. 14.

CONSIDERATIO XXVI.

De Vita, Prædicatione, & Martyrio S. Jacobi Apost. Maj.

Pro Festo S. Jacobi Apost. Maj.

Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? dicunt ei: Possumus. Matth. 20. 22.

I.

JOseph Ægyptiorum Pro-Rex olim ad fratres suos, in summa egestate frumentum ab ipso flagitantes, quasi ad alienos & ignotos duriùs locutus est: *Exploratores estis &c.* Non, quasi eos non amaret, ait S. Gregorius M. imò ad hoc eum compulit summus amor, ut eos per adversa exerceret & ad saniora excitaret consilia. Voluit autem Joseph quàm maximè adversis exercere Benjamin juniorem fratrem suum, cui occultè calicem suum in saccum mitti jussit: *Scyphum* Gen. 42. 14. Gen. 44. 2.

autem meum argenteum, & pretium, quod dedit, tritici, pone in ore sacci junioris, ut sic occasionem captaret, eum quasi furem tractandi & capiendi, quod & factum est, sed ad bonum Benjamin &c. Ecce mirabilem agendi modum Josephi Patriarchæ cum fratribus suis, quos quidem justè ob scelus olim in ipsum commissum punire poterat. Sed quid, obsecro, peccavit Benjamin frater ejus uterinus & innocentissimus, ut eum tanquam furti reum constitueret? Resp. S. Ambrosius, *Scyphum misit, ut fratrem, quem dilige-*
S. Ambr. lib. de Joseph. *bat, piâ fraude revocaret, reum statuit rapinæ, ut obsidem teneret gratiæ &c.*
Prov. 3. 12. Unde eum ten errimè amplexans cæteris prætulit fratribus &c. O amor!
Apoc. 3. 19. *diligit & corripit.*

Ita prorsus agit Deus cum amicis & dilectis suis: *Amat & castigat,* duriùs præ cæteris illos tractando, & calicem Passionis suæ eis propinando, ut eos magis evehere, & exaltare possit in æterna gloria. Exemplum hodie habemus in S. Jacobo Apostolo Majore, filio Zebedæi, & Mariæ Salome, fratre S. Joannis Evangelistæ, & Christi cognato secundùm carnem, cui benignus Dominus, quia ambitioni plusculùm indulserat, sed mox correptus respuit, calicem Passionis suæ (sicut quondam Joseph suo Benjamino) inter omnes Apostolos primò in saccum misit, in-
Matth. 20. 22. terrogans eum: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Audi responsum: *Possumus.* Observa hîc specialem honorem à Christo S. Jacobo exhibitum; dum enim ipsemet Dei Filius primus calici Passionis suæ labia applicuisset, inter omnes Apostolos dilecto cognato, & Discipulo suo Jacobo eundem Passionis calicem propinavit, & consignavit, *ut illum,* ait
Salmer. To. 12. tr. 35. Salmeron, *citiùs in cœlum subduceret, ut gratum esset spectaculum sanctis Angelis suis cupientibus jam secum aliquem Apostolorum Christi videre.* Plura impræsentiarum de hoc sanctissimo Viro nobis hodie sunt dilucidanda.

2. Mirabiliter Deus hominem ad se de hoc sæculo nequam vocare assolet. Baruch Propheta commemorat, quàm citò omnes creaturæ etiam
Baruch. 3. 33. Matth. 5. 45. inanimatæ Deo vocanti, & mandanti obediant: *Qui emittit lumen & vadit, & obedit illi in tremore.* Hoc lumen sol est: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos;* Obedit autem sol mundi oculus Deo Creatori suo cum tremore, hoc est, celerrimè, & ad omnem nutum, ac si Dominum, ac Deum suum agnosceret. Postea descendit Propheta ad stellas ac plane-
S. Bonav. hexam. ser. 20. tas, dum subjungit: *Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt; vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus; & luxerunt ei cum jucunditate.* Supra quod egregie Sanctus Doctor Seraphicus: *Stellis,* inquit, *anima comparatur, quando vocatur à Deo per inspirationem, & ipsa currit per desiderium.*

Talis quoque stella fuit S. Jacobus Major in Compostella, quàm
Matth. 4. 21. citissimè Christo vocanti ad mare Galilæum obtemperans: *Et procedens*

inde

inde vidit alios duos fratres Jacobum, Zebedæi Filium, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos: illi autem ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum. Subintrat hîc S. Gregorius Magnus; Ecce, inquit, nulla adhuc Dominum miracula facere viderant; nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audièrant: & tamen ad unum Domini præceptum, hoc, quod poſſidere videbantur, obliti ſunt. Quanto nos ejus miracula videmus? quot flagellis affligimur? quantis minarum aſperitatibus deterremur? & tamen vocantem ſequi contemnimus &c. Audis hoc anime mi? Time, ne aliquando audire debeas: *Vocavi, & renuiſti &c.* S. Greg. M. in hom. hîc. Prov. 1. 24.

3. Tres fideliſſimos ſibi quondam elegit amicos Rex David, qui contempto omni vitæ periculo, per caſtra hoſtilia usque ad ciſternam Bethlehemicam penetrârunt, ut ei deſideratam afferrent aquam: *Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſtinorum, & hauſerunt aquam &c.* Chriſtus Filius David, & plus quàm David, tres quoque peculiares ſibi in vita ſua ſelegit amicos, quos ut plurimùm ſecum voluit habere præſentes, hoc eſt: Petrum, Jacobum & Joannem, Filiam Jairi Principis Synagogæ mortuam ad vitam revocaturus tres prædictos Apoſtolos elegit, ut teſtes eſſent hujus mirabilis reſuſcitationis à mortuis: *Et cùm veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem.* Ubi in monte Thabor transfiguratus eſt, ſolùm his tribus Diſcipulis tanquam ſelectioribus gloriam ſuam oſtendit: *Et poſt dies ſex aſſumit JEſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* In monte Oliveti precaturus ad Patrem, & ſuam manifeſtaturus triſtitiam, eosdem Diſcipulos præſentes habere voluit, ut teſtes eſſent ſanguinei ſudoris, quemadmodùm priùs fuerant in monte Thaboræo divini ſplendoris: *Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe &c.* Obſerva hîc, anime mi, quomodo pretioſiſſimus orbis Redemptor Chriſtus his tribus Apoſtolis tanquam familiaribus ſuis maxima ſecreta manifeſtaverit, atque commiſerit, & quia priùs in Transfiguratione ejus viderunt gloriam, nunc quoque viderent illius agonem & dolorem, & ſic diſcerent, viam ad gloriam eſſe hîc Paſſionem: *Cæteros*, ait hîc Origenes in perſona Chriſti, *ſedere juſſit ut infirmiores, vos ut firmiores volo collaborare mecum in vigiliis & orationibus.* 2. Reg. 23. 16. Luc. 8. 51. Matth. 17. 1. Matth. 26. 37. Origenes in hunc loc.

4. Recordor hîc illius Jacobi Patriarchæ, de quo recenſet Scriptura, quòd à matre ſua Rebecca, quia mitis, lenis, & ſuavis erat moribus, plurimùm fuerit dilectus, cui & benedictionem ſingularem ab Iſaac Patre ſuo obtinuit: *Rebecca diligebat Jacob &c.* S. Jacobus noſter, quantùm à B. Maria Salome Matre ſua, & cognata B. V. MARIÆ fuerit dilectus, ex Gen. 25. 28.

eo

eo patet, quòd pro eo, & filio suo juniore CHRISTO Domino supplicem
Matth. 20. 21. libellum obtulerit : *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.*

Sic Bethsabee à Davide Rege, annis, laboribus, & infirmitate fatiscente, impensissimè postulavit, ut non alium Regni Successorem, quàm
3. Reg. 1. 16. filium suum Salomonem declararet : *Inclinavit se Bethsabee, & adoravit Regem ; ad quam Rex : Quid tibi, inquit, vis? quæ respondens, ait : Domine mi, tu jurâsti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo &c.* En! alteram Bethsabeam in Salome, Matre filiorum Zebedæi, conditione quidem inferiorem, sed in petitione sua non minùs audacem : *Dic, ut sedeant &c.*

Voluit nimirum hæc mulier sagax, ut filii sui essent in Regno Chri-
Gen 41. 40. sti, ut Joseph sub Pharaone, Pro-Reges: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet ; uno tantùm Regni solio te præcedam.* Voluit, illos esse, ut Danielem in Regno Darii Persarum Monarchæ :
Dan. 14. 1. *Erit autem Daniel conviva Regis, & honoratus super omnes amicos ejus.* Voluit, illos esse, ut Mardochæum sub Assuero potentissimo centum & viginti septem
Esther. 6. 11. Provinciarum Imperatore, de quo Scriptura : *Hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare.*

Sed durior fuit Christus huic mulieri, quàm speraverat, quia noxia petebat, & periculosa: *Nescitis, quid petatis &c.* Fuit tamen in hoc exau-
S. Th. Vill. ser. de hoc Sancto. dita, subintrat hîc S. Thomas Villanovanus : *Ad minus in hoc Regno cælorum, id est, Ecclesia, petitionem illorum impletam videmus, nam Joanni sedes data fuit in Asia, quæ ad dextram Jerusalem, & Jacobo in Hispania, quæ est ad sinistram partem &c.* Disce, anime mi, fugere ambitionem, quia Regnum Dei non consistit in honoribus, prælationibus, & dignitatibus terrenis, sed in sequela Christi, in contemptu rerum sæcularium, & in mortificatione immoderatorum affectuum : *Nescitis, quid petatis*, dicebat Christus notis illis suis amicis ac Discipulis, ubi aliis volebant præesse.

5. Laudatur in Scriptura zelus Moysis Hebræorum Ducis, dum descendens de monte, & audiens vocem in castris cantantium, cernènsque
Ex. 32. 19. vitulum aureum à populo adoratum justo succensus zelo : *Projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis : arripiénsque vitulum, quem fecerant, combussit & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, dedit ex eo potum filiis Israël.*

Commendatur & zelus Phinees, Eleazari, dum perfodit virum cum
Num. 25. 11. muliere Madianitide : *Phinees filius Eleazari Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Israël : quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo.*

Jehu

Jehu Rex Iſraël, licèt non adeò bonus, multùm tamen commendatur, quia impium ſemen domûs Achab delevit, & Prophetas Baal interfecit, atque idoli illius ædes deſtruxit: *Delevit Jehu Baal de Iſraël &c.* 3. Reg 10. 28.

Prædicatur & Elias propter zelum ſuum eximium, dum duos illos quinquagenarios ab Ochozia Samariæ Rege ad ſe capiendum ſubmiſſos, igne cœleſti cum ſuis aſſeclis conſumpſit: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* 4. Reg. 1. 10.

Conſideremus nunc S. Jacobi, & fratris ejus Joannis zelum. Pergebat Chriſtus ad feſtum Scenopegiæ in Jeruſalem, & miſit nuntios ante conſpectum ſuum, ut in civitate Samaritanorum ſibi, & comitibus parарent hoſpitium ac cibum. Verùm Samaritani, inhumani incolæ, non receperunt eum &c. Altum hîc erat cæterorum Diſcipulorum ſilentium, ſed S. Jacobus & Joannes, filii Zebedæi, ut oſtenderent, ſeſe eſſe *Boanerges*, hoc eſt, filios tonitru, ſingulari commoti zelo, quia ſciebant, Chriſtum eſſe Filium Dei, ac proinde infinities majorem Eliâ &c. hanc injuriam igne cœleſti volebant vindicari, unde petiêrunt: *Domine, vis, dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Collige ex hoc, anime mi, inſignem zelum, quo ardebat S. Jacobus noſter, ut Chriſti Domini ſui defenderet honorem. Sed aliter mox fuit edoctus à Chriſto: *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Quod & impoſterùm S. Jacobus fecit, prout patebit ex ſequentibus. Diſce hîc, quisquis es, homo Chriſtiane, zelo diſcreto uti; indiſcretum devita; eſt enim modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos ultrà, citràque nequit conſiſtere rectum. Juvat hîc audire S. Iſidorum: *Quidquid*, inquit, *cum diſcretione feceris, virtus eſt; quidquid ſine diſcretione geſſeris, vitium eſt.* Luc. 9. 54. S. Iſidor. Soliloq. c. 16.

6. Pergamus ad alia. Jacebat Iſaac Patriarcha præ ſenio & corporis debilitate in lectulo ſuo, ad quem Jacob filius ejus natu minor: *Surge, ſede & comede*, cui ſenex pater: *Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem, utrùm tu ſis filius meus.* Per iſtum attactum in ſacra Scriptura tribulationes, cruces, afflictiones, & calamitates ſignificantur, quibus Deus dilectos, & electos filios ſuos in hac mortali vita probare aſſolet, juxta illud Jobi: *Quia manus Domini tetigit me.* Ecce, manus Domini ſi tangit te, probatio fidei tuæ eſt, & ſignum divinæ electionis. Gen. 27. 19. Job. 19. 21.

Accede & tu, mi Jacob Apoſtole, fili Zebedæi, ut tangat te Chriſtus, qui per Iſaac præfiguratus eſt, te, inquam, conſanguineum ſuum, præ cæteris Diſcipulum dilectum; accede: *Potèsne bibere calicem, quem ipſe bibiturus eſt?* Reſponſio in promptu eſt: *Poſſum* per gratiam Dei. Enimverò bibit calicem Domini, ad omnia adverſa pro amore Chriſti & proximi ſalute perferenda, paratiſſimus. Matt. 20. 22.

Petrus & cæteri Apoſtoli ab initio multùm dubitabant an ad gentes ſe vellent conferre interim relictâ Palæſtinâ; atque ut magìs animaretur

retur Petrus, opus illi fuit revelatione, quam habuit de linteo de cœlo demisso, in quo omnis generis immunda reperiebantur animalia: *Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum. Et vox iterum secundò ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris &c.* Act. 10. 13. Per immunda illa animalia Petro ostensa fuerunt adumbrati gentiles. Verùm S. Jacobo Apostolo Majori non opus erat ejusmodi revelatione, dum primus inter cæteros Discipulos omnes post missionem Spiritûs Sancti per mare & terram firmam usque ad Hispaniarum gentes penetravit, ut & illis remotis nationibus fidem Christi JEsu crucifixi annuntiaret.

7. Generosi illi milites Gedeonis Israëlitarum Ducis, ut hostilia Madianitarum everterent castra, & ab efferatis illis gentibus insignem reportarent victoriam lampades accensas, cùm instaret prælium, volebant tenere manibus, tubàsque sonoras omnes simul inflare oribus, quibus terrebant hostem, ut seipsum in nocte intempesta in summa trucidaret confusione, in quo tumultuoso conflictu centum & viginti millia occubuerunt: *Insistebant trecenti viri buccinis personantes; Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutuâ cæde trucidabant &c.* Jud. 7. 22.

S. Jacobus Apostolus M. ut castra inimica Principis infernalis subverteret, comprimis tubam sacri Evangelii in Judæa, quia potens erat opere & verbo, & exinde in Hispaniæ Regionibus inflabat ore quo novo ac prorsùs insolito sonitu multorum Hebræorum, & gentilium perterruit aures & animos, ut ad Deum verum, & vivum, & unigenitum ejus Filium Christum JEsum, & hunc Crucifixum converterentur. Sed & lucernam ardentem in manibus tenuit, hoc est, exemplum bonum & bona opera, quæ in concionatore summè sunt necessaria, quibus suis Neophytis prælucebat; unde Ecclesia de illo in Lectionibus: *Post JESU Christi ascensionem plurimos ad Christianam fidem perduxit.* Quid ergo mirum, quòd jam tunc infernalium Madianitarum castra destruxerit, quia sermo ejus erat tonitru, & vita fulmen?

Jacobus ille veteris testamenti de se ipso gloriabatur: *In baculo meo transivi Jordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.* Gen. 32. 10. Noster quoque Jacobus novi testamenti Jordanem judicii, & torrentem Passionis pertransiit, & cum duabus turmis, Judæorum videlicet & Hispanorum, quas DEO lucratus est, in cœlestem Patriam inter omnes Apostolos primus intravit.

8. Sed dices, quare S. Jacobus noster tanto cum desiderio, & tam citò ad martyrii anhelavit & properavit coronam? Resp. quia paucis abhinc annis in monte Thaboræo præsens erat glorioſæ Christi Domini sui Transfigurationi, ubi eum audierat cum Moyse & Elia de excessu qui-

quidem futuræ Paſſionis ſuæ loquentem, ſed & interim conſiderabat immenſam ejus gloriam, quæ illi animum addidit, omnia impoſterum adverſa pro tam immenſa adipiſcenda gloria, & viſione DEI beatifica æternùm fruendâ læto animo perferendi, proinde ſine mora ad calicem Paſſionis bibendum ſe obtulit: *Poſſumus*, illud S. Pauli ſecum in animo ruminans: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Proinde cupiebat ſæpiùs ab hoc ſæculo nequam diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: hinc in concionibus ſuis cæteris Chriſti Diſcipulis audientior erat & ferventior, quod audiens Herodes Rex, ut gratiam faceret Judæis, Jacobum à militibus teneri, & incarcerari fecit, mox in illum ferens capitis ſententiam, ut die 25. Martii, quo die & Chriſtus crucifixus eſt, è medio tolleretur: *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio: Videns autem, quia placeret Judæis, appoſuit, ut apprehenderent & Petrum.* 2. Cor. 4. 17. Act 10. 2.

De Chriſto pientiſſimo Salvatore noſtro obſervant Sacri Scriptores, quòd peculiari charitate dignatus ſit, complecti proprium ſuum traditorem, unde illum tractavit in menſa per tres annos, & quid ampliùs, non ignorans, quòd per ipſum tradendus eſſet in mortem; In ultima cœna illi ſordidos pedes lavit, linteo exterſit, & oſculatus eſt, ac tandem, cùm nunc in horto ab eo traderetur in manus peccatorum, amiciſſimè eum complexus & allocutus eſt: *Amice, ad quid veniſti?* Ita & S. Jacobus Apoſt. unus é primariis tribus Apoſtolis, adeòque è columnis Eccleſiæ, Joſiam inimicus, & accuſatorem ſuum peſſimum, qui primus ſummo cum furore & rabie in S. Apoſtolum manibus involavit, cùm nunc ad mortem inter militum catervas duceretur Apoſtolus, videns illum de longè ſummo amore, & animi teneritudine amplexatus eſt, atque ſanctitate ſua, & conſtantia ita obſtupefecit, ut illum non tantùm ad Chriſtum converterit, ſed & Martyrem effecerit. Juvat hìc audire S. Clementem Euſebium: *Is ſanè*, inquit, *qui eum ad tribunal duxerat, cùm martyrium ſubiturum cerneret, eâ re motus, & ſe Chriſtianum eſſe ultrò confeſſus eſt. Ducti ſunt igitur ſimul uterque. Ille verò in itinere petiît, ut ignoſceretur ſibi à Jacobo. Hic cùm parumper deliberâſſet: Pax tibi, inquit, & oſculatus eſt eum: atque ita ſimul uterque decollatus eſt.* Ecce, quomodo dilectio inimicorum lydius lapis ſit ad dignoſcendos filios Dei; *Diligere inimicos*, ait Mellifluus, *magìs divinum eſt, quàm humanum.* Matt 26. 50. S. Clemens Euſeb. l. 2. hiſt. c. 9. S. Bern. l. de Paſſ. D. c. 11.

Audiens Centurio, quòd Chriſtus in Cruce pro ſuis inimicis & crucifixoribus orâſſet: *Pater, dimitte illis*, mox in alium hominem converſus eſt, unde publicé exclamavit: *Verè hic homo Filius Dei erat.* Et quid tu facis in tali puncto? Si offenderis, quid dicis? O quàm ſunt diſſimiles cogitationes & affectus noſtri &c. Marc. 15. 39.

9. Cæterum commendatur in Canticis Aminadab Princeps tribûs Ju-

da, qui tempore Moysis in transitu maris rubri, ubi cæteri omnes trepidabant, mare virgâ Mosaicâ divisum ingredi, primus post Moysen cum tribu sua & quadrigis illud ingressus est, & ita heroico illo actu cæteris animum fecit, ut sine ulteriore formidine per maris undas ipsum sequerentur; unde de illo Sponsa: *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Cant. 6. 11.

Quod olim in exitu Israël de Egypto fuit Aminadab inter duodecim tribus Israël, hoc in novo Testamento extitit S. Jacobus Major inter duodecim Apostolos, qui aliquando judicaturi sunt duodecim tribus Israël; hic dum vidit Moysen, Christum Dominum suum per mare rubrum Passionis suæ transeuntem, mox ille sequi voluit, & primus inter cæteros Apostolos secutus est; quod videns Petrus, qui immediatè post Jacobum captus & incarceratus est, altero post die simili capitis pœna damnandus, tantâ cum lætitiâ & animi solatio hanc mortis acceptavit sententiam, ut illa nocte ultimâ suaviter inter catenas indormiens flocci curaret omnes hujus mundi pœnas: *Erat Petrus dormiens inter duos milites &c.* Act. 12. 6. Disce hîc, quale solatium sit homini verè Christiano, si mentem & conscientiam habet securam, tum talis homo semper paratus est vivere, vel mori, prout Deus noverit magìs expedire pro majore SS. Nominis sui gloria.

10. De fortissimo Samsone dicit Scriptura: *Multò plures interfecit moriens, quàm ante vivus occiderat.* Jud. 16. 30. Hoc quoque de S Jacobo vice versâ dicere possumus, quòd multos in Judæa & Samaria vivens vivificaverit, & ad Christi fidem per suam prædicationem & exemplum bonum perduxerit, sed moriens multò plures & ferè innumeros in Hispaniarum Regnis à morte peccatorum ad meliorem vitam suscitavit.

Rem miram accipe. Cùm aliquando S. Apostolus adhuc vivens extra civitatem Cæsar-Augustanam in Hispania juxta ripam Iberi fluvii sederet tristis & amarè plorans, quòd tam paucas ad Deum reduxisset animas, advertit subitò clarescere cœlum, vocésque Angelorum inaudiît: *Ave gratiâ plena &c.* Erat autem tunc temporis B. Virgo adhuc viva in Jerusalem; dum ergo Apostolus adhuc hæret attonitus, videt ipsam sacratissimam Virginem Angelorum ministerio in clarissima nube apportatam, quæ hunc dilectissimum cognatum suum affectu planè materno consolata est, ne ex paucitate Neophytorum adeò contristaretur, hoc enim Deum ad majorem nominis sui gloriam, & Jacobi meritum, ac Dominici calicis participationem permisisse & ordinâsse; futurum autem, ut à morte & Passione illius hoc Regnum amplissimum totum quantum ad fidem Catholicam converteretur, duraturùmque in fidei susceptæ constantia usque ad mundi finem. Quibus dictis Virgo videri desiît, rursùsque Angelorum manibus Hierosolymam translata est. Jacobus autem optimè consolatus in illo loco in honorem SS. Dei genitricis primum templum ædificare cœpit, & perfecit;

fecit; exinde Dei nutu de novo Hieroſolymam profectus eſt, ubi martyrii palmam meruit inter omnes Apoſtolos primus accipere, cujus ſacrum corpus Diſcipuli de nocte ſuſtulerunt, & ad littus maris properantes, navim divinitùs præparatam invenerunt, in quam deſcendentes DEO duce feliciter in Gallicia applicuerunt, ubi in honorem illius ampliſſimum templum ædificârunt, peregrinorum undequaque confluentium devotione glorioſiſſimum.

De Eliſæo Propheta commemorat Siracides: *Mortuum prophetavit corpus ejus.* Et quomodo, dices, mortuum Eliſæi corpus poterat prophetare? Reſp. quòd mortuus mortuum reſuſcitaverit, prout patet 4. Reg. 13. 20. Ita, ſubintrat hîc Dionyſius Carthuſianus, mortuum corpus S. Jacobi Compoſtellani adhuc hodie prophetare ſolet: *Qui poſt mortem ſuam tam multa & magna, tam præclariſſima, ſoliique Omnipotenti poſſibilia fecit miracula, inter quæ etiam plures ſuſcitavit defunctos &c.* An non igitur hîc jure meritò de S. Jacobo dicere poſſumus illud Iſaiæ Prophetæ: *Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Quid ergo reſtat, niſi ut huic glorioſiſſimo Apoſtolo, qui toties Hiſpanos ſuos albo vectus equo contra Maurorum incurſus defendit, ex animo gratulemur, eùmque impensè rogemus, ut & nobis in ſuprema illa lucta, ex qua pendet æternitas, adeſſe dignetur &c.

Eccl. 48. 14.

Dionyſ. Carth. in ſerm. de S. Jac.

Iſa. 11. 10.

CONSIDERATIO XXVII.

De S. Anna, Matre B. V. Mariæ digniſſima.

Pro Feſto S. Annæ.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es universas. Prov. 31. 29.

1.

PEr me licet: Laudent Hebræi ſuam Saram, quæ multarum gentium mater eſſe meruit, dum Iſaac filium ſuum in ſenectute genuit; unde monet Iſaias: *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis;* & ſtatim myſterium explicans ſubdit: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos &c.*

Iſa. 51. 1.

Laudent, & supra astra extollant Bethulienses suam Judith, præclaram natalibus, ætate juvenem, pulchritudine mirabilem, divitiarum contemptricem, pietate præstantem, cujus eximia forma cum pari certabat virtute, proinde à Deo ad hoc heroicum facinus, ut de Holoferne triumpharet, & Israëlem à perditione liberaret, electa est: *Benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri &c.*

Jud 15.10.

Extollant Judæi suam Esther ob singularem in Deum timorem, animi puritatem, sinceram in populum suum charitatem, orationis & jejuni studium conspicuam, præsertim, dum Deo confidens se se ultrò pro populi salute mortis objecit periculo, Amanum hostem generis sui infensissimum repressit, & Israëlem servavit illæsum: *Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium &c.*

Esth. 8. 16.

Commendent Idumæi suam Salome fortissimam septem fratrum Machabæorum Matrem, quæ sicut Abraham suum Isaac, sic ipsa septem filios Dei animò plus quam virili immolavit: *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios, sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem, quam in Deo habebat, singulos eorum hortabatur voce patria fortiter &c.*

1. Mach. 7. 20.

Laudent denique Romani sanctam suam Felicitatem & Symphorosam, Martinam & Agnetem, Priscam & Praxedem, Cæciliam & Franciscam, Panormitani suam Agatham, Veneti suam Luciam, Florentini suam Magdalenam de Pazzis, Bolognienses suam Catharinam, Cæsarienses suam Dorotheam, Colonienses suam Ursulam, Viterbienses suam Rosam, Paduani suam Justinam, Augustani suam Afram & Hilariam; Ego autem hodie summis laudum præconiis celebro sanctam Annam B. Virginis MARIÆ dignissimam Matrem, & Christi Filii DEI aviam, cujus nec nomen laude vacat, dum *gratiam* significat; de cujus ergo laudibus, quia secundam non habet, plura hodie occurrunt consideranda.

2. Tres Annæ à Spiritu Sancto ob egregias virtutes singulariter in Sacra commendantur Scriptura. Prima, est Anna Mater Samuelis Prophetæ, quæ fervore orationis ac multis lacrymis tota in Deum resignata tandem post diuturnam sterilitatem suam partum felicem ac filium impetravit, cui nomen *Samuel* indidit, quod idem est, ac *postulatus à Deo.* Ita Scriptura: *Vocavitque nomen ejus Samuel, eò quòd à Deo postulâsset eum.* Et hoc in singularem memoriam, ut quoties hoc suum nomen audiret: *Samuel, Samuel*, vel illius recordaretur & memor esset beneficii, quòd à Deo per miraculum voventi & lacrymanti matri fuerit donatus, & idcirco seipsum, quòd esset, Deo donaret, ac redderet.

1. Reg. 1. 20.

Altera

Altera Anna, Mater extitit Tobiæ junioris & uxor senioris, de quo sacer Codex : *Cùm verò factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, ge-* Tob. 1. 9.
nuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Hæc Anna commendatur à sedula cura & optima filii educatione, & quòd quotidie iêrit ad opus textorium, mercedèmque laboris ad alendam in captivitate familiam applicaverit : *An-* Tob. 2. 19.
na verò uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

Tertia Anna Filia Phanuelis à S. Luca commendatur ob insignem castitatem tum virginalem, tum conjugalem, tum etiam vidualem. Fuit autem hæc Anna grandæva & senex, prophetiæ dono illustris, & in templo, cùm Christus infans æterno Patri à Virgine Matre præsentaretur, hæc orationibus & jejuniis Deo die ac nocte inserviens, superveniebat, laudans cum S. Simeone & benedicens DEUM ob datum natùmque orbis Messiam Christum : *Et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptio-* Luc. 2. 38.
nem Israël.

Verùm de S. Anna Genitricis Dei Matre, & Christi orbis Redemptoris dignissima Avia, jure merito dicere possumus illud Sapientis : *Multa filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Erat autem hæc S. Prov. 31 29.
Anna à piis & ex regali prosapia oriundis parentibus in Bethlehem in lucem progenita, cujus pater erat Archos, & Mater Emerentiana, qui hanc unicam & unicè dilectam filiam suam jam trimulam Deo T. O. M. in templo Hierosolymæ dicabant, in quo inter cæteras Virgines, velut luna inter stellas in oratione ferventissima usque ad annum ætatis decimum quintum commorata est. Paulò post pro more veteris Synagogæ erat S. Joachimo adolescenti æquè diviti, nobili, ac pio desponsata, cum quo in pacifico ac castissimo conjugio vivebat, de quo Beatissima Virgo hæc ad S. Brigittam dixit : *Filius meus conjugium patris mei & Matris tanta castitate conjunxit,* Lib 6. Re-
ut tunc non inveniretur castius conjugium, ut nunquam convenire vellent, nisi vel. cap. 9.
juxta legem solummodo causâ suscitandi prolem, & voluptas in eis mortua erat; ex charitate divina & verbo Angeli convenerunt carne, non ex concupiscentia ; & quia intra viginti annorum spatium optatam non obtinebant prolem, ideo ambo à Sacerdote tanquam maledicti à Deo cum oblationibus suis in templo fuerunt rejecti. Patientissimè ambo hanc ferebant injuriam in Dei voluntatem penitissimè resignati, *& quia*, ait S. Vincentius Ferrerius, S. Vinc. Ferr.
habuerant patientiam in verecundia sibi facta à Sacerdote, statim habuerunt pro- cit à Mans.
missionem, & obtinuerunt habere prolem. In quem finem S. Gabriel Archangelus à disc. 5.
Deo ad S. Annam missus est, qui eam hisce verbis in horto suo orationi vacantem est consolatus : *Ne timeas Anna, amica Dei altissimi, exaudita* S. Vinc. Fer.
sunt preces tua, & fructus ventris tui gratus in oculis Dei, ex te enim nascetur ser. de Nat.

Virgo V.

Virgo admirabilis, in qua totus lætabitur mundus &c. O anima Christiana! lætare cum S. Anna, eique gratulare tantam excellentiam, quia pariet filiam, quæ erit mundi desiderium, & cunctorum sæculorum negotium. Disce insuper ab ea patientiam, si injuriâris, si contemneris, si cruciaris, si mortificaris, si infirmaris, sufficiat tibi solum habere amicum Dei, etiamsi totus tibi adversetur orbis.

3. De Jeremiâ recensent Sacræ Paginæ, quòd à Deo jam in utero materno, antequam prodiret in lucem, fuerit sanctificatus, cui benignus Deus peccatum originale jam tunc remisit, eique gratiam sanctificantem
Jer. 1. 5. infudit. *Priusquam te formarem in utero, novi te & antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Eandem gratiam in matris utero obtinuit S. Joannes Baptista, dum eodem momento, quo exultavit in utero materno, ab originali labe à Deo purgatus, & spiritu prophetiæ repletus, atque in præcursorem Domini electus est, unde mater ejus Elisabeth ad salutationem
Luc. 1. 44 Mariæ exclamâsse fertur: *Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo &c.*

Prætermitto hîc S. Josephum Christi patrem nutritium, & S. Moysen, quos nonnulli SS. Patrum pari ratione censent in utero matris sanctificatos, quæ gratia fortâsse aliis insignioribus Sanctis ac DEI amici contigit, sed hi omnes non sine originali noxa erant concepti; ast de B. Virgine ac Dei Genitrice Maria canit Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro JESU Christo*, dum eam ex specialissimo privilegio voluit statim in primo animationis instanti in utero S. Matris suæ Annæ ab omni originali delicto præservare. Audi rursus B. Virginem ad S. Brigit-
Revel. l. 1, c. 9. tam loquentem: *Cum anima mea sanctificaretur, & corpori conjungeretur, tanta matri meæ advenit lætitia, ut impossibile esset dictu &c.* Et quis dubitet,
1. Reg. 2. 1. quin Beatissima Anna tunc temporis cum Anna illa Samuelis matre exclamaverit: *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in DEO meo; dilatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari suo.* Disce hic, anime mi, quomodo verum, solidum ac limpidissimum animæ nostræ gaudium in solo Deo consistat: gaudeant alii in delitiis & voluptatibus terrenis, in divitiis & facultatibus, in exhibitis honoribus & mun-
Habac. 3. 18. di vanitatibus &c. Dicamus nos cum S. Anna: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JEsu meo.*

4. De Arca illa fœderis enarrant litteræ, quanto olim in honore à sanctissimis Viris fuerit habita; David Israëlitarum Rex eam solemni
2. Reg. 6. 10. pompâ ex domo Aminadab transtulit in domum Obededom: *Divertit eam in domum Obededom Gethæi, & habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom & omnem domum*

ejus,

ejus, id est, ait Cornelius, prosperavit, & magnis opibus, rerumque copiâ eum subitò cumulavit. Omnia hæc illis olim contingebant in figura: *Arca sacra*, ait S. Joannes Damascenus, *& animata Dei viventis Maria est*, *Arca undique auro contecta* hæc, inquam, mystica Arca non duntaxat tribus, sed novem mensibus in utero S. Annæ, ac dein pluribus annis in ejus domo commorata est; quantis ergo putas benedictionibus ac donis cœlestibus S. Anna à DEO cumulata, est? unde Ecclesia orat: *DEUS, qui beata Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui mater efficeretur, &c.* O sanctissima Domina! sufficit te filiam habuisse ipsam SS. Deiparam; quantùm, obsecro tibi orbis universus obligatus est! *Benedicti sunt*, ait S. Bonaventura, *Pater & Mater, qui Mariam genuerunt. Benedictus est venter, qui te, ò Maria, portavit, & benedicta ubera, quæ te lactaverunt.*

S. Damasc. serm. 2. de Nat V.

S. Bonav. in Psal. 127.

Jacob Patriarcha, ubi quondam cum Angelo per integram ferè noctem colluctatus est, manè surgentem auroram videns, mox ab illo dimissionem petiit: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Hanc quoque auroram in sacro Epithalamio observârunt Angeli; unde ad se invicem admirabundi dicebant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Nolite mirari Spiritus cœlestes & superni, aurora hæc consurgens vestra Regina ac Domina est: *O Beata Virgo*, subintrat hîc S. Bonaventura, *tu es aurora de sole procedens & ortum solis præveniens & in lumine solis diem annuntians.* Exorta est autem hæc mystica aurora, quando S. Anna manè surgente aurorâ sanctissimam hanc filiam suam Mariam enixa est, & mundo peperit: *Clarè enituit*, ait S. Brigitta *in Annæ utero aurora consurgens, quando in eo Mariæ corpusculum extitit, cujus ortum videre Angeli tantopere desiderabant.*

Gen 32. 26. Cam. 6. 9.

S. Bonav. in Spec. Vir. c 93.

In Revel. ser. Ang. 1.

5. Anna Elcanæ uxor, ubi ablactavit filium suum Samuelem, memor voti eum triennem DEO in templo præsentavit, ut ibi non tam ætate, quàm & virtute ac sapientiâ coram Deo & hominibus crescceret: *Et adduxit eum secum, post quam ablactaverat, in vitulis tribus & tribus, modiis farinæ, & amphoravini, & adduxit eum ad domum Domini, in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus; & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.* Eodem fere modo à S. Anna Beatissima Virgo MARIA tunc trimula in templo Hierosolymitano Deo oblata ac præsentata est, ut in sacro loco die ac nocte Deo suo in sanctitate & justitia coram ipso inserviret, ac jugiter in ejus staret conspectu. Et cùm introiret hæc sanctissima Matrona in templum Domini, in hæc verba cum Psalte Regio labia sua solvisse fertur: *Introibo in domum tuam in holocaustis. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Amabat quidem S. Anna hanc filiolam suam tenerrimé, quia ei erat unica ac summa voluptas, proinde optabat eam domi habere semper, non ignora, hanc suam Natam aliquando fore Messiæ Matrem; ita enim ab Angelo edocta fuit, sed præferebat rei suæ rationes Dei, magisque Deo placere,

1. Reg. 1. 24.

Psl. 65. 13

cere, quam sibi indulgere studens, nihil sibi reliquit, sed totum, quod habuit, Deo obtulit. O si & nos ita cum Deo ageremus, & quotidie voluntatem nostram ei in acceptabile consecraremus holocaustum! *O par beatum!* exclamat Joannes Damascenus: *O par beatum, Joachim & Anna! vobis omnis creatura obstricta est: per vos enim, donum omnium donorum praestantissimum Creatori obtulit, nempe castam matrem, quae sola Creatore digna erat.*

S. Damasc. orat. 1. de nat. B. V.

Abraham, quia munificus in pauperes, & hospitalis in peregrinos extitit, meruit in senectute sua ex sterili consorte habere filium, & cum eo largissimam benedictionem: *Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis.* De SS. Consortibus, Joachimo & Anna, refert Vita, quòd facultates suas, quæ amplæ fuerant, in tres partes distribuerint, quarum unam egenis ac miseris, alteram peregrinis ac hospitibus, tertiam in obsequium templi & cultûs divini promovendi destinârunt, quod reliquum erat, in sustentationem domûs & familiæ suæ applicabant, hinc similem gratiam & benedictionem sicut olim Abraham, imò longè majorem à Deo omnis boni largissimo remuneratore impetrârunt, dum eis filiam donavit, quæ sola inter omnes digna Creatore suo fuit; hinc meritò uterque consors poterat illud dicere Sapientis, cum SS. Filiam suam contemplabantur: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Disce hîc, anime mi, imposterum te liberaliorem erga pauperes & peregrinos exhibere; *qui enim parce seminat, parce & metet; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*; præsertim te liberalem exhibe, si in templo cultus divinus patitur eclipsin.

Gen. 18. 5.

Sap. 7. 11.

2 Cor. 9. 6.

6. Cæterùm Siracides omnibus parentibus salutare suggerit consilium, quomodo filias suas, cùm ad annos nubiles pervenerint, juveni honesto ac sensato tradant in matrimonium: *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* O felices illos parentes, qui filiabus procurant maritos pios ac sapientes! ita Noëmi nurui suæ Ruth procuravit Booz, virum opibus, pietate ac prudentiâ præstantem: *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem &c.* Hoc & S. Anna fecit superiore illustrata Spiritu, dum enim SS. Filia hactenus in templo Deo Angelica inserviens puritate pro more illius gentis à Sacerdote ad matrimonium cum juvene æquè nobili, ac probo invitaretur, & S. Anna percepisset, quòd sors in expositione virgarum cecidisset super Josephum de simili regia Davidis prosapia oriundum, juvenem sensatum, sanctum ac piissimum, libentissimè annuit, exspectabat enim redemptionem & salutem Israël, proinde meruit videre JEsum benedictum fructum dulcissimæ filiæ suæ Mariæ, ita Durlandus Carthusianus; *Filium Dei ex sua Filia incarnatum cognoscere, atque adorare meruit.* O! quis dicet, quò animi cum Jubilo & mentis solatio? Hic verificatum fuit illud Veritatis: *Si enim duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Duo isti sunt B. Vir-

Ecc. 7. 17.

Ruth. 4. 13.

Durland. Carth. de S. Anna

Matt. 18. 19.

go

go Maria, & SS. Mater ejus Anna, in medio eorum JEsus consistit, proinde non poterit esse repulsa, si ad Patrem pro nobis loquantur tria hæc amoris insignia: Hoc S. Annæ Privilegium est, ait doctissimus Mansius, nulli unquam creaturæ participatum, nec usque quaque ulli participale unquam, nimirum, quòd Filium Dei nepotem suum habuerit; & quidem, tametsi Christus etiam Josephi denominetur filius, hic tamen in ejus generationem nec quicquam influxit, utpote quæ Spiritu Sancto cooperante consummata fuit, qui purissimos virginalis uteri sanguines ad hunc divinum conceptum permovit: atverò S. Anna filiæ suæ corpus illud, & sanguinem subministraverat, è quo sacrosancta & immaculata Humanitas Altissimi formata fuit. Hæc Mansius, & quid, obsecro, excellentius de hac sanctissima Matrona dicere poterat? Manet ergo: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia & vana est pulchritudo: mulier timens Deum, ipsa laudabitur.* Mans. in Prompt. sacro disc. 4. Prov. 31. 29.

Et si verum est, prout verissimum est, quòd arbor cognoscatur ex fructu, ita ipsa Veritas Christus: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* quis autem melior unquam fructus in his terris fuit: quàm JEsus Dei & Mariæ Filius, de quo S. Elisabetha Mater Præcursoris: *Et benedictus fructus ventris tui?* Ex hoc subinfert S. Joannes Damascenus, quàm sancti fuerint Parentes sacratissimæ Virginis Mariæ: *Profecto*, inquit, *ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Et quales fructus tu profers, anime mi, bonos an malos? Examina te, ne aliquando audire debeas: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sed progrediamur ulteriùs. Matt. 7. 16. Luc. 1. 42. S. Damasc. Orat. 1. de nat. B. V. Matt. 7. 19.

7. Venit hîc mihi in mentem Joseph, dilectus ille Jacobi Patriarchæ filius, de quo Scriptura commemorat: *Israël autem diligebat Joseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum; fecitque ei tunicam polymitam.* Et qualis, dices, hæc erat tunica polymita? Et quare Pater soli Josepho filio ejusmodi fieri voluit vestem? Observa Scripturam, quia Pater eum diligebat, ideò hâc tunica talari Josephum donabat; sed quare tunicâ polymitâ, id est, variâ, & liliis diversi coloris variegata? Advertit & notat hîc S. Chrysostomus, quòd Jacob filio suo dilectissimo talem vestem oblongam, & variis coloribus contextam curaverit fieri, quasi prophetando diceret: Talis, ò mi Joseph, erit vita tua lætis & adversis, consolationibus & tribulationibus mixta: *Dedit ei tunicam polymitam, id est, varii coloris; lætis tristia permiscentur: quod certè in Sanctis omnibus facit Deus, quos neque tribulationes neque jucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit.* Gen. 37. 3. S. Chrysost. hom. 8. in Matth. 2.

Ita quoque Deus cum S. Anna dignissima Filii sui Avia disposuit, cui & similem tunicam polymitam procuravit, id est, varias tribulationes ei im-

immitendo, quas tamen benignus Deus diversis rursum temperavit consolationibus. Magna hæc erat illi tribulatio, per annos viginti optata carere prole, & quòd hanc ob causam à Sacerdote in templo, tanquam à Deo maledicta, fuerit cum oblationibus rejecta; sed benignus Deus mox alia consolatione eam animabat, dum ei Angelum submisit, feliciſſimam illi prolem annuntiantem: *Promeruit*, ait Antiochus, *accipere Sanctam Virginem Mariam Matrem Dei, quæ omnium hominum, & etiam Angelorum est præstantissima.* Magna insuper hæc erat ei adversitas, dum inaudiit, & quòd impius Herodis gladius passim in innocentes sæviret infantes, & quòd dulciſſima filia cum JEsu puerulo, nepote suo, & S. Josepho de nocte intempesta fugerint in Ægyptum, ubi per septem annorum spatium degebant in exilio; sed rursus gaudium, rursus supervenit solatium, dum hanc sanctiſſimam familiam sanam, ac incolumem de novo vidit in terra Israël adventantem, ubi imposterùm sedem suam Nazarethi in domo S. Annæ (ubi & Verbum incarnatum est) figebant; hîc poterat JEsus, ab exilio redux, meritò ad S. Annam Aviam dicere: *Nudus eram, & operuisti me, hospes, & collegisti me.* Sed paulò post succedit iterum alia tribulatio, dum S. Anna ætatis suæ anno 72. ægrotare & ob dolores, ac senium lecto affigi cœpit; sed consolabatur eam mitiſſimus JEsus tunc octodecim annorum juvenis, stans ad ejus lecticam cum SS. Matre sua, inter quorum manus S. Anna in voluntatem Dei resignatiſſima piiſſimam animam sereno vultu in manus æterni Patris tradidit, quam interim Angeli ad limbum Sanctorum sunt comitati: sacrum autem exanime corpus ejus ab amicis in valle Josaphat terræ mandatum est. Hic adimpletum fuit illud Davidis: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* O felicem sortem, sic posse occumbere mortem! O sanctiſſima Christi Avia! ò sancta Anna! impetra & nobis clientibus tuis aliquando post hujus vitæ cursum similem beatam sortem & mortem.

Antioch. in Bibliotheca vet Patrum.

Matt. 25. 35.

Ps. 115. 5.

8. Et quid ulteriùs dico de te, S. Anna, quam SS. Prophetæ tot ante sæculis in spiritu prævidebant, desiderabant & exspectabant in subsidium generis humani nascituram? Ideo *David saltabat totis viribus ante Dominum*, hoc est, ante Arcam fœderis Domini, quia tunc juxta opinionem S. Ambrosii *prævidebat in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam*, germen autem hoc non erat aliud, quàm S. Anna ex regia Davidis stirpe oriunda, de quo germine nata est Maria, & de illa natus est JEsus, qui vocatur Christus.

2. Reg. 6. 14.

S Ambr. ser. 25. f. 160.

Isa. 38. 1.

Lugebat Ezechias Rex, cùm ab Isaia ipsi intimata fuit sententia: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Hinc dolore & mœrore plenus ad parietem templi sese convertit, *& flevit Ezechias fletu magno.* Et quare adeò ploravit Ezechias? Fortasse quia tunc erat juvenis triginta novem

vem annorum, junioribus enim ſine dubio mors videtur acerbior, quam ſenibus? Cauſam ſubjungit Euſebius & Cornelius: *Flevit ergo, quia non habebat prolem, ex qua naſceretur Chriſtus, Abrahæ & Davidi promiſſus.* Ecce! quanto deſiderio pientiſſimus ille Rex deſideraverit eſſe ſecundùm carnem in Genealogia Chriſti, in qua erant 14. Patriarchæ, 14. Reges, & 14. Principes virtute inſignes, in qua Genealogia ſingulariter excellit S. Anna. Audiamus S. Thomam Villanovanum ita de laudibus B. V. loquentem: *Quid ultra*, inquit, *requiris in Virgine? ſufficit tibi, quòd Mater Dei eſt.* Subinfero ego: *Quid ultra requiris in S. Anna? ſufficit tibi, quòd Mater Mariæ Dei Genitricis eſt.* Cornel. hîc v. 3. S. Th. Vill. to. 2. ſer. 2. de Nat B. V. M.

Hanc S. Annam prævidit & Iſaias Propheta, dum de Chriſto venturo ita vaticinatus eſt: *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Virga hæc juxta mentem S. Hieronymi, & aliorum SS. Patrum Maria eſt, flos Chriſtus, radix autem Jeſſe S. Annam denotat, ex hac enim radice pullulavit hæc virga myſtica, & ex virga flos campi, qui eſt Chriſtus Deus noſter. Iſa. 11. 1. Cor. hîc.

9. O ſanctiſſima Chriſti Avia! Si JEſus eſt illud granum frumenti pro ſalute noſtra mortificandum & vivificandum: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, tunc beatiſſima Virgo Mater, filia tua, eſt illa fœcunda, & virginea ſpica, ex qua illud myſticum frumenti granum prodiit; tu verò, ò Beatiſſima Anna, es ille ager fertiliſſimus, & à Deo benedictus, ex quo hæc ſpica, & ex illa ſpica dictum frumenti granum ad ſummam usque altitudinem excrevit. Jo. 12. 24

Si JEſus nepos tuus eſt dulcis ille Cypri botrus usque ad ſupremam ſanguinis ſtillam in torculari Crucis expreſſus: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, tunc Beatiſſima filia tua Maria, eſt illa vitis fœcunda, quæ *quaſi vitis fructificavit ſuavitatem odoris!* Tu autem, ò ſanctiſſima Matrona, es illa vinea, ex qua uterque incrementum ſumpſit. Cant. 1. 13. Eccl. 24. 23. Matt. 13. 45.

Si JEſus eſt negotiator ille Evangelicus, quærens bonas margaritas, & inventâ unâ prætiosâ margaritâ abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam; tunc intemerata filia tua Maria eſt primaria illa, quam invenit, & redemit margarita, ita S. Cyrillus: *Sit tibi, Sancta Dei Mater, laus, tu es enim pretioſa margarita orbis terrarum*, Tu autem, ò pientiſſima Domina, S. Anna, es felix illa & puriſſima maris concha; quæ talam edidit margaritam. S. Cyrillus hom. contra Neſtor.

Si JEſus eſt benedictus fructus ventris Mariæ, Beatiſſima Virgo eſt arbor vitæ in medio paradiſi ſituata, & ex qua divinus ille fructus crevit, & in lucem prodiit; tu verò Sancta Anna, es ille *paradiſus voluptatis*, in quo plantatum eſt illud lignum vitæ. *Anna*, ait Breviarium Gallicanum, *in his terris conſervatione, ſanctitate vitæ, morum honeſtate ſe exhibuit paradiſum Dei.* Gen. 2. 9. Gen. 3. 24.

Si denique JEsus est ille Angelus magni consilii, qui quondam Moysi in rubo ardente, & incombusto apparuit, eumque & Populum Israëliti-
Exod. 3. 2. cum consolatus est : *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi ; & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur*; tunc intemerata Virgo, & Genitrix Maria est ille rubus ab omni peccato immunis, & illæsus, ac incombustus, in cujus medio apparuit ipse Dei Filius ; unde Ecclesia canit: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem : Dei Genitrix, intercede pro nobis.* Tu verò, S. Anna Christi Avia, es illa terra sancta, quæ rubum ardentem, sed incombustum permanentem germinavit. Quid igitur restat, nisi ut concludamus
Trithem. de laud. S. Annæ. cum Trithemio : *Quicunque ergo pondere peccatorum premitur, ad sinum Matris Annæ fidenter confugiat ; Anna enim gratia dicitur, ac secundùm nomen suum gratiam impetrare non desinet.* Elige eam in Matrem, & senties juvamen, Amen.

CONSIDERATIO XXVIII.

De Quinque SS. Martyribus, Valentino, Ludovico, Fortunato, Laureato, & Candida, V. M. quorum Sacra Corpora in Templo S. Crucis Biberbaci religiosè asservantur.

Pro Festo dictorum SS. Martyrum.

Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & Hominibus. 1. Corinth. 4. 9.

I.

NOn aberravit ille à veritatis scopo, qui hunc mundum universum theatro magno comparavit, in quo, velut in aliqua comœdia, diversæ exhibentur personæ, & actiones ad erudiendum, & delectandum populum. Hic personam gerit Summi Pontificis, Cardinalis, Episcopi ; ille Imperatoris, Regis, Principis ; iste belli Ducis, mercatoris, militis ; alius civis, agricolæ, morionis,

nis, mendici &c. Tandem finitâ actione quilibet ſuam deponit perſonam; qui bene ſe geſſit, à cunctis laudatur, & commendatur ſpectatoribus; qui verò male, pro mercede non aliud, niſi vituperium reportat, & aſelli titulum.

Auguſtum Potentiſſimum Imperatorem, ſub quo pacifico Principe Chriſtus naſci voluit, conſulamus, qui, cùm per annos quadraginta Romano præfuiſſet Imperio, tandem moriturus, teſte Suetonio, amicos & aulicos ſuos ad ſe convocari voluit, quibus ambitioſo apparatu Cæſaris lecticam circumſtantibus dixit: *Satìsne commodé perſonam noſtram hac ſcenâ, hoc theatro egimus?* Bene, bene, reſpondebant amici; benè & commodé, Auguſtiſſime Imperator! Tum ille: *Valete, & plaudite*, & reductis cortinis ſuam efflavit animam. Hæc eſt mundi ſcena & theatrum, & ſic tandem deſinit noſtra miſeria, & caduca omnia. Sueton. in vita Imper.

Altiùs erigamus animos, mentisquè oculos, & inſpiciamus theatrum, ſeu potiùs amphitheatrum, quod in hodiernum usque diem Romæ videre eſt, in quo tot SS. Martyrum millia inter tot gentilium perſecutiones in primitiva Eccleſia *ſpectaculum facti ſunt mundo, & Angelis, & hominibus*, imò ipſi Deo, qui eorum ſpectabat agonem & forte certamen, inter quos generoſos Chriſti milites, & athletas fortiſſimos, meritò & noſtri quinque numerandi ſunt glorioſiſſimi Martyres, videlicet S. Valentinus, S. Ludovicus, S. Fortunatus, S. Laureatus, & S. Candida V. & M. quorum Translationis feſtum hodierna luce in hâc Eccleſiâ noſtrô Crucifixo Salvatori ſacrâ ſolemni cum ritu celebramus, de quorum vita & forti pro Chriſto certamine plura impræſentiarum conſiderabimus. 1. Cor. 4. 9.

2. Joſeph Jacobi Patriarchæ filius olim mundo, & Angelis, & hominibus ſpectaculum factus eſt, dum perfidi fratres ejus illum miſerunt in ciſternam veterem, & tunicam illius fœdè laceratam, & in ſanguine hædi intinctam ad patrem remiſerunt: *Vide, utrum tunica filii tui ſit?* Joſeph noſter, ait S. Proſper, Chriſtus eſt, & tunica ſeu veſtimentum ejus ſunt SS. Martyres, ò quàm fœde vulneribus lacerati! & tamen ſunt tunica, & veſtimentum Chriſti. O Pater æterne! *Vide, utrum tunica filii tui ſit?* Gen. 37. 32. S. Proſper. de promiſſionibus p. 1. c. 27.

Sponſus ille cœleſtis mirè commendat, & dilaudat ſponſam ſuam à genis ejus rubicundis & purpureis, quas fragmini mali Punici aſſimilat: *Sicut fragmen mali Punici, ita gena, absque eo quod intrinſecus latet.* Et quare hoc? Reſp. V. Beda, quòd per Sponſam illam debeat intelligi Eccleſia, per genas autem illius fragmini mali Punici ſimiles SS. Martyres, qui in proprio ſanguine inſtar corticis mali Punici rubricantur, ſed fracto malo interior apparet granorum candor: *Oſtendit*, ait Beda, *colorem Punicum in genis Eccleſiæ, cùm prima & eminentiora ejus membra, id eſt, Martyres ſancti, ſanguinem fuderunt pro Chriſto.* Cant. 4. 3. V. Beda C. de SS. MM.

Pere-

Pereleganter & breviter SS. Martyrum mortem & sortem definivit Vates Regius, dum martyrium eorum calici salutari, & inebrianti comparavit: *Calicem salutaris accipiam &c*, & in alio loco: *Calix tuus inebrians quàm præclarus est?* Supra quod egregiè S. Augustinus: *Hoc calice*, inquit, *inebriati sunt Martyres, quando ad Passionem euntes suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quàm non videre uxorem flentem, non parentes?* Et hoc ob amorem Christi JEsu Crucifixi.

Ps. 115. 13. Ps. 22. 5. S. Aug. in Ps. 82.

Et ecce, tales fuerunt & nostri quinque SS. Martyres, qui velut tunica Josephi fuerunt lacerati, & in proprio sanguine intincti, ac velut malum Punicum seu granatum disrupti, non curantes ampliùs, amore JEsu Crucifixi inebriati, ista sæcularia & mundana, carnem & sanguinem; hinc gaudentes ibant à conspectu Concilii ad locum suplicii, & theatrum crudelitatis, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam, imò & mortem pati. O Christiani! si veré Christiani estis, lætamini hodie cum SS. istis Martyribus, eosque rogate, ut lumen vobis ad cognoscendam istam veritatem à Deo impetrent, & imitandi voluntatem.

Act. 5. 41.

3. Vidit quondam S. Joannes bestiam mirabilem, grandem & immanem, quæ de mari ascendit & habebat cornua decem: *Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem.* O portentum! ò crudele, & hactenus invisum monstrum! Et quid, dices, sibi voluit hæc cruenta & horrida bestia? Resp. Alcazar, per bestiam hanc intelligi debere Imperium Romanum Ethnicum, & idololatriæ deditum, quod Ecclesiam Christianam primus annis acerrimè exagitavit per septem, vel prout aliis meliùs arridet, per decem persecutiones.

Apoc. 3. 1. Alcazar hîc in Apoc.

Cornel. hîc. Prima fuit sub Nerone, qui prima Ecclesiæ capita Petrum & Paulum interfecit. Secunda sub Domitiano, qui Joannem in ferventis olei dolium misit. Tertia sub Trajano, qui S. Ignatium M. & Episcopum in Amphitheatro leonibus devorandum objecit. Quarta sub Antonino, qui plurima Christianorum millia trucidari jussit, sub quo passi sunt S. Polycarpus, S. Felicitas cum filiis &c. Quinta fuit sub Septimo Severo, sub quo passus est S. Victor & alii. Sexta fuit sub Julio Maximo, sub quo passi sunt S. Pontianus & Anterus Pontifices &c. Septima fuit sub Decio, immanissimo Tyranno, sub quo passi sunt S. Fabianus, S. Cornelius &c. Octava fuit sub Valeriano, sub quo Martyrium obiérunt S. Laurentius, Cyprianus &c. Nona fuit sub Aureliano, sub quo S. Felix Papa, & Agapitus &c. Et decima, quæ fuit sævissima, sub Diocletiano & Maximiano, sub quibus passus est S. Sebastianus, & feré innumeri alii per Romanum Imperium dispersi, ita ut sub illorum regimine uno mense septendecim mactarentur Christianorum millia, ubi Christiani non aliter æstimati sunt, quàm *sicut oves occisionis.*

cisionis. Audite de his temporibus loquentem S. Augustinum: *Quanta mala*, inquit, *passi sunt Martyres, quanta tormenta, squalores carcerum, strictura catenarum, sævitias ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum &c.* quis dicet. S. Aug. in Ps. 117. v. 5.

Vide ex his, & considera, quænam fuerint prædictæ immanissimæ bestiæ decem cornua, nimirum decem istæ persecutiones, de quibus diximus, in Ecclesia Dei primitivâ per Luciferum excitatæ, in quibus tamen sanguis Martyrum fuit semen Christianorum; sub qua ultima persecutione, etiam quatuor Sanctorum nostrorum Martyrum, hoc est, S. Valentinus, S. Ludovicus, (ambo cum proprio nomine in lapide inciso) S. Fortunatus, & S. Candida Martyrii meruerunt obtinere palmam, quia juxta authentica testimonia cum S. Sebastiano M. in eadem crypta, & cœmeterio post exantlatum martyrium cum proprio sanguine pro Christo effuso fuerunt sepulti; S. Laureatus verò in cæmeterio S. Cyriacæ M. cum S. Laurentio M. à piis Christianis fuit terræ mandatus, ex quibus patet, quod passus sit sub persecutione Valeriani, h. e. octavâ.

4. Venit hîc mihi in mentem Serenissimus ille, ac strenuissimus Princeps, & belli Dux, Alexander Farnesius, de quo Famianus Strada, quòd, cùm arcta obsidione urbem & munimentum Aldernard in Belgio cingeret, publicè in castris suis mensam parari jusserit opiparam, ad quam nonnullos suorum Generalium & Officialium, ut sic magis eos ad pugnam animaret, & acueret, peramicè invitavit. Et ecce, cùm læti assident mensæ, ab obsessis Aldernardensibus è vallis & aggeribus bellica diriguntur, & exonerentur tormenta, quorum ferreis glandibus uni generali mensæ assidenti demessum est caput, alii per alios subsequentes bombardarum pilos sauciatum brachium, tertio transverberatum pectus, & quia mensa & fercula humano erant conspersa cruore, fugientibus cæteris, solus in mensa impavidus remansit Princeps Serenissimus Parmensis Alexander Farnesius, qui abinde nec latum unguem discessit, unde de eo Strada: *Qui nec sedem, nec vultum mutavit.* Fam. Strada Hist. Belg. l. 5.

Vos alloquor, glorioſissimi Martyres, SS. Valentine, Ludovice, Fortunate, Laureate, & Candida, quid vobis tunc videbatur in immani illa Tyranni persecutione, in qua vinculis ferreis constricti, ducti estis ad durissimam quæstionem, à quæstione ad catastas & verbera, à verberibus ad lanienam cruentam & gravissimam, in qua nullo modo cessistis supplicii, sed vobis potiùs supplicia cesserunt, unde rectè de vobis: *Qui nec sedem, nec vultum mutâstis*, unde, obsecro, talis ardor, talis amor & animi robur ad martyrium, dum finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt?

Hebr. 12 2. Audite responsum: *Aspiciebant in Auctorem fidei & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* Ex cujus consideratione omnis dolor levis, omnis cruciatus lenis, omnis pœna dulcis illis videbatur; proinde sese invicem inter ipsa animabant suppli-
Rom. 8.18. cia, illud Apostoli decantantes: *Non sunt condignæ Passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* O bone JEsu! quid non amore tui fecerunt glorioſissimi isti Martyres? Et nos, quàm parum adhuc pro tuo honore laboravimus! Eja milites Christiani, adhortor vos verbis
1. Petr. 2. 21. Apostolicis! *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ad quid ergo statis otiosi?

5. Magnam quondam sibi laudem apud posteros meruerunt tres illi robustissimi milites, qui castra hostilia Philistinorum penetrantes, David
2. Reg. 12. 16. sitienti desideratam deferebant aquam: *At ille noluit eam bibere, sed libavit Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* & subdit Scriptura: *Hæc fecerunt tres robustissimi.*

Non tres, sed quinque ejusmodi robustissimos heroës vobis hodie monstro, animæ Christianæ, qui contemnentes terrena omnia, & cuncta vitæ pericula, ac sævissima tormenta, Christo filio Davidis in cruce sitienti: *Sitio*, non sudorem tantùm, sed & proprium libârunt sanguinem, pro illius honore & amore ad supremam usque stillam profusum: *Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt.* Testes sunt quinque illorum ampullæ, seu vasa vitrea ac testacea, congelato & concreto, imò adhuc purpureo eorum sanguine repleta, quæ ad sacra eorum corpora in cœmeterio S. Calisti P. M. & Cyriacæ sunt inventa, tanquam verissimum exantlati martyrii signum, & quòd sua capita pro more Romanorum subjecerint Tyrannorum gladio. Vide ex his, & mente attentiore perpende primorum Christianorum pietatem, quanti etiam in medio persecutionis ardore æstimârint SS. Martyrum reliquias, disce imitari illorum zelum, fidem, constantiam & cultum erga SS. Martyres.

Hebræi in exitu Israël de Ægypto, quia carnales erant, jussi sunt vasa aurea & argentea ex singulari Dei dispensatione, ab Ægyptiis mutuò accipere, sed Moyses ossa S. Josephi Patriarchæ & quondam Vice-Regis
Ex. 13. 9. cunctis præferebat thesauris ac opibus: *Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum &c.* Cùm Lazarus mendicus plenus ulceribus, & ab omnibus derelictus, obdormisset in Domino, Angeli ulcerosum ejus corpus portârunt in
Luc. 16. 22. sinum Abrahæ: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Et quare, dices, tot Angeli, convenerunt ad corpus hujus pauperis ferendum? Nunquid unus sufficisset Angelus, ut quondam
Dan. 14. 35. cum Habacuc factum est; *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu*

petu ſpiritûs ſui ? Reſp. S. Chryſoſtomus : Licet unus Angelus ſuffeciſſet ad hunc pauperem portandum, convenerunt tamen plures, ut chorum lætitiæ facerent, gaudet enim unusquisque Angelorum tantum onus tangere, quod pro gloria Dei multa tulerat. Diſce rurſus, æſtimare & venerari Sanctorum Corpora & eorum reliquias, inſiſtendo eorum veſtigiis & pietati : *Solennitates enim Martyrum*, inquit Auguſtinus, *exhortationes ſunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat &c.* Nota *imitari.* S. Chryſoſt. hom. de Lazaro. S. Aug. ſer. 47. de Sanctis.

6. S. Paulus, ut Hebræos recens ad Chriſtum converſos in fide corroboraret, & inter tot primitivæ Eccleſiæ pericula ac perſecutiones ad tolerantiam animaret, illis heroica veterum Patrum ante oculos poſuit exempla, ut & illi ea imitantes ad ſpem cæleſtis gloriæ acquirendæ excitarentur. Et ſubjungit exinde exempla SS. Martyrum : *Alii*, inquit, *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt : circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus : in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, in cavernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei probati.* Hebr. 11. 36. Vide hîc, anime mi, & conſidera, quàm emphaticè S. Apoſtolus SS. Martyrum vitam & pœnas deſcribat, quæ omnia & noſtris quinque SS. Martyribus, Valentino, Ludovico, Fortunato, Laureato, & Candidæ poſſunt applicari. Vidi ego Romæ, & non ſine ſacro horrore & commiſeratione ad S. Sebaſtianum in via Appia, præeunte lumine, eorum catacumbas & cavernas, in quibus habitabant in vita & poſt glorioſum conſummatum agonem à primis Chriſtianis fuerunt ſepulti. Habent catacumbæ iſtæ ad S. Caliſtum appellatæ (in quibus centum & ſeptuaginta quatuor millia SS. Martyrum ſepulta ſunt) ſuas plateas & cameras, ac ſua diverticula, adinſtar Labyrinthi quaquaverſum ad plura millaria usque ad mare ſe extendentia, in quibus latibulis ſubterraneis, & ſummo labore excavatis, inter tot decumanas perſecutiones SS. Martyres inſtar talparum & ferarum habitabant. Ibi SSmi Pontifices Miſſas celebrabant, Chriſtianis prædicabant, SS. Euchariſtiâ reficiebant, & verveſcente perſecutione ad Martyrium, ſi opus fuerit, pro Chriſto ſubeundum, ſuos animabant, & diſponebant Candidatos. Et quia neque ibidem ſatis tutum à furore Gentilium nacti ſunt locum, prout patet ex vita S. Stephani Papæ & Martyris, cujus memoria in Breviario Romano 2. Auguſti agitur, cui SS. Pontifici in ſua ſede in illis catacumbis caput fuit abſciſſum, ideo multi SS. Martyres, tanquam generoſi leones ex antris ſuis erumpentes, ultrò ſeſe offerebant tortoribus ad martyrium. Ita nimirum videbant primi ſanctiſſimi Præſules Eccleſiæ, & glorioſiſſimi Martyres, *quibus dignus non erat mundus, egentes, anguſtiati, & afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ*, & hoc ob ſpem beatæ reſurrectionis

& vitæ æternæ obtinendæ ; ideo *tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, & meruerunt habere coronas perpetuas &c.*

Ex hoc ergo Cæmeterio S. Calixti prædicta SS. Martyrum Corpora, hoc est, Valentini, & S. Ludovici cum proprio sanguine & nomine in saxo inciso, & S. Fortunati M. cum integro vase sanguinis testaceo ad latus ejus cæmento incrustato, & S. Candidæ non tantùm cum illius sanguine pro Christo effuso, & in vase vitreo conservato, sed etiam cum lucerna lapidea artificiosè elaborata, in qua lumen perpetuum more illius ætatis studebant conservare, ex mandato Summi Pontificis Innocentii XI. fuerunt consuetis cum cæremoniis eruta, & extracta, & extracta, & à Sacra Congregatione Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum recognita, & approbata, unà cum corpore S. Laureati M. ex Crypta S. Cyriacæ ad S. Laurentium in Germaniam missa, & cum solemnissima translatione & processione in templo S. Crucis Biberbaci propè Augustam Vindelicorum Anno 1687. appositа; ubi auro, argento, pretiosis vestibus, gemmis & margaritis ornata, in hodiernum usque diem spectantur, & à fideli populo magnâ veneratione coluntur. *Sic nimirum honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare.*

7. Salomonem Regem sapientissimum in lectulo suo quiescentem se-
Cant. 3. 7. xaginta stipabant & custodiebant fortissimi milites : *En ! lectulum Salomonis saxaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Septuaginta legunt : *Sexaginta potentes ex potentissimis.* Charissimi, obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, attollite non tam corporis, quàm mentis vestræ oculos, & considerate in hac Ecclesia Dei Amorem vestrum Crucifixum JEsum sub holoserico & pretioso baldachino,
Matth. 12. velut in lectulo suo indormientem & quiescentem : *Ecce plus hîc quam Salomon* : perpendite insuper hîc circumstantes quinque hos SS. Martyres, tanquam fortissimos Christi milites, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimos ; Nunquid & hic dicere possumus : En ! lectulum Salomonis quinque fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Si vultis apud hunc sapientissimum & divinum Salomonem invenire accessum, & singularem obtinere gratiam, ite, ad hanc Salvam Guardiam, impetrabit vobis desideratam audientiam.

Apoc. 7. 9. Vidit quondam S. Joannes turbam innumeram ex Gentibus stantem ante thronum Dei cum stolis albis & palmis, laudantes Deum & Agnum: & cùm peteretur, quinam hi essent, responsum est, illos ex magna venisse tribulatione, lavisseque stolas suas, & eas dealbavisse in sanguine Agni, idcirco dignos esse factos, ut starent ante thronum Dei & Agni : *Et clamabant voce magna dicentes : Salus DEO, qui sedet super thronum, & Agno &c.*

Per hanc turbam magnam Lyranus SS. Martyres à Diocletiano occi-

sos,

ſos, intelligit, qui ſingulis menſibus 17. millia Chriſtianorum peremit, & ſi placet hunc multiplicare numerum per decem annos, quibus hæc duravit perſecutio, reperies vicies centena millia, hoc eſt, duos milliones Martyrum eſſe pro Chriſto ſolùm ab illo immaniſſimo Tyranno occiſos. Et hi omnes ac innumeri alii cum noſtris Quinque SS. Martyribus, Valentino, Ludovico, Fortunato, Laureato & Candida (quorum Sacra Corpora in hac Eccleſia jam nunc ſtant cum palmis ante thronum Dei & Agni Eychariſtici ac Crucifixi) per omnem æternitatem decantabunt Deo laudem, totisque præcordiis, quòd è tantis tribulationibus fuerint liberati, ſuas Deo gratiarum actiones perſolvent; juxta Exemplum Moyſis, dum poſt tranſitum maris rubri, ſubmerſo in eo Pharaone & omni exercitu ejus, magna & læta voce illud decantavit: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem dejecit in mare.* Ita nunc in cœlo canunt noſtri SS. Martyres. Ex. 15. 1.

O! immenſa bonitas & liberalitas Chriſti Domini noſtri, qui tantâ gloriâ & coronâ breves afflictiones noſtras ſolet remunerari, quod optimè expreſſit Gentium Doctor Paulus: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; ubi rectâ notat *tò æternum gloriæ pondus*, tanta enim eſt ejus magnitudo ac dulcedo, ut nec ab homine, nec ab Angelo capi & explicari poſſit. Quis ergo cum prædictis SS. Martyribus non ſtrenué in obſequio divino laboret? Quis non libenter in hac vita momentaneas & exiguas has ferat tribulationes? Si ita oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, quale cœlum tibi Deus pinget? 2. Cor. 4. 17.

8. Et quid ulteriùs dicam de vobis, magnanimi Martyres, & Chriſti teſtes fideles? Refert Plinius, & ipſa probat experientia, ſi cervis ingens tranſeundum eſt flumen, qui robuſtior illorum eſt, prior aquas torrentis ingreditur, quem ſequitur ſecundus, caput ſuum tergo prænatantis tanquam infirmior imponens: ſecundum ſequuntur tertius & cæteri longo ordine ſemper caput ſuum in præcedentis tergo reponentes, & ſic facili conatu alternis laboribus nixi, ad ripam perveniunt. Chriſtus Dominus à Sponſa comparatur cervo: *Similis eſt dilectus meus hinnulo cervorum*; Hic velut cervus fortiſſimus primus Paſſionis torrentem eſt ingreſſus, quem mox ſecuti ſunt cæteri generoſi cervi, hoc eſt SS. Martyres, inter quos noſtri non erant infimi, & quia prior cervus Chriſtus majus portavit onus, reliqui ſuper eum capita ſua imponentes, feliciter ad æternitatis portum transnatârunt: *Multi Martyres*, ait S. Auguſtinus, *multa tormenta paſſi ſunt, ſed nihil ſic elucet, quomodo caput Martyrum; hîc meliùs intuemur, quod illi experti ſunt*, ab illo enim omnem gratiam, vires & virtutem tam crudelia patiendi tormenta participârunt. Plinius l. 8. c. 32. Cant. 2. 9. S. Aug. in Pſ. 63.

De ovibus conſtat, cùm ad profundas veniunt aquas, quæ illis ſunt

transmittendæ, quòd nulla velit esse prior, quæ se tanto committat periculo; Ast si una semel flumen est ingressa, mox reliquæ gregatim, magnoque impetu sequentur, quibus rectè pro lemmate inscribes: *Omnes pendemus ab una, &c.* Mitissimus Redemptor noster ab Isaia mansuetæ ovi
Isa. 53. 7. assimilatur: *Sicut ovis ad occisionem ducitur*; horrebant quidem cæteræ oves, periculosum hoc Martyrii flumen ingredi, ac tanta pro cœlo pati; sed ubi agnus ille divinus ipse primus immissus est in mare rubrum, vel in torrentem Passionis, *quia ipse voluit*, sine mora secutæ sunt innumeræ aliæ oves; hoc est, undecim SS. Martyrum milliones, Christum suum ducem læto animo per cuncta discrimina & supplicia sequentes. Audite P. Ignatium M. & Ep publicé coram Trajano Imperatore, senatu & populo Romano,
S. Hieron. to. 1. de Scriptor. Eccleſiaſt. pag. 273. cùm nunc in Amphitheatro leonibus esset objiciendus, exclamantem: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar.* O Christiani! discite hîc, si quinque horum SS. Martyrum coram intuemini Reliquias, imitari illorum fidem firmam ac constantem, spem in Christi meritis fundatam, & amorem sincerum erga Crucifixum vestrum amorem, similia quo-
Apoc 5. 12. que tormenta, si opus fuerit, pro Christo pati, quia *dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem &c.*

9. De Elephante referunt, quòd viso sanguine non formidet ampliùs cruenta mortis pericula, sed potiùs acuatur & accendatur in prælium, in quem finem uva, vel vinum rubrum à botris expressum illi ante certamen proponitur, ex cujus aspectu concitatus effervescit in pugnam, hinc
1. Mach. 6. 34. in primo Machabæorum libro legitur: *Elephantis ostenderunt sanguinem uva & mori, & accendendos eos in prælium.* Christus Dominus uvæ & Cypri botro
Cant. 1. 13. comparatur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, qui in passione & in torculari Crucis usque ad supremam sanguinis stillam pro salute nostra expressus est; hunc, inquam, divinum botrum considerantes SS. Martyres nostri, sicut generosi elephantes animati, ad cruentum prælium contra Diabolum, mundum, carnem, idololatriam. peccatum, imò contra seipsos & proprium amorem ineundum, animosé ruebant, in qua pugna ad ultimam cruoris guttam decertabant, de quibus rectè Guido Vanninus: *Dant animos plagæ, sanguis quoque robur adauget.* Disce hic cum SS. Martyribus in omni tribulatione ad Christum pro te patientem & Crucifixum confugere, & ille suggeret vires ad omnia ista adversa æquo animo toleranda & superanda.
S. Greg. M. in Epist. Pſ. 115. 5. *Nihil enim*, ait S. Gregorius Magnus, *adeò durum est, quod non æquanimiter toleretur, si passio Christi ad memoriam revocatur.*

Ex quibus omnibus hactenus enarratis colligere possumus, quàm sit *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Ubi observa, quòd quidem mors Sanctorum omnium in conspectu Dei sit pretiosa & valoris inæstimabilis,

bilis, ſed præcipuè mors SS. Martyrum ob excellentiam charitatis, ob remiſſionem totius culpæ & pœnæ, ob perfectam Chriſti imitationem, ob laureolam martyrio debitam, & gloriam æternam ac immenſam, quam proprio ſanguinis pretio, ut imitatores Redemptoris ſui, de congruo ſibi comparârunt: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſ. 83. 5.

10. Davidi, ubi Goliam, monſtrum illud immane, ſingulari duello devicit, in urbem revertenti victori, & caput arrogantis illius Philiſtæi à ſe perempti, geſtanti, cives & filiæ Hieruſalem procedebant obviam cum diverſis hymnis & canticis, lætâ voce decantantes: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. 18. 5. O! quàm glorioſus fuit ille triumphus, quem quinque noſtri SS. Martyres, Valentinus, Ludovicus, Fortunatus, Laureatus & Candida adornârunt in cœleſtem Hieruſalem, dum devicto infernali Goliâ, immaniſſimo Tyranno, & debellatis vitiis ac idolis, ut glorioſi victores ac triumphatores inter Angelorum choros ſunt ingreſſi! Saul in perſona Tyrannorum percuſſit mille, ſed David in perſona iſtorum SS. Martyrum percuſſit decem millia. Hic adimpletum fuit illud, quòd priùs antea Chriſtus illis prædixerat: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Apoc. 3. 21.

Coronidem huic noſtræ Conſiderationi imponat ſapientiſſimus Rex Salomon, de quo recenſent Cantica: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum.* Cant. 3. 9. Corn. hîc. Quæres hic, quid per hoc mirabile ferculum nobis fuerit præſignatum? Reſp. Per Salomonem Chriſtum ſubaudi, per ferculum ejus ſeu currum triumphalem, SS. Crucem, in hac enim de peccato, morte, Diabolo, & inferno triumphavit. Per columnas argenteas deſignantur Chriſti virtutes, humilitas, patientia, obedientia &c. Per reclinatorium aureum ejus magnanimitas &c. Et per aſcenſum purpureum totius ſanguinis ejus effuſio. Ita Cornelius, ſed S. Gregorius M. per *reclinatorium aureum* locum Beatorum & cœleſtium gaudiorum intelligit, per aſcenſum verò purpureum SS. Martyres & martyrium eorum: *Ad hoc*, inquit, *reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus aſcenditur, ita ut ſi neceſſe fuerit, etiam ſanguis effundi permittatur. Ideo aſcenſus rectè purpureus eſſe dicitur: dum enim ſancti quinque Martyres propter vitam æternam corpora ſua ad ſupplicia tradiderant, dum flagella, aculeos, ignes, gladios & alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium iſtud, ad beatam ſcilicet vitam per aſcenſum purpureum aſcenderunt;* Gratulemur itaque animitùs SS. Martyribus noſtris, qui per aſcenſum purpureum ad cœleſte Regnum aſcenderunt, & nunc cum Chriſto regnant in æternum. S. Greg. M. hîc apud Cornel.

CON-

CONSIDERATIO XXIX.

De Thesauro Indulgentiarum ex Christi Meritis &c.

Pro Festo S. Portiunculæ.

Vel in aliis indulgentiis plenariis.

Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Sap. 7. 14.

I.

ELapso quondam in Ægypto fertilitatis septennio, agebatur nunc annus sterilitatis secundus, ubi annona in mundo inter mortales cœpit esse cara & rara; quapropter Jacob Patriarcha decem suorum filiorum in Ægyptum ablegare statuit, ibidem necessaria ad vitam ulteriùs conservandam frumenta coëmerent, quos proinde ad se convocavit, & quia desides adhuc erant in quærendo pane, eos hisce seriis verbis allocutus est. *Quare negligitis? Audivi, quòd triticum venundetur in Ægypto: descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopia.* Quod salutare patris consilium ac monitum, ubi fratres audierunt, mox sese ad iter cum jumentis parârunt, & à Joseph fratre suo tunc Regis vices in Ægypto gerente, quotquot considerabant, gratis impetrabant frumenta.

Gen. 42. 2.

Animæ Christianæ! venundatur (ut ita dicam) etiam in terra nostra hodierna die frumentum Electorum, & thesaurus indulgentiarum ac gratiarum planè immensus, nec opus est, ut descendatis ad eum obtinendum in terram Ægypti, & regionem remotissimam, sed venite unà mecum ad Ecclesiam hanc N. N. ubi sine pretio & absque ullo argento aut auro potestis vobis emere, ut possitis æternùm vivere: *Quare ergo negligitis? descendite, & emite vobis necessaria, ut possitis vivere, & non consumamini*

ui inopia. Thesaurus autem iste omnibus sufficiens, non alius est, quàm Indulgentiæ plenariæ, quas ad preces S. Francisci Seraphici Christus Dominus omnibus illis utriusque sexûs in perpetuum benignissimè concessit, qui contriti & confessi, ac Sacrâ Synaxi refecti Ecclesiam, quam Portiunculam appellant, devotè visitaverint &c. quas indulgentias exinde Summi Pontifices ad omnes Ecclesias hujus Sacri Seraphici Ordinis in orbe Christiano dilatârunt.

Cùm anno Christi 1711. die 19. Septembris Francofurti ad Mœnum Augustissimus, ac Potentissimus Carolus VI. à Serenissimis S. R. I. Electoribus in Romanorum Imperatorem solemnissima cum pompa coronaretur, sparserunt Proceres in vulgus pecunias, & numismata recenti Cæsaris effigie insignita. Prôh qualis ac quantus tunc erat populorum concursus! Ex altera parte per plures horas fons generoso manabat vino, interim panes candidissimi, & pannus cum avena & ingenti tauro assato populo tradebantur diripiendi. Hîc vidissetis mirabile certamen, in quo multi fuêre sauciati, & vix non pedibus obtriti, qui tamen nullum ex hoc hauserunt commodum. En! prostat hodie in hac Ecclesia immensus gratiarum thesaurus, ex quo omnes possunt divites fieri. *Venite igitur, & emite absque argento, & absque ulla commutatione* thesaurum nunquam deficientem in cœlis. De quo plura in præsenti adjuvante Numine explanabimus. Isa. 55. 1.

2. Quòd in Ecclesia Dei vera & Orthodoxa extet adhuc thesaurus planè infinitus ex abundantibus meritis, & satisfactionibus Christi Dei Filii, B. V. & Sanctorum ejus, qui thesaurus nunquam exhauriri poterit, quia infinitus apud omnes Catholicos in confesso est; Et ratio suffragatur, quia Christus Dominus nullâ pro se indigebat satisfactione, utpote qui peccatum non fecit, nec facere potuit, & qui una pretiosissimi Sanguinis sui stillâ millenos mundos potuisset redimere, dedit pro lytro & redemptione nostra ultimam; hinc tam copiosam redemptionem nobis applicari voluit per suum Vicarium, cui dixit: *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ubi observandum, hanc promissionem esse generalem, per quam summo Pontifici successori suo, & in his terris supremo Vicario omnem necessariam potestatem commisit ad ingressum fidelibus suis in cœlum plenè aperiendum, ex quibus sequitur, quòd etiam illi dederit potestatem non tantùm à culpa, sed etiam à pœnâ solvendi temporali, relictâ post remissam culpam & pœnam æternam, nam & hæc, prout est communis SS. Patrum & Theologorum assertio, quamdiu remissa non est, remoratur nos ab ingressu cœli. Matt. 16. 19.

Ex quibus colliges, quòd per indulgentiam homini verè disposito remittatur etiam pœna debita in foro Dei, seu in purgatorio, vivis enim in statu gratiæ existentibus, & opera ab Ecclesia præscripta ritè adimplentibus indulgentiæ applicantur per modum absolutionis, seu juridicæ Tirinus de Indulg. & Laym. &c.

relaxationis debiti factæ auctoritate clavium Ecclesiæ, defunctis autem per modum suffragii; Est ergo secundùm mentem Theologorum indulgentia *remissio pœnæ temporalis Deo debita, quæ fit extra Sacramentum per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum.*

3. His præmissis, abundè rerum consideranti patet, qualis ac quantus sit thesaurus animæ verè pœnitenti, posse lucrari indulgentias plenarias, dum non solùm in Confessione Sacramentali absolvitur à culpa, sed & per indulgentias simul à pœna. Et hic est ille thesaurus in agro ab-
Matt. 13 44. sconditus, de quo refert S. Matthæus: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.*

S. Franciscum Seraphicum consule, qui pro hoc spirituali obtinendo thesauro omnia dedit, omnia impendit; & quia erat zelator animarum ferventissimus, jugibus lachrymis earum apud Deum flagitabat conversionem & salutem. Audiit is aliquando de nocte intempesta Angelum monentem: *Surge citò Francisce, & ad Ecclesiam propera, ibi te Christus cum Matre sua, & magna Angelorum multitudine exspectat.* Adest repentè Franciscus, cui in genua humiliter provoluto Christus gratiam, quam vellet, benignè offert; & ille quid petiit? Fortasse cum Salomone Sapientiam? An divitias aut honores? An dignitates aut gloriam mundanam? An æqualem cum filiis Zebedæi in Regno cœlesti sedem? Minimè gentium, sed supplex & acclinus petiit indulgentias plenarias omnibus illis, qui confessi & contriti Ecclesiam suam Portiunculam devotè visitaverint &c.

O virum ineffabilem! Noverat videlicet ille, quid pretiosissimus orbis Salvator Christus per omnem vitæ cursum pro animarum fecerit salute,
Col. 1. 3. de quo dicitur: *In quo sunt omnes thesauri.* His tamen non obstantibus,
Philip. 2. 7. *exinanivit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis,* & hoc
Gal. 2. 20. propter unicam, si oportuisset, salvandam animam, unde S. Paulus: *Tra-*
S. Bern. ser. 41. in Cant. *didit semetipsum pro me!* Supra quod mellifluus: *Quin eâdem charitate, quâ pro omnibus, mortuus est pro singulis.* Ideo se viti comparavit, & nos palmitibus: *Ego sum vitis, vos palmites;* Vitis, quò magis inciditur & patitur,
Jo. 15. 5. eò magis vivaciores, floridiores ac fæcundiores redduntur palmites, *illius*
Isa. 53. 5. *enim livore sanati sumus.* Ideo in Cruce vehementer de siti conquestus est:
Jo. 10. 28. *Sitio;* & quid sitivit, qui paulò ante in templo clamabat? *Si quis sitit,*
Jo. 7. 37. *veniat ad me?* Resp. S. Bernardus: *Nostram salutem;* & S. Drogo: *Sitio*
S. Bern & S. Drogo de Sacram. Dom. Pass. *quid vestram fidem, & vestrum gaudium; plus animarum vestrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet.* Ideo circa horam nonam clamavit voce magnâ:
Matt. 27 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Resp. S. Bonaventura: *Christus tanto desiderio exarsit patiendi, ut tribus horis in Cruce exsaturari non potuerit, sed expetierit in ea pati usque ad finem mundi.* Ideo clamans exspiravit, & ut refert Apostolus: *Cum clamore valido & lacrymis;* Causam subjungit prædi-

ctus

ctus Mellifluus: *Flevit Christus in Cruce, quia cùm Passio sua sufficeret redemptioni omnium, profuit in redemptionem paucorum.* Ideo latus suum crudeli militis lanceâ aperiri sibi voluit, ut in hoc quoque summum, ac planè immensum animarum zelum ostenderet, ex hoc enim Sacratissimo pectore prodiit thesaurus prorsus inæstimabilis, quô abundè redempti & sanctificati sumus, nimirum *SS. Sacramenta Ecclesiæ*, ait S. Augustinus, *sine quibus ad vitam, quæ vera est vita, non intratur.* Hæc, inquam, & similia non ignorabat Seraphicus Franciscus, unde ingenti semper zelo cum Crucifixo Amore suo animarum sitiebat salutem, pro quibus talia, ac tam indigna Christus passus est, hinc non cessavit, neque ulli pepercit labori, donec illas plenarias ab ipso Deo & Homine Christo impetraret Indulgentias. Disce ex hoc, si non pari, saltem majori, quàm hactenus usus es, imposterum zelo animarum procurare salutem, quia *justificatio impii*, ait Doctor Angelicus, *est maximum opus Dei*, & S. Antistes Hipponensis: *Majus opus est ex impio justum facere, quàm creare cœlum & terram.* Juvat etiam hîc audire S. Jacobum Apostolum: *Fratres mei*, inquit, *si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

S. Bonav. de med. pass. Hebr. 5. 7.

S. Bern. s. 6. in Paras.

S. Aug. ser. 120. in Jo.

S. Th. p. 2. q. 113. a 9.

S. August. tract. 32. in Joan.

S. Jacob. 5. v. 20.

4. Sed noli mihi dicere, anime mi, cum illo Paralytico, triginta & octo annis ad piscinam Probaticam in infirmitate sua fatiscente, & vix non in grabato suo computrescente: *Hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Noli, inquam, hoc mihi dicere, en! omnia ad salutem animæ tuæ sunt parata. Piscina hæc salubertima est vera pœnitentia, & plenissima indulgentia; mota est autem hæc piscina spiritualis ab ipso magni consilii Angelo Christo; sed & hominem habes, qui te in hanc mittat piscinam; En! zelosos & indefessos Confessarios hîc circumsedentes, qui auxiliares peccatrici animæ tuæ lubenti animo præbebunt manus. Quid igitur restat, nisi ut in hanc descendas piscinam, si ab infirmitate animæ tuæ vis sanari: *Hæc est*, inquit S. Thomas Villanovanus, *illa piscina salutis, in qua, quicunque ægrotus quâcunque infirmitate lotus fuerit, procul dubio curabitur, & sanabitur, piscina scilicet lachrymarum, & pœnitentiæ.*

Jo. 5. 7.

S. Th. Villaser. de ser. 6. post. Dom. 1. Quadr.

Prodigus ille, qui uno anno cunctas facultates sibi à parentibus relictas epulando, potando, ludendo, scortando consumpserat, factâ in illa Regione fame validâ, & ipse cœpit egere. Verùm, quia non placuerunt huic Nobili siliquæ fabarum inanes, & leguminum folliculi, quibus corpus non reficitur, sed oneratur, proin pecorum sunt potiùs quàm hominum pabula, ideo in se reversus, ne omnino malesuedâ periret fame, statuit quantocyus ad Patrem reverti: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi &c.* Quem cùm de longe adventantem optimus

Luc. 15. 18.

parens conspicatus est fame confectum, laceratum, squalidum, plorantem, & ejulantem, intimis commotus visceribus de filii sui indoluit miseria, & accurrens cecidit super collum ejus; & osculatus est eum, mandavitque servis, ut sine mora afferrent stolam primam, eique pretiosum annulum in manus mitterent. Verùm, quid agis, optime Pater? quomodo, obsecro, os tam sordidum & immundum poteras osculari, & amplexari borcarium tam obscœnum? Et quid sibi voluit stola illa prima, seu vestis usque ad talos demissa, & quidem pretiosissima, & annulus aureus in manu filii tam immorigeri? quare non potiùs hunc lurconem validô baculô à domo tua abegisti, cum Isaia dicens: *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es?*

Isa. 65. 5.

En! pulcherrimum typum pœnitentis, & à mundo immundo ad Deum revertentis animæ: *Osculatur os*, ait Os Aureum, *per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat*; stolâ primâ eum vestit, & ornat, hoc est, *pristinâ gratiâ*, & annulo, id est, teste S. Augustino, *Spiritûs Sancti pignore.* En! quantùm Deus, qui sub hoc clementissimo Patre præsignatus est, gaudere soleat uno peccatore pœnitentiam agente: *Dico vobis*, ait ipsa Veritas Christus, *quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Supra quod egregiè Didacus Stella: *Observa*, inquit, *quòd non loquitur hîc Christus de pœnitentiam cogitante, sed de pœnitentiam agente, multi enim procrastinant pœnitentiam &c.* O mortales & peccatores omnes, quid moras vestræ trahitis conversionis! quare hîc totâ die statis otiosi? Ecce in his plenariis indulgentiis & Jubilæo primam potestis obtinere innocentiam, à lepra animæ vestræ purgari, in gratiam pristinam cum Deo restitui, & à culpa, & à pœna absolvi: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus &c.* Ite, ite.

S. Chrysost. hîc apud Cornel.

Luc. 15. 7.

Did. Stella hîc.

Luc. 17. 14.

5. Comitabar ego aliquando, tanquam Pater spiritualis, hominem maleficum ad patibulum, ut in illo admissorum lueret pœnas scelerum. Cùm jam jam proximus esset ille homuncio tormentorum loco & morti, venit repentè & ex insperato ab Illustrissimo Judice & loci Dynasta per cursorem hæc gratia: *Vitam huic malefico esse donatam.* Revixit miser ad hanc tam lætam vocem, qui paulò ante præ angustiis, mox secuturæ mortis, & divini judicii imminentis, adhuc vivens mori videbatur.

Homo Christiane! si in peccato existis mortali, vivens mortuus es! *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*, singulisque momentis magis magisque morti secundæ, & inferno appropinquas. Sed ecce, annuntio tibi hodie gaudium magnum: Vita æterna tibi donata est, si fructus egeris dignos pœnitentiæ, & si has plenarias ritè lucratus fuerit indulgentias: *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit? considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vitâ vivet, & non morietur.*

Ezech. 18. 20.

Idem. v. 27.

Ita

Ita est: *Non morietur.* Cùm ob excitatam ab Absolone persecutionem graviter esset David Rex afflictus, & majora adhuc ob peccatum cum Bethsabæa commissum timeret pericula & supplicia à Deo justissimo scelerum vindice sibi affligenda, amaris lachrymis miserias suas à luxuriæ peccato exortas, deplorare cœpit, unde Psalmum illum trigesimum septimum de pœnitentia composuit: *Domine, ne in furore tuo arguas me &c.* & versu 6. addit: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ - - Miser factus sum. - - & non est sanitas in carne mea.* Quid, quæso, Regem hunc adeò in corpore & anima afflixit? Ps. 37. 1.

Rem per similitudinem proposito nostro non incongruam dilucidemus. Est quidam, qui gravi & periculoso in pectore laborat apostemate, singulisque momentis ob inflammationem, & corruptionem interni vulneris exspectat mortem. Interim advenit Medicus, morbos fugare peritus, applicat medicinam, rumpit Apostema, & putredo ac sanies incipit effluere. O quanto ægrotantis cum gaudio & solatio! si enim illud non fuisset ruptum apostema, de infirmantis actum fuisset vitâ.

Et nunquid omne peccatum lethale simile est ejusmodi apostemati? si non erumpit per seriam pœnitentiam, de vita peccatoris æterna actum est. Unde rectè S. Gregorius Magnus: *Quid*, inquit, *est peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio, quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.* S. Greg. M.

Tali quoque apostemate David laborabat in mente; unde factum est, ut male obducta cicatrix putresceret, fœtoremque omnibus inhalaret, donec tandem per veram pœnitentiam, & publicam peccatorum confessionem, quam illo Psalmo universo terrarum orbi fecerat, apostema hoc fuit disruptum, & ipse audire meruit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* 2. Reg. 12. 13.

Anima Christiana! si simili laboras apostemate, & si has præsentes discupis lucrari indulgentias; en! paratam medicinam, si veram ac salutarem vis agere pœnitentiam. Adsunt & Medici, ac Patres spirituales in sacro tribunali te exspectantes, qui tuis libenter pro possibili medebuntur animæ vulneribus. Quid ergo moras trahis? aut pœnitendum, aut ardendum tibi erit. Audi prædictum S. Gregorium. *Vita nostra*, inquit, *ad tempus amarescat in pœnitentia, ne æternam amaritudinem sentiat in vindicta. Perpendo Petrum, considero latronem, aspicio Zachæum, intueor Mariam, & nihil in eis aliud video, nisi spei & pœnitentiæ exempla.* Imitare & tu illas personas, si vis veras à Deo lucrari indulgentias. S. Greg. M. hom. 2. sub. Evang. in fine, col. 325. D. tom. 2.

6. Olim præceperat Deus Moysi Hebræorum Duci. *Facies propitiatorium de auro mundissimo*; quod idem est, quàm locus placationis & misericordiæ, ibi enim Deus Moysi apparens, & cum eo loquens, placabatur, & propitiabatur populo. Sed dices, quare non etiam Deus in veteri Ex. 25. 17.

Testamento, vel etiam in novo, locum & domum justitiæ erigi mandavit? Resp. Oleaster: *Nusquam legimus, Deum in hoc mundo instituisse locum justitiæ, quo reos puniret, sed cùm sit clemens, domum, quâ peccatis nostris propitiatur, instituit non unicam, sed penè infinitas, quot enim sunt Ecclesiæ, tot sunt domus propitiationis.* Et quid aliud est insignis hæc Ecclesia, in qua hodie ad obtinendas plenissimas indulgentias convenimus, quàm locus placationis & misericordiæ, in qua anima pœnitens de novo cum Deo suo reconciliatur? Veré de hoc sacro loco dicere possum: *Hodie salus domui huic facta est.* Videte vos, & curate, ut sitis filii Abrahæ, interim ego pergo ad alia.

Oleast. hîc. Luc. 19. 9.

Venerat aliquando ad Christum Dominum Princeps cujusdam Synagogæ in regione Galilæa, humiliter cadens ad pedes ejus, & rogans: *Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum super eam, & vivet.* Annuit benignus Dominus, & invocatus propria persona comparere statuit: *Et surgens JEsus sequebatur eum.* Et ecce, cùm venisset in domum illius Archi-Synagogi, ejecta turba, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ, ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: *Puella surge: & reversus est spiritus ejus, & surrexit continuo.* In qua miranda resuscitatione observat S. Lucas, quod Christus Dominus mox parentibus illius puellæ præceperit, ut huic filiæ suæ aliquid ad manducandum apponerent: *Et jussit illi dari manducare.* Et quare hoc? Fortasse, ut magis hæc suscitatio vera esse appareret?

Matt. 9. 18. Luc. 8. 54.

Respondent in hunc Scripturæ locum S. Bonaventura, V. Beda, & Simon Cassianus: Quod Christus hîc fecit corporaliter, debere etiam intelligi spiritualiter; unde per memoratam filiam illam mortuam, & resuscitatam animam hominis in peccatis mortuam, & per pœnitentiam revivíscentem, subaudiunt: *Filia tua*, ait Doctor Seraphicus, *est anima tua defuncta per culpam, cui manus Christi imponitur per gratiam.* Præcepit autem parentibus ejus, ut mox aliquid ad manducandum huic suæ à mortuis ad vitam resuscitatæ filiæ præberent; supra quod dictus Cassianus *Post pœnitentiam peccatorum*, inquit, *post primam resurrectionem, post airtutis exercitium, jubetur, ut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi apponatur.*

S. Bon. hîc. Cass. l 5. c. 14.

Omnia hæc adimpleri cernimus in præsenti hoc jubilæo, & indulgentiis plenariis, ubi anima in peccatis mortua, per merita Christi, & virtutem pœnitentiæ de novo resuscitatur ad vitam spiritualem. Et suggerit V. Beda: *Si quis à spirituali morte resurrexit, cœlesti necesse est mox pane satietur, & divini scilicet verbi, & sacrosancti altaris particeps effectus.*

V. Beda in Lucam.

7. David, cùm aliquando vehementiùs in castris siti torqueretur, publicè coram suis exclamasse fertur militibus. *O! si quis mihi daret potum aquæ:* Ecce sine mora tres generosi per medios irruperunt hostes, eique desi-

2 Reg 23. 15.

desideratum attulerunt potum. Sitit & Filius David in Cruce : *Sitio.* En quid sitit ? Resp. Osorius, conversionem nostram, pœnitentiam nostram, lachrymas nostras &c. Eja ! irrumpamus & nos per medios hostes, omnesque vincamus difficultates, ut hunc desideratum potum Christo deferamus, & sic præsentes impetremus indulgentias. Jo. 19. 28. Osor. fer. 6. Dom. 3. Quadr.

Eliezer, cùm lassus & defatigatus ex itinere ad fontem sederet, nec haberet, quô hauriret aquam, ita secum discutrebat : *Igitur puella, cui ego dixero : Inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa respondérit : Bibe, ipsa est, quam præparasti, Deus, servo tuo Isaac.* Gen. 24. 14.

Plùs hîc in Cruce, quàm Eliezer ad fontem. Rebecca decora nimis, virgoque pulcherrima celeriter tunc depositit hydriam super ulnam suam, & dedit Eliezer potum, ex quo ille agnovit : Hæc erit sponsa Domini mei Isaac. O anima chara ! si vis esse sponsa Christi, crucifixi amoris tui, præbe sitienti potum, & quidem ex fonte cordis tui contriti & humiliati promanantem, cibus enim ejus, ait Mellifluus, & potus, pœnitentia tua est ; proinde rectè S. Chrysologus de pœnitente Magdalena, quòd nulla Christo apponi potuissent fercula delicatiora & lautiora, nec potus pretiosior, quàm dum *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Audiamus illius S. Patris verba : *Neque enim accubuit pocula saporata melle, floribus adorata sumpturus, sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus. Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum.* Et in hoc principaliter consistit verum Jubilæum, & nostræ hodiernæ indulgentiæ plenariæ, in quibus benè summi Pontificis, & Christi Vicarii in his terris sunt verba observanda : *Omnibus utriusque sexûs Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis &c.* Observa : *Verè pœnitentibus.* S. Bern. ser. 11. in Cant. 7. 38. Luc. S. Chrysol. serm. 39.

8. Agite mortales omnes : Hodie de novo illud verificatur : *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Sinite, ut murmurent Pharisæi, & contemptores ejusmodi indulgentiarum, & gratiarum Apostolicarum, non enim venit Filius hominis, ut perderet hominem sed ut salvaret ; ideo Petro dixit : *Pasce oves meas.* Ex quibus verbis docent Theologi, & singulariter Suarez, quòd S. Petro, ejusque Successoribus à Christo Domino data sit potestas largiendi fidelibus indulgentias. Luc. 15. 2. Jo. 21. 17. Suarez tr. de indulg.

Hodie fons ille, de quo Zacharias vaticinatus est, *patet Domui Jacob, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.* Per quem fontem rectè Haymo misericordiam Dei subaudit. Zach. 13. 1.

Hodie verificatur illud, quod servo illi Evangelico accidit, qui, cùm non esset solvendo, Dominum suum humiliter rogavit : *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi ;* & sequitur, ò immensam pientissimi Salvatoris nostri clementiam ! *Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Matth. 18. 26.

Hodie

Gen 45. 15. Hodie Joseph fratres suos priùs perfidos venditores, sed nunc pœnitentes, in pristinam recipit gratiam, eisque plurimùm miserando ex animo reconciliatur; *Osculatus est Joseph omnes fratres suos &c.*

Luc 10. 34. Hodie Samaritanus ille verè pius, & clemens, peccatori saucio non oleum & vinum, sed ipsum proprium in animæ vulnera infundit sanguinem, & infundendo curat: *Et approximans alligavit vulnera ejus.*

Hodie mitissimus Redemptor ad fontem Jacob sedet, ingenti cum desiderio exspectans Photinam mulierem Samaritanam, hoc est, peccatricem animam tuam: *Venit mulier haurire aquam.* Joh. 4. 7.

Hodie salutaris pœnitentia novum & lætissimum festum excitat Angelis Dei in cœlis: *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente*; Si super uno, quantò magis super multis? Ex quibus patet, quantùm Deum & omnes Angeli ejus sitiant peccatoris pœnitentiam. Luc. 15. 7.

Luc 15. 5. S. Ambros. in Lucam. Hodie bonus ille Pastor ovem suam perditam, sed nunc inventam, *imponit in humeros suos gaudens.* Supra quod S. Ambrosius: *Ovis illa, quæ perierat in Adam, levatur in Christo: Humeri Christi Crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui, in illa patibuli nobili cervice requievi.*

Luc 15. 8. Hodie denique adimpletur & verificatur illa pulcherrima parabola de muliere Evangelica, quæ, cum drachmam suam perdidit, lucernam accendit, & domum everrit, quærendo diligenter, donec illam amissam inveniat drachmam. Mulier hæc Sapientia Divina est, vel si mavis, Ecclesia Dei Sancta & Catholica, quæ hanc lucernam plenarum Indulgentiarum accendit, ut drachma amissa, hoc est anima tua in peccatis deperdita inveniretur. Congratulemur ergo cum Angelis Dei omnibus illis, qui hodierna luce, præmissa vera contritione & confessione ad Eucharisticam mensam in conscientia pura accesserunt, & præscripta à Summo Pontifice opera bona adimplerunt.

Sed adhuc unum necessarium est. Cùm Christus paralyticum illum, qui triginta & octo annis in infirmitate sua ad piscinam probaticam sub porticu jacebat ab omnibus desertus, nunc verbo vitæ sanâsset, eumque paulò post in templo inveniisset Deo pro recuperata salute gratias agentem, ad eum de novo conversus dixit: *Ecce sanus factus, noli amplius peccare.* Jo. 5. 14.

Hoc & ego vobis hodiè dico, & pro coronide hujus Considerationis inculco: Ecce sani facti estis, nolite ampliùs peccare, & dabitur vobis corona vitæ; Ite in pace.

CON-

CONSIDERATIO XXX.

Amor JESU S. Afræ Martyri dulces reddit flammas.

Pro Festo S. Afræ Martyris.

Proba me, Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum. Psalm. 25. 2.

I.

PUlcherrimam ac notatu dignissimam pretiosissimus orbis Salvator Christus Judæis discobolis proposuit parabolam: Erat pater, inquiebat, qui duos filios habuit, quibus mandavit, ut sese in suam conferrent vineam, eamque pro viribus excolerent, ut dignos suo tempore ex illa posset recipere fructus; primus patri respondit: *Nolo*, sed mox facti pœnitens, ac dolens de inobedientia, se operatum iturum in vineam, quod & strenué fecit: *Postea autem pœnitentiâ motus, abiit*; alter verò, cùm à patre audiisset: *Vade hodie, operare in vinea mea*, principio quidem promptum se ad omnem laborem exhibuit, sed opere nihil implevit: *At ille respondens ait: Eo Domine: & non ivit.* Hanc, inquam, parabolam Christus Dominus in Dominica Palmarum, ubi quasi Rex Messias asinâ vectus cùm triumpho Jerosolymam ingressus est, quod expulsos ementes & vendentes è templo, Principibus Sacerdotum, Scribis ac Pharisæis proposuit solvendam: *Quis ex duobus fecit voluntatem patris?* At illi respondebant: *Primus:* tum mitissimus Servator JEsus. *Amen, dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum DEI.* Et quare hoc?

Matth. 21. 31.

Matth. 21. 32.

Rationem subjungit ipsa Veritas Christus: *Venit*, ajebat, *ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei; Publicani autem & meretrices crediderunt ei.* Ex quibus Christi verbis facilé etiam intelliges, quisnam per filium primum & secundum fuerit designatus. Observa: Memorati Sacerdo-

tum Principes, Scribæ & Phariſæi videri volebant legis zelatores, cùm tamen reipſa eam non implerent, unde gravem in ſe Dei omnipotentis provocabant offenſam & iram; & hi fuerunt præfigurati per filium inobedientem, qui quidem patri dixit, ſe iturum in vineam, & tamen non ibat; per alterum verò filium, qui mox ſuam retraxit voluntatem, & in vineam, eam operaturus, ſe lubens contulit, deſignantur Publicani & peccatores, qui cognitâ veritate ſeriò ad frugem redeunt, dignosque pœnitentiæ fructus faciunt, & hi præcedent ejusmodi hypocritas in Regnum Dei: *Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei.*

Matth 21. 31.

Tales Publicani pœnitentes extiterunt cumprimis S. Matthæus, Zachæus & plures alii, cum quibus Chriſtus ſubinde, ut eorum lucrifaceret animas, ſolebat manducare, inter meretrices autem converſas præeminet S. Maria Magdalena, nobili quidem proſapiâ progenita, ſed pluribus vitiis gravida, hinc nominatur à S. Luca, *Mulier in civitate peccatrix*, quam ideo permiſit Chriſtus ad tempus in ſordibus volutari libidinis, ut in ea depuranda magis vim gratiæ ſuæ oſtenderet, dum eam voluit exhibere peccatoribus omnibus vivum pœnitentiæ exemplar, ne ob criminum enormitatem de venia deſperent, ſed potiùs in immenſa Dei confidant benignitate ac miſericordia, quia *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Hujus peccatricis exemplum ſecuta eſt & S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia & ſexcentæ aliæ, inter quas meritò etiam numeramus S. Afram Martyrem, mulierem paganam & peccatricem publicam in civitate Auguſtana, cujus hodie diem feſtum per ampliſſimam Diœceſin Auguſtanam ſolenniter celebramus, de cujus miranda converſione, vita & martyrio plura in præſentiarum conſiderabimus.

Luc. 5. 30.

Luc. 7. 37.

Pſ. 144. 9.

2. Cùm Deus T. O. M. in principio non æternitatis, nec ævi ſed temporis ex nihilo creâſſet cœlum & terram, obſervat mox Scriptura, quòd terra tunc adhuc fuerit inanis ac vacua: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, quia caligo occupabat omnia, & usque ad cœlum ſeſe extendebat empyreum, donec tandem immenſus Deus eodem adhuc die, hoc eſt primo, lucem quandam produxerit, ſine qua omnia creata & creanda manſiſſent inviſibilia: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux &c.* Collige ex hoc, Lector prudens, quàm confuſum chaos tunc fuerit totus terrarum orbis, antequam Deus procreaverat lucem; ſed ubi lux producta eſt, mox mundus aliam venuſtiorem ac ſereniorem induit faciem.

Gen. 1, 2,

Tale confuſum chaos erat in animo Afræ de regia quidem gente Cypria oriundæ, ſed ab ineunte ætate à parentibus Gentilibus Sacris impuræ Veneris dicatæ; verè tunc erat Afra *terra inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, quia verum Deum ac Creatorem cœli & terræ, neque Filium ejus unigenitum Chriſtum JEſum nondum agnoverat, neque

que verbulum de vera & orthodoxa fide audiêrat, proinde volutabatur de malo in malum, de una peccati abyſſo in alteram, donec tandem illi prima lux oriri viſa eſt, dum ex Hiſpania Auguſtæ Vindelicorum advenit S. Narciſſus Epiſcopus Gerundenſis, ob immaniſſimam Diocletiani Imperatoris in Chriſtianos perſecutionem profugus, cujus operâ ac ſanctitate primum fidei radium, ac tandem perfectum in doctrina Chriſti lumem accepit. O qualis ac quanta eſt illa gratia, habere lumen veræ fidei! age proinde, anime mi, ſæpiùs Deo gratias, quòd ſis in ejus adſcriptus Eccleſiam, & quòd non inter Gentiles, Paganos, Judæos & Hæreticos natus ſis; roga cum Apoſtolis ſæpius & impenſiùs: *Domine, adauge nobis fidem,* quid enim prodeſt, ſi Catholicè credas, & gentiliter vivas? Sit ergo tibi deinceps fides principium rectè vivendi, & omnium operum amuſſis ac regula. Luc. 17. 5.

3. Sed accidit hîc S. Narciſſo Epiſcopo in converſione S. Afræ & ſociarum ejus, ut quondam S. Petro Apoſtolo, cui in meridie eſurienti vas quoddam, ſeu potiùs linteum magnum, continens omnia generis eſcas mundas & immundas, è cœlo demiſſum eſt: *Et facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occide & manduca. Ait autem Petrus: Abſit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum.* Aſt mox aliam de cœlo audivit vocem: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Per quas eſcas immundorum animalium ac ſerpentium S. Petro præfigurata fuit converſio Gentilium, qui à Judæis tanquam immunda cenſebantur animantia! inter quos gentiles primò à S. Petro converſus eſt Cornelius Centurio, de quo rectè S. Ambroſius: *In Eccleſia*, inquit, *primum Deo animal ex Gentibus Centurio Cornelius eſt immolatus*; quia per ſanguinem Chriſti, (ita loquitur antiquiſſimus Irenæus) omnia ſunt purificata; ſanguis enim hujus immaculati agni abſterſit legem veterem cum omni ſua immunditie. Act. 10. 13. S. Ambroſ. ſerm. 10. Irenæus lib. 3. c. 12.

Simile quid & S. Narciſſo Epiſcopo Gerundenſi accidit; dum enim ingreſſus eſſet Auguſtam Vindelicorum circa annum Chriſti 302. illo ipſo tempore, ubi in Chriſtianos crudeliſſima ſæviebat perſecutio, neſciens in quo diverteret loco, in ædibus Afræ mulieris paganæ & notæ impudicitiæ cum Felice ſuo Diacono exceptus eſt, quæ rata, illos turpitudinis ſtudio eò deflexiſſe, cænam paravit opiparam. O Sancte Narciſſe! *Surge, occide, manduca*, ecce immundi hîc tibi præparantur cibi: *Quadrupedia & ſerpentia terræ.* Interim toto corpore, vultu, oculisque in cœlum intentis ſe componit ad orationem S. Epiſcopus, totamque noctem in hymnis & Dei laudibus pervigil cum Diacono inſumit, ubi clariſſima lux cœlitùs demiſſa illuminabat habitaculum; quod cùm vidiſſet Afra Gentilis & luparum coriphæa, inſolitâ Epiſcopi ſanctitate ſtupefacta, & ſalutari timore ac dolore correpta, multis profuſis cum lacrymis ad ejus ſeſe pe-

des abjecit, & ultro confessionem generalem suorum deposuit delictorum, quam animitùs dolentem ac pœnitentem Sanctus Antistes benignè conso-
Act. 10. 34. latus est, hanc interim ruminans cum S. Petro sententiam: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Disce hîc à S. Afra pœnitente valvas cordis tui non occludere, cùm tibi gratiarum sol, Christus, illu-
Apoc. 3. 20. cet: *Ecce, sto ad ostium, & pulso*, sed veraci ac serio dolore tua infectare
Rom. 6. 21. vitia, divinæque gratiæ jacturam tuis repara lachrymis: *Quem enim fructum habuisti, in quibus nunc erubescis?*

4. De Proto-parentibus nostris observat Scriptura, eos tunc primùm in paradiso aperuisse oculos suos, postquam mandatum Dei prævaricati sunt, fructumque prohibitum de arbore scientiæ boni & mali de-
Gen. 3. 7. gustârunt: *Et aperti sunt oculi amborum.* Quid hoc est? Ergo antea non videbant? Imò verò quàm maximè videbant: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Quare ergo Scriptura dicit, quòd post admissum peccatum mox suos aperuerint oculos? *Et aperti sunt oculi amborum:* Resp. Cornelius: Adverterunt, quantum bonum justitiæ originalis amiserant, & in quantum peccatum ac malum ceci-
S. Aug. lib. 14. de Civit Dei c. 17. derant; & S. Augustinus: Aperti sunt oculi amborum, non ad videndum, sed ad discernendum inter bonum, quod amiserant, & malum, in quod ceciderant, dum nunc clarissimè videbant, quòd serpens infernalis ipsis porrexerit pomum, & interim surripuerit paradisum, unde lemma: *A malo omne malum.*

O! quàm cæca hactenus fuit Afra nostra, quæ etiam apertis oculis nihil videbat, dum insano & impuro amori dedita, rectà, velut equus indomitus, quotidie magis magisque properabat ad inferni barathrum,
Job. 31. 12. O! dolendam venereorum mancipiorum cæcitatem, dum unicâ, momentaneâ ac spurcissimâ carnis voluptatulâ gaudia perdunt sempiterna: *O ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina!* Sed tandem vidit Afra nostra, *& aperti sunt oculi ejus*, quando S. Narcissum concionantem audivit, & ex eo scelerum suorum gravitatem intellexit, ubi dolens, ac gemens ultrò impudicitiæ labem confessa est: *Ad tantæ humilitatis vocem*, ait Scriptum Augustanum, *Narcissus protinus JESU Christi bonitatem verbis lenissimis ipsi explicavit, hortatusque, ut, impudico & flagitioso vitæ genere relicto, Christi gratiam quæreret:* quod & strenuè per reliquum vi-
Ps. 76. 11. tæ curriculum fecit, cum Psalte Regio sæpiùs ingeminans: *Dixi, nunc*
Rom. 8. 36. *cœpi*, & cum S. Paulo: *Quis me separabit a charitate Christi?*

5. Disce hîc à S. Afra pœnitente, anima Christiana, dum eam ad pe-

des

des S. Narciſſi ob offenſum Deum vim lachrymarum profundentem conſideras, de tuis quoque peccatis veré pœnitere, & pedes Chriſti JEſu crucifixi lacrymis tuis abluere. O! ſalutares pœnitentis animæ lacrymæ, vos eſtis aquæ fauſtiſſimi diluvii, quibus non mergitur, ſed abſtergitur à ſordibus animus carnis ſpurcitie fœtidus: *Conſumptaque eſt omnis caro &c.* Gen. 7. 21. Vos eſtis aquæ maris rubri, in quibus oportet nos mergere ſuperbum Pharaonem & omnem exercitium ejus, hoc eſt, arrogantem Dæmonem & vitia noſtra ejus ſuggeſtione nobis inſtillata: *Et involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* Vos eſtis illa puriſſima & limpidiſſima limpha, quæ cum impetu fluit ex petra contriti cordis, ſi priùs virgâ directionis à divina gratia fuerit percuſſa, unde David: *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ.* Ex. 14. 27. Pſ. 77. 20. Vos eſtis illud fluentum Jerichuntinum, ab Eliſæo amaro quidem, ſed ſalubri ſalte conſperſum, quo mediante ablata eſt omnis mors & ſterilitas: *Hæc dixit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultrà eis mors, neque ſterilitas.* 4. Reg. 2. 21. Vos eſtis aquæ illæ recens ex puteo Chananæo hauſtæ, ſed nunc per contritionem pœnitentis animæ in optimum vinum converſæ, quo mediante exhilarantur Angeli, & reconciliatur Sponſus: *Implete hydrias aquâ &c.* Jo. 2. 7. Vos denique eſtis illa ſaluberrima aqua, de qua vaticinatus eſt Jeſſæus Vates: *Et aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Pſ. 148. 4. Aquæ iſtæ, quæ ſuper cœlos ſunt, ait S. Chryſologus, non ſunt aquæ elementares, aut pluviales, ſed lacrymæ verè pœnitentis animæ, quas Deus in conſpectu ſuo ponere aſſolet, juxta illud Davidicum: Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo: *Ecce*, inquit, *quomodo mutatur ordo rerum, pluviam terræ cœlum dat ſemper, & nunc rigat terra cœlum, imò & ſuper cœlos, & ſuper Dominum imber humanarum profilit lacrymarum, ut juxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* S. Chryſoſt. ſerm. 93.

6. De Rahab Jerichundina commemorat Sacer Codex, quàm inſigni charitate exceperit duos illos Hebræos exploratores, quos Joſue Belli Dux ſtrenuiſſimus juxta ac pientiſſimus in civitatem Jericho Jordani vicinam, ut eam explorarent, amandavit; ſed Rex Jerichuntinus rem odoratus mox dictos exploratores, uptote linguâ & habitu peregrino ac moribus diverſos, per armatos milites perſequi cœpit: *Miſit Rex Jericho ad Rahab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam; exploratores quippe ſunt, & omnem terram conſiderare venerunt.* Et quid ad hoc ſollicita Rahab? *Tollensque mulier viros abſcondit, operuitque eos ſtipulâ lini, quæ ibi erat.* Joſ. 2. 3.

En! perelegantem typum Auguſtæ Vindelicorum in ædibus S. Afræ adimpletum; dum enim Cajus, urbis illius Gubernator, homo Gentilis Val. Leuc. in vitis SS. Aug.

lis, & Christiani nominis hostis infensissimus intellexisset, quòd ibidem in habitu peregrino adventâssent duo Iberi, Episcopus unus, alter Diaconus, sine mora armatum militum cuneum illuc amandavit, qui eos comprehenderent, & Tyranno sisterent examinandos, ac puniendos. Et quid in hoc rerum discrimine S. Afra nunc recèns baptizata & Christiana? *Tollensque mulier viros abscondit, operuitque eos stipulâ lini, quæ ibi erat*; donec milites re infectâ aliò discesserint. Et ut S. Narcisso de vita ob Christiani nominis professionem periclitanti magis adhuc consuleret, eum cum Sancto Diacono de nocte intempesta ad matrem suam Hilariam perduxit, ubi in ampla domo magno cum gaudio omnium domesticorum exceptus est; & quia promptos ad Evangelicam amplectendam veritatem invenit, totam familiam post indictum septem dierum jejunium sacro baptismatis fonte abluit, atque ab eis dæmonem horribili specie illis apparentem fugavit; quibus peractis S. Episcopus post novem mensium spatium, intra quod tempus domum Hilariæ in Ecclesiam consecravit, S. Dionysium primum Augustanorum Episcopum constituit, & plurimos ad cognitionem Dei, ac veræ fidei perduxit, de novo in Hispaniam reversus est, ubi paucis post annis Gerundæ pro Christo in fidei confessione tribus vulneribus, scilicet in gutture, in humero & in surâ vulneratus, glorioſus Martyr in Domino occubuit, S. Felix verò ejus Socius & Diaconus post diversa tormentorum genera Gerundæ in Hispania tamdiu jussus est laniari, donec invictum Christo spiritum redderet. Ecce quomodo *omnes, qui piè volunt vivere in Christo JEsu, persecutionem patiuntur.* Quales tibi hîc est animus? an & tu paratus es, talia pro Christo pati?

Martyrol. Rom. 1. Aug.

2. Tim. 3. 12.

7. Recordor hîc naviculæ S. Petri aliquando per totam ferè noctem usque ad vigiliam noctis quartam in feris maris fluctibus jactatæ. Tandem illi in auxilium venit mitissimus Salvator JEsus super maris fluctus ambulans, & sedans gravissimam tempestatem: *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.* Per hanc Petri naviculam tot decumanis procellis agitatam meritò SS. Patres Ecclesiam Dei primitivam intelligunt, quam primis trinis sæculis varii persecutionum fluctus & Tyranni crudelissimi exagitabant, inter quos præeminebat Diocletianus Christiani Sanguinis gurges, qui per universum Romanum Imperium omnes Christianorum Ecclesias dirui, sacros codices comburi, & Christianos, si non Christi fidem abjurâssent, atrocissima morte é medio tolli præcepit, quod crudelissimum mandatum anno Christi 303. etiam Augustæ Vindelicorum fuit publicatum.

Matth. 14. 33.

Agedum S. Afra! macta esto virtute, nunc tua res agitur, tempestas & persecutio grandis te manet; Verùm confide in Deo, *ipse enim dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: Benedictus Deus.* Interim adsunt milites,

Is. 67. 36.

lites, Afra evocatur ad quæſtionem, & ſi renitens fuerit, ad torturam. Siſtitur proinde mulier inermis Cajo Romano Judici: Et tùne, inquiebat, es illa Afra Cyprio & Regio ſanguine prognata, hactenusque ſacris Deæ Veneris dicata? quæ, obſecro, te faſcinavit inſania, ut Deos noſtros contemneres? & Chriſtum ſectarere crucifixum? aut fidem muta, & Chriſtum nega, aut atrociſſima experiêris pœnarum tormenta. Et quid ad hoc fulmen & tonitru Tyranni S. Afra? Superiore illuſtrata ſpiritu generoſo animo reſpondit Tyranno: Fateor, Chriſti miſericordiæ & gratiæ me eſſe indigniſſimam, quia diu corpus meum, licèt ignorans, ad illius abuſa ſum offenſam; ſed quia Chriſtus Dominus meus etiam *peccatores recipit*, & ideo venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret, ideo non deſpero, & ab ipſo quoque in animo contrito & humiliato veniam exſpecto. Et quid moraris, Judex Romane & Gentilis? Ecce ſtatutum eſt cum Chriſto JESU, & pro Chriſto JESU vivere & mori: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

Luc. 15. 2.
Luc. 19. 10.
Philipp. 1. 21.

Ad hanc inexſpectatam reſponſionem excandeſcens Judex hanc iniquiſſimam ferebat ſententiam, ut S. Afra palo alligata, in inſulâ quadam Lyci ab urbe Auguſtana ſesqui horâ diſſitâ, & urbi Fridbergæ in Bavariæ finibus vicinâ, viva combureretur; quâ auditâ ſententia S. Afra nullo modo expavefacta eſt, ſed læta inter truculentos lictores feſtinabat ad ſupplicii locum, interim in via non ſine amorificis in cœlum lacrymis ad Deum & hominem Chriſtum pro omnium ſalute crucifixum hanc orationem ingeminans: O Domine JESU Chriſte, verus & omnipotens Deus, qui non veniſti vocare Juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: promiſſiones tuæ veræ ſunt, tu enim dixiſti: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus eſt, vitâ vivet, & non morietur: Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Accipe nunc pœnitentiam paſſionis meæ, & per hunc ignem temporalem corpori meo præparatum libera me ab igne gehennæ, cujus flamma non extinguetur in æternum. Dum hæc mulier illa fortis effatur, pretioſis ſpoliatur veſtibus (cujus pecunias & gemmas jam priùs in cœleſtes theſauros manus pauperum deportaverant) Exinde alligatur palo catenis, ſubjiciuntur ligna arida & ſarmenta, quibus mediantibus ſuccenſus eſt ignis magnus, in quo conſiſtens Sancta Martyr, velut nova Phœnix, hæc ultima edidit ſuſpiria: *Gratias tibi ago, Domine JEſu Chriſte, qui me dignatus es pro nomine tuo ſacrificari: Tibi offero & dedico me ipſam in holocauſtum, qui pro ſalute totius mundi in ara Crucis voluiſti fieri acceptabile ſacrificium, juſtus pro injuſtis, bonus pro malis, benedictus pro maledictis; qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum.* Hæc ultima & ſuprema S. Afræ Martyris Auguſtanæ in igne erant verba, quibus clara adhuc voce prolatis inter fumum & ignem ſanctam

Ezech. 18. 21.

Dionyſ. de Luxenb. in vitis SS. die 5. Aug.

Deo

Deo tradidit animam, cujus sacrum corpus ab ignis incendio non admodum læsum S. Hilaria mater, S. Digna, Eunomia & Eutropia ejus famulæ & in martyrio paulò post sociæ cum Sacerdotibus Dei noctu in monumentum secundo ab urbe miliario intulerunt, quod nobile corpus nunc
Esth. 6. 9. Augustæ in Basilica S. Udalrici miraculis clarum requiescit: *Sic honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare.*

8. Hîc consideratis considerandis, noli ampliùs esse sollicitus, Rex sapientissime! in quibus tandem finibus terræ mulier fortis sit reperiun-
Prov. 31. 10. da: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et ecce, hæc mulier fortis inventa est. Fortis fuit illa Debbora Prophetissa, olim sub palma sedens, populumque electum Dei judicans, quæ ducem Jabin, hostem Israëli infen-
Judic. 4. 9. sissimum, cooperante Barac, in monte Thabor generosè profligavit: *Surrexit itaque Debbora & perrexit cum Barac in Cades &c.* Fortis fuit Jahel, dum per tempora & cerebrum Sisaræ clavum ferreum adegit, eumque in
Judic. 4. 21. tabernaculo suo dormientem occidit: *Talis itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa absconditè & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram.* Fortis fuit illa mulier in Thebes, quæ in obsidione hujus oppidi, cùm Abimelech Tyrannus turrim munitissimam oppugnare in-
Judic. 9. 53. tenderet, fragmine lapidis molaris ei caput contrivit: *Et ecce, una mulier fragmen molæ desuper jaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus &c.*
Jud. 13. 9. Fortis fuit Judith, quæ totis conniſa viribus gladium in collum Holofernis, altùm tunc in lecto stertentis, impegit, secundo ictu arrogantissimum caput ab humeris resecuit: *Apprehendit comam capitis ejus: & percussit bis in cervicem, & abscidit caput ejus.* Fortis fuit illa fœmina in obsidione Abelæ civitatis, quæ per prudentiam suam obsidionem solvit, Joab Belli ducem placavit, & caput Sebæ, seditionem contra Davidem moventis, ut per
2. Reg. 20. muros ad Joab projiceretur, procuravit: *Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Sebæ filii Bochri projecerunt*
22. *ad Joab.*

Sed ad quid umbras enarro? Fortior fuit S. Afra Protomartyr Augustana, dum se ipsam vicit, mundum contempsit, omnes profanos amores valere jussit, Diabolum subjugavit, Tyrannum illusit, & nec ipsum crudelissimum ignis incendium formidavit, sed læta ob amorem Domini
Dan. 13. 35. sui JESU Christi in ardentem rogum insiliit: *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*, qui in pœnis eam non dereliquit, sed ut gratissimam
1. Cor. 4. 9. holocausti hostiam accepit, & idcirco *spectaculum facta est mundo, Angelis*
Judith. 14. 16. *& hominibus.* Ecce, quomodo *una mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor*, hoc est, in Regno Diaboli: Et hæc, sapientissimè Salomon, est mulier illa fortis.

9. Sed

9. Sed unde tantus in fœmina animus? Olim mandaverat DEUS, ut ignis in altari ſemper arderet: *Ignis autem in altari ſemper ardebit . . . . Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Per quem ignem ſacrum ac perpetuum rectè charitas Dei & proximi intelligitur, qui in altari cordis noſtri jugiter ardere debet, & nunquam extingui: hoc igne accenſi dicebant duo illi Diſcipuli è villa Emauntica Hieroſolymam regreſſi: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis?* Hic, inquam, ſacer ignis ardebat quoque in corde Divæ Afræ, quia Deum ſuper omnia dilexit, pro quo vitam, ſanguinem, & omnia temporalia expoſuit, proximum autem ſicut ſeipſam dilexit, cui ante ſuum agonem omnes facultates diſtribuit, ut ſic ſe magis expeditam ad tantum redderet certamen. Et hic duplex amor fuerunt duæ alæ, quibus inſtructa hæc myſtica aquila noſtra (S. Afræ anima) é flammis evolans ſe levavit in cœlum. Lev. 6. 12. Luc. 24. 32.

Olim cùm Romæ exequiæ Imperatorum in campo Martio ſolenni, ſed Gentili cum ritu celebrarentur, Romani ingentem inſtar Phari cujusdam erigebant pyramidem, in cujus apice aquila, avium Regina, viva conſidebat, ſed funibus inferiùs nonnihil alligata, quibus per ignem combuſtis, aquila libera & à vinculis ſoluta velut de morte victrix, de flammis in aëra evolabat, defuncti Imperatoris animam, prout autumabant, ſecum deferens in cœlum. Kiſel. p. 4. conc. 78.

Aquila iſta imago eſt glorioſiſſimæ animæ S. Afræ Protomartyris Auguſtanæ, dum ex ardenti Rogo rectà evolavit in cœlum. Quid ergo nunc ſupereſt, niſi ut huic Sanctæ Patronæ noſtræ ex animo congratulemur. Tu, ò S. Afra, es ovis illa perdita, ſed à bono Paſtore Chriſto JEſu inventa, quam lætus in humeros ſuos ſuſcepit, & ad cæleſte ovile deportavit. Tu es illa drachma regia & amiſſa, ſed hodie per lucernam accenſam reperta. Tu es filia illa prodiga, à Cyprio Regno peregrè in Regionem longinquam, hoc eſt, usque Auguſtam Vindelicorum proficiſcens, ſed quia pœnitens rediiſti ad Patrem, Crucifixum JEſum, ideo hodie ab illo expanſis brachiis benigniſſimè in gratiam recepta es. Vive nunc cum illo in cœlis, quem in terris toto corde dilexiſti, & eſto memor noſtri, ut qui te ſecuti ſumus errantem, ſequamur & pœnitentem dignosque pœnitentiæ fructus faciamus. Luc. 15. 4. Luc. 15. 8. Luc. 15. 20.

CONSIDERATIO XXXI.

De S. Laurentii M. vita, generoso agone, ac Triumpho.

Pro Festo S. Laurentii M.

Probâsti cor meum, & visitâsti nocte: igne me examinâsti, & non est inventa in me iniquitas.
Psalm. 16. 3.

I.

JAm olim in publica disputatione in aula Regia potentissimi Monarchæ Darii hoc problema propositum fuit, quidnam in hoc orbe terrarum sit censendum fortissimum? Primus in hanc ibat sententiam: *Forte vinum*; Lothum consule virum justum, qui, licèt luctuosum illud Pentapoleos evaserit incendium, vino tamen obrutus & superatus est: *Veni, inebriemus eum vino &c.* Noë, vir perfectus, ubi plùs vini generosi, cujus naturam & vehementiam post diluvium ignoraverat, in vinea sua recens exculta potavit, in tabernaculo suo nudatus & protervè â filio Cham illusus est: *Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus &c.* Holofernes sopitus vinô, à fœmina confusus vitam & animam perdidit: *Et jucundus factus est Holofernes ad eam* (Juditham) *bibitque vinum multum nimis &c.*

3. Esdræ 3. 10.

Gen. 19. 32.

Gen. 9. 21.

Judith. 12. 20.

Secundus in hoc enodando problemate: Quidnam fortissimum in mundo jure merito haberi debeat, in hanc declinavit sententiam: *Fortior est Rex*; quam opinionem suam multis probavit argumentis, quòd Rex sub potestate sua & terram teneret & immensum mare, item Provincias quàm plurimas ac prædivites, subditos ferè innumeros, exercitum validissimum ac potentissimum ad omnem Regis nutum paratum: *Et ipse unus solus, si dixerit, occidite, occidunt, si dixerit, remittite, remittunt &c.*

3. Esdræ. 3. 11.

3. Esdræ 4. 7.

Tertius

Tertius hanc tenebat ſententiam : *Fortiores ſunt mulieres* ; Et nònne, inferebat, *Mulieres genuerunt Regem & omnem populum &c.* Et quis prudentior Adamo ? ſed mulier decepit eum : *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quis ſanctior Davide ? nonne vir erat ſecundùm cor Dei ? ſed mulier ſeminuda in horto, quam poſt meridiem ambulans in ſolario ex adverſo ſui palatii conſpicatus eſt, ejus oculos & mentem rapuit : *Viditque mulierem ſe lavantem &c.* Quis fortior Samſone ? ſed una laſciva mulier hunc Coloſſum confudit, ſtravit, & in manus hoſtiles tradidit : *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſusque eſt ad eam &c.* Quis ſapientior Salomone ; Sed vir ſapientiſſimus per mulieres factus eſt ſtultiſſimus : *Cumque jam eſſet ſenex ; depravatum eſt cor ejus &c.*

3. Esdræ 3. 12. Gen. 3. 12. 1 Reg. 11. 2. Judic. 16. 1. 3 Reg. 11. 4.

Tandem in hanc ſolemniſſima diſputatione regia ſurrexit Zorobabel, & reſumens breviter cæterorum argumenta ſententiam definitivam dedit: *Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filii hominum . . . . Sed veritas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſæcula ſæculorum. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt : Magna eſt Veritas, & prævalet.*

3. Esdræ 4. 37.

Cæterùm, ſi tunc temporum intervallo vixiſſem, & huic fuiſſem præſens diſputationi, cum bona illorum venia dixiſſem, illum in mundo eſſe fortiſſimum, qui ſe ipſum ſcit vincere. Multi multa vicerunt regna, & quid dico, Regna ? etiam orbem terrarum, & hunc penè univerſum. Alexandrum Magnum conſule, Auguſtum Octavianum & ſexcentos alios; ſed quid inde? quia ſe ipſos vincere non poterant, ideo miſerrimâ morte interiêrunt. Audi Poëtam Chriſtianum benè ad rem noſtram dicentem :

Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.

Talis fuit S. Laurentius Archi-Levita Romanus & Chriſti Martyr glorioſiſſimus, qui non duntaxat ſeipſum, ſed mundum, carnem, vitia, Diabolum, Tyrannum, ipſumque infernum vicit, de cujus generoſa fortitudine & glorioſo certamine plura hodie conſiderabimus. Attentum requiro animum.

2. Ita eſt : *Generatio rectorum benedicetur ; & generatio ſancta nepotes eorum.* Recti erant parentes S. Laurentii M. cujus pater appellatus eſt Orentius, Mater Patientia, Uxamæ in Regno Arragoniæ oriundi, ambo ſancti, ambo juſti coram Domino ; quid igitur mirum, quòd partus ſequatur ventrem & parentem ? proinde à primis & teneris annis in omni ſanctitate & juſtitia erat educatus ; & eluxit jam tunc in ejus adoleſcentia tantus erga fidem noſtram Catholicam zelus, ut contemptis bonis terrenis,

Pſ. 111. 2. Eccl. 44. 12.

sensualibusque commoditatibus, ultrò patriam, parentes, hæreditatem, amicos, & quicquid delitiarum ejus floridæ ætati mundus potèrat objicere, reliquerit, ac Romam se se contulerit, ut hac magnificentissima urbe & orbis capite, ubi tunc temporis immanissima Gentilium in Christianos sæviebat persecutio, Religionem veram pro viribus, &, si opus foret, proprio quoque sanguine tueretur: hinc à S. Sixto II. Pont. Max. benignè exceptus, mox ob virtutum singularem splendorem Archidiaconus creatus, & tandem thesaurarius S. R. Ecclesiæ constitutus est, in qua dignitate omnibus Christicolis, velut lucerna super candelabrum posita, peculiari sanctitate, omnique virtutum genere præluxit; hinc teste S. Laurentio Justiniano, *SS. Martyrum circuibat cryptas, Sanctorum lavabat pedes, cæcorum aperiebat oculos, lucrabatur animas Christo, atque flagrabat amore martyrii &c.*

S. Laurent. Justin. serm. de hoc Sancto.

Et, quia in omnes erat benignus ac misericors, meritò cum patientissimo illo Jobo dicere poterat: *Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris egressa est mecum.*

Job 31. 18.

De Tobia seniore commemorat Scriptura: *Cumque esset junior, nihil tamen puerile gessit in opere*, sed senem agebat moribus jam in ipsa juventute, viam veritatis sectando, idololatras vitando, & veri Numinis cultum pro viribus promovendo; hinc nullis parcebat sumptibus, ut captivos solaretur fratres, eorum fami & paupertati succurreret, eosque in vera conservaret religione, ne ad idola Assyriorum deflexerent: *Ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus* (Israëlitis) *qui erant ex ejus genere, impertiret.* En! insignem typum, quem S. Laurentius Archidiaconus Romæ ad amussim implevit, dum nil unquam puerile gessit in opere, sed inter Gentiles immaculatam agebat vitam, plures eorum, inter quos erat S. Hypolitus, & Romanus, & alii, ad fidem orthodoxam convertit, Christianos ob metum tormentorum in fide vacillantes confortavit, peregrinos hospitio sereno vultu excepit, eorum pedes humiliter lavit, eorumque egestati pecuniâ, operâ & consilio subvenit; proinde rectè hodie S. Mater Ecclesia de illo canit illud Davidicum: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.* En! anime mi, quàm insigne hîc habes exemplum S. Laurentium in amore proximi imitandi. Si vis aliquando in mortis tuæ agone audire & experiri illud consolatione plenum: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus*; nunc audi & sequere: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

Tob. 1. 4.

Ps. 111. 8.

Ps. 40. 4.

3. Sed progrediamur ulteriùs. Cùm instaret quondam Judæis gravissimum bellum, & Rex Syriæ & Rex Samariæ uno fœdere juncti, jam copias suas in conspectu Jerusalem collocâssent, ut eam obsiderent, & potestati suæ subjicerent, venit Isaias Propheta in occursum Achaz, eumque ac populum Judaicum ex parte Dei consolatus est, ne sibi audito hostium

ſtium rumore adeò timerent, Deum enim certò certiùs opem ipſis laturum, & urbem ac Regionem ab interitu conſervaturum : *Noli, timere*, dicebat Iſaias ad Regem Achaz, *& cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris Raſim Regis Syriæ & filii Romeliæ &c.* Iſa. 7. 4.

Pereleganter hæc verba Iſaiæ Prophetæ applicari poterunt D. Laurentio S. R. Eccleſiæ Archidiacono, nunc à militibus Romæ tento, & ob profeſſionem fidei Catholicæ in ſqualidum carcerem detruſo : *Noli timere*, Sancte Laurenti, *& cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum.* Duæ iſtæ caudæ titionum, qui igne extracti quidem fumigant, ſed mox extinguuntur, erant Decius Imperator, Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus, & illo infeliciter extincto, Valerianus Imperator & Tyrannus immaniſſimus, qui duo infernales titiones, ſibi invicem in regimine Imperii ſuccedentes, Chriſtianos non tantùm Romæ, ſed & in omnibus Imperii finibus acerrimè perſecuti ſunt, veré *titiones fumigantes.*

Agedum Sancte Laurenti ! nunc tua res agitur. Valerianus, quò ſenior, eo nequior, quia jam ſeptuageſimum agebat ætatis annum, ſpe theſauri Eccleſiaſtici rapiendi illectus, omnibus viribus eò allaboravit, ut S. Archi-Levitam & Eccleſiæ theſaurarium vel ſub ſpe præmii & honoris, vel per atrocitatem immaniſſimorum tormentorum vinceret ; in quem finem Laurentio præſente omne genus inſtrumentorum, quibus hactenus SS. Martyres erant excarnificati, proferri jubet, cum minis atrocibus, quòd, ſi non Chriſti fidem abnegaret, cuncta iſta in ſuo corpore experiretur inſtrumenta. Et quid horum aſpectus potuit apud S. Laurentium ? ſtabat interritus, non vacillans, non effugia aut latebras quærens, ſed agonem ſuum Deo commendans, ad Tyrannum dixit : *Infelix ! has epulas ego ſemper optavi ; hæc enim tibi quædam tormenta ſunt, nobis verò gloria.* Ad quod excanteſens Imperator, eum crudeliſſimè virgis & bacillis cædi jubet ; ſuſpenditur exinde in aëre, latera ejus laminis ignitis aduruntur, iteratò cæditur plumbatis glandibus, corpus ejus in equuleo diſtenditur, & ſcorpionibus ferreis laceratur. Et quid ad tantam ac cruentam lanienam S. Martyr ? *Ego*, inquiebat, *in nomine Domini JEſu Chriſti non formido tormenta tua.* Et cùm crederetur præ atrocitate pœnarum ac dolorum brevi animam acturus, audita eſt vox de cœlo à circumſtantibus, imò & ab ipſo Valeriano, quæ claré hæc verba ingeminavit : *Adhuc multa certamina tibi debentur, Laurenti ?* Quod audiens Romanus nobilis miles, & ſimul videns Angelum pulcherrimum S. Martyri adſtantem, & ipſe in Chriſtum credidit, ac poſtea martyrii palmam obtinere meruit ; Valerianus autem ira & furore percitus in hæc verba prorupit : *Arte magicâ victi ſumus*, & juſſit S. Laurentium à cataſta ſolvi, & de novo in carcerem detrudi. O gratia Divina, quid potes ! Laurentius inter omnes pœnas laudat & be- Sur. in vita.

nedicit Deum, nos, cùm muſca nos pungit, in mille effundimur maledictiones. Ubi, obſecro, patientia noſtra? ubi tolerantia in adverſis? Ubi ſpes in Chriſtum JEſum, & hunc crucifixum? heu nos deſides, & verè miſeros, quibus objicit Gentium Doctor Paulus: *Nondum enim usque ad*
Hebr. 12. 4. *ſanguinem reſtitiſtis &c.* Et tamen, & tamen ah - -

4. De Jeremia Propheta recenſet Sacer Codex, quomodo aliquando
Jer. 18. 2. à DEO miſſus fuerit ad domum figuli: *Surge, & deſcende in domum figuli*, ut ibidem conſideraret opera ejus, & vaſa, quæ ex luto conficiebat, & quomodo ea cremaret, ac probaret in igne. Et quare hoc? Fortaſſe Deus per hoc humiliare voluit Jeremiam & nos, ut in illa figuli officina noſtram penſaremus originem, utpote ex luto factam? Sed & alia hîc ſu-
Eccl. 27 6. beſt ratio. Audi Eccleſiaſticum: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis.* Quemadmodum vaſa, quæ rectè temperata, & conglutinata ſunt, in igne perdurant, eòque conſolidantur; ita tribulatio probat, & oſtendit, qualis ſit juſtus; ſi enim conſtans perdurat in tentatione, oſtendit, ſe in juſtitia eſſe fundatum; ſi vacillat, & animo cadit, hoc ipſo oſten-
Luc. 8. 13. dit inſtabilitatem ſuam, quia, prout loquitur Veritas: *Ad tempus credit, &*
Act. 9. 15. *in tempore tentationis recedit.*

Non ſic Laurentius, non ſic, ſed ut *vas electionis*, quod portaret nomen JEſu coram Gentibus & Regibus, ſe in omni vita, ac præſertim tunc in carcere Mamertino paravit ad omnem tentationem, ignèmque probationis fortiter ac conſtanter usque ad ſupremum vitæ halitum ſuſtinendum, ſecum perpendens ac ruminans illam auream D. Pauli ſententiam:
Rom. 8. 18. *Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Tres illi Pueri, Sidrach, Miſach & Abdenago, quia erectam Nabuchodonoſoris ſtatuam auream adorare recusârunt, juſſu Regis ad fornacem ardentem, ut in ea concremarentur, condemnati ſunt. Verùm illi nequaquam formidoloſi aut expavefacti ſunt, ſed animo planè generoſo ad dictam flammantem properârunt fornacem, in quam, velut in amœniſſimum
Dan. 3. 24. hortum, liliis, roſis ac floribus vernantem, ingreſſi ſunt: *Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino*, ſiquidem Angelus Domini deſcendit de cœlo, qui excuſſit flammam ignis, eòsque in medio flammæ ſervavit illæſos.

Non aliter S. Laurentius feſtinabat ad ignem & ſuccenſos carbones, unde Tyranno generosè reſpondit: *Deum meum colo, illi ſoli ſervio, & ideo non timeo tormenta tua;* ad quod impius Valerianus os ejus lapidibus contundi juſſit, Sanctus autem Martyr magìs ex eo confirmatus, ridens dicebat: *Gratias tibi ago, Domine.* Interim affertur lectus ferreus, ut in eo cubet Laurentius: *Et allatus eſt lectus ferreus inſtar craticulæ, & in eo nu-*

dus

dus extensus, & prunæ ei substratæ, furcisque ferreis illum compresserunt; & dum Imperator insistebat, ut S. Martyrem vel sic per tormentorum vim ad idolis sacrificandum permoveret, respondit Laurentius: *Ego me obtuli Deo sacrificium in odorem suavitatis.* Et ecce, dum in lecto illo ferreo extensus lento igne urebatur, benignus Deus, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus, ad ejus consolationem misit Angelum suum, qui linteô sudorem frontis, sanguinem vulnerum & plagas corporis abstergebat, sanctumque martyrem ad æternæ gloriæ coronam invitabat. Vide ex his, anime mi, quàm carò S. Laurentio steterit cœlum; & nos pro illo adipiscendo quid facimus?

5. Videtur mihi S. Laurentius, ut quondam Elias Prophetarum zelosissimus, Deo T. O. M. in publico campo suum litans sacrificium; qui, ut Baalitis & idololatris ante Baalem genua incurvantibus verum demonstraret Deum, altare erigi jussit, in quo holocaustum DEO concremandum collocavit, & quia ignis, intactis Baalitarum sacrificiis, solùm super holocaustum Eliæ delapsus est; & illud totaliter consumpsit, ideo exclamavit omnis populus: *Dominus ipse est Deus; Dominus ipse est Deus.* Ita, inquam, videtur mihi S. Laurentius, qui, ut idololatras Romæ ad verum Deum & unigenitum ejus Filium Christum JESUM perduceret, atque à cultu idolorum ad verum fidei lumen converteret, ipse sacrificans, ut Elias, & quod plùs est, etiam ipsum sacrificium, Deo in conspectu Imperatoris & populi Romani immolandum, & per ignem concremandum fieri voluit, supra quod sacrificium mox ignis de cœlo (puta Spiritûs Sancti gratia) delapsus est, intùs ipsum accendit, ut foris non curaret corporis incendium. Et sicut ignis major devorat minorem, sic ignis divini amoris, quo cor ejus æstuabat, devoravit minorem, hoc est, ignem externum, quô eum torquebant idololatræ; hinc rectè S. Leo: *Segnior fuit ignis, qui foris ardebat, quàm qui intùs accendit*, unde factum est, quòd plures cruentum & miserandum spectantes agonem, spiritu superiore illustrati ad verum Deum fuerint conversi, cum prædictis illis Israëlitis exclamantes: *Dominus ipse est Deus; Dominus ipse est Deus;* & sic sanguis SS. Martyrum factus est semen Christianorum.

3. Reg. 18. 19.

S. Leo ser. de S. Laur.

De Petro commemorat Scriptura, quòd in atrio Caiphæ ad ignem quidem in medio fori accensum accesserit, & quia frigus erat, se se ad prunas calefecerit, sed inde tepidior ac frigidior, quàm anteaerat, recesserit. *Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se; erat autem cum eis & Petrus stans, calefaciens se.* Et quomodo, dices, calefaciens se? *Ad ignem stetit*, subintrat hìc S. Augustinus, *sed Deum negavit, & timore frigido congelavit*, quia ter Dominum suum vano perterritus timore negavit: *Non novi hominem.* Verùm S. Laurentius super arden-

Jo. 18. 18.

S. Aug ser. 117. de Temp.

ardentes prunas collocatus, Deum & hominem Christum JEsum publicè sine ulla formidine confessus est, de illo canit Ecclesia: *In craticulate Deum meum non negavi, & ad ignem applicatus, te Dominum JEsum Christum con-*
1. Joh. 4. 18. *fessus sum.* Vide ex hoc, quantùm prosit nobis charitas in Deum sincera: *Perfecta charitas*, ait dilectus Christi Discipulus, *foras mittit timorem.*

6. Recordor hîc Samsonis, fortissimi quondam Philistinorum domitoris, de quo recenset Judicum liber, quomodo transiens per vineam Tamnathæ leonem obvium habuerit, quem solâ manu apprehensum in frusta discerpsit, in cujus ore post aliquot dies per eandem vineam regres-
Jud. 14 8. sus examen apum, & dulcem mellis favum reperit: *Et examen apum in ore leonis erat & favus mellis.* Illustrissimus Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis in præfatione ad Martyrologium Romanum asserit, per leonem illum rugientem præfiguratos fuisse Tyrannos, & Ecclesiæ Orthodoxæ persecutores, qui, licèt tanquam furibundi leones Sanctos Martyres persecuti sint, in tormentis tamen eorum glorioſi Christi athletæ favum mellis invenerunt, hoc est, gratiam & Dei gloriam. Hunc ergo mellis favum etiam in ignita craticula sua prælibavit S. Laurentius Martyr, ideo omnia tormenta illi
S. Aug. tr. 27. in Joan. dulces videbantur epulæ, unde ad Tyrannum liberè dixit: *Has epulas ego semper optavi*: de quo & S. Augustinus: *Benè*, inquit, *manducaverat & biberat*, hoc est, SSmâ Eucharistiâ ante hunc cruentum agonem se muniêrat, hinc *tanquam illâ escà saginatus, & illo calice ebrius tormenta non sensit.*

Cæterùm Christo pretiosissimo Redemptori nostro gloriosè à mortuis resurgenti SS. Apostoli obtulerunt favum mellis unà cum parte piscis assa-
Luc. 24. 42. ti: *At illi obtulerunt ei partem piscis assati, & favum mellis.* Favus mellis indulcorare solet cibos amaros & insipidos: sic gratia Dei omnes nostras amaritudines; per piscem verò assatum intelligitur ipse Christus in ligno Crucis veré pro nobis affixus, & igne amoris divini assatus. Sed & per eundem piscem assatum rectè subaudies S. Laurentium in ferrea, ac ignita craticula pro amore Christi assatum, unde ulteriùs de illo refert Vita, quòd Tyranno tunc præsenti ultrò partem carnis suæ assatam & igne excoctam obtulerit: *Assatum est jam, versa*, & manduca.

Sed unde tantus Laurentio animus, quem nulla tormentorum vis potuit superare, & quò atrociùs cruciabatur, eò jucundiùs exultabat in igne? ne mireris, ait Mellifluus, ascendit enim anima illius, & quasi columba se recepit in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ, hoc est, in vulneribus Christi, & in perforato latere Crucifixi amoris sui; ibi ergo commorans sua non sensit vulnera licèt toto corpore unum vulnus erat quia
S. Bern. ser. 6. in Cant. ad fin. anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat: *Enimverò* sunt verba prædicti Doctoris Mellifluì, *non sentit sua, dum illius vulnera intuetur. Stat Martyr tripudians, toto licèt lacero corpore, & rimante latera non ferro, non modò*

forti-

fortiter, ſed alacriter ſacrum carne é ſua circumſpicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in viſceribus JEſu, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum &c. En! quid ſit commorari in vulneribus Chriſti JEſu Crucifixi: *in omnibus adverſitatibus*, ait S. Antiſtes Hipponenſis, *non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti, in iis dormio ſecurus, & requieſco.* Et nunquid & tu, ò mi Lector. S. Aug. in. Matt. c. 21. 22.

7. Patientiſſimus Job, ubi à Dæmone à planta pedis usque ad verticem capitis innumeris plagis, & ulceribus fuerat percuſſus, in his tamen omnibus & decumanis doloribus non deſpondebat animum, ſed optabat, ac humiliter à Deo flagitabat, ut in proprio ſuo lectulo mori, & animam in manibus Dei Creatoris ſui poſſet contradere, *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Pagninus & paſſim alii, ac præſertim textus Græcus legunt: *Sicut Phœnix multiplicabo dies.* Et cur ſicut Phœnix? Reſp. notum eſſe de Phœnice, prout ſcribit Pierius, quòd ſibi ipſi ex odoriferis cinnamoni bacillis, ac ſentibus lectulum mortualem ſoleat ſternere; in quo recumbens, ſi ſol meridianus ardentioribus radiis nidum accendit, ipſa inter flammas moriens triumphalem ſibi leſſum canit, dum paulò poſt ex cinere rediviva reſurgit, unde lemma: *In flammis morior, & orior &c.* Job. 29. 18.

Quidquid ſit hoc de Phœnice; talis tamen erat Phœnix S. Laurentius noſter in lectulo ſuo igneo inter flammas moriens, & oriens in vitam æternam. Ita Reverendiſſimus Paulus Areſius Dertonenſium Epiſcopus: *Admirabilis nidus Phœnicis*, inquit, *mihi ante oculos objicitur, in quo, ut renaſcatur, ſe voluntariè hæc avis comburit: Ita S. Laurentius, ut novam & glorioſiorem vitam ſortiatur, voluntarie & hilariter moritur: Quare meritò cum Job dicere poteſt. In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies.* O Chriſtiani! quis nolit ad horam pati, & hîc modicùm ardere cum S. Laurentio, ne æternum aliquando debeat ſuſtinere incendium? Areſius hòc feſto n. 16.

8. Elias Propheta, quamprimùm currum igneum, à quo veheretur in cœlum, conſpicatus eſt, promtiſſimé illum conſcendit: *Cùmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur; ecce, currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Bone Deus! ergo Elias non formidavit currum illum igneum, & equos igneos! & nunquid adhuc in carne erat humana, adeòque homo paſſibilis? *Igneus currus*, ait S. Chryſoſtomus, *congruebat igneo Eliæ animo ad eum vehendum in cœlum.* Et quare igneus currus? Subintrat hîc S. Baſilius: *Cœleſtis itineris incenſus erat, ideo non timuit ignem*, nec pedem ab illo flammante retraxit vehiculo, ſed alacer & promtus in illud inſilivit, & ſic hoc curru igneo, ait hîc Cornelius, non tantùm de Achab, Jezabele & Idololatris, ſed & de morte, ipſoque igne triumphavit. 4. Reg 2. 11. S. Chryſoſt. hom. 1. de Elia. S. Baſil. de Elia. Corn. hîc.

En pulcherrimum typum! Pari modo S. Laurentius currum ſuum

igneum (craticulam ardentem, in qua assabatur) nequaquam exhorruit, sed generoso illum animo conscendit, non ignorans illum esse eundem cum Elia currum, quô mediante veheretur in cœlum, Juvat hîc iterum audire memoratum Reverentissimum Aresium : *Craticula S. Laurentii*, ait, *currus triumphalis vocari potest, in quo positus ad cœlum evectus fuit, & igne quasi purpurâ amictus corona Martyrii in capite insignitus, gloriosè de Mundo, Tyranno, Diabolo, ac carne propria triumphavit.* Elias Eliseo Discipulo suo in paradisum raptus in singularem amoris tesseram pallium suum reliquit : *Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Hoc & S. Laurentius fecit, dum pallium exustæ suæ carnis, & sacri corporis sui reliquias nobis Romæ in Agro Verano reliquit, spiritu autem ad cœlos & usque in conspectum Altissimi ascendit, à quo triplicem aureolam Doctoris, Virginis, & Martyris accepit. Elias Eliseo dilecto suo Discipulo, cùm raperetur in paradisum, duplicem spiritum reliquit. O utinam S. Laurentius nobis tepidis Christicolis similem quoque duplicem reliquisset spiritum, ut ardentiore & intensiore amoris igne amaremus Deum, unde canit Ecclesia: *Excita, Domine, in Ecclesia tua spiritum, cui Beatus Laurentius Levita servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit.*

Aresius de S. Laur. n. 14.

2. Reg 2. 13.

Quid nunc restat, nisi ut S. Laurentio glorioſissimo Christi Martyri ex animo congratulemur. Eja fortissime Athleta ! vicisti, superâsti Tyrannos, mundum, carnem, Diabolum, peccatum, ac te ipsum ; proinde te meritò fortissimum prædicamus, quia te ipsum vicisti, in quo perfecta consistit victoria ; Nunc tu glorioſus cum Deo regnas in cœlo, & inimici tui ardent in inferno, illi in prunis, tu in deliciis. Respice, obsecro, de cœlo, & in nobis tepidis divini amoris ignem accende, ut Deum super omnia diligentes, sic transeamus per ista temporalia, ut non amittamus æterna.



CON-

CONSIDERATIO XXXII.

De Matre Misericordiæ in Cœlum assumpta.

Pro Festo Assumpt. B. M. V.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. 41.

1.

JAcob Patriarcharum decus, ubi ex filiis suis ex Ægypto in terram Chanaan cum frumentis, & muneribus redeuntibus intellexit, quòd Joseph filius charissimus, quem jam pridem extinctum credebat, adhuc viveret, in universo Ægyptiorum regno dominaretur, & quòd insuper ab illo vocaretur in terram Ægypti, ut tantæ gloriæ, honoris, & divitiarum esset particeps, quasi de gravi somno evigilans, attonitus ac stupens præ lætitia, & admiratione tam boni nuntii se ipsum ampliùs capere non potuit, unde vitali spiritu cessante quasi in deliquium incidit. Tandem ubi plaustra & jumenta, omnémque apparatum à Josepho sibi submissum vidit, *revixit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit; vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Gen. 45. 27.

Anima Christiana; perpende & attentiore mente considera, quale fuerit gaudium, mentisque jubilum Sacratissimæ Virginis, & Genitricis Dei Mariæ nunc annum ætatis suæ 72. agentis, dum illi Gabriel Archangelus faustissimum illud nuntium tantopere desideratum tulit, nunc tandem ex hoc sæculo ad cœlum esse migrandum: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Philipp. 1. 23. O beatissima! tunc in veritate revixit spiritus tuus, dum cum Jacobo Patriarcha jure merito poteras dicere: *Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit, vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Et ecce, figura completa est, dum Matri, præ amoris in Deum dulcedine, ac teneritudine morienti astitit ipse Filius millenis stipatus Angelis, cujus sanctissimam animam ipse susceptit, & ad cœlum, ô quanto cum jubilo, evexit. Audiamus Melliflu-

S. Bern. ser. 1. Assumpt. B. V. um: *Quis*, inquit, *cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cœlestium legionum prodierit multitudo; quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm divinis amplexibus susceptа à Filio, & super omnem exaltata creaturam; cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit; cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium &c.* O pientissima Domina! Verè optimam partem elegisti, quæ non auferetur à te in æternum. Plura de hac glorioss. sima Assumptione, & exaltatione, B. V. M. nobis hodie occurrunt considerանda.

2. David Israëlitarum Rex, ubi omnes suos debellavit inimicos, & nunc in pace & quiete universum ejus Regnum erat constitutum, observat Scriptura, quòd recordatus sit Arcæ Testamenti, quæ interim religiosé in domo Obededom asservabatur; hanc ergo ut in suum transferret palatium, ut majori ibidem afficeretur honore, festum admodùm solenne instituit, diverso musicorum instrumentorum concentu celebrandum; ipse autem Rex cum toto populo abiit ad Arcam illam fœderis summâ cum lætitia, jubilo & gratulatione in domum suam Regiam adducendam: *Surrexitque David, & abiit, & universus populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent Arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam &c.* Et in alio loco commemorat Scriptura: *Universus Israël deducebant Arcam fœderis Domini in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis & citharis concrepantes.* Et sequitur in libro secundo Paralipomenon: *Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta Sanctorum super alas Cherubim &c.*

2. Reg. 6. 11. 2. Reg. 6. 2. 1. Paral. 15. 28. 2. Paral. 5. 7.

En! pulcherrimum typum hodie in Assumptione SS. Deiparæ adimpletum; hæc enim juxta S. Joannem Damascenum per Arcam illam fœderis adumbrata est, quàm hodie Rex Regum Christus inter festivos Angelorum, supernorùmque civium applausus, & dulcissimos eorum concentus cum anima & corpore glorificato in cœlestem Jerusalem, & in Sancta Sanctorum transtulit, cui ipse Dominus, prout quondam Rex Salomon Matri suæ, obviam processit: *Et surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam*; interim alternantibus Angelorum choris illud Canticorum suavissimâ voce concinnentibus: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

Jo. Damasc. de Dorm. B. V. Orat. 2. 3. Reg. 2. 19. Cant. 8. 5.

Observa hîc, prudens Lector, *tò innixæ super* Dilectum *suum.* Ivit ergo SS. Mater Dei in cœlum, non sicut Elias in curro igneo: *Ecce currus igneus, & equi ignei divisérunt utrumque; & ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Non sicut Henoch: *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus*; videlicet in paradisum terrestrem. Non sicut Esther Regina ad Assuerum Regem duabus inclinata; & innixa ancillis introducta: *Cùmque*

4. Reg. 2. 11. Gen. 5. 24. Esth. 15. 5.

regio

regio fulgeret habitu, & invocâsset omnium Rectorem & Salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, & super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens, altera autem famularum sequebatur Dominam, defluentia in humum indumenta sustentans &c. Sed ibat in cœlum *innixa super dilectum suum*, innixa super Filium proprium, & omnipotentiam ejus infinitam; unde de ea citatus Mellifluus: *Super hunc innititur Mater illa felicissima, & in aureo reclinatorio divinæ Majestatis recumbens, inter Sponsi, imò Filii sui brachia requievit &c.* Ad Matrem suam Bethsabee prudentissimus Rex Salomon dixit: *Pete, mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem meam.* Plùs Christus, quàm Salomon, qui non confundet & pudefaciet faciem Matris suæ; illam ergo adeamus, & per ejus intercessionem omnia ad animæ, corporisque salutem necessaria impetrabimus. S. Bern ser. de Assumpt. B. V. M. 3. Reg. 2, 20.

3. Benedictus Deus & homo Christus, ut fideles suos ad assiduam stimularet vigilantiam, & bonorum operum studium, de quibus aliquando deberent reddere rationem, ipse judicii extremi ideam paulò ante Passionem suam eorum oculis subjicere voluit; nam mox post biduum captus, & occisus est, prout patet Matthæi 26. 2. Sunt autem verba Veritatis sequentia stylo ferreo cordibus nostris insculpenda: *Cùm autem venerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitâstis me; in carcere eram, & venistis ad me &c.* Sta hîc, & perpende anime mi! Matth 25. 31.

Quis, obsecro, in hac terra & mortali vita hæc septem misericordiæ opera magis adimplevit, quàm SS. Virgo & Mater Christi? Hæc enim esurientem JEsum pane & cibis aluit; sitientem lacte proprio potavit; hospitem in hac terra collegit; nudum vestibus cooperuit; infirmum in Passione visitavit, in carcere vinctum consolata est; ac tandem eum in Cruce mortuum sepeliri curavit. Hinc jure merito inter omnes Electos ipsa hodie prima ante extremum judicii diem à dulcissimo Filio suo audire meruit: *Veni benedicta Patris mei, possside paratum tibi regnum à constitutione mundi; esurivi enim, & dedisti mihi manducare &c. &c.* Collige ex hoc, anime mi, sensum aliquem moralem, ut ad exemplum B. Virginis, & Matris DEI hæc septem sectaris misericordiæ opera, si pariter cum illa hanc aliquando benignam discupis à Christo Judice audire sententiam: *Veni benedicte Patris mei &c. &c.*

4. Sed pergamus ad alia. Esther, sive Edissa, sic appellata propter

insignem corporis & animi pulchritudinem, inter omnes Virgines sola placuit Assuero potentissimo Persarum Monarchæ, quam in Reginam &
Esth. 2. 15 Regni consortem eligeret: *Erat enim formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur*; Pulchrior Maria non
Cant. 4. 7 tantùm corpore, sed & mente: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, ideo præ omnibus Virginibus ac Mulieribus à cœlesti Rege in dignissimam cœli Reginam evecta est: *Et adamavit eam Rex plùs quàm omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite ejus.* Quod hodie adimpletum est.

Judith Heroina fortissima, quæ Holofernem Assyriorum Ducem, & gentis Hebraicæ hostem infensissimum vicit, debellavit, decollavit, mirum in modum in universo orbe exaltata est, cui victrici de castris hostilibus in civitatem Bethuliam redeunti cives obviam facti lætissimâ voce &
Jud. 15. 10. jubilo acclamârunt: *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Plus Maria, & incomparabiliter plùs ac fortior, dum non hominem mortalem ac debilem, sed ipsum infernalem Ducem, de quo
Job. 41. 24. Job testatur: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret*, gloriosè superavit, & caput ejus contrivit, ideo hodie meritò exaltata est super omnes Angelorum choros, qui illi cœlum ingredienti succlamabant omnes, ut olim cives Bethulienses suæ liberatrici Judithæ: *Tu gloria Jerusalem &c.*

Quantùm fuerit exaltata Bethsabee à sapientissimo Rege, & filio Salo-
3 Reg. 2. 19 mone, satis luculenter Sacræ perhibent Paginæ: *Positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Verùm longè excellentiori modo hodie exaltata est sancta Dei Genitrix. Bethsabee Mater fuit Regis terreni; Maria autem Mater DEI & simul hominis. Bethsabee Mater erat Regis peccatoris, Maria Regis peccatores justificantis & redimentis. Bethsabee Mater fuit illius, qui inter duas fœminas fecit judicium, MARIA Mater illius, qui judicaturus est vivos & mortuos. Bethsabee tantùm in præ-
4. Reg 10. 5. senti exaltata, & ad dextram filii collocata, sed Maria regnabit cum filio
3 Reg. 10. 2. in æternum, *cujus regni non erit finis.* O pientissima Domina! Veré optimam partem elegisti. Sed recordare, obsecro, & clientum tuorum: *Ecce servi tui sumus: quodcunque jusseris, faciemus.*

5. De Regina Saba scriptum est: *Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem &c.* Quantò nobilior ac illustrior fuit hodie ille comitatus, & ingressus in cœlestem Jerusalem Magnæ illius Reginæ & Imperatricis cœli & terræ, Mariæ? Quis, obsecro, divitias ejus & thesauros, quibus à Filio copiosissimè cumulata est, ac varia pretiosissima virtutum aromata, & aurum refulgens perfectissimæ illius charitatis po-

terit

terit enarrare? Præ insolito gaudio jubilabant Electi omnes, & singulatim novem Angelorum chori, accinentes hujus divinæ Matris, ac Virginis laudes, eò quòd ipsorum genuisset Regem, vitamque in hac terra duxerit Angelicam: *Omnes ei ascendenti aderant*, ait S. Joannes Damascenus, *splendenti facie spiritus; nullus enim ordo, ex quibus non plurimi descenderint ad Virginem ascendentem.* Et Andreas Cretensis, *Universus cœli exercitus desuper volitans, ad spectaculum confluebat admirabile &c.* S. Damasc. in orat. de dorm. B V. Andr. Cret. Orat. 2. de B. V.

Hîc occurrebant obviam Reginæ suæ Sancti Patriarchæ, inter quos primus generis humani parens Adam: Te, inquiebat, ô Domina, prævidi jam in paradiso, quando post miserrimum lapsum meum ad serpentem dicebat Dominus ac Deus meus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Gen. 3. 15.

Noë, vir justus & perfectus in generatione sua, summa cum lætitiâ occurrens Reginæ suæ dicebat: Te prævidi, ô potentissima, in Arca mea, quam jubente Domino fabricatus sum, ut in ea salveretur genus humanum: *Fac tibi Arcam &c.* Tu enim per Arcam illam præfigurata es. Gen 6, 14.

Te prævidi, dicebat Abraham, & exultavi, ut viderem diem adventûs tui & Messiæ, ac Verbi ex te incarnandi; unde ô Beatissima! tu ipsa olim læta in tuo Cantico super montes, & colles ambulans decantâsti: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula*, ideo & Veritas Christus dulcissimus Filius tuus: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: Vidit, & gavisus est.* Luc. 1. 55. Jo. 8. 56.

Te pariter in spiritu prævidi, ô pientissima! dicebat Jacob, quando scalam illam mirabilem conspicatus sum à terra usque ad cœlum pertingentem, *& Dominum innixum scalæ dicentem mihi: Ego sum Dominus, Deus Abraham patris tui*: Tu enim per illam scalam præsignata es. Gen 28. 13.

Te quoque in umbra prospexi, ajebat Moyses, in rubo illo ardente & incombusto, quia *apparuit mihi Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbam, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Per rubum autem istum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, sancta DEI Genitrix. Exod. 3. 2.

Te pariter agnovi, & prævidi, ô Regina totius universi! succlamabat fortissimus Gedeon, quando vellus meum de nocte intempesta in area expandi, in quod solum ros de cœlo descendit, siccâ interim remanente universâ terra: *Et de nocte consurgens, expresso vellere, conchamrore implevi &c.* Ros autem ille in vellere quid aliud denotabat, quàm Christum in Virgine? Jud. 6. 38.

6. Venerunt similiter in occursum & Sancti Prophetæ aggratulantes Virgini. Isaias sacrorum Vatum Princeps dicebat: Beneveneris mihi, ô Domina mea, Virgo & Mater, Mater & Virgo, ego per divinam revelationem jam pridem te prævidi in spiritu, unde de te vaticinatus sum: *Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Isa. 7. 14.

Venit

Venit & Jeremias, Dominam suam Hyperduliæ cultu humiliter ado-
Jer. 31. 22. rans; & nunquid dicebat, de te jam olim vaticinatus sum: *Creabit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum &c.* Vir autem iste non erat alius, quàm Christus Filius tuus, vir jam à primo conceptionis instanti perfectissimus, quem in purissimo utero tuo, ô purissima, per novem menses circumdedisti Deum & Hominem.

In hujus sacratissimæ Deiparæ occursum pari modo festinabat Ezechiel Propheta, exclamans præ insolito mentis jubilo: Jam video pro-
Ezech. 44. 2. phetiam meam ad amussim esse adimpletam, dum quondam dixi: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non pertransibit per eam; quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam.* Hæc porta tu eras, ô sanctissima Dei Genitrix! in qua sedit Princeps Christus Dominus meus; ipse enim solus ingressus est per eam &c.

Quid dico de Davide Rege, cùm Mariam filiam suam ex sanguine suo progenitam tantoperé in cœlo vidit exaltatam? hic sine dubio omnes invitabat Angelorum exercitus, & beatorum spirituum multitudinem ad debitas Deo & SS. Deiparæ laudes celebrandas, unde ipse præcinebat:
Ps. 131. 8. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ.* Et cùm hæc fierent, viginti illi & quatuor Seniores coronas suas deposuerunt ante Thronum Dei, hoc est, ante potentissimam cœli Reginam; in hac enim, velut in Regio throno ipse Deus requievit. Hîc audisses, anime
Apoc. 7. 12. mi, communem in cœlo omnium vocem: *Benedictio & claritas, & sapien-*
Apoc. 19. 7. *tia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se.*

7. De Assuero Rege dicitur, quòd propriis manibus dilectam suam
Esth. 2. 17. Esther coronaverit: *Et posuit diadema Regni in capite ejus.* Christus Rex Regum propriis quoque manibus sanctissimam suam matrem coronare voluit, & quidem diademate tam nobili ac pretioso, ut nullis hominum linguis,
Apoc. 12. 1. imò nec Angelorum possit explicari: *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Hîc adimpleta fuit illa visio admiranda dilecti illius Christi Discipuli,
Ibidem. & Mariæ filii S. Joannis: *Signum magnum*, inquit, *apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim:* Observa, dicitur Maria *amicta sole*, hoc est, Christo, qui est sol justitiæ, & splendor æternæ gloriæ, & quemadmodum Sol plus aliis omnibus resplendet corporibus cœlestibus; ita Virgo glorioissima & meritorum gratiâ & gloriæ splendore cæteras omnes antecellit creaturas. Sol insuper est misericordiæ symbolum, lucem suam communicans omnibus, malis æque ac bonis; ita B. Virgo per misericordiam suam

opi-

opitulatur omnibus, tam justis, quàm peccatoribus. *Et luna sub pedibus ejus*, hoc est, Ecclesia militans, quam non terit pedibus, sed fulcit, ornat, tuetur & sustentat suis precibus ac meritis: *Et in capite ejus corona stellarum duodecim*, hoc est, duodecim illius virtutes, quæ tanquam corona splendidissima ejus adornant, & corona caput.

Prima fuit Puritas: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco?* Luc 1. 34. Secunda Prudentia: *Cogitabat, qualis esset ista salutatio*, & in alio loco: Luc. 1. 29. *Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Tertia Modestia: Luc. 2. 51. *Turbata est in sermone ejus.* Quarta Humilitas: *Ecce ancilla Domini. Respexit* Luc. 1. 29. *humilitatem ancillæ suæ.* Quinta Obedientia: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Sexta Charitas in Deum & proximum: *Exsurgens autem Maria abiit in* Luc. 1. 48. *montana cum festinatione, in civitatem Juda: & intravit in domum Zachariæ,* Luc. 1. 38. *& salutavit Elisabeth.* Septima Gratitudo: *Magnificat anima mea Dominum,* Luc. 1. 39. *& exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Octava paupertas: *Peperit* Luc. 1. 46. *Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.* Nona Patientia: *Pater tuus & ego* Luc. 2. 7. *dolentes quærebamus te*; & in alio loco: *Et tuam ipsius animam pertransibit gla-* Luc. 2. 48. *dius.* Decima Pietas: *Vinum non habent.* Undecima Constantia. *Stabat* Luc. 2. 35. *juxta Crucem JEsu Mater ejus.* Duodecima Misericordia: *Mulier, ecce Filius tuus &c.* Jo. 2. 3. Jo. 19. 25. Sophron de laud. B. V.

O! anima mea, has satage imitari Virginis virtutes & coronam pretiosam, duodecim stellis ornatam, posuisti super caput ejus: *Amate Mariam*, ait Sophronius, *quam colitis; colite, quam amatis; quia tunc verè colitis, & amatis, si imitari velitis.*

8. Prævidit quondam in spiritu Rex coronatus cœlestem Regem & speciosum præ filiis hominum immensâ gloriâ, Majestate & honore coronatum, ad cujus dexteram stabat Regina quædam in vestitu deaurato, circumdata varietate, seu vario ac pretiosissimo ornatu: *Adstitit Regina à* Ps. 44. 10. *dextris tuis &c.* Et quare, dices, hæc Regina cœli non sedens à dextris Filii, sed stans descripta est?

Adverte: Sedere judicantis est, stare autem adjuvantis; hinc in suo cruento agone S. Stephanus Proto-Martyr Christum Dominum non in solio, tanquam Judicem sedentem, sed ad dextram Patris sui stantem, hoc est, se adjuvantem vidit: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stan-* Act. 7. 55. *tem à dextris virtutis Dei.* Et hæc causa est ait Ubertinus Casalius, quòd B. Virgo & Mater ac Sponsa summi Regis stans, seu adstans ad dextram Filii in cœlo, & non sedens dicatur, quia stare adjuvantis est. Adstat ergo ad succurrendum nobis contra Dæmonis insultus & ejus tentationes. Adstat ad intercedendum pro nobis contra indignationem Filii. Adstat ad excusandos defectus infirmitatis nostræ. Adstat, ut nobis impetret divinam gratiam, eamque efficacem ac finalem. Adstat denique, ut beatum nobis finem, ac felicem mortem obtineat: *Cunctis latantibus*, ait citatus Casalius, *adstitit*

Ubert Cas. l. 4. Arb. vitæ c. 39. *adstitit Regina à dextris Filii, dum sedet ad dextram Regis. Hæc est dextra misericordiæ, in qua placuit Reginæ nostræ regnare, ut posset miseris misericorditer subvenire.*

Esther 5. 3. De potentissimo Rege Assuero, centum viginti septem Provinciarum Domino, refert Scriptura, quòd Regina Esther, cùm eam in regio ornatu, & pretiosissimo ornatam diademate, ad se ingredientem observâsset, mox dimidium Regni sui in donum obtulerit: *Quid vis, Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni mei petieris, dabitur tibi.* Regnum Christi, subintrat hìc Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, juxta Vatem Regium in duas partes dividitur, videlicet in potestatem judiciariam

Ps. 61. 12. & misericordiam: *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia.* Reservata igitur sibi justitiâ, Christus alteram Regni sui partem quæ est misericordiæ, SS. Matri suæ dedit administrandam, unde meritò

Jo. Gerson. tr. 4. in Magnific. Mater misericordiæ appellari solet: *Potestate Domino remanente*, ait Gerson, *cessit quodammodo misericordiæ pars Christi Matri, sponsæque regnanti.* Quis ergo fidelium ad hanc dignissimam Dei Matrem & Reginam misericordiæ

Eccleſia in miſſ. Vig. S. Bonav. in ſpec. lect. 5. non singulari cum fiducia accedat? Unde rectè de eâ Ecclesia: *Quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat*; O pientissima! etiam pro meis; *quia Esther nostra es*, inquit S. Bonaventura, *quæ tantam gratiam coram Rege æterno impetrâsti, quòd per hanc non solum ipsa ad coronam pervenisti, sed etiam generi humano morti addicto subvenisti.*

Gen. 2. 9. 9. In principio, quando Deus creavit cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, Moyses quoque mentionem ingerit, quòd Deus T. O. M. antequam plueret super terram, fontem aliquem, seu ingentem aquarum abyssum produxerit, qui tanquam Nilus exundans terræ germina inundando rigavit: *Fons ascendebat è terra, irrigans universam superficiem terræ.* B.

B. Alb. M. in Bibl Mar. l. Gen. Albertus Magnus per hunc fontem è terra sursum ascendentem & terram universam irrigantem, B. Virginem in cœlum ascendentem intelligit: *Fons*, inquit, *idest, Maria ascendit in assumptione de terra miseriæ & tenebrarum, irrigans gratiâ, veniâ, gloriâ universam superficiem terræ.*

Ex. 14. 16. Olim præcepit, Deus Moysi Hebræorum Duci: *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum &c.* Per hanc virgam elevatam, ac tantorum prodigiorum operatricem Laurentius Chrysogonus sacratissimam Vir-

Laur. Chrysogon. in Mund Mar. disc. 22. n. 75. ginem in cœlum elevatam subaudit: *Virga ista*, inquit, *ad cujus elevationem præparabatur via populo Dei, est gloriosa Maria, cujus patrocinio omnibus penè amaritudo populi dulcoratur, dividitur, & siccatur.* Et quemadmodum per

Ex. 14. 27. eandem virgam Mosaicam de novo elevatam, totus Pharaonis exercitus in profundum maris præcipitatus, & submersus est; *Et involvit eos Dominus in mediis fluctibus &c.* Ita ad elevationem Virginis in cœlum universus

exer-

exercitus infernalis confusus, & in abyssum tenebrarum detrusus est; proinde rectè cum sapientissimo Rege de ea dicere possumus : *Una cùm sit, omnia potest.* Sap. 7. 27.

10. Si potuit quondam prudens illa Thecuitis linguæ suæ suadâ iratum placare Davidem Regem, ut filium suum Absalonem fratricidam, & morte dignum ab exilio revocaret, atque pristinæ paternæ gratiæ restitueret : *Ecce, placatus feci verbum tuum &c.* 2. Reg. 14. 21.

Si potuit Abigail suâ blandiloquentiâ & muneribus eundem Davidem, tum belli Ducem irâ nimiâ succensum, & cædes spirantem, adeò mitigare, ut omne exitium à domo sua averteret : *Vade pacificè in domum tuam : Ecce, audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.* 1. Reg. 25. 35.

Si potuit Bethsabee pro filio suo Salomone ab eodem Rege Davide opportuno alloquio suo impetrare Regnum Israël & Juda : *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me ; sic faciam hodie &c.* 3. Reg. 1. 30.

Si potuit Rebecca dilecto filio suo Jacob ab Isaac patre brevi morituro faustissimam illam obtinere benedictionem : *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini &c.* Gen. 27. 28.

Qualem, obsecro, benevolentiam à dulcissima Matre JEsu, imò & nostra Matre nunc in cœlo super omnes Electos exaltata, & in solio gloriæ ad dextram Filii collocatâ, possumus exspectare, si illius opem fideliter & constanter imploraverimus ; Certé non negabit se Matrem, modo filii non negent se filios. Audiamus S. Bonaventuram : *Sicut, ò Beatissima, omnis à te aversus, & despectus necesse est, ut pereat, si omnis ad te conversus, & à te respectus impossibile est, ut intereat.* S. Bonav. l. 1. Phar. c. 5.

Ad Saram conjugem suam quondam Abraham, cùm ob declinandam famem in Ægyptum proficiscens de vita periclitaretur, dixisse fertur : *Novi, quòd pulchra sis mulier : dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, ut benè sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Gen. 12. 11. Opientissima Virgo ! Hoc & ego, & nos omnes ad te hodie, coram Majestate tua humiliter in genua provoluti, uno ore dicimus : Novi, & novimus omnes, quòd pulchra sis mulier, dic ergo, quòd soror nostra sis, ut benè sit nobis propter te, & vivat anima nostra ob gratiam tui.

Finio cum Mellifluo : Ecce jam, quibus potuimus votis, ascendentem te ad Filium deduximus, & prosecuti sumus saltem à longe, Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ, ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis, & lætitiæ dulcissimam Mariæ nomen cum laude invocantibus servulis per te, Regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur JEsus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen. S. Bern. s. 4. de Assumpt. B. V.

CONSIDERATIO XXXIII.

De Vita & glorioso Agone S. Bartholomæi Apost.

Pro Festo S. Bartholomæi Apost.

Elegit undecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit, Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum & Joannem, Philippum & Bartholomæum. Luc. 6. 13.

1.

UT video, & in quantum cupio, numerus duodecimus in S. Scriptura felix est numerus. Duodecim quondam DEus elegit Patriarchas, qui plantaverunt, & ædificârunt duodecim tribus Israël. Duodecim Duces jussu Dei selegit sibi Moyses, qui cæterarum tribuum Israël erant Principes: *Hi nobilissimi Principes multitudinis per tribus & cognationes suas, & capita exercitûs Israël.* Duodecim durissimos lapides Josue de medio Jordanis alveo tolli, eosque poni jussit in loco castrorum in monumentum filiorum Israël in æternum: *Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israël, singulos de singulis tribubus, & ait ad eos: Ite ante Arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israël.* Duodecim leunculos aureos Salomon Regum sapientissimus juxta thronum suum collocari voluit, qui latus stiparent, & essent custodes fortissimi Regii sui solii: *Et duodecim leunculi stanter super sex gradus hinc atque inde; non est factum tale opus in universis Regnis &c.* Duodecim exploratores, Moyses ex mandato Dei olim ablegavit ad considerandam promissionis terram, qui post 40. dies palmitem

Gen. 46. 8.

Num. 1. 16.

Josue 4. 3.

3. Reg. 10. 20.

mitem cum ingentis magnitudinis botro, aliisque raris fructibus, in peculiare fertilitatis ſignum ad caſtra referebant: *Miſit ergo eos Moyſes ad conſiderandam terram Chanaan &c.* Num. 13. 18

Omnia hæc illis contingebant in figura, quæ in hodierna Apoſtolorum electione fuerunt adimpleta, ubi Chriſtus, præmiſſa per noctem ad Patrem oratione, mane facto duodecim elegit, & creavit Apoſtolos, per quos plantavit, & ædificavit Eccleſiam; illi enim ſanctiſſimi Viri, & Apoſtoli fuerunt præſignati per dictos duodecim Patriarchas, Prophetas, Exploratores, leunculos & lapides fundamentales, quibus domus DEI fundata, atque ædificata eſt: *Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos &c.* 3 Reg. 5. 17.

Videtur mihi hodie pientiſſimus orbis Servator Chriſtus ut providus quidam paterfamilias, qui oves ſuas è cætero grege ſelectas, & ſuæ deſtinatas ovili, rubeâ quâdam notâ, ſeu Cruce rubicundâ in fronte notare aſſolet, ut à reliquis diſtinguantur, & eò faciliùs, ut propriæ, agnoſcantur. Ita, inquam, & Chriſtus bonus paſtor mihi videtur, dum ex omni turba ſolummodò duodecim ſibi ſelegit oviculas peculiares, ſeu Apoſtolos, quos omnes Crucis ſigno notavit, dum omnes pro eo Crucem & mortem ſubiêrunt, inter quos hodie præeminet S. Bartholomæus, de quo plura in præſenti.

2. De Nabuchodonoſore, potentiſſimo Aſſyriorum Rege, recenſent Sacræ Paginæ, quomodo ſuos convocaverit Miniſtros, tum aulicos, tum bellicos, & cum eis conſilium ſecretum habuerit, quomodo alias ſibi poſſet ſubjugare gentes, & ita orbis obtinere monarchiam: *Vocavitque omnes majores natu, omnesque Duces & bellatores ſuos, habuit cum eis myſterium conſilii ſui, dixitque, cogitationem ſuam in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugaret imperio.* Hoc in Chriſtum quadrat, ait Tirinus, duodecim hodie eligentem, & creantem Apoſtolos, tanquam Miniſtros aulicos & ſecretioris conſilii arbitros, ac bellatores fortiſſimos, quorum operâ *omnem terram ſuo ſubjugaret imperio*, & dulci jugo; inter quos & Bartholomæum vocavit ortu Galilæum, & conditione piſcatorem, qui Cappadocibus, majori Armeniæ, & Indis legem Chriſtianam annuntiaret, Chriſtique imperio omnem illam ſubjugaret terram. Judith. 2. 2.

Erat autem mitiſſimus Salvator, antequam duodecim deſignaret, & deligeret Apoſtolos, *pernoctans in oratione Dei*, ut eis orando ad Patrem gratiam, ac ſpiritum ingentem ad tantum Apoſtolatûs munus rité obeundum, orbemque terrarum ad Deum convertendum impetraret. Hoc orationis exercitium à divino ſuo Magiſtro apprimè didicit S. Bartholomæus, de quo refertur, quòd centies de die, & centies de nocte ad Deum oraverit, ac ſic Apoſtolica ejus vita quodammodo continua quæ- Luc. 6. 12.

Matth. 26. 40. dam fuerit oratio. De reliquis Discipulis suis lamentatur Christus : *Non potuistis unâ horâ vigilare mecum ?* Sed S. Bartholomæo peculiaris accedit gloria & prærogativa, quòd centies in die, & centies in nocte ad Deum oraverit, & sic semper mente in Deum elevatus fuerit, oratio enim-
S. Aug. s. 22. ad Fratres. est elevatio mentis in Deum : *Orans Jeremias*, ait S. Augustinus, *confortabatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Job in sterquilinio triumphat de Diabolo &c.* Et S. Bartholomæus per virtutem orationis morbos insanabiles curavit, leprosos mundavit, cæcis visum restituit, claudos ambulare fecit, mortuos suscitavit, innumeros ad fidem Orthodoxam convertit ; & sicut quondam junior Tobias hortatu Angeli per cor piscis exenterati, super carbones accensos positum, & per fumum
Tob. 6. 8. ejus fugavit Dæmonem : *Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus Dæmoniorum sive à viro sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* (Ubi observandum, quòd per fumum istum Lyranus & alii ardentem orationem rectè intelligant, per quam fugatur omne genus Dæmoniorum.) Ita S. Bartholomæus per ferventem orationem suam mirum semper in Dæmones imperium exercuit, quos non duntaxat in idolis Gentilium compescuit, sed & hospites à pluribus corporibus, quæ invaserant, ejecit, & in Orcum misit. Tanta vis & virtus ferventis orationis est. Et nos miseri heu quàm tepidi, distracti & perfunctorii in nostris orationibus sumus ! quid ergo miramur, quòd nihil impetremus?
S. Chrysol. serm. 43. Hinc rectè S. Chrysologus : *In tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.*

3. Occurrit hîc mihi invictissimus, ac glorioſissimus populi Israëlitici Dux Josue, qui Jerichuntem civitatem, cùm Arcam fœderis per septem dies circumduxit, tandem per buccinas Sacerdotum, & per sonitum tuba-
Jos. 6. 20. rum ruentibus muris expugnavit : *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt ; & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperuntque civitatem &c.* Deus bone ! quàm admirabilis hic erat modus per clangorem tubarum expugnandi Jerichuntem ? Quare Josue non bellica applicabat instrumenta, puta, arietes militares, tormenta, bombardas, gladios, hastas, sagittas ? &c.

Simile quid fecit Gedeon Dux Israëlitarum fortissimus, qui cum trecentis viris de nocte intempesta in innumeros irruit Madianitas, & clangens tubis, lagenarumque comblosione eorum castra subvertit :
Jud. 7. 18. *Quando personuerit tubæ in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate, Domino & Gedeoni.* Hæc & similia illis quondam facta sunt in figura. Sed quid, dices, per ejusmodi tubarum sonum, urbem & castra inimicorum subvertentium, nobis præfiguratum est ?

Resp.

Reſp. S. Auguſtinus, quòd per dictas clangentes tubas Jerichuntem & caſtra Madianitarum evertentes, nil aliud ſubaudiri debeat, quàm prædicatio Verbi Divini; perſonante enim prædicatione Apoſtolorum & ſucceſſorum ejus, mundi ſuperbia cum ſuis turribus & vitiis collapſa eſt: *Sicut*, inquit, *tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet, ut civitas mundi, id eſt, ſuperbia cum ſuis turribus, avaritiâ ſcilicet, invidia atque luxuria, ſimul cum populis, id eſt, omnibus concupiſcentiis malis aſſidua Sacerdotum prædicatione deſtruatur, atque diſpereat. Non ergo oportet, ut Sacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem: Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum.* S. Auguſt. ſer. 106. de Temp.

Hoc comprimîs fecit S. Bartholomæus Chriſti Apoſtolus ad inſtar tubæ in extremis Indiæ citerioris & majoris Armeniæ partibus, vocem ſuam exaltans, & magna cum virtute Regibus & Gentibus Verbum DEI prædicans, per quam myſticam tubam, velut alter Joſue, vel Gedeon, mundi muros deſtruxit, & innumerabiles peccatores ad pœnitentiam convertit, ita ut Dæmon Divinâ coactus virtute de illo dicere debuerit: *Quòd vox ejus quaſi tuba vehemens erat Spiritus Sancti, cum Chriſti fidem prædicaret &c.*

Hæc tuba ſpiritualis excitavit & Polymium Regem, & Armeniæ Proceres, quos à cultu idolorum cum duodecim civitatibus & vicinis Regionibus ad Deum verum & vivum, & ad Filium ejus Chriſtum JEſum mirabiliter perduxit: *Erant enim verba illius quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras.* Diſce hîc, anime mi, quòd *non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Jer. 23. 29. Rom. 2. 13.

4. Daniel, vir deſideriorum & Propheta magnanimus, cùm ei Rex Balthaſar purpuram, torquem & tertium in Regno ſuo locum promitteret, ſi Scripturam manu Dei in ſuperficie parietis exaratam legeret, & interpretaretur, generoſum dedit reſponſum: *Munera tua ſint tibi, & dona domûs tuæ alteri da: Scripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem ejus oſtendam tibi.* Moxque liberrimo Dei ſpiritu Regi ſua exprobravit vitia, quòd cor ſuum contra Deum elevaverit, impios patris mores ſecutus ſit, idola laudaverit & adoraverit, & idcirco morte & interitu eſſe dignum, hoc enim ſignificare tria illa verba Divinâ manu in pariete ſcripta: *Mane, Thecel, Phares.* Dan. 5. 17.

Talem Danielem ſe exhibuit, & noſter S. Bartholomæus, dum omnes temporales divitias, corporis voluptates, & mundanos honores generoſo animo contempſit; dum enim Polymius Armeniæ Rex ei multos camelos, auro, argento, gemmis ac margaritis pretioſis onuſtos in ſignum gratitudinis peculiaris ei ſubmiſiſſet, eò quòd regiam ſuam filiam à Stygio liberaſſet tortore, S. Apoſtolus libere reſpondit: *Ego nihil mundani requiro*, non enim ignorabat, quæ olim à Chriſto Magiſtro ſuo audierat, S. Anton in ſer. de hoc Sancto.

Matth. 19. 24. diérat, & didicerat : *Facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum.* Per quem divitiarum contemptum S. Bartholomæus sibi aditum paravit, & invenit apud Regem, quem exinde cum universo Regno Christo lucratus est. Disce ex hoc, anime mi, quomodo, & qualiter omnia ista terrena sint despicienda, ut Christi gra-
Philipp. 3. 8. tiam inveniamus, & vitam consequamur æternam : *Veruntamen existimo*, ait Apostolus, *omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Jacob Patriarcha ubi advertit, quòd in familia sua adhuc essent aliqua idola & idololatræ, & quòd Rachel fugiens aurea patris sui Labani furata fuerit idola, ea confracta, vel liquefacta subter terebinthum defo-
Gen. 35. 4. dit, & sic totam suam familiam idolis expurgavit : *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, at ille infodit ea super terebinthum.* Parciùs mi Jacob, cur aurea istorum idolorum frusta non in meliores familiæ convertisti usus ? quare non saltem ea erogâsti in pauperes ? &. Typotius & alii, ne ullam imposterùm domestici ejus haberent occasionem & ansam postliminiò redeundi ad pristinam idololatriam. Per terebinthum autem Crux Dominica adumbrata est, per
Typot. in Isagog. quam idolorum cultus, & inania Deorum simulacra destructa sunt : *Terebinthus*, inquit, *ea arbor est, sub qua infodit Patriarcha Jacobus signa, Crux, inquam, quæ unius Dei cultu idolomaniam obruit salo & solo, restinam fundit ita salubrem animæ huic, ut illa corpori &c.* Hoc & S. Bartholomæus fecit; dum destructis gentilium idolis Crucem erexit, & magna virtute Christum Crucifixum barbaris illis gentibus prædicavit. Inter ista idola adorabatur in Armenia famosum illud idolum nomine Astaroth, per quod Dæmon sua dabat oracula, & populum miserè decipiebat, quo destructo & dejecto, S. Apostolus multorum gentilium ac præsertim sacrificulorum odia in se concitavit, qui ipsum apud Astyagem impiissimum Regem accusârunt, à quo mox tentus, & carceri mancipatus est.

5. Agedum generose Christi athleta, S. Bartholomæe; Agedum jam tempus est, ut te ad cruentum ac horrendum pares agonem, quia spectaculum factus es mundo, Angelis & hominibus. Joseph, castissimus ille Jacobi Patriarchæ filius maluit pallium suum demittere, quàm gratiam
Gen. 39. 10. divinam perdere, & impudenti mulieri consentire : *Qui relicto in manu ejus pallio, fugit, & egressus est foras.* En! redivivum hodie Josephum in sancto ac castissimo Apostolo Bartholomæo, qui potiùs pallium, plùs dico, pellem corporis sui vivus dare & derelinquere voluit, quàm ut gratiam Dei amitteret, & impiis idolorum cultoribus consentiret : *Pro sempiterna*
Andr. Gran. *vita*, loquitur in persona hujus S. Apostoli Ludovicus Granatensis, *qua*

mortem

quæ mortem neſcit, quæ lacrymas ignorat, quæ malorum omnium expers, & bonorum omnium compos eſt, corporis mei pellem tribuam, immortalitatis veſtem illicò pro ea percepturus, itaque libenter me carnificibus excoriandum præbeo, & crucifixo Domino meo pellem offero. ſerm. de S. Ap. Barth.

Job inter tot adverſos caſus poſtquam omnia amiſerat, *ſurrexit & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram, adoravit, & dixit: nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Ubi obſervandum, quòd Job veſtimenta ſua non ex aliena ſciderit impatientia (prout benè advertit S. Joannes Chryſoſtomus) ſed potiùs ex generoſa & heroica reſolutione, quâ ſe totum Deo ad omnia perferenda tormenta paratum exhibuit, ut, ſi opus foret, & ita Divinæ placeret Majeſtati, etiam pellem & omnia corporis membra pro Deo lubenti animo vellet conſecrare, unde mox addit Scriptura: *In omnibus his non peccavit Job labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt.* Ecce alterum Jobum in S. Bartholomæo, qui amore Dei non ſolùm omnia terrena reliquit & contempſit, ſed & ipſe, cùm nunc ferreis virgis eſſet flagellandus, & poſt hanc cruentam lanienam Cruce affigendus, in qua vivus excoriaretur, ipſe ſibi priùs exuit & ſcidit ſua veſtimenta, non ex indignatione, ſed ex ſincera & intima in Dei voluntatem facta reſignatione, cum Vate Regio in cœlum ingeminans: *Quoniam ego in flagella paratus ſum.* Job. 1. 20. Pſ. 37. 12.

Jonathas, ut amorem ſuum erga Davidem probaret: *Diligebat enim eum quaſi animam ſuam*, quid fecit? *Exſpoliavit ſe Jonathas tunica, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, usque ad gladium & arcum ſuum, & usque ad balteum.* Plùs S. Bartholomæus, quàm Jonathas, dum in ſignum vehementis in Deum amoris non ſolùm veſtes & tunicam, ſed & ipſam pellem dedit & vitam, plùs daturus etiam pro inimicis ſuis, ſi plùs habuiſſet; hîc in veritate adimpletum fuit illud Veritatis: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro inimicis ſuis.* 1 Reg. 18. 4.

6. Olim præcepit Deus, ut victimæ & holocauſta detractâ priùs pelle ſibi in altari à Sacerdotibus litarentur: *Detracta pelle hoſtiæ.* Ita agnus matutinus & veſpertinus quotidie manè & veſperè communibus populi impenſis Deo oblatus, priùs excoriari debuit, exinde veru ligneo erat affixus, lentoque igne in ara toſtus, & ſic in gratiſſimam holocauſti hoſtiam à Deo acceptabatur: *Hoc eſt, quod facies in altari; Agnos anniculos duos per ſingulos dies jugiter &c.* Talis agnus veru ligneo Crucis affixus quoque Bartholomæus extitit: *Fuit excoriatus*, ait S. Thomas, *ut Deo tanquam verus agnus in holocauſtum offerretur.* Levit. 1. 6. Ex. 29. 38. S. Th. Vill. ſerm. de S. Barth.

Jacob ovibus inter Labanum & ſe dividendis virgas populeas & amygdalinas ex parte decorticatas in canali, ex quo bibebant aquas, propoſuit,

posuit, ex quarum aspectu factum est, ut & oves similes & variegatos
Gen 30. 38. conciperent fœtus: *Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut, cùm venissent greges, ante oculos haberent virgas &c.* Per dictas virgas variegatas, ita ut ex parte essent candidæ & rubicundæ, doctissimus Quaresmius Christum flagellatum & crucifixum subaudit, ibi enim erat candidus & rubicundus, candidus per innocentiam, & rubicundus per passionem, ex cujus aspectu & consideratione oves Christianæ ad æternam gloriam destinatæ
Quaresm. similes virtutum fœtus oportet concipere: *Si Christum Dominum*, ait, *elec-*
to. 1. c. 6. *tam virgam de radice Jesse nudatam, & decorticatam, in totque partibus rubi-*
sect. 3. *catam, & livore aspersam contemplabimur, fieri haud poterit, quin sui memoriam*
Hebr. 12. 2. *menti nostræ non imprimamus, & sanctos Passionis fructus pariamus.*

Hunc vitæ & fidei authorem ac consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ, sibi imitandum proposuit magnanimus noster, atque glorioſissimus de mundo, carne & Dæmone triumphator Bartholomæus, qui confusione contemptâ sustinuit flagra, opprobria, Crucem, excoriationem & mortem acerbissimam, dum primò flagellatus, postea capite deorsum posito, & pedibus recto itinere ad cœlum versis, in patibulo suspensus hærens per omnia membra à planta usque ad verticem pelle fuit nudatus, & vivus incredibili cum dolore excoriatus, ut demonstraret orbi, quàm angusta sit via, quæ ducit ad vitam, & quàm difficilis sit illis in cœlum ingressus, qui hìc cutem su-
Lud. Granat. am & ventrem curant: *Tyrannus*, ait citatus Granat, *atrocissimum hoc*
serm. de S. *supplicii genus nunquam ante visum. Sathana instigante excogitavit, quod*
Barth. §. 4 *& acerbitate sua, & novitate & diuturnitate Apostolum immanissimè cruciavit:* sed quia ad petram, unde excisus erat, attendit, hoc est, ad Christum flagellatum & crucifixum, ideo etiam gloriosè triumphavit:
Matth. 11. 12. *Mentis oculis*, pergit idem Granatensis, *in Crucifixi Domini sui imaginem defixis, incredibili mentis alacritate triumphat.* Disce rursus ex hoc, qualiter *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Observa: Non violenti, sed violenti. Qualis es tu?

7. Cæterùm, quod ovis inter lupos est, hoc quondam innocens Joseph adolescens inter perfidos fratres sui, vix enim à patre amandatus ad illos in Dothaim pervenit, mox eum tunicâ nudaverunt talari, & polymitâ, miseruntque eum in cisternam veterem, ubi tunicam ejus variegatam intinxerunt in sanguine hædi, & fœdè dilaceratam remiserunt ad
Gen. 37. 32. patrem: *Vide, utrum tunica filii tui sit, an non? quàm cùm cognovisset pater, ait: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* En! typum hodie in S. Bartholomæo impletum, dum non duntaxat candidâ suâ tunicâ, quâ indutus solebat incedere, à perfidis fratribus, quos ad Christum volebat convertere, fuit privatus, sed & ipsa corporis pelle miserandum in modum spoliatus, quam sanguinolentam pellem corpori

detre-

detrectam nobis hodie oſtendit Eccleſia: *Ecce fera peſſima*, hoc eſt, beſtialis Barbarorum crudelitas, *devoravit filium meum Bartholomæum.*

Et ecce mirabilem, & hactenus nunquam viſum, vel auditum Prædicatorem. Chriſto, pretioſiſſimo Redemptori noſtro, Crux facta eſt cathedra, in qua brevem quidem, ſed virtute præſtantiſſimam fecit concionem ſeptem tantùm verbis conſtantem. Similem veré concionem & D. Bartholomæus fecit, ubi enim excoriatus, & vinculis ſolutus fuit, teſtatur S. Vincentius Ferrerius, eum circumpoſitâ circa collum ſanguinolentâ ſuâ pelle velut ſtolâ ſacerdotali admirantibus omnibus locum eminentiorem, quaſi pulpitum conſcendiſſe, & Chriſtum crucifixum, juſtis vitam ſempiternam, & impiis pœnas æternas in gehenna ipſis præparatas prædicâſſe: *Ibunt hi in ſupplicium ſempiternum, juſti autem in vitam æternam.* S. Vinc Ferr. ſer. de S. B. P. Dicheimb. S. J. conc. 1. Matth. 25. 46.

O mirabilem Prædicatorem! Modicum ſed bonum. Qua finita breviſſima; ſed emphatica concione juſſu immaniſſimi Tyranni capite truncatus eſt, & ſacrum corpus ejus terræ mandatum. Verùm, cùm impii Gentiles cernerent, quòd Chriſtiani ex finitimis locis accurrerent, ſacras ejus reliquias venerandi cauſa, erutum corpus ejus plumbeæ arcæ concluſum in mare projecernut; ſed benedictus Deus, *qui cuſtodit omnia oſſa eorum, & unum ex his non conteretur*, hanc quoque plumbeam molem non permiſit interire, ſed manu Angelicâ ad inſulam Siciliæ Liparam direxit, ubi Chriſtiani à Deo moniti has ſacras reliquias magnâ cum veneratione exceperunt, & magnificum templum in ejus honorem ædificârunt, quod ſacrum pignus ſucceſſu temporis Beneventum, & tandem per Ottonem II. Imp. Romam translatum eſt, ubi hodierna adhuc die in Inſula Tyberina S. Bartholomæi appellata, in marmorea tumba requieſcit. *Sic honorabitur, quemcunque Rex voluerit honorare.* Gregorius Turon. in vita. Pſ. 33. 21 Eſth. 6. 9.

8. Collige ex his, anime mi, quanta ſupremæ civitatis debeant eſſe gaudia, pro quibus oportuit ipſum Chriſtum tam indigna pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Conſidera inſuper omnes Apoſtolos, SS. Martyres & Electos univerſos, quoniam nemo eorum venit ad lucem, niſi per Crucem. Et tu ſolus ſine Cruce eò cogitas pervenire? Abſit: *Ego diſpono vobis*, ait Chriſtus, *ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum.* Pater meus diſpoſuit mihi Regnum cœleſte & æternum per labores & dolores, per humilitatem & Crucem, ita & ego vobis diſpono, ut per ſimilem humilitatem, labores, ærumnas, perſecutiones, mortificationes, dolores & Crucem ad idem Regnum perveniatis: *Si quotidie*, inquit S. Auguſtinus, *nos oporteret tormenta perferre, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria ſua videre poſſemus, libentiſſimè omnia hæc ſubire deberemus.* Luc. 24. 26. Luc. 22. 29. S. Aug. in Manuali.

Jacobum Patriarcham animabat quondam pulchritudo Rachelis, ut propter eam patientiſſimo animo cunctos perferret labores: *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Et cur nos non animet formoſiſſima illa Gen. 29. 20.

Rachel, cœlestis gloria, quæ post exantlatos in hoc mundo labores & dolores nobis parata est in sponsam?

Davidem excitavit ad plures periculosas pugnas cum Philistæis ineundas spes præmii: *Num parvum*, ait, *videtur vobis, generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis*, proinde pugnabo & decertabo alacriter cum hostibus, ut ad illam perveniam dignitatem & coronam. Anima Christiana, En! potes fieri amica, imò sponsa Dei tui in cœlesti Regno; sed adverte: *Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores &c.* Si aspiras ad coronam, pare te ad pugnam.

1.Reg. 18. 23.

S. Gregorius hom. 37. in Evang.

Jobo, ubi omnia perdidit, & nunc innumeris scatens ulceribus sederet in sterquilineo, animos additit spes futuræ gloriæ ac vitæ: Licèt, dicebat intra se, modò omnibus sim exutus bonis, licèt à capite meo usque ad plantas pedum existam saucius, & à Diabolo ulcere pessimo percussus: licét caro mea ex sanie ulcerum penitùs computrescat, & à vermibus depasta minutim diffluat, hoc tamen mihi est solatio: *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEum Salvatorem meum.*

Jo. 19. 26.

Hæc, inquam, spes æternæ vitæ, & esse cum Christo, hodie etiam animabat in mediis tormentorum fluctibus S. Apostolum Bartholomæum, ut æquo, alacri & generoso animo constanter usque ad finem acerbissimos martyrii sui toleraret cruciatus, *existimans, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quòd in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Observa, quòd Apostolus dicat: *æternum gloriæ pondus.* O quàm immensa merces & præmium! O homo Christiane, audis ista, atque perpendis? Erige igitur te, & anima te ipsum: si in hoc mundo tentaris, si mortificaris, cruciaris, infirmaris, & mille obrueris calumniis, ærumnis, doloribus &c. suspice cœlum, & ibi regnantem intuere, non enim tibi eripitur vita, sed mutatur in meliorem atque æternam.

Rom. 8. 18. 2.Cor. 4. 17.

Coronidem huic imponat Considerationi Elias Propheta, qui cùm nunc in cœlum igneo curru raperetur, in signum peculiaris amoris Elisæo pallium suum reliquit: *Levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Hodie S. Bartholomæus in curru igneo S. Crucis, in quo erat suspensus & decorticatus, cœlos ascendit, & quid nobis reliquit? Pallium suum, seu pellem, quàm ego modò divido, & tres ex ea partes facio: *Frænum* pro illis, qui linguam suam domare non possunt: *Si equis*, ait S. Jacobus, *fræna in ore mittimus ad consentiendum nobis &c.* Quare ergo linguam nostram domare non possumus? Facio ex ea etiam *cingulum*, pro illis qui statum suum, ad quem creati sunt, non exactè & puré servant, juxta illud: *Sint lumbi vestri præcincti &c.* Supra quòd Gregorius: *Lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Facio denique ex eadem

4Reg. 2. 13.

Jac. 3. 3.

Luc. 12. 34. S. Greg. hom. 13. in Evang.

pelle

pelle & *tympanum*, cum lemmate: *Percussum resonat.* Sic adversa, quæ nos premunt, ad DEUM ire compellunt; opus est ut percutiamur adversis. Cætera pro me colligo, & finio.

CONSIDERATIO XXXIV.

Contra Dæmones Inimicos dedit nobis Deus Angelos Custodes.

Pro Festo SS. Angelorum Custodum.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.
Matth. 18. 10.

1.

QUi vel primis labiis sacram Scripturam & Theologiam degustavit, non ignorabit, credo, qualiter mundus iste à millionibus Dæmonum infestetur, & inquietetur; ubique sunt illorum technæ, & in omni loco ac tempore nobis isti tartarei insidiantur inimici, ut in laqueum nos inducant, ad peccata pelliciant, & in æternum perdant. Vidit hoc quondam S. Antonius ille magnus, quòd ipse sol, mundi oculus, præ multitudine Dæmonum, in perniciem animarum nostrarum vigilantium fuerit obscuratus, unde rogavit Dominum: *Quis evadet?* Et responsum accepit: *Humilis.* Vita S. Ant. M.

Figuram, imò Historiam de hac veritate capesis ex illo dæmoniaco, de quo S. Marcus commemorat, quòd adeò ferox & indomitus extiterit, ut, licèt vinctus compedibus, ligatus catenis ferreis, eas tamen velut stuppæ fila confregerit; proinde in domibus ampliùs contineri non potuit, sed in deserta loca ab immundis spiritibus agitatus, spelunças & cadaverum incolebat monumenta. Pertransiit illas aliquando benignissimus JEsus, ad quem occurrit miser ille energumenus, adorans eum, & clamans

Marc. 5. 7. voce magnâ dixit: *Quid mihi & tibi, JEsu, Fili DEI altissimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.* Interrogavit autem eum Dominus: *Quod tibi nomen?* & respondit miser? *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.*

Sto hîc ad confessionem Diaboli attonitus, quod integra legio, hoc est, sex millia, sexcenti sexaginta sex Dæmonum in ruinam unius hominis conspiraverint, & tot crudelissimi tortores ejus corpus infestaverint; unde non sine peculiari causa Christus ex eo nomen scisitatus est: *Quod tibi nomen est?* O Domine, nunquid jam antea perfectum habebas eorum numerum? quare ergo eum inquirebas? Sed observa: omnis Christi actio nostra fuit instructio; ideo quæsivit, ait de la Nuza, ut circumstantes, imò mundus universus ex hoc intelligerent, quanto Dæmones ardeant nobis nocendi desiderio, & quot simul maligni spiritus ad unius hominis ruinam conspirent &c. O Domine JEsu! quis hîc cum S. Antonio Magno non exclamet; *Domine, quis evadet?*

De la Nuza in Festo S. Mich.

Verùm non despondeamus animum, vel de nostra diffidamus salute, constituit enim benignus Deus SS. Angelos custodes & Tutelares nostros, quorum unus mille, & duo fugent decem millia; unde Vates Regius: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* O mira & magna dignatio, & verè dilectio charitatis! Quis enim? quibus? de quibus? quid mandavit? Audiemus in præsenti consideratione.

Ps. 90. 11. S. Bern. in hunc Ps.

1. Petr. 5. 8. 2. Quemadmodum Diabolus adversarius noster tanquam leo rugiens in terra circuit, quærens, quem devoret, ita & Angeli tutelares ac custodes nostri in circuitu timentium Dominum ambulant, ut nos à malignis istis defendant prædonibus, unde Vates Regius: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

P. 33. 8. S. Bonav. in 2. dist. 11.

Habet autem quilibet homo à Deo suum Angelum tutelarem, qui juxta mentem S. Bonaventuræ à primo instanti infusionis animæ illi à benigno Numine deputatur, ut in utero hominem defendat, ne malignus Dæmon eum extinguat, in partu adjuvet, ne pereat, ad Baptismum promoveat, ut in novam & æternam renascatur vitam, in toto vitæ cursu, inter tot tentationum assultus custodiat, ac præsertim in supremo illo agone, ex quo pendet æternitas, potenter protegat, ut ad ultimum suum finem, qui Deus est, securé perveniat &c. Ex quibus vides, anime mi, quantùm obligatus sis Angelo tuo Custodi.

Olim constituit Deus ante paradisum terrestrem Cherubinos vigilantissimos, qui custodiebant viam ligni vitæ: *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Supra quod egregiè Barradius: *Iter illud*, inquit, *custodiebant Cherubini, ne quis ad arborem vitæ posset pervenire, ejusque fructum decerpere: nostrum iter custodiunt Angeli, ut ad arborem vitæ Christum perveniamus, fructumque*

Gen. 3. 24. Barrad. sup. cap. 2. Luc.

que illius suavissimum decerpere possimus. En! sedulam illorum curam, ac diligentiam in suos clientes & exercitam, & exercendam.

3. Jacob Patriarcha, cùm fugiens furorem Esau fratris sui, in Mesopotamiam proficiscereturtur, in via dormiens Deum scalæ innixum conspicatus est, per quam & Angeli ascendebant, & descendebant, ipsum consolantes: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Gen. 28. 12. Ecce Jacob dormiebat, sed Angeli ad eum à Deo missi non dormiebant, sed magnâ curâ circa eum vigilabant, nunc ascendentes in cœlum, nunc rursus ad eum in terram descendentes. Et quare hoc, audi Mellifluum: *Beati illi Spiritus ascendunt per contemplationem, descendunt per compassionem, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum ejus; Descendunt ad nutum ejus: quoniam Angelis suis mandavit Deus de te: nec tamen vel descendendo visione gloriæ defraudantur, quia semper vident faciem Patris.* S. Bern. s. 11. in Cant.

Cùm vidisset quondam Deus, quòd omnis caro corruperat viam suam, statuit justissimus scelerum vindex universali diluvio hunc mundum delere universum; in quem finem mandavit Noëmo, ut Arcam sibi & suæ fabricaret familiæ, in qua salvaretur genus humanum. Et ecce, cùm nunc cuncta animalia secundùm species suas in Arcam fuissent introducta, observat Scriptura, quod ipse Dominus ostium Arcæ concluserit, & ejusdem claves durante diluvio secum retinuerit: *Inclusit eum Dominus de foris.* Gen. 7. 16. Et quare hoc officium ostiarii non commisit Angelis? R. insignis quidam Doctor in hunc Scripturæ locum commentans: quia Angeli sunt valdè benigni ac misericordes, unde compassione moti erga suos clientes, periclitantibus de vita illico aperuissent Arcæ januam, & quilibet Angelus Custos hominem custodiæ suæ commissum intromisisset in Arcam, adeòque divina justitia non fuisset sortita suum effectum &c. Camelat in sylva nova disc. 6. En! benignum animum S. Angeli Custodis tui; *Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaveris, & est nomen meum in illo.* Ex. 23. 21.

4. Et, si placet ulteriùs progredi, Pentapolim considerare, ad quam delendam à Deo mane missi sunt Angeli. Verùm, antequam illam subverterent, priùs ad Abrahami tabernaculum in ipso fervore diei diverterunt, ubi per plures horas morati sunt. Tandem ad vesperam *converterunt se inde, & abiêrunt Sodomam &c.* Et quare, dices, non citiùs Angeli isti hoc divinum executi sunt mandatum? Cur talis mora, ut etiam inviti trahantur ad vindictam? R. Escobar: *Totum diem exspectârunt, utrùm DEUS parceret civitatibus propter Abraham.* Et Abulensis hîc: *Unde exspectant? ut videant, si forté Dominus Abrahæ precibus placaretur.* Gen. 18. 22. Escob. mir. Christi c. 1. observat. 4. En! miram SS. Angelorum erga nos charitatem, & quàm ægrè, si debeant, nos punire soleant.

ant. O anime mi! ubi esses, si te Angelus tuus Custos hactenus inter tot rerum discrimina, tentationes Dæmonis, carnis & mundi insultus non ab interitu conservasset? *O! si cognosceremus & nos*, subintrat hîc S. Bernhardus, *quomodo exspectant, & quantum desiderant* (Angeli) *adventum nostrum, quàm sollicite quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis; quomodo discurrunt medii inter nos & Deum: fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius nobis gratiam devotissimè reportantes.* Ita citatus Mellifluus.

S. Bern. s. 2. in Vig. Nat. Dom.

De eisdem Angelis refert Scriptura, quomodo Loth cum uxore sua, & duabus filiabus vi quadam ab incendio Sodomorum eripuerint: *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra civitatem; ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam.* Fortasse, anime mi, propter tua demerita jam pridem habitâsses in inferno, nisi Angelus Custos tuus adjuvâsset te, & eruisset te de medio Sodomorum. Gratias proinde age Deo tuo, quia toties tibi misit Angelum suum in subsidium.

Gen. 19. 17.

5. Varias quondam in aula Darii Regis Satrapæ Danieli pio ac justo subornârunt insidias, donec tandem innocens in lacum leonum missus sit, ex quo tamen paulò post illæsus exivit. Et quis, obsecro eum conservavit incolumem? Audi ipsum loquentem: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.*

Dan. 6. 22.

Judith formosa quidem, sed fragilis ac inermis mulier, hostilia Assyriorum ingreditur castra; capitur à militibus, & ad Holofernem ducitur, quem de nocte generoso ausu & animo interfecit, per cujus necem non duntaxat patriam suam ab hostili incursu liberat, sed & victoriam nullis unquam sæculis satis decantandam obtinet. O Deum immortalem! unde tantus animus mulieri imbelli? Ipsa loquatur: *Custodivit me Angelus ejus hinc euntem, & ibi commorantem, & inde revertentem.*

Jud. 13. 20.

Erat desertus in deserto Elias. Foris pugnæ, intùs timores; Jezabel minabatur illi mortem, fugit, & sub Junipero indormit, postulans à Deo mortem: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Et quis eum confortavit, ac suavissimo pane refecit? En! Angelus Custos adstitit ad latus ejus, subministrans ei panem subcinericium, in cujus cibi fortitudine ambulavit usque ad montem DEI Horeb &c. Vide, quàm solliciti sint SS. Angeli Custodes nostri in procuranda tam corporis, quàm Animæ nostræ salute; proinde rectè monet Mellifluus, ut & illis in omni loco debitam exhibeamus venerationem; *In quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe: Tune audeas illo præsente, quod vidente me non auderes?* Absit. Conglomeremus argumenta.

3 Reg. 19. 4.

S. Bern. s. 12. in Ps. 90.

6. Et quid ignorat, quòd Angelus Custos Agar in deserto nimiùm afflictam benignè consolatus sit, eique fontem monstraverit, quo se & filium morientem refecit: *Vocavitque Angelus Dei Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri &c.*

Gen. 21. 17.

Ange-

Angelus Custos Jacobum instruit, qualiter in ovibus per virgas variegatas, in canalibus aquarum positas, possit peculiare post tantam exantlatam apud Labanum servitutem capessere lucrum. *Tollens ergo Jacob virgas populeas, virides & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decortavit eas &c.* Gen. 30. 37.

Angelus Custos ut fratres nos amat, ac sincerè diligit: *Dixitque Angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum: si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu sequantur inter nostrum familiæ &c.* Tob. 11. 2.

Angelus Custos increpat nos per bonas inspirationes, dum contra legem Dei peccamus; unde Israëlitis quondam in visibili forma apparuit, eosque propter ingratum erga Deum animum in concione publica verbis tam efficacibus redarguit, ut omnes præsentes in largissimas solverentur lachrymas: *Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israël, elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt &c.* Jud. 2. 4.

Angelus Custos summo afficitur gaudio ob conversionem nostram ad Deum: *Ita dico vobis: gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15. 10.

Angelus Custos adjuvat nos in tentationibus, miseriis, calamitatibus & angustiis. Tobiam seniorem cæcum consule, ad quem Angelus: *Forti animo esto; in proximo est, ut à DEO cureris.* Juvat hic iterum audire Doctorem Mellifluum: *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, invoca Custodem tuum, Ductorem tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione inclama eum, & dic: Domine, salva nos, perimus.* Tob. 5. 13. S. Bern. in Ps. 90.

Angelus Custos Diaboli insidias detegit: *Audi me, ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium;* & ab ejusdem Dæmoniis insultu nos potenter defendit. Sic Tobiam juniorem à cete invadente eripuit: *Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te &c.* Imò & eundem generis humani hostem in deserto alligavit ut canem, qui latrare quidem potest, mordere non potest, nisi accedentem ad se. Tob. 6. 16. Tob. 6. 4. Tob. 8. 3.

Angelus denique Custos in cunctis nos tuetur periculis. Sic Moysen infantem in fiscella scirpea in Nilo expositum defendit; Jonam in profundo maris in ventre ceti conservavit, & eripuit; Petrum è carcere & catenis liberavit: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.* Lazarum mendicum in mortis lucta non deseruit, eumque in sinum Abrahæ transportavit; verbo: *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Quid igitur restat, nisi ut illi grati simus? Exod. 2. 3. Jonæ 2. 11. Act. 12. 11. Luc 16. 22. Tob. 12. 3.

Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?

CONSIDERATIO XXXV.

De Gaudio totius universi ob Nativitatem B. V. MARIÆ.

Pro Festo B. V. Natæ.

Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: Ecclesia in Brev. Rom.

1.

Baron. in Martyrol. die 25. Dec.

NOn sine singulari divina Providentia Beatissima Virgo ac Mater Christi intemerata in mense Septembri anno à mundo condito juxta Baronium quinquies millesimo centesimo octuagesimo quarto à S. Anna in lucem edita est, pro hac enim decertabant omnes mundi ætates, anni, tempora, menses & dies; proinde erat negotium omnium sæculorum, videre aliquando dignissimam Deiparentem, per cujus tandem adventum prima mundo salus apparuit.

Ad hanc Nativitatem jam primâ mundi ætate suspirabat Adamus, primus generis humani parens, quia post lapsum suum, cùm de paradiso ejiGen. 3. 15. ceretur in exilium, à Deo audivit: *Ipsa conteret caput tuum*, videlicet serpentis antiqui, cujus astu protoplasti erant seducti.

Hanc nativitatem secundâ mundi ætate summis expetebat votis Noë, vir justus in generatione sua, qui arcam ante diluvium ex mandato DEI Gen. 6. 14. construxit, in qua salvaretur genus humanum: *Fac tibi arcam &c.* Arca S. Bern. de autem illa, ait Mellifluus, per quam naufragium evadimus, præfigurabat Verb. Apoc. Mariam, per quam multi ab æternæ damnationis salvantur diluvio.

Ad eandem illibatæ Virginis Nativitatem anhelabat in tertia mundi ætate Abraham Patriarcha glorioſissimus, & omnium credentium Pater, Luc. 1, 54. de quo ipsa Virgo sanctissima in suo Magnificat: *Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini ejus in sæcula*; Observa, *Patres nostros*, per quos intelli-

intelliguntur omnes Patriarchæ, quibus hæc promissio à Deo facta est, Christum ex eorum semine nasciturum, quales fuerunt Abraham, Isaac, Jacob, Judas & cæteri in genealogia Christi descripti.

Hunc Sacratissimæ Deiparæ ortum in quarta mundi ætate ardentissimis exspectabat votis Moyses, Hebræorum Dux ac Legifer, dum in deserto rubum incombustum vidit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*, Aaron frater ejus per virgam suam Amygdalinam subitò ac mirabiliter floreſcentem, ac fructus germinantem: *Invenit germinasse virgam.* Gedeon per vellus suum in area nocte serenâ expansum, in quod solum ros cœlestis abundantissimè descendit: *Ponam hoc vellus lanæ in area &c.* Exod. 3. 3. Num. 17. 8. Judic. 6. 37.

Hanc nativitatem animitùs exoptabant in quinta mundi ætate SS. Prophetæ omnes, qui de hac SS. Virgine olim prophetabant. David saltavit totis viribus coram Arca fœderis, quia per eam, ait S. Ambrosius, prævidebat in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam. Isaias exultavit præ gaudio, ubi in umbra tantùm hujus intemeratæ Virginis ortum prævidit: *Et egredietur virga de radice Jessæ, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini &c.* Jeremias, ubi hoc mysterium de Virginis ortu, & Incarnatione Verbi à Spiritu Sancto illi revelatum est, se ipsum non amplius præ admiratione capiens, exclamavit: *Crevit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum.* Et sic de aliis prophetis. Tandem in sexta mundi ætate advenit desiderata, & desideratus cunctis gentibus; proinde meritò hodierna Virginis Nativitas gaudium annuntiavit universo mundo, ex illa enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam. 2. Reg. 6. 14. S. Ambr. ser. 25. de Sanct. Isa. 11. 45. Jer. 31. 22.

2. Videamus nunc, quomodo & singuli anni menses pro hac SS. Virginis Nativitate decertârint. Januarius humiliter supplicabat Deo: Ego nomen habeo *à janua*, dum januam cujuslibet anni claudo & aperio: Maria autem est *janua cœli*, ergo mihi illius debetur ortus & Nativitas. Februarius dicebat: Ego nomen teneo à Febra Gentilium Deâ, quæ apud veteres extirpatrix æstimata est vitiorum, cui Romani accensis singulis annis inserviebant luminibus: Maria verò non solùm vitiorum est domitrix, sed & *lumen indeficiens.* Ergo ejus ad me pertinet Nativitas. Martius à Marte & bello nomen sortitur, Maria autem est vera Bellona, *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ergo &c. Aprilis nomen habet ab aperienda terra, dum post rigidam hyemis stationem de novo se parat ad optatos progerminandos fructus: Maria autem appellatur terra benedicta & promissionis, de qua Prophetæ vaticinati sunt: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Ergo &c. Majus est florum mensis, in quo incipiunt floreſcere omnia: Maria autem est *flos campi &c.* Junius odoriferis abundat candidis & rubicundis rosis: Maria autem est *Rosa mystica*, & sicut *Rosa in Jericho.* Julius Eccl. 24. 6. Cant. 6. 3. Isa. 45. 8. Cant. 2. 1. Eccl. 24. 8.

Cant. 2. 1. vernantibus & argenteis redolet liliis, Maria verò est *lilium convallium.* Au-
Cant. 7. 2. gustus grano turget, & superbit frumento : Maria autem est *acervus trit-*
Eccl 24. 23. *ci vallatus liliis.* September variis exuberat fructibus? Maria genuit be-
nedictum fructum ventris sui JEsum. October redundat botris & vino :
MARIA *quasi vitis fructificavit suavitatem odoris.* November à festo Sancto-
rum omnium incipit : MARIA autem est *Regina Sanctorum omnium.* Tan-
dem accedebat ad thronum gratiæ December mensium ultimus : Ego, in-
quiebat, Filium habeo, qui sub me, hoc est 25. hujus ex hac SS. Virgine
in mundum nascetur, ergo mihi præ aliis mensibus jure merito debetur
etiam Nativitas illius divinæ Matris, quia *partus sequitur ventrem.*

Verùm inter omnes istos menses hanc singularem à Deo obtinuit prærogativam solus September, ut octavo illius in lucem sub auroræ tempus à B. Anna nasceretur tot Angelorum & mortalium votis exoptata Virgo. Primò, quia juxta mentem Carthaginæ, & aliorum gravissimorum Auctorum, hoc mense terrestris paradisus creatus est, Maria autem est paradisus, in quo plantatum est lignum vitæ, Christus Deus & Salvator noster; Unde à Doctore Mellifluo vocatur *Paradisus Dei* ; à S. Bonav. *Paradisus voluptatis* ; & à Ruperto *Paradisus cœlestis*, *ex quo omnia gratiarum germina.* Secundò, quia Mensis September appellatur *Mensis beneficentiæ*, *mensis fructuum :* ita Rosignoli ; Maria autem protulit benedictum fructum ventris sui, & vinum germinans Virgines ; hinc rectè B. Petrus Damianus : *Meritò B. Virgo sub ipso vindemiarum tempore nascitur*, *ut novæ gratiæ mustum exprimatur*, *& totius sæculi fructus comedatur.* Tertio, nata est Sacratissima Deipara, dum sol ex signo leonis per Zodiacum discurrens, ingressus est signum Virginis ; ubi observandum, quòd sol in signo leonis sit ardentissimus, sed ingrediens signum Virginis, mirum in modum mitigetur. Ita, subintrat hìc S. Antoninus, Sol justitiæ Deus noster in veteri Testamento erat ut leo rugiens, Deus ultionum, puniens terribiliter peccatores ; sed intrans in uterum Virginis, totus factus est benignus, suavis & humanus. Quartò, quia hoc mense juxta opinionem antiquissimorum Auctorum Eva Mater nostra universo generi humano irreparabile damnum intulit. Maria autem debebat reddere almo germine, quod Eva tristis abstulit. Hinc rectè S. Epiphanius : *Eva mortis causa facta est hominibus*, *per ipsam enim mors ingressa est in mundum*, *MARIA verò causa vitæ*, *per quam genita est nobis vita.* O pientissima! Quantum obligatus est tibi mundus universus, *quia Nativitas tua*, ait citatus B. Damianus, *præcipuum præbuit hominibus gaudium, dum humanæ extitit salutis exordium.*

Vide Tirin. & alios in Chronico Sacro.
S. Bern. de præcat. ad Virg.
S. Bonav. in Spec. c. 2.
B. Dam. ser. 3. de Nat. B. V.
S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 21.
S. Epiphan. l. 3 har. 78.
B. Dam. ser. 2. de Nat. B V.

3. Ingens erat gaudium in universa terra, ubi post annos tres, & menses sex ad orationem Eliæ Prophetæ, tandem nubecula de mari Mediterraneo ascendit, quæ optatas post tantam siccitatem mundo dedit pluvias ;

vias : *Ecce Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Hodie nubecula illa parva prodiit, & primâ vice in terris visa est, dum B. Virgo in lucem nata est. *Revelavit Deus Eliæ*, ait Joannes Hierosolymitanus, *quòd quædam infantula, scilicet B. MARIA per illam nubeculam significata fuit*, quæ licèt adhuc parvula, & gracilis nubecula, sed paulò post magîs magisque dilatata saluberrimas mundo tulit pluvias, *& terra dedit fructum suum.*

3. Reg. 18. 44. Jo Hierosol. de Instit. Monach. c. 32.

Cùm Judith heroina fortissima, cæso Holoferne, rediret victrix in Bethuliam civitatem suam, universæ genti suæ ineffabilis lætitiæ causa fuit: *Benedixerunt eam omnes unâ voce dicentes : Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri ; eris benedicta in æternum, & dixit omnis populus, fiat, fiat.* Judith 15. 10. Hodie nata est puella, imò Virgo Heroina fortissima, cœlestis illa Judith Maria, quæ jam à primò Conceptionis & Animationis suæ instanti, atque hodie iterum in Nativitate sua de infernali Holoferne triumphavit ; ideo jure meritò cum populo Bethulienſi illi unâ voce acclamemus, & congratulemur : *gloria tu Jerusalem &c.*

Cùm olim in deserto populo Israëlitico pastus deficeret, cœlum illis misit, & grandinavit manna, sed non nisi in aurora, quando ros cecidit super terram : *Manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum ; cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. Quòd cùm vidissent filii Israël, dixerunt ad invicem. : Manhu ? &c.* Ex. 16. 13. Observa, anime mi, Manna non cecidit nisi in aurora : *Maria*, ait Hugo à S. Victore, *aurora, & veræ roris gratiæ prænuncia fuit*, per suavissimum enim Manna gratia Dei intelligitur, quam hodie hæc aurora mystica, vel *auro rorans* secum tulit, unde S. Joannes Damascenus : *Hac aurora*, inquit, *Mariâ natâ diuturnum illud bellum, quod nobis cum Creatore erat, sublatum est, per hanc nobis cum eo reconciliatio sancita, paxque & gratia donata est.*

Hugo à S. Vict. s. 34. S. Damasc. Orat. 2. de dormit. V.

4. Quam pretiosum quondam thronum sapientissimus Rex Salomon sibi jusserit fabricari, Sacræ litteræ satis luculenter demonstrant : *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis &c.* 3. Reg. 10. 18. B. Petrus Damianus symbolicè per hunc elegantissimum thronum B. Virginem hodie in lucem natam subaudit : *Fecit*, ait, *thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa Majestas &c.* B. Dam. in ser. de nat. B. V. Subintrat hîc S. Antoninus Archiepiscopus : *Ad thronum ejus*, inquit, *scilicet Virginem Mariam, in qua quievit, accedamus cum fiducia, ut misericordiam & gratiam consequamur in tempore opportuno.* S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 14. §. 7.

Olim ad Loth, ne cum suis periret domesticis in incendio Sodomæ, ab Angelo dictum est : *In monte salvum te fac.* Hodie præparatus fuit ille mons: *Mons*, ait Andreas Cretensis, *de quo abscissus est lapis sine manibus : Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare.* Si igitur vis, anima Christiana, Gen. 19. 17. Andr. Cretens. s. 2. Ass.

ab æterno liberari incendio : *In monte salvum te fac*, hoc est, in monte pietatis, & in potenti auxilio ac protectione B. Virginis ac Dei Genitricis Mariæ, ipsa enim est mons umbrosus, mons sublimis, mons coagulatus, & mons Domini in vertice montium.

Claudus ille, & toto corpore contractus per plures annorum tractus jacuit Hierosolymis ad portam speciosam, ut ibidem ab introeuntibus in templum ad vitæ sustentationem colligeret eleemosynam : *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa.* Gaudete infirmi ac miseri, hodie hæc porta speciosa primò mundo apparuit, ad quam sedentes salutem & misericordiam à Deo consequemini : *MARIA enim*, ait S. Ephrem, *porta cœlorum est* ; & Ecclesia in hymno, Porta lucis fulgida ; Et Glossa : *Cœli speciosa porta est* B. *Virgo MARIA, de qua cantat Ecclesia : Felix cœli porta. Per hanc portam venit Dei Filius ad redimendum, & per eam deducit nos*, scilicet ad glorificandum.

Act. 3. 2.

S Ephrem. Orat. de laude B. V.

5. Angustiati erant Israëlitæ de Ægypto exeuntes, dum ante se habebant mare rubrum nunc transeundum, & à tergo Pharaonem, & hostes Ægyptios insequentes. Quid in hac re tantopere desperata consilii ? Ad Moysen populi ducem à Deo dictum est : *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum &c.* Et factum est ita. Per hanc virgam Mosaicam tantorum prodigiorum operatricem S. Bernardus B. Virginem subaudit, hæc enim erat in figura virga illa sublimis, virga virtutis Dei, & virga germinans florem Christum.

Ex. 14. 16.

S. Bern. ser. sup. Miss.

Gen. 40. 9. Pincerna ille cum Josepho in obscuro sedebat carcere, inter spem & metum constitutus ; Somniabat aliquando de visa vite : *Videbam coram me vitem &c.* Bene, inquiebat Joseph, hæc vitis tuæ salutis indicium est, recordabitur enim Pharao ministerii tui & restituet te in gradum pristi-

Hugo s. 55. num. Eccl. 24. 23. num. Vitis ista, ait Hugo de S. Victore, adumbrabat SS. Deiparam, quæ de se ipsa dicit : *Ego quasi vitis fructificavi &c.* Respirate desolati, ad-

S. Bern. ser. 28 in Cant. huc spes suspereſt vestræ salutis : *Ad Mariam recurrite*, ait prædictus Mellifluus, *exaudietur enim ipsa pro reverentia sua : exaudit utique Matrem Filius.*

Vidit quondam Isaias Propheta cœlum apertum, & in eo ipsum Deum in throno magnificentissimo residentem, cui Seraphim acclamabant alternis decantantes vocibus : *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & dum hæc fiebant, vidit idem sacer Vates unum de Seraphim ad se volantem, *& in*

Isa 6. 6. *manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari &c.* Et qualis hic, obsecro, erat calculus, seu carbo candens & accensus, quo Angelus Isaiæ tetigit & mundavit labia ? R. Cornelius, fuisse gemmam carbunculum, nam in cœlesti templo & altari, ubi hæc vidit Isaias, omnia sunt pretiosa, imò pretiosissima. Sed quare hanc brunam ignitam Angelus aureâ for-

cipe

cipe tulit de altari ? cur non digitis ? cur non volâ manu ? non enim illi erat metuenda digitorum aut manuum combustio, quia Angelus erat ? & S. Basilius, & Cyrillus, & alii, hoc Angelum, ob singularem feciſſe reverentiam, per carbonem enim illum, seu potiùs carbunculum ignitum fuiſſe præsignatum humanitatem in verbo : *Sicut enim ignis unitur carboni, & carbo igni ; sic humanitas unita est Verbo, ut Verbum Incarnatum sit quasi carbo ignitus.* Opus autem hic erat cœlesti illi Seraphino aureâ quâdam forcipe, quæ hunc teneret illæsa flammantem carbunculum, supra quòd egregiè S. Anastasius Sinaita : *Forceps autem Christi per duas pinaculas eum tenens, est intemerata ejus Mater ;* hæc enim iratum & accensum Deum tenuit, & hodie jam in nativitate sua placavit, proinde meritò & jure juxta mentem Ecclesiæ *glorioso Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum nostrum JEsum Christum.*

S. Basil & S. Cyrill hic apud Cornel.

S. Anastas. Sin. l. 8. Hexamet.

7. Venerat aliquando ad Elisæum Prophetam mulier quædam desolata, atque à creditore suo propter facta priùs à viro suo debita in tantum afflicta, ut etiam duos illi filios in pignus & obsides statuerit vi eripere. (Ita enim apud Hebræos quondam moris erat, ut pro debitis parentum filios abducerent in servitutem.) Hæc, inquam, paupercula & desolata vidua venerat ad Elisæum, quærens non tam prudens consilium, quàm & charitativum subsidium, ad quam Elisæus : *Dic mihi, quid habes in domo tua ;* cui illa : *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar*, scilicet post mortem, ante sepulturam, quæ unctio apud Hebræos olim erat frequens & usitata : Vade, replicabat, Propheta, & pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua, & non pauca, ego enim efficiam, ut omnia oleo impleantur. Ivit mulier, paravit vasa, clausit ostia, infudit oleum, & infundendo semper crescebat oleum, donec repletis vasis omnibus tandem steterit oleum.

4 Reg. 4. 2.

Stat & hîc sermo meus, omnia enim hæc illis quondam contingebant in figura, scripta sunt autem propter nos. S. Augustinus per oleum illud intelligit charitatem, quæ non minuitur erogando, sed potiùs sui diffusione semper accrescit : *Si universo mundo*, inquit, *largiri volueris, tibi nihil deficit, imo non solùm non deficit, sed omnium illorum, quibus largitus fueris, lucrum tibi multipliciter crescit. Verbi gratiâ : Unum, panem charitatis habebas : si nemini dedisses, ipsum solum haberes. Mille hominibus dedisti, mille panes acquisisti.* Et rationem subjicit : *quia tanta est possessio charitatis, ut singulis tota sit, & omnibus integra esse possit. Ergo & aliis dedisti, & tu nihil perdidisti : Imò non solum non perdidisti, sed sicut jam dixi, quidquid aliis à te collatum est, tu centupliciter aquisisti :* Ita hanc figuram applicat S. Augustinus, qui per mulierem illam subaudit Ecclesiam.

S. Aug. ser. 206. de Temp.

Verùm adhuc aliud hîc latet mysterium. Juvat hîc ad propositum nostrum audire Doctorem Seraphicum : *Mulier ista*, inquit, *est Maria hujus*

S. Bonav. in Spec. B. V. lect. 7.

hujus mulieris vasa sunt affectus, & effectus, desideria & beneficia, quæ omnia oleo misericordiæ plena sunt in Maria: Sed certè, quia ad multiplicationem olei vasa etiam vicinorum non pauca collecta fuerunt; ideo etiam per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiæ MARIÆ participes sunt; Maria enim, juxta Mellifluum, omnibus sinum suum misericordiæ aperuit, ut ex plenitudine ejus accipiant universi.

Quis ergo non æstimet, non diligat, non revereatur talem ac tantam Dei Matrem, hodie in subsidium totius universi in lucem natam, cujus nec nomen sine mysterio: *Oleum effusum nomen tuum;* hoc est, ait Rupertus Abbas: *Effusum ergo est oleum, id est, nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuæ verbum tuæ fortitudinis cum suavitate miserationis.* O dies faustissima! dies, in quo Adam hactenus sedens in tenebris, & in umbra mortis incepit respirare: *Hæc jam nascitur*, ait D. Sergius, *& unà cum ipsa mundus renascitur, ac renovatur.* Et S. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus: *Nempe*, inquit, *in ejus ortu lætati sunt cœli, decantaverunt Angeli laudes Deo, promulgata est pax humanæ speciei, cœpit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris, quæ totum occupaverant orbem, radios suos rutilans aurora perfudit &c.* O! Christiani omnes, gaudete hodie cum S. Anna, quia talem filiam nobis peperit, quæ mundo pariet salutem. Gaudete miseri & afflicti, quia hodie nata est Consolatrix afflictorum. Gaudete infirmi & ægri, quia hodie in mundum genita est salus infirmorum. Gaudete peccatores terræ, quia hodie in lucem venit Refugium peccatorum. Gaudete omnes, qui Christo nomen dederunt, quia hodie apparuit Auxilium Christianorum. Exclamemus igitur cum S. Ecclesia: *Spes nostra salve &c.* cum S. Joanne Damasceno: *Salve spes desperatorum, & afflicti generis nostri refocillatio.*

Cant. 1. 2. Rup. hîc. D. Serg. Hieros. orat in Nat. B.V. S Laur. Just. ser. hodiern.

7. Speravit quidam Aman, cùm Assuerum Regem sibi offensum vidisset, in potenti intercessione Estheris Reginæ, ad cujus genua supplex provolutus, ab ea vitam sibi donari postulavit: *Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther pro anima sua, intellexit enim à Rege sibi paratum malum.* Verùm nihil impetravit miser ab illa Regina, sed potiùs culpam & pœnam sibi adauxit, dum mox raptus est ad patibulum. Non sic sacratissima cœli Regina, non sic Maria, quæ longè meliori jure, quàm olim patientissimus Job, de se dicere poterat: *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & ab utero matris meæ egressa est mecum.* Et quis unquam peccatorum, in animo contrito & humiliato ad illam venit, & repulsam passus est? *confuge*, inquit S. Antonius Paduanus, *ad ipsam peccator, quia ipsa est civitas refugii; sicut enim quondam Deus, ut dicitur Num. 35. separavit civitates, seu urbes refugii, ad quos confugerent, qui nolentes homicidia perpetrarent, sic nunc misericordia Domini refugium misericordiæ prævidit etiam voluntariis homicidiis,*

Esth. 7. 7. Job. 31. 18. S. Ant. Pad. Dom. 3. Quadr.

tidiis, hoc est, enormibus peccatoribus convertere se nunc volentibus, SS. Matrem suam.

Speravit & Andonias filius Davidis in patrocinio Bethsebeæ Reginæ, quæ ad Salomonem ingressa pro eo rogare cœpit: *Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.* Sed mox repulsam passa est: *Postula ei Regnum*; unde confusa à throno filii recessit, quia nihil impetravit, dum adhuc eodem die Adonias jussu Regis per manus Banaiæ interfectus est. Non sic B. Virgo & mundi Domina, non sic Maria, non enim auditum est à sæculo; quòd à throno Divini Filii sui aliquando confusa recesserit, cùm pro salute nostra preces fudit; proinde recte Mellifluus: *Securum ò homo! accessum habes ad Deum, ubi Mater ante Filium, & Filius stat ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus & ubera, & Filius ostendit Patri latus & vulnera, nulla ergo ibi poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia.* 3 Reg. 2. 20. S. Bern. ser. 2. de Ass. B. V.

8. Speravit & Sisera Dux Jabin, ubi à Debora & Barac exercitus ejus profligatus est, in fuga sua à Jahel optatam tutelam & protectionem, quæ eum perhumanè quidem invitavit: *Intra ad me, Domine mi, ne timeas*, nulli hîc sunt armati, hostes nulli, quorum extimescas gladios, *quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere.* Sed dum somnum capesseret, ab eadem Jahel ferreo tabernaculi clavo, per tempora ejus adacto, occisus est. O! vanas hominum spes, nolite sperare in Principibus, multò minùs in fallacibus mulieribus, sed potiùs in Domino: *Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia. Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Ita quoque nullus speravit in misericordia & potentissimo sanctissimæ Matris ejus patrocinio, & ab ea derelictus est; ita prædictus Doctor Mellifluus: *Tu*, inquit, *peccatorem, quantumlibet fœtidum, non abhorres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit: Tu illum à desperationis barathro, pia Mater, retrahis, spei medicamen aspiras, foves: non despicis, quousque horrendo Judici miserum reconcilies &c.* Judic. 4. 18. Eccl. 2. 9. S. Bern. in deprecat. ad B. V.

Inter opera quartæ diei, quæ Deus à mundi exordio in solatium totius universi produxit, non minima sunt sol & luna, de quibus Scriptura: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti.* Sensum hîc habemus litteralem clarum ac planum de creatione solis & lunæ. Verùm ego mysticum inquiro. Juvat hîc audire Hugonem Cardinalem, qui per luminare majus Christum subaudit, verum justitiæ solem, de quo Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*, hoc est, in radiis gratiæ ejus, vel in expansis Cruce brachiis illius, ubi sanitas magno illi ægroto jacenti, id est, mundo universo per Redemptionem facta est. Et hoc luminare majus præest diei, hoc est, justis, quibus suam gratiam præbet Gen. 1. 16. Malach. 4. 2.

hujus mulieris vasa sunt affectus, & effectus, desideria & beneficia, quæ omnia oleo misericordiæ plena sunt in Maria: Sed certè, quia ad multiplicationem olei vasa etiam vicinorum non pauca collecta fuerunt; ideo etiam per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiæ MARIÆ participes sunt; Maria enim, juxta Mellifluum, omnibus sinum suum misericordiæ aperuit, ut ex plenitudine ejus accipiant universi.

Quis ergo non æstimet, non diligat, non revereatur talem ac tantam Dei Matrem, hodie in subsidium totius universi in lucem natam, cu-
Cant. 1. 2. jus nec nomen sine mysterio: *Oleum effusum nomen tuum;* hoc est, ait
Rup. hic. Rupertus Abbas: *Effusum ergo est oleum, id est, nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuæ verbum tuæ fortitudinis cum suavitate miserationis.* O dies fausti ssima! dies, in quo Adam hactenus sedens in tenebris, & in um-
D. Serg. bra mortis incepit respirare: *Hæc jam nascitur,* ait D. Sergius, *& unà cum*
Hieros. orat *ipsa mundus renascitur, ac renovatur.* Et S. Laurentius Justinianus, Patriar-
in Nat. B.V. cha Venetus: *Nempe,* inquit, *in ejus ortu lætati sunt cœli, decantaverunt An-*
S. Laur. Just. *geli laudes Deo, promulgata est pax humanæ speciei, cœpit aboleri opprobrium, at-*
ser. hodiern. *que fugatis tenebris, quæ totum occupaverant orbem, radios suos rutilans aurora perfudit &c.* O! Christiani omnes, gaudete hodie cum S. Anna, quia talem filiam nobis peperit, quæ mundo pariet salutem. Gaudete miseri & afflicti, quia hodie nata est Consolatrix afflictorum. Gaudete infirmi & ægri, quia hodie in mundum genita est salus infirmorum. Gaudete peccatores terræ, quia hodie in lucem venit Refugium peccatorum. Gaudete omnes, qui Christo nomen dederunt, quia hodie apparuit Auxilium Christianorum. Exclamemus igitur cum S. Ecclesia: *Spes nostra salve &c.* cum S. Joanne Damasceno: *Salve spes desperatorum, & afflicti generis nostri refocillatio.*

7. Speravit quidam Aman, cùm Assuerum Regem sibi offensum vi-
Esth. 7. 7 disset, in potenti intercessione Estheris Reginæ, ad cujus genua supplex provolutus, ab ea vitam sibi donari postulavit: *Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther pro anima sua, intellexit enim à Rege sibi paratum malum.* Verùm nihil impetravit miser ab illa Regina, sed potiùs culpam & pœnam sibi adauxit, dum mox raptus est ad patibulum. Non sic sacratissima cœ-
Job. 31. 18. li Regina, non sic Maria, quæ longè meliori jure, quàm olim patientissimus Job, de se dicere poterat: *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & ab utero matris meæ egressa est mecum.* Et quis unquam peccatorum, in animo contrito & humiliato ad illam venit, & repulsam passus est?
S. Ant. Pad. *confuge,* inquit S. Antonius Paduanus, *ad ipsam peccator, quia ipsa est ci-*
Dom. 3. *vitas refugii; sicut enim quondam Deus, ut dicitur Num. 35. separavit civitates,*
Quadr. *seu urbes refugii, ad quos confugerent, qui nolentes homicidia perpetrarent, sic nunc misericordia Domini refugium misericordiæ prævidit etiam voluntariis homi-*
cidiis,

tidiis, hoc est, enormibus peccatoribus convertere se nunc volentibus, SS. Matrem suam.

Speravit & Andonias filius Davidis in patrocinio Bethsebeæ Reginæ, quæ ad Salomonem ingressa pro eo rogare cœpit: *Petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.* Sed mox repulsam passa est: *Postula ei Regnum*; unde confusa à throno filii recessit, quia nihil impetravit, dum adhuc eodem die Adonias jussu Regis per manus Banaiæ interfectus est. Non sic B. Virgo & mundi Domina, non sic Maria, non enim auditum est à sæculo; quòd à throno Divini Filii sui aliquando confusa recesserit, cùm pro salute nostra preces fudit; proinde recte Mellifluus: *Securum ò homo! accessum habes ad Deum, ubi Mater ante Filium, & Filius stat ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus & ubera, & Filius ostendit Patri latus & vulnera, nulla ergo ibi poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia.* 3 Reg. 2, 10. S. Bern. ser. 2. de Ass. B. V.

8. Speravit & Sisera Dux Jabin, ubi à Debora & Barac exercitus ejus profligatus est, in fuga sua à Jahel optatam tutelam & protectionem, quæ eum perhumanè quidem invitavit: *Intra ad me, Domine mi, ne timeas*, nulli hîc sunt armati, hostes nulli, quorum extimescas gladios, *quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere.* Sed dum somnum capesseret, ab eadem Jahel ferreo tabernaculi clavo, per tempora ejus adacto, occisus est. O! vanas hominum spes, nolite sperare in Principibus, multò minùs in fallacibus mulieribus, sed potiùs in Domino: *Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia. Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Ita quoque nullus speravit in misericordia & potentissimo sanctissimæ Matris ejus patrocinio, & ab ea derelictus est; ita prædictus Doctor Mellifluus: *Tu*, inquit, *peccatorem, quantumlibet fœtidum, non abhorres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit: Tu illum à desperationis barathro, pia Mater, retrahis, spei medicamen aspiras, foves: non despicis, quousque horrendo Judici miserum reconcilies &c.* Judic. 4, 18. Eccl. 2. 9. S. Bern. in deprecat. ad B. V.

Inter opera quartæ diei, quæ Deus à mundi exordio in solatium totius universi produxit, non minima sunt sol & luna, de quibus Scriptura: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti.* Sensum hîc habemus litteralem clarum ac planum de creatione solis & lunæ. Verùm ego mysticum inquiro. Juvat hîc audire Hugonem Cardinalem, qui per luminare majus Christum subaudit, verum justitiæ solem, de quo Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*, hoc est, in radiis gratiæ ejus, vel in expansis Cruce brachiis illius, ubi sanitas magno illi ægroto jacenti, id est, mundo universo per Redemptionem facta est. Et hoc luminare majus præest diei, hoc est, justis, quibus suam gratiam præbet Gen. 1. 16. Malach. 4. 2.

& gloriam. Sed luminare minus præest nocti, per quod luminare B. Virgo hodie in mundum nata intelligitur, quæ *pulchra est ut luna*, & præest nocti, hoc est, peccatoribus, & in umbra mortis sedentibus. Ita citatus Hugo Cardinalis: *Duo*, inquit, *fecit Altissimus luminaria, luminare majus, hoc est, Christus, ut præesset diei, id est, justis; luminare minus, id est, Virgo Maria, ut præesset nocti, hoc est, peccatoribus.* O peccatores! erigite vos in spem, ad quid æternùm vultis perire miseri? adhuc gratiarum Mater vivit & Domina, per quam sine dubio accessum invenietis ad Christum, qui quidem in sacro Evangelio suo octo docuit beatitudines, hodie tamen nova vobis promittitur: *Beatus homo: qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei, qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino.*

Cant. 6. 9

Hugo Card. de laude B. V.

Prov. 8. 34.

9. O! fortunatum diem: Hodie præparata fuit illa Arca, *in qua urna aurea habens manna.* Urna aurea, ait S. Amadeus, est Maria; aurea per integritatem vitæ, aurea per plenitudinem gratiæ, quæ manna in se absconditum habuit, hoc est, Panem Angelorum, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Hodie post longissimum peccatorum diluvium, quod inundaverat omnem terram, venit tandem mystica illa & tot sanctorum Patrum exoptata columba *portans ramum olivæ virentibus foliis.* Ramus ille olivæ, quem naufrago mundo protulit, dulcissimus ejus Filius & orbis Redemptor fuit, unde de illa hodie Evangelista: *De qua natus est JEsus, qui vocatur Christus.* Hodie lignum vitæ de novo cœpit florescere, sub cujus umbra Adam se quondam à facie DEI profugus in paradiso abscondidit: *Et abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini DEI in medio ligni paradisi.* Arbor illa, ait S. Ephrem, erat SS. Deiparæ umbra, opportunum peccatoribus perfugium. Hodie denique vinea uberrima, ait S. Joannes Damascenus, ex Anna pullulavit, atque suo tempore uvam suavissimam protulit, nectar mortalibus fundentem in vitam æternam, hoc est, Christum JEsum pro totius mundi salute in torculari Crucis, ut verum Cypri botrum exprimendum. Quid igitur restat? Audi S. Thomam Villanovanum: *Sicut pulli*, inquit, *volantibus desuper milvis ad gallinæ alas recurrunt; ita nos sub velamento alarum tuarum abscondimur, nescimus aliud refugium, nisi te, tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus, tu sola es Patrona nostra, ad quam omnes aspicimus &c.* Succurre ergo miseris &c.

Hebr. 9. 4. S. Amadeus ho. 1.

Gen. 8. 11.

Gen. 3. 8. S. Ephrem. Orat. de SS. Deipara.

S. Jo. Dam. Orat. 1. de Nat. B. V.

S. Th. Villan fer. de Nat. B. V.

CON-

CONSIDERATIO XXXVI.

De Propitio JESU, in Cruce pro noſtra ſalute exaltato.

Pro Feſto Exaltationis S. Crucis.

Et ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Jo. 12. 32.

1.

SEreniſſimus aſtrorum Princeps, fons luminis, & mundi oculus Sol non duntaxat ad ſe trahere aſſolet vapores & nebulas terræ, ſed & eos in ſecunda aëris regione in optatam excoquit pluviam, quâ terra ſterilis, æſtuque torrida non tam humectatur, quàm & fæcunda redditur; unde lemma de ejusmodi à Sole lentè excocta pluvia, terramque impinguante: *Senſum labendo opimat.*

Magnes ſeu lapis Magneticus mirabili quâdam ſympathiâ ac virtute occultâ ad ſe ferrum trahit, illudque in aëre in ſublimi ſuſpendit, ac ſuſtentat; unde refert S. Auguſtinus, quòd cautes Magneticæ in ima India natvigia, ſi clavis ferreis ſunt compacta, in medio curſu ſiſtant, detineant, & ad ſe attrahant. Et ſi gravibus Auctoribus fidem habemus: Lugduni in Gallia tantæ virtutis paucis adhic annis aſſervabatur Magnes, qui equitem cataphractum ad ſe de terra rapiebat in altum; unde lemma Petrarchæ: *Contraſtare non poſſo.* S. Aug. lib. 21. de civit. c. 4.

Succinum, ſeu Electrum virtute admodùm mirabili, tranquillâ & ſuavi ad ſe paleas attrahit, quàm maximè autem virtutem ſuam exerit attractivam, ſi priùs attritu manuum calefactum eſt; proinde lemma: *Traham, ſi caleam.*

Et nunquid vilis vermiculus hamo piſcatorio affixus ad ſe in flumine allicit, trahitque piſciculos, ut turmatim ad eſcam devorandam affluant;

sed quia hamum aduncum & tenacem non vident ipsi capientes capiuntur, & capti capienti fiunt in prædam, hinc lemma; *Dum capio, capior.*

S Aug. tract. 26. in Joan. *Ramum viridem*, ait citatus S. Augustinus, *ostendis ovi, & trahis illam. Nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quòd currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Ostendis avaro aurum, & validissimé trahitur, unde rectè Poëta:

Quod ferro Magnes, humanis cordibus aurum est,
Consensu tacito ferrea corda trahit.

Sed ad quid ista enarro? O pientissime JEsu! O amor crucifixe! Tu es mysticus ille justitiæ Sol in Cruce pro omnium salute exaltatus, in qua traxisti omnia ad te ipsum, ac præsertim vapores terræ, hoc est, peccata ho-

2. Reg. 18. 45. minum, quæ Sanguinis tui pluviâ aluisti: *Et facta pluvia grandis.*

Tu ille magnes amoris, qui etiam ferrea ad te in Cruce attraxisti, & etiamnum trahis peccatorum pectora; sic quondam lignum ab Elisæo præ-

4. Reg. 6. 6. cisum ex imo fluminis gurgite ferrum ad se traxit, & natare fecit: *Præcidit ergo lignum, & misit illuc, natavitque ferrum.*

Tu Succinum & electrum electissimum, qui neque paleas & infimam spernis hominum conditionem, sed eos blande de Cruce ad te invi-

Matth. 11. 28. tas: *Venite ad me omnes &c.* Tu ille vermiculus tenerrimus: *Ego autem sum vermis, & non homo*, qui tanquam esca Crucis hamo suffixus, allicis

Ps. 12. 7. & trahis ad te pisces maris, hoc est, homines, de quibus Habacuc: *Facies*

Habac. 1. 14. *hominis quasi pisces maris.* O felices illi pisces, qui hac sæpiùs fruuntur, & capiuntur escâ.

Tu Pastor ille bonus, qui ovibus tuis, quas pretioso sanguine redemisti, ramum ostendis viridem, hoc est, diversa exhibes beneficia, ut illas trahas ad te *non vi, sed amore.* Tu Pater ille amantissimus, qui subinde filiis tuis exhibere soles nuces, quæ in medio Crucem præ se ferunt, interim tamen sub duro cortice suavem nucleum tegunt, ut, quos salvare non potes per beneficia, per Cruces ad te trahas. Tu denique aurum

Cant. 5. 11. optimum: *Caput ejus aurum optimum.* O! avari, imò, ò! mortales omnes! venite ad crucifixum amorem vestrum, & emite vobis hoc aurum abs-

Apoc. 3. 18. que ulla commutatione: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum,*

S Aug l. 8. Conf. c. 11. *ut locuples fias.* Audi S. Augustinum: *Projice te securus in eum, noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, qui idcirco de terra exaltatus est, & per ipsam Crucem distentus, ut omnia trahat ad se ipsum.* Plura de hac veritate in præsenti considerabimus.

2. Tria sunt animalcula, quæ orbi imperant universo: 1. *Agnus.* 2. *Cygnus.* 3. *Apis.* Agnus subministrat suam pellem, ex qua conficitur subtile pergamentum, in quo Summus Pontifex suas bullas, Potentissimus

Impe-

Imperator sua diplomata, & alii Reges ac Principes sua solent scribere & edere mandata. Cygnus ad hoc opus grande subministrat pennam, quâ ejusmodi Monarchæ propriâ manu solent subscribere, & apis ceram ad recipiendum sigillum. Hæc tria si concurrant, quis subditorum eorum resistet mandatis? Ita vidimus nuperrimè, hoc est, anno 1714. die 6. Martii Rastadii ad Rhenum, ubi tandem pax alma post duodecennale cruentum bellum inter Augustissimum Imperatorem Carolum VI. & Imperium Romanum, & ex altera parte inter potentissimum Galliarum Regem Ludovicum XIV. mediantibus Serenissimis Ducibus, Eugenio de Subaudia, & Marchione de Villars &c. solemniter fuit concluſa, confirmata, & stabilita. Sed quomodo? Agnus ad hanc almam pacem suam dedit pellem, cygnus pennam, & capis ceram ad sigillum.

Altius nunc erige mentis tuæ oculos, anima Christiana! Bella, horrida bella, sæpiùs in veteri Testamento cœlum inter & terram fuêre exorta: terra pugnabat contra cœlum innumeris vitiis, & cœlum contra terram innumeris suppliciis. Anno à condito mundo 1656. *corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate*, cujus malitia ascendit usque ad cœlum; & quid factum est? cœlum suas aperuit cataractas, *& delevit omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine usque ad pecus.* Gen. 6. 11. Gen 7. 23.

Paulo post Pentapolis, seu terra Sodomitarum, & Gomorrhæorum contra cœlum superbum erexit caput, & contra illud integra vitiorum armabat agmina: *Et peccatum eorum aggravatum est nimis.* Sed cœlum sulphureo imbre pessimorum illorum hominum *subvertit civitates, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* Gen. 18. 20. Gen. 19 25.

Interroga Pharaonem cum Ægyptiis, quàm periculosum sit, contra Deum & cœlum bellum gerere: *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quàm exercuerat Dominus contra eos.* Ex. 14. 13.

Interroga Regem Senacherib, quàm durum sit contra stimulum calcitrare, & in cœlum peccare, dum unâ nocte universus illius exercitus ab Angelo ad internecionem deletus est: *Factumque est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia &c.* 4. Reg. 19. 35.

Interroga Israëlitas, in deserto ob murmurationem contra Dominum & Moysen ignitis serpentibus castigatos: *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes &c.* Samariam, sævâ & malesuadâ fame ob peccata punitam: *Factaque est fames magna in Samaria &c.* Judæam, tempore Davidis peste & epidemica lue mulctatam: *Immisitque Dominus pestilentiam in Israël, de manè usque tempus constitutum: & mortui sunt ex populo à Dan usque Bersabee septuaginta millia virorum.* Num. 21. 6. 4 Reg. 6. 25. 2 Reg. 24. 15.

Lege, si placet, ulteriùs sacras Scripturas, & pluribus in locis invenies, quòd bellum semper fuerit pœna peccati. Levit 26. 24. Deut.

28. 49. Judic. 2. 13. Isaiæ 5. 25. Jerem. 5. 15. Et quis tandem cœlum
1. Tim. 2. 5. inter & terram pacem composuit? Audi Apostolum: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et quemadmodum, qui duos inter se duello confligentes vult reconciliare, se medium cum sua hasta, aut pertica in arena interponit, & utrumque ad amicitiam componit, ac conjungit:
Col. 1. 20. ita Christus Dominus cœlum inter & terram cum pertica Crucis se stitit:
Jer. 11. 19. *Pacificans per sanguinem Crucis, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt.*

Instrumentum pacis & ipse fecit; ipse enim *quasi agnus mansuetus, qui ducitur ad victimam*, dedit pellem suam locò pergamenti, in quo tot caracteres, quot vulnera divini in nos amoris insignia: pennam & ipse locò
Isa. 49. 16. cygni subministravit, quia *in manibus suis descripsit te.* Sigillum similiter pro majori robore opposuit, dum miles crudeli lanceâ latus ejus aperuit,
Cant. 8. 6. & SS. cor JESU immitti ferro signavit; hîc adimpletum fuit illud: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*; ut sicrotus figatur in tuo corde, qui pro te passus est in Cruce, & non in corde tantùm, sed in brachio, hoc est, in operatione. Vide hîc, atque considera, anima Christiana, Crucifixi JEsu tui immensum in te amorem, dum
Col. 2. 14. *delevit, quod adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affligens illud Cruci.* Quid ergo tanto rependemus amori?

3. O! quàm benè igitur egisti Adam proto-parens noster, quòd post admissum delictum mox ad paradisi medium cum tua consorte confugeris:
Gen. 3. 8. *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Et quare, dices, non ad alium asyli locum se contulit? R. antiquissimus Ori-
Orig. hom. genes: *Impulsum quodam primi parentes ad arborem se contulerunt, ut significa-*
1. in Genes. *retur, jam tunc unicum perfugium in arbore Crucis esse constitutum.* Fuit itaque hoc vitæ lignum prima figura SS. Crucis, in qua salus mundi suo tempore pependit, & morte sua mortem Adami omniumque posterorum superavit; unde S. Mater Ecclesia in Officio S. Crucis: *Hæc est arbor dignissima, in medio paradisi situata, in qua salutis Author propria morte mortem omnium superavit.* O anima Christiana! si hos proto parentes tuos secuta es errantes, sequere & pœnitentes, & in omnibus necessitatibus tuis non tutius
Cant. 2. 3. asylum, quàm sub umbra Crucifixi JEsu invenies: *Sub umbra illius*, ait Sponsa, *quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Quàm benè & tu fecisti, ò Noëme! quod Arcam tibi fabricaveris,
Gen. 6. 14. in qua à diluvio cum familia tua conservareris incolumis: *Fac tibi Arcam de lignis lævigatis.* Irridebant quidem eum vicini & ipsi amici, ac fabri lignarii, qui fabricabant Arcam, quòd stulto labore tot annis in hac construenda Arca desudaverit? verùm, ubi diluvium universum terrarum orbem inundare cœpit, tunc primùm aperti sunt oculi insipientium, tum

omnes

omnes volebant esse in Arca, sed serò nimis, *Consumptaque est omnis caro, quæ morabatur super terram.* Gen. 7. 21. Proinde rectè huic Arcæ Noëmicæ pro lemmate inscribes: *Nulla salus extra.*

Per hanc Arcam Noëmicam Ecclesia Dei sanctam Crucem subaudit, quam in hymno de Cruce *Arcam mundo naufrago* appellat; sicut enim extra Arcam Noëmicam nulla homini salus fuit, ita extra Crucem nulla salus mundo esse potest. O Christiani, quid agitis? quare in secundo diluvio æternùm perire vultis: Ah miseri! En! parata vobis est salutis Arca, Crux Dominica, quare non ad hanc confugitis? Columba illa Noëmica: *cum non invenisset, ubi requiesceret, pes ejus, reversa est ad eum in Arcam, aquæ enim erant super universam terram: extenditque manum, & apprehensam intulit in Arcam.* Gen. 8. 9. En! plùs hic in Cruce, quàm Noë in Arca, qui pariter manus suas extendit, ut te animam (columbam fugitivam) apprehensam inferat in Arcam: *Ubi tuta*, quærit S. Doctor Mellifluus, *firmaque securitas, nisi in vulneribus Salvatoris? tanto illic securior habitas, quantò die potentior est ad salvandum: Fremat mundus, premat corpus, Diabolus insidietur, ne time, quia in foraminibus petræ secura es.* S. Bern ser. 61. in Cant. In Arca illa Noëmica pauci duntaxat homines fuerunt salvati, sed per S. Crucem omnes redempti sunt, unde Poëta:

Arca Noë cedat: Crux est nunc Arca salutis;
Illa Salus paucis: pluribus ista fuit.

4. Jacob, ubi super duros indormiens lapides scalam illam mirabilem usque ad cœli cacumen pertingentem conspicatus est, per quam & Angelos Dei ascendentes, & descendentes, & tandem ipsum *Dominum innixum scalæ* vidit, stupore & insolito gaudio plenus exclamavit: *Verè Dominus est in loco isto: non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cœli.* Gen. 28. 16. Et quomodo porta cœli? R. S. Augustinus, quòd per scalam istam Crux Dominica fuerit præsignata: *Dominus*, inquit, *scalæ incumbens est Christus in Cruce pendens.* Et iterum: *Crux scala cœli est, per quam Christus hominem lapsum levavit ad Patrem.* S. Aug. ser. 19 de Temp. Imò non tantùm scala, sed & ipsa porta cœli est, per eam enim Christus Dominus primus ad cœlum ascendit, & portam nobis aperuit, quomodo pariter per Crucem venire possimus ad lucem. Audi rursus Poëtam:

Monstrat scala viam, Divûm qua limina scandas:
Omnibus hîc Crux est lactea ad astra via.

Consolabatur autem Jacobum, quòd viderit *Dominum innixum scalæ*, & utraque manu scalam tenentem; & quare hoc? R. Oleaster, *ut ostenderet,* Oleast hic in Gen.

ret, neminem ad eum ire posse, nisi ille tenuerit viam ejus, scalamque sustentaverit, ut ergo in ascensu tam gravi & arduo nos animaret, ipse Crucifixus JESUS nobis istam cœli scalam tenet, ut eò alacriùs viam Crucis ascendamus, & teneamus. Audi S. Bernhardum; *En*, inquit, *stat Dominus Jesus Rex tuus, expansis manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato, & nudo corpore in Cruce: confortare nunc, & elevare, anima mea misera & infirma: non enim est elevatus in Crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus, sed magis, ut omnibus posset paratior inveniri.*

S. Bern. tr. de Pass. D. N. c. 44.

5. Et nunquid afflictus quærit solatium, & in rebus arctis auxilium? Afflicta erat Agar cum filio suo Ismaël é domo Abrahami nunc ejecta, profuga & in deserto fame ac siti pressa; & quid fecit? *Abjecit puerum subter unam arborem, quæ ibi erat & abiit, seditque è regione procul, quantùm potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contra levavit vocem suam, & flevit.* Et quare, dices, in extrema illa necessitate & penuria Agar prolem suam subter unam arborem collocavit, & abiens divinæ reliquit Providentiæ? R. S. Isidorus: Ex instinctu divino hoc contigisse, omnia enim illis contingebant in figura; arbor autem illa nihil aliud, quam Crucem Dominicam præsignavit, sub qua desolata Mater cum moriente filio optatum juvamen & solamen invenit, nam mox apparuit eis Angelus mœrentes consolans, & fontem adaperiens, ex quo ambo recreati sunt, unde lemma Picinelli: *In deserto non deserta.*

Gen. 21. 15.

S. Isid. in hunc loc.

Afflictus erat David, cùm vehementissima & Epidemica lues civitatem suam regiam & Solymeam vastare cœpit. Et quid consilii in re tam periculosa? David, ut iratum Numen sibi redderet propitium, & populo placabilem, in aream Areuna ascendit, ubi Altare sub nudo cœlo erexit, in quo pacifica sacrificia & holocausta pro sua & Regni salute obtulit: *Et ædificavit ibi David Altare Domino, & obtulit holocausta pacifica, & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël*; siquidem Angelus, qui tunc temporis stricto gladio populum feriens in aëre videbatur, sine morâ fulminantem ensem retraxit, & in signum reconciliationis Deum inter & hominem eundem in vaginam misit: *Sufficit, nunc contine manum tuam.* Et quomodo, obsecro, unica hæc Davidis oblata victima, Deum, justissimum omnium scelerum vindicem, tam citò placare poterat? cui pro lemmate inscribimus: *Victima grata Deo.*

2. Reg. 24. 25.

Collige, prudens Lector, ex figura figuratum, & ex umbra veritatem, nam per hanc, & similes victimas olim in lege pro publica populi salute DEO T. O. M. immolatas, ordinariè Christus Dominus suo tempore in Ara Crucis pro nobis immolandus præfigurabatur. Jugulabantur autem ejusmodi victimæ & holocausta per modum Crucis expansa, videlicet divaricatis cruribus & toto eorum corpore expanso,

ut

ut per hoc, ait Cornelius, *significaretur Christus, qui quasi victima expansus mactatus est in Cruce pro Redemptione hominum; in qualibet ergo hostia ita distentâ, quasi in imagine vivâ, repræsentabatur Christus Crucifixus, & in Cruce pari modo distentus.* Et hæc victima sola placavit Deum. Disce, quonam sit fugiendum in rebus augustis & penè desperatis: *Crux Christi*, ait Os aureum, *Dei in homines odium restinxit; Deum cum hominibus reconciliavit, terram cœlum effecit, homines cum Angelis miscuit, mortis arcem munitissimam diruit.* Fuge ergo, anime mi, in omni adversitate & tribulatione tua ad Crucifixum JEsum, & ibi invenies eum propitium.

Corn in Levit. cap. 1. v. 5.

S. Chrysost. To. 5. ser. 8.

6. Progrediamur ulteriùs. Cùm justissimum Numen ad preces zelosissimi Prophetæ Eliæ impiam Israëlitarum Regionem tribus annis, & sex mensibus ob enorme idololatriæ scelus siccitate, sterilitate, ac fame castigaret, interim Eliam Thesbithen juxta torrentem à corvis pasci voluit, qui quotidie illi panem & carnem manè & vesperè deferebant. Posthæc eundem divinum Vatem ad mulierem viduam in Sarephta amandavit, ut ab illa vitæ necessaria reciperet: *Cùmque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam, cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua, quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En! colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut commedamus & moriamur.*

3. Reg. 17. 10.

Miraberis, prudens Lector, quòd hæc mulier paupercula adeò sollicita fuerit de duobus sibi lignis ante mortem suam colligendis: quid sibi volunt hæc duo ligna viduæ Sarephtanæ: quibus suam supremam solari expetebat inopiam ac calamitatem? *En*, inquiebat ad Prophetam, *colligo duo ligna*, quibus pro lemmate affigo: *Afflictis spes unica rebus.* Subintrat hîc Rupertus Abbas: Benè, ait, hæc derelicta & inops vidua in extrema sua necessitate hæc duo ligna transversa colligebat, quia per illa Crux Dominica non obscurè præsignata est, quæ ex duobus lignis, uno erecto, & altero transverso est composita, & unicum miseris mortalibus solet esse solatium, ac tunc præsertim, dum ad alteram vitam migrandum est: *En*, inquit Rupertus in persona hujus viduæ, *colligo duo ligna, & meam consolor inopiam, amplectens duo ligna Crucis*; in qua unica spes vitæ meæ est reposita. Juvat hîc quoque audire D. Augustinum: *Ideo*, ait, *duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia Crucis mysterium desiderabat cognoscere, Crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est, ideo duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum, qui in duobus lignis pependit, creditura erat Ecclesia. Dixit ergo vidua illa, colligo duo ligna, & faciam cibum mihi, & manducabimus, & moriemur. Verum*

Rup. Abb de Trinit. l. 5. c. 7.

S. Aug. ser. 101. de Temp.

est, fratres dilectissimi! nemo in Christum Crucifixum credere merebitur, nisi huic sæculo moriatur &c.

7. Elias, ut furorem impiæ Jezabelis declinaret, in vastissimum Syriæ desertum confugit, in hac arida, & petrosa solitudine refugium suum
3.Reg.19.4. subter unam Juniperum quæsivit: *Cùmque venisset, ut sederet subter unam Juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm Patres mei, projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi &c.* O felix requies sub umbra juniperi! Mox enim accessit ad eum Angelus, qui tetigit eum, & dixit ei: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* Liceat mihi huic Prophetæ sub umbra juniperi dormienti aliquod lemma affigere; *Hic optata quies.* Vel: *Non est hac tutior umbra.*

Cæterùm Juniperus serpentes fugat, & *infesta infestis* est; calidæ & ignitæ naturæ est; cariem & vetustatem non sentit; saluberrimas baccas progignit, & tempore pestis miseris, & ægris mortalibus præsentissimum remedium existit. Et quid dico? Juniperus perfectissimé Crucem Dominicam adumbrat, serpentes enim infernales fugat, ignem amoris divini in nobis accendit, cariem & vetustatem non sentit, quia veræ particulæ SS. Crucis in igne remanent illæsæ: fructus salutiferos progerminat omnium virtutum & gratiarum, ac denique contra animæ pestem, hoc est, peccatum, efficacissimum remedium est; quis enim peccabit, qui Crucifixum JEsum sibi ob oculos ponit?

Vide nunc causam, quare Elias in persecutione Jezabelis ad junipe-
Rup. Abb. l. 5. in Reg. c. 20. rum confugerit: *Elias*, ait Rupertus Abbas, *confugit ad vivificum Crucis lignum, illic ambit mortem, illic festinat commori Christo &c.* Disce ex hoc, anima Christiana, si mœrore, persecutione, ac tentatione pulsaris, si ubique mala te premunt, si infirmitas, si tandem ipsa mors imminet; quòd nullibi securiorem mentis quietem, ac solamen possis invenire, quàm sub
Isa. 16.8. umbra Crucifixi JESU, unde Vates Regius: *Sub umbra alarum tuarum protege me.*

Car. Vanh. in Cornucop. conc. 20. 8. De Bohemiæ Proceribus commemorant annales Cataloniæ, quòd destituti legitimo Regni sui hærede ad Guilielmum Gastonem Cataloniæ Principem sese contulerint, à quo unum ex duobus filiis ejus in Regem Bohemiæ postulârunt, quibus prudentissimus Cataloniæ Gubernator respondit, se quidem justo hoc Bohemorum desiderio esse contentum, nolle autem ipsis Regem ex duobus filiis præscribere; eligerent proinde ipsi unum, quem vellent. Quid hac in re Proceres & Legati Bohemiæ? Concilio inito, manè cùm adhuc duo isti candidati in lecto dormirent Principes, cubiculum in summo silentio intrant, illorumque vultum, physiognomiam, ac corporis compositionem sollicitè considerant, ubi inter alia observabant, quòd Guilielmus, major natu, apertis, alter verò, cui nomen

men Guasto, clausis fortiter manibus indormiret; hoc ubi viderunt Legati, non diu cunctati Guilielmum in Regem & Principem Bohemiæ decernunt, utpote qui apertis indormisset manibus, judicantes, hunc Regno esse dignissimum, qui apertis manibus Regiam in somno præsagiisset liberalitatem.

Homo Christiane! veni mecum, & ducam te ad similem quendam liberalissimum Principem in purpureo lectulo suo apertis manibus dormientem. Rex hic tuus Crucifixus JEsus est, quem expansis & apertis manibus, inclinatoque capite in florido Crucis lectulo dormientem conspicis. Et quid hoc aliud nobis insinuat, quàm ejus immensam & verè Regiam liberalitatem, quia omnibus ipsum inquirentibus mitem se atque benignum exhibere assolet: *Quæ enim major*, ait Oleaster, *potest esse misericordia, quàm manum semper extensam habere ad levandum & dandum?* de quo S. Jacobus: *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Imò non solùm manus in Cruce extendi, sed & fortiter clavis ferreis eas affigi voluit, ut sic majorem adhuc nobis adderet fiduciam, se semper in nostrum beneficium apertas manus conservaturum. Idcircò

Jonathas Princeps Regius, ut demonstraret suum erga Davidem amorem tenerrimum, se ipsum vestibus exspoliavit, easque Davidi amico suo integerrimo consignavit: *Diligebat enim eum quasi animam suam.* Plùs hîc in Cruce, quàm Jonathas in aula, qui, ut demonstraret erga nos indignos infinitum suum amorem, coram immensa hominum multitudine, imò & Angelorum *amarè tunc flentium*, in Calvario monte vestimentis suis se exspoliavit, & nudus in Ara Crucis in victimam pacificam se pro nostra, omniumque salute obtulit: *Oblatus est, quia ipse voluit*, ubi peccatoribus mox generalem delictorum veniam & indulgentiam (si & ipsi velint) promulgavit: *Pater, dimitte illis.* Audi Apostolum: *Donans nobis omnia delicta, delens, quod adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Quid igitur restat; nisi ut sequamur salutare Divi Pauli monitum: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*; thronus autem iste gratiæ non alius est, quàm Christus JEsus, & hic Crucifixus, in quo, & per quem unica nostra est salus, vita & resurrectio nostra, cui proinde cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis honor & gloria.

1 Reg. 18. 3.
Isa. 53. 3.
Isa. 53. 7.
Luc. 23. 34.
Col. 2. 13.
Hebr. 4. 16.

CONSIDERATIO XXXVII.

De mirabili vocatione S. Matthæi Apoſt. & Evangeliſtæ.

Pro Feſto S. Matthæi Apoſt.

Vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi; ſequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9. 9.

I.

Berchorius l. 7. c. 17.

SI Berchorio, viro doctiſſimo credimus, Struthio, in deſerto ova ſua in calido ſabulo collocata, tamdiu fixo oculorum intuetur obtutu, donec tandem pullis intra ovorum ſinum recluſis per efficaciam aſpectûs ſui impertiatur vitam, unde lemma Picinelli: *Oculis vita.* Plùs efficaciæ & virtutis oculi pientiſſimi Salvatoris noſtri Chriſti JESU, qui unico obtutu labeſcentem, imò jam lapſum Petrum, ut aſpexit, erexit: *Et converſus Dominus reſpexit Petrum, & egreſſus foras flevit amarè.* Luc. 22. 61

Sic unicus pientiſſimi JESU intuitus Zachæum in arbore ſtantem, & utroque extenſo ad ramos brachio Crucem ſeu crucifixum formantem (prout obſervat Theophylactus) mirabiliter ad ſe vocavit, & in alium hominem mutavit, ut non duntaxat malè parta reſtitueret, ſed & promptus impoſterum, relictis temporalibus divitiis, viam mandatorum DEI curreret: *Suſpiciens JEſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, feſtinans deſcende.* Luc. 19. 5.

Alia vice vidit JEſus turbam variis vexatam moleſtiis, defatigatam & famelicam, & mox illius calamitati miſertus, omnem populum panibus ac piſcibus abundè refecit, & eorum languidos ac infirmos curavit: *Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt eis, & curavit languidos eorum &c.* Matth. 14. 14.

Imò

Imò nec in Cruce inter ſuprema tormenta oculi JEſu, ut quondam oculi Iſaac & Heli, caligaverant; ideo latronem in ligno pendentem, Centurionem ex adverſo ſtantem, & piam turbam ad cruentum ſpectaculum præſentem benignis, licèt moribundis & in ſanguine natantibus oculis reſpexit, & erexit: *Percutientes pectora ſua revertebantur &c.* Gen. 27. 1. 1. Reg. 3. 2. Luc. 23. 48.

Proinde valde benè egit Pater ille, qui filium ſuum lunaticum & dæmoniacum ad Chriſtum, cùm poſt transfigurationem de monte Thabor in campum deſcenderet, adduxit, demiſſe eum rogans, quatenus benigno oculo hunc ſuum calamitoſum filium dignaretur aſpicere: *Magiſter, obſecro te, reſpice in filium meum.* Supra quod egregiè Titus Boſtrenſis: *Sapiens*, inquit, *videtur hic eſſe ad ſalutem.* Unde & Vates Regius: *Aſpice in me, & miſerere mei*; & in alio loco: *Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum*; non enim oculi mitiſſimi JEſu filiorum poſſunt intueri miſeriam, quin eorum tangantur commiſeratione; hinc Rupertus Abbas oculos Servatoris noſtri appellat *feneſtras ſalutis, & patentes miſericordiæ januas.* Luc. 9. 38. Tit. Boſtr. in cat. 8. Tho. Pſ. 118. 132. Rup. Abb. in c. 6. Joann.

Et quid dico? Nunquid hodie unius oculorum obtutus, quo pretioſiſſimus orbis Redemptor Matthæum ad menſam pecuniariam ſedentem aſpexit, Publicanum in Apoſtolum, corvum in columbam, leonem in agnum, ferrum in aurum, & peccatorem terrenis immerſum lucris in Evangeliſtam convertit: *Vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Et ſurgens ſecutus eſt eum?* Ingens miraculum, & planè mutatio dextræ Excelſi, unde audet dicere S. Doctor Angelicus: *Juſtificationem impii majus opus eſſe, quàm cælum & terram creare.* Plura de hac miranda vocatione, & Chriſti ſequela, quam usque ad vitæ finem conſtanter tenuit S. Matthæus Apoſtolus & Evangeliſta, hodie nobis occurrunt perpendenda, & utinam etiam pro viribus imitanda. Matth. 9. 9. S. Th. 1. 2. q. 113. a. 9.

2. Mirabilis quondam erat vocatio Eliſæi, filii Saphat divitis agricolæ, qui duodecim boum jugis ſuos conſueverat colere agros; ad quem cùm veniſſet Elias Prophetes, ut eum ad ſe ſequendum vocaret; ſuiſque inſtituti participem faceret: *Miſit pallium ſuum ſuper illum, qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam.* Et ut animi ſui monſtraret promptitudinem, ex toto corde Deum ſequendi, & vocationi ſuæ illicò correſpondendi: *Tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt.* Bone Deus! quare Eliſæus aratrum ſuum confregit, & ad coquendas carnes adhibuit? Nunquid alia ligna erant ad manus in argo? &. Cornelius: Eliſæus, quia feſtinabat, & geſtiebat illicò ſequi Eliam, idcirco uſus eſt aratro pro lignis ad coquendas carnes boum. Dedit ergo typum & exemplum nobis, ut Dei vocationem illicò, reſoluté & conſtanter ſequamur. Audiamus & Abulenſem: Eliſæus, inquit, nihil voluit ſibi reliquum manere in ſæculo, ut liber & expeditus tranſiret 3. Reg. 19. 19. Corn. hic. Abulenſ. hic

totus ad Dominum, idcirco aratrum & boves consumpsit, qua in re exemplum dedit Religiosis, ut idem faciant.

En! perelegantem typum, quem hodie perfectè adimplevit Matthæus, homo dives & telonarius Cæsareus Capharnai ad littus maris Galilææ, ubi naves & merces appellebant, & mensam pecuniariam sedens; ubi cùm transiret mitissimus orbis melioris Reparator Christus, ejus benigné misertus, eum ad sui sequelam vocavit: *Sequere me.* Vide hîc, & considera suavissimum Cor JESU; dum Matthæum publicanum, & apud Hebræos infamem peccatorem non duntaxat ad gratiam, sed etiam ad suam vocavit familiam, ac intimam amicitiam, & Apostolatum. O! quoties nos vocat Deus ad meliorem vitam: *Ecce, sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*, & nos aure surdâ pertransimus, & non curamus vocem Domini?

Matth. 9. 9.

Apoc. 3. 20.

Et surgens secutus est eum. Et sicut Elisæus Eliæ & cæteris amicis ac vicinis fecit grande convivium, ita & Matthæus, qui & Levi (erat enim binomius) fecit Christo, Apostolis, publicanis ac vicinis *convivium magnum*, ut diem natalis sui, quâ Christo natus est, cum gaudio celebraret, & exinde liberiore animo, relictis omnibus, Christum sequeretur. Juvat hîc audire propria illius verba, quæ quondam S. Matthæus ad S. Brigittam dixit: *Voluntas mea talis erat eo tempore* (telonii) *quòd neminem defraudare volui, sed desiderabam invenire viam, qnâ separarem me ab officio isto, & toto corde adhærerem Deo soli. Prædicante igitur amatore meo JESU Christo, tunc inflammabatur sicut ignis verbum vocationis suæ in corde meo, sic dulciter sapuerunt verba sua mihi, quòd de divitiis & honoribus non plùs cogitabam, quàm de paleis, imò mihi magis flere placuit, & gaudere, quòd Deus meus tantillum & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Adhærens quoque Domino meo, verba ejus ardentiùs cœpi infigere cordi meo, quæ nocte & die, quasi cibum suavissimum gustando cogitabam.* Hæc S. Matthæus ad B. Brigittam de sua conversione, cùm Malphi ad ejus sepulchrum oraret.

Luc. 5. 29.

1. Rev. c. 29.

3. Sed progrediamur ulteriùs. Ambulabat aliquando Christus Dominus non animi gratiâ, sed ut ad sequelam novos seligeret discipulos, juxta mare Galilææ, & stans in littore vidit Simonem Petrum, & Andream fratrem ejus mittentes retia sua in mare, ad quos cùm hæc pauca dixisset: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*; ecce promptissimum illorum animum: *At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.*

Matt. 4. 19.

Venit aliâ vice idem mundi Servator Christus ad idem maris littus, & ad emporium opulentum, totiusque Judææ celeberrimum, hoc est, Capharnaum, ubi invenit Matthæum, non retia in mare mittentem, ut pisces caperet, sed ut comprehenderet aurum & argentum, ad telonium sedentem; ad quem hæc duo tantùm effatur verba: *Sequere me*; & quid accidit?

Matth. 9. 9.

accidit ? *Surgens ſecutus eſt eum.* Sic umbra ſequitur ſuum corpus, ſic ferrum magnetem, ſic palea ſuccinum, ſic pullus gallinam, ſic agnus ſuam matrem. Sta hic, & penſa, Lector prudens, quis in hac Chriſti ſequela ſit majorem aſſecutus laudem, meritum ac gloriam ?

Reſpondetur ; Utramque hanc vocationem fuiſſe planè mirabilem, ſed majori dignam æſtimatione & merito S. Matthæi ; Petrus enim, & Andreas, & filii Zebedæi mox in ſimili vocatione ſequentes, pauca, & non niſi vilia reliquerunt ; retia enim illorum jam jam erant paſſim ſciſſa, unde illa reficiebant, proinde modici fuêre valoris. Verùm, quod Matthæus reliquit, aurum erat pretioſum, & hoc in valde conſiderabili quantitate ; & quemadmodum arbor, ſi paucas habet radices, facili labore & conatu evellitur de terra præ illa, quæ profundas jam egit radices, ſic alii Apoſtoli, quia viles ac paucas in hoc mundo habuerunt radices, & modica poſſidebant bona, faciliùs Chriſtum vocantem ſecuti ſunt ; ſed Matthæus in theſauris & divitiis accumulandis jam radices egerat, proinde majore hîc opus erat ſtimulo : *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Et quibus 1 Tim. 6. 10.
rerum conſideranti ſatis luculenter apparet, quòd majus fuerit miraculum converſio & vocatio Matthæi, quàm cæterorum Apoſtolorum piſcatorum. Collige ex hoc, anima Chriſtiana, quòd Chriſtus non Matthæi ſacculos, ſed animam quæſièrit, ſic prima tibi cura ſit, ſalvare animam tuam, & illorum, quorum tibi peculiaris cura commiſſa eſt : *Quò plures ſocios*, ait D. Hom. 40. ſup. ep. 1. ad Cor.
Chryſoſtomus, *quisque ducet in cœlum, eò erit beatior.*

4. Venit hic mihi in mentem *Filius Timæi Bartimæus cæcus*, quem S. Auguſtinus aſſerit, quòd priùs fortunæ bonis affatim fuerit cumulatus, Marc. 10. 46.
ſed tandem ſua felicitate dejectus in magnam inciderit miſeriam, dum cæcus factus in via publica ſedens panem mendicare fuit coactus. Hic, inquam, cæcus, cum à turba prætereunte aure bibulâ percepiſſet, JEſum Nazarenum mox in Jericho venturum : *Clamavit dicens : JESU, Fili David, miſerere mei.* Increpabant autem illum turbæ, ut taceret : Ipſe verò Luc. 18. 38.
multò magìs clamabat : *Fili David, miſerere mei.* Et quare, dices, adeò clamavit cæcus ille Bartimæus, quò magìs obſtrepebat turba ? &. Lucas Luc. Burg. hic.
Burgenſis : *Obſerva vigilantiam hujus, quòd ſimulac audiverit adventantem turbam, ſine mora clamaverit, ne fortè elaberetur JEſus Jericho.* Audis hoc ? Cùm tranſit JESUS, & te vocat ad meliorem ac perfectiorem vitam, ſine mora audiendus eſt, ne fortè elabatur, & ſecundò non redeat, & ſic tu illius fruſtreris gratiâ.

Adverte, prudens Lector, hîc ſingularem conceptum. Cùm mitiſſimus Dominus ad pœnitentiam convertere voluit notam illam mulierem Samaritanam, nomine Photinam, obſervat Evangeliſta : *Fatigatus ex itine-* Joh. 4. 6.
re ſedebat ſic ſupra fontem. En ! venator animarum zeloſiſſimus hanc lupam

ſedens

sedens exspectabat. Sed ubi ad frugem reducere voluit Matthæum, locupletissimum publicanum ac telonarium Cæsareum, non sedens illum exspectabat, sed per modum transeuntis vocabat: *Cùm transiret inde* JESUS, *vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me; & surgens secutus est eum.*

Matth 9.9.

Observa hîc duplicem Dei & hominis Christi vocantis modum, Photinam exspectans exspectavit, sed apud Matthæum publicanum in telonio sedentem pertransiit, quasi per transennam illum ad se vocando: *Sequere me*; Audi pro doctrina morali Didacum Stellam supra illa verba: *Cùm transiret inde* JESUS, ita discurrentem, *Tunc enim transit* JESUS, *& in transitu peccatorem videt, quando eum vocat per internam inspirationem, non facit in eo mansionem, donec inspiratio opere impleatur.* Et paulò post subjungit, additque aculeum: *Sicut Matthæus*, inquit, *sequens suo convivio detinuit illum, discamus detinere* JESUM, *ne prætereat. Væ illis, juxta quos iterum atque iterum* JESUS *transit, & non detinetur!* Ah! quoties forte apud te transiit, anime mi, monendo, inspirando, docendo &c. & tu non detinuisti eum? quid ergo fiet de te?

Didac Stel. la in Luc. 5.

5. Venit aliquando ad Christum Dominum devotus quidam juvenis, genu flexu adorans eum ac rogans: *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Ad quem benignus Dominus: *Præcepta nôsti?* At ille? *Magister, hæc omnia observavi à juventute mea.* JEsus autem intuitus eum blando ac suavi vultu, manumque ejus apprehendens, & arridens, quia *dilexit eum*, ad illum dicebat: *Unum tibi deest: vade, quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo; & veni, & sequere me.* Per quæ verba dictum adolescentem ad perfectionis viam, suique sequelam blandè invitabat, sed miser, cæteroquin bonus juvenis, occulto laborabat & tenebatur animi morbo, quia suas amabat possessiones ac divitias, hinc *contristatus in verbo abiit mœrens*, & prout observat antiquissimus Origens ex Evangelio Hebræo S. Matthæi: *Cœpit dives scalpere caput suum, & non placuit ei ... Tum* JESUS *conversus dixit Simoni Discipulo suo sedenti apud se; Simon fili Jonæ, facilius est, camelum intrare per foramen acûs, quàm divitem in Regnum cœlorum.* Vide ex his, quàm difficile avari ac divites suas relinquant opes, quibus quodammodò in hoc sæculo sunt agglutinati, apud quos etiamnum verificatur illud veritatis: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Marc. 10. 17

Matth. 19. 22.

Cornel. hîc.

Matt. 6. 21.

Ex quibus colliges generosum ac planè heroicum S. Matthæi animum, dum ad unicam Christi vocantis vocem: *Sequere me*, cunctas opes, ac possessiones suas reliquit, contempsit, ac pauperibus distribuit, & pauper pauperem secutus est Christum: *Relictis omnibus secutus est eum.* Audi in hanc rem Petrum Damianum ita discurrentem: *Mox ut vocantis se Salvatoris audivit Imperium, non cunctatus est, non sua disponendi quæsivit inducias,*

Luc 5. 28

B. Petr Dam. ser. 1 de S. Matth.

non

non amicorum communicanda conſilia, ſed illicò divitias ſprevit, carnalium affectuum nexus abrupit, ſicque ſolutus poſt Chriſti veſtigia lætus & impiger properavit.

6. Ita ſecutus eſt armiger ſuum Jonathan, ſervus fideliſſimus ſuum Principem, & miles ſuum Ducem, qui ſuo Domino per præruptos petrarum ſcopulos contendenti comes adhæſit individuus, & cum eo in caſtris Philiſtinorum ingentem edidit ſtragem: *Dixitque ei armiger ſuus: Fac omnia, quæ placent animo tuo; perge, quò cupis, & ero tecum ubicumque volueris.* 1 Reg. 14. 7.

Ita ſecutus eſt Ethai Davidem Regem ſuum, cum à facie Abſolonis fugam arriperet, & in exilium, relictâ civitate Solyma, flens ac plorans per montem Olivarium cum paucis ſuorum contenderet: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: Quoniam, in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.* 2. Reg. 15. 21.

Ita ſecutus eſt eundem Iſraëlitarum Regem Siba, qui in dicto exilio Regi ſuo cum duobus aſinis, ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis, palatharum & utre vini oneratis in occurſum venit, ut Regem profugum ab itinere laſſum, & domeſticos ejus comites reficeret: *Dixitque Siba: Oro, ut inveniam gratiam coram te, Domine mi Rex.* 2. Reg. 16. 1.

Plùs S. Matthæus, qui Chriſtum Dominum ac Regem ſuum generoſo ſemper animo tum in vita, tum in morte ſecutus eſt; in vita quidem, dum *relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum*; & quidem in ſumma paupertate, qui priùs abundaverat auro ac divitiis; in ſumma humilitate, dum ſe ipſum in Evangelio vocabat publicanum, hoc eſt, peccatorem publicum; in ſumma obedientia, cum Paulo dicens: *Domine, quid me vis facere?* Unde usque ad ultimos terræ fines Evangelium prædicandi cauſa penetravit, ubi & vitam ſuam Deo conſecravit. Luc. 5. 28. Actor. 9. 6.

O anima Chriſtiana! Vis & tu ſequi Chriſtum? En! vocat mundus, ſed in quem finem? ut decipiat; vocat caro: ſed cur? ut fœdet; vocat Dæmon, ut perdat, accurritur undique, ait Stella. Vocat Chriſtus, ut ſalvat, & pauci ſequuntur. *Si quis vult poſt me venire*, adhortatur nos veritas, *abneget ſemetipſum.* Obſerva peculiaria Chriſti verba: *Si quis vult*, quaſi nullus hoc velit, aut rarus. Stella in Luc. 9. 23.

7. Ad domum & officinam figuli nunc cum Jeremia deſcendamus, cui præcepit Deus, ut opera illius attentiore mente perpenderet. Et quid factum eſt? *Ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas, quod ipſe faciebat de luto manibus ſuis: converſusque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis ejus, ut faceret.* Ingens hîc latet myſterium. Vas primum ſuper rotam confractum, ex quo luti ſordidi fruſto figulus reflectendo & circumgyrando totum exinde pulchrum, novum & honorificum vas confecit, Jer. 18. 4.

fecit, denotabat tunc temporis Judæos, tanquam vas figuli, confractos, & in captivitatem propter delicta sua dispersos, quos tamen Deus, si dignos pœnitentiæ fructus egerint, paratus erat tanquam vas gloriæ & honoris de novo in gratiam recipere; & subjungit Dominus ad nostram doctrinam ac salutarem Dei timorem in nobis excitandum; *Nunquid, sicut figulus ipse, non potero vobis facere, domus Israël, ait Dominus? ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël.*

Et quid dico? Nunquid Matthæus ante suam conversionem erat vas iræ, vas sordidum, vas Domino inutile? Sed vide potentiam Creatoris ac Salvatoris tui, dum ex eodem luto & vase ignominiæ confecit vas gloriæ, vas electionis, vas in honorem sibi & universo orbi terrarum: *Conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret;* Unde rectè de illo B. Petrus Damianus: *Inter omnes*, ait, *planè Sanctos, qui cœlesti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt, B. Matthæus mihi videtur insignis atque conspicuus, & quemadmodum inter eos dignitatis obtinere primatum, atque ut clariùs dicam, nemo post Christum est, cui magis debeat sancta universalis Ecclesia: nam quod mundus vivit, hæc est causa, quia lux nobis Evangelica corruscavit.* Et subdit: quia ipse *tanquam dux vexillum sequentibus prætulit, suoque exemplo, ut scriberent, incitavit.*

B. Petr. Dam. ser de S. Matt.

Gen. 12. 1. 8. Ad Abraham quondam à Deo dictum est: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram; quam demonstrabo tibi.* Miré hîc Deus exercitavit obedientiam, & acuit fidem Abrahæ, dum voluit, ut promptè in omnibus obediret, Deumque vocantem sequeretur, quod & fecit strenué, dum per totam exinde vitam in Chanaan peregrinatus est.

Plùs fecit S. Matthæus Apostolus & Evangelista Christi, dum ad duo Salvatoris nostris verba: *Sequere me*, non tantùm parentes, amicos, domum, divitias, patriam, opulentissimum vectigal, commoditates, & cuncta mundi oblectamenta, sed & se ipsum reliquit, ac sine sacculo ac pera in terram alienam, barbaram ac remotissimam, imò ad usque ultimum terræ profectus est, solùm ut Christum lucrifaceret, & animas errantes doctrinâ ac sanctitate vitæ ad cœlum reduceret.

Matth. 9. 2.

Judith, vidua illa Hebræa & vitæ sanctitate & rerum gestarum gloriâ insignis, ubi populus ex spoliis Assyriorum ditatus ei tanquam victrici grato animo pretiosiora offerebat, omnia illa respuit, imò & eorum oblita est: *Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Sto hîc attonitus, quare prudentissima illa heroina nihil illorum pretiosorum voluerit acceptare, & apud se retinere? & nunquid Principes, ac belli Duces, dum victores ab acie recedunt, ejusmodi trophæa præsertim

Jud. 16, 23.

tim pretiosa in obtentæ victoriæ memoriam in domo sua retinere & sollicitè asservare assolent? R. Paulus Aresius Dertonensium Episcopus: *Consultiùs fore, reputabat prudentissima mulier, à se omnem occasionem auferre istius, quod in Holofernis exercitu gestum erat, ut nunquam ei vanam gloriam vel superbiam parare posset, vel blandientium recordaretur verborum, amorosorumque affectuum, quos illi Holofernes exhibuerat.* Aresius dise. 27. n. 17.

Ita quoque fecit S. Matthæus, qui uno temporis momento ob amorem JEsu omnia terrena ac pretiosa reliquit, omniumque divitiarum suarum, & quas adhuc corradere poterat, oblitus *obtulit in anathema oblivionis*; unde post Christi ascensionem docuit cumprimis Hebræos & Palæstinos, quibus & sacrum Evangelium primus linguâ Hebraicâ scripsit, ut quò non poterat pervenire sermone, scripto perveniret, hinc in omnem terram exivit sonus ejus. Exinde in Ægyptum profectus est, ubi liberè ac intrepidè Christum efferatis illis gentibus prædicavit, ac multa hominum millia ad agnitionem veri Numinis & fidei orthodoxæ lumen per ingentia prodigia convertit. Tandem usque in Æthiopiam penetravit, ubi ab Evnucho Candacis Reginæ, olim à Philippo baptizato, hospitio receptus est, in quo loco Ecclesiæ Æthiopicæ fundamenta jecit, Presbyteros & Diaconos constituit, quotidie ad populum concionem habuit, eorumque infirmos, quacumque detinebantur infirmitate, curavit, & Regium filium Euphronem à mortuis suscitavit, ipsumque Regem cum omni familia baptizavit. O felix ille, qui ita annos suos ac labores impendit in adipiscenda Dei cognitione, illiusque amorem cordibus inserit humanis, non enim, teste S. Dionysio Areopagita, majus opus est, imò, *omnium divinarum divinissima extat perfectio, cooperatores esse in salutem animarum ad suum Creatorem.* Metaphrast. & Sur. in vita. S. Dion. in Hierarch.

9. Daniel vir desideriorum immanem draconem, quem ut Deum colebant Babylonii, massâ piceâ adipe in pilis mixta interfecit: *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco.* Dan. 14. 26.

Sanctus Matthæus Apostolus, invocato SS. nomine JEsu, & signo Crucis facto, duobus horribilibus draconibus, à quibus arte magicâ populi inficiebantur, ultrò obviam venit, quibus præcepit, ut nulli ampliùs nocerent creaturæ: *Et continuò sine cujusquam læsione per portam urbis egressi sunt.* Petr. de Nat. l. 8. f. 100. c. 201.

Moyses Dux ac Legifer populum Hebræorum de tenebris Ægyptiacis eduxit in lucem, & per mare rubrum in Palæstinam, quibus in deserto, cùm ob murmurationem à serpentibus ignitis infestarentur, pro signo æneum serpentem erexit, *quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. 9.

S. Matthæus Apostolus & Evangelista Ægyptios & Æthiopes é tenebris infidelitatis, & ex umbra mortis mirabiliter ad fidem adduxit, quos Abdias l. 7. Hist. Apost.

à venenatis serpentum morsibus læsos, solo Christi invocato nomine curavit, eisque pro signo non serpentem æneum, sed qui per serpentem illum æneum præfiguratus est, hoc est, Christum JESUM, & hunc Crucifixum erexit. Audi pro tua Doctrina & solatio S. Augustinum: *Fratres, inquit, ut à peccatis sanemur, Christum Crucifixum intueamur, quomodo, qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum.*

S. Aug. in Joan. c. 6.

10. Zacharias Propheta filius Jojadæ Pontificis à Joas ingratissimo Rege, quia veritatem ipsi prædicaverat, quòd dereliquerit Dominum ac Deum suum, immani sacrilegio in loco sacro inter templum & Altare holocaustorum occisus est: *Et non est recordatus Joas Rex misericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius secum, sed interfecit filium ejus; qui cùm moreretur,* ait, *Videat Dominus, & requirat.* Quam indignam necem & Christus Dominus ingratis Judæis objectavit: *Vt veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum & Altare.*

2 Par. 24. 22.

Matt. 23. 35.

Hoc idem S. Matthæo Apostolo evenit, ubi enim viginti duos annos in Æthiopia in assiduis laboribus complevit, non gustando carnem, sed herbis ac leguminibus solùm victitans, & totus in animarum salutem effusus, tandem intra templum & Altare, jubente impio & sacrilego Rege Hirtaco, à ministris regiis sub Missæ finem, ubi immaculatum Agnum Deo jam immolaverat, & ipse Deo grata virginitatis victima immolatus, & lanceis confossus est. Causa hujus necis erat, quia Hirtacus Rex Iphigeniam virginem regiam, quam S. Matthæus priùs à morte resuscitâsse fertur, nunc per votum sponsam Deo sacram, vi ad matrimonium secum ineundum rapere satagebat, cui S. Apostolus animo & sermone intrepido restitit: *Gravi castigatione dignum fore servum, qui auferret Regiconjugem, & quoniam Iphigenia sponsa sit JESU Regis, rerum omnium Domini, JESUM inimicum habiturum, quia talia dirimeret sponsalia.* Sacrum exinde corpus ejus ferreæ arcæ inclusum est, atque in mare projectum, sed Deo mirabiliter protegente, urna illa ferrea natans supra maris undas ab omnibus visa est, ex quo miraculo plures gentiles de novo ad Deum vivum & verum conversi sunt. Denique idem sacrum corpus Salernum translatum est, ubi in hodiernum usque diem magnâ fidelium veneratione & hominum concursu colitur, cujus civitatis civibus sæpiùs in necessitatibus, ac extremis periculis singulari fuit præsidio, præsertim cum anno 1544. die 27. Julii Ariadenus Barbarossa Turca, & pirata turculentus, cum ingenti classe Salernum venerat, eam civitatem mari adjacentem deprædaturus aut vastaturus; verùm, quia Salernitani ad patrocinium S. Matthæi confugerant, sereno cœlo mox gravissima exorta est tempestas, quæ classem Turcicam confregit, & reliquias illius in fugam propulsavit.

Ambr. Spinol. hoc fest.

Bagatt. To. 1. l. 2. c. 4. n. 22.

Im-

Imminet & tibi, anima Chriſtiana, tempeſtas valida, ac tunc præſertim, quando anima tua ab hoc ſuo mortali corpore erit diſſolvenda; tunc enim verò magna tibi inſtabit tribulatio, *quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique*; non poteris hanc periculoſam effugere tempeſtatem, proinde dum tempus eſt: *Fac tibi amicos, & cum defeceris, recipiant te in æternatabernacula.* Talis amicus tibi erit S. Matthæus Apoſt. & Evang. ſi virtutes illius imitatus fueris, & ejus interceſſionem devotè invocaveris &c. Luc. 19. 43. Luc. 16. 9.

CONSIDERATIO XXXVIII.

De Protectione, & Patrocinio S. Michaelis Archangeli.

Pro Feſto S. Michaëlis.

Michaël Archangele, veni in adjutorium populo DEI.
Eccleſia in Brev.

I.

SOlent Monarchæ, & hujus ſæculi Principes duplicis differentiæ habere Miniſtros, qui ipſis inſerviunt, & ad mandata exequenda ſemper ſunt parati. Sunt cumprimis, qui illis in aula, & Regia curia quotidie obſequioſi aſſiſtunt, thronum ejus & latus ſtipant, ac cameralia & alia ſimilia attendunt officia. Sunt & alii Miniſtri ad bella parati, qui ad Regni defendenda mittuntur fortalitia, & ſiquidem imminet bellum, ipſi generosè ſe hoſti opponunt, ut in pace & ordine conſerventur Provinciæ & populi.

Aulam modernam Potentiſſimi, & Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri Caroli Sexti inſpiciamus, cui Miniſtri aulici ſedulâ inſerviunt curâ, Majeſtatem ſui Monarchæ demiſſiſſimè venerantes, & juſſis obſequentes; & ex altera parte Miniſtros habet, ac Duces generoſos ad quævis bella & prelia contra immaniſſimum Turcarum Imperatorem, aliosque Regnorum hoſtes paratiſſimos; Inter quos præeminet Sereniſſimus & Invictiſſimus Sa-

baudiæ Dux ac Princeps Eugenius, cujus generosum animum, pietatem ac victorias miratur orbis universus, dum nuper, hoc est anno Christi 1716. die 5. Augusti, Solimanni numerosissimum exercitum glorioſissimè devicit, & profligavit. Mitto alias victrices ejus palmas & victorias &c.

Altiùs erigamus animos. Ita quoque supremus totius universi Creator & Monarcha DEUS in cœlesti sua curia & Regno, cujus nunquam erit finis, duplicis differentiæ solet habere Ministros; primi sunt, qui assistunt
Dan. 7. 10. ei semper in cœlo, de quibus Daniel: *Millia millium ministrabant ei, &*
Apoc. 12. 3. *decies millies centena millia assistebant ei.* Alii autem Angeli potentes virtute sunt destinati ad præliandum cum Dracone magno, habente capita septem,
Heb. 1. 14. cujus cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli &c. Et hi Angeli sunt *administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Inter quos cœlestes milites, & Angelos Custodes nostros supremus archistrategus, & Princeps est S. Archangelus Michaël, qui luciferum superavit; *Quis ut DEUS?* Proinde meritò sancta Mater Ecclesia ob innumera ab eo accepta beneficia ejus hodie memoriam gratâ mente recolit, de quo cœlesti Principe plura nobis occurrunt consideranda.

2. Voluit quondam Deus populum suum electum ex durissimâ servitute Ægyptiaca, & gravissimo Pharaonis jugo in optatam asserere libertatem, atque in Palæstinam, melle & lacte manentem, sicco pede per ma-
Ex. 23. 20. re rubrum & desertum traducere; & quem Ducem illi assignavit? *Ecce,* inquit Dominus, *ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & indroducat in locum, quem paravi, observa eum, & audi vocem ejus &c.* Et qualis hic Angelus fuit? an Josue, quia hic Hebræos in terram promissam introduxit? Resp. Abulensis, & alii, Angelum hunc fuisse S. Michaëlem, præsidem exercitûs Hebræorum, ille enim præibat eis viam in columna nubis per diem, & ignis per noctem.

Pharao Tyrannus, ubi populum Israëliticum abeuntem vidit, cum universo exercitu suo eos insecutus est; ubi advertit scriptura, quòd Angelus in columna nubis se inter Hebræos, & Ægyptios interposuerit: *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos, & cum eo*
Ex. 14. 19. *pariter columna nubis* Et quare hoc? Si S. Michaël, prout dictum est, in columna illa nubis & ignis populo Dux in via extitit, quare nunc retrogressus est, & à tergo exercitûs stetit? Observa sollicitam S. Michaëlis Tutelam erga populum sibi concreditum; ideo agmen tunc claudere voluit, ait Cornelius & alii, ut Hebræos ab Ægyptiis insequentibus tutaretur, Ægyptios enim in columna illa tenebrosa confudit & obnubilavit, ne possent pergere insequendo, Hebræos autem in tantùm illuminavit, ut interim possent proficisci, & mare rubrum transire &c.

3. Misit quondam Rex Antiochus Heliodorum, virum potentem cum cursoribus & satellitibus Hierosolymam, ut templum spoliaret, & pecunias

cunias ibi depositas in Regios thesauros transferret. Apparuit autem ei quidam eques vultu minaci gestuque sævo, insidens generoso equo, & habens arma aurea, cui se associabant adhuc duo alii virtute decori, optimi gloriâ, speciosique amictu, qui sine mora Heliodorum multis afflictum verberibus è templo eliminârunt: *Apparuit illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis imperimentis adornatus &c.* 2. Mach. 3. 25. Et quis fuit ille eques, qui Prætoris officio functus, sacrilegium Heliodorum acerrimè jussit flagellare? Resp. Theodoretus, fuisse S. Archangelum Michaëlem, quæ sicut olim Synagogæ Tutor ac Defensor extitit, ita nunc est Ecclesiæ S. R. Catholicæ Protector dignissimus.

Mittit Sennacherib Assyrius minaces ad Ezechiam litteras, ut se dedat, nec speret, Dei ope se ejus evasurum manus. Ezechias has in templo Deo offert litteras, humiliter orans, ut sui populi causâ urbi succurrat. Et quid factum est? Angelus unâ nocte Assyriorum cædit castra, & Sennacherib fugens interficitur à filiis: *Egressus est autem Angelus Domini,* Isa. 37. 36. *& percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Et quis ille Angelus fuit tam fortis ac potens, ut universum deleret exercitum? Resp. Mansius, fuisse S. Michaëlem, qui non tam universum hostilem exercitum momento confecit, sed & civitatem Hierosolymam ab arcta obsidione & interitu liberavit.

4. Abraham, à Deo jussus immolare filium suum, sine mora obedit. Et ecce, dum jam magno animo dextram tollit, & gladium in ejus cervices vibrat; sistitur ab Angelo. *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: non extendas manum tuam super puerum, unde facias illi quidquam &c.* Gen. 22. 11. Et quare hoc? Nunquid Deus omnino est immutabilis, non physicè duntaxat, sed etiam moraliter, ita ut ex animi inconstantia aliud velle non possit, quàm quod semel decrevit, unde apud Malachiam Prophetam dicit: *Ego Dominus, & non mutor?* cur ergo hîc suasit, imò præcepit sacrificium, & postea dissuasit? Priùs seriò mandavit, dein per Angelum impedivit; & quæ, obsecro, causa, cur hîc Deus suam mutaverit sententiam? Malach. 3. 6.

R. S. Augustinus: *Affectum tuum inquisivi, non factum exegi:* Erat ergo benignus Dominus, bona Abrahami & Isaaci voluntate contentus. Secundò, universa genealogia Christi fuisset uno ictu extincta, sicut enim ille, qui surculum viridem trunco implantatum destruit, totam arborem & omnes ramos ac fructus ejus corrumpit, ita extincto Isaaco omnes posteri ex eo nascituri fuissent simul extincti, & per consequens Incarnatio Verbi non fuisset completa, quia *Abrahæ dictæ sunt promissiones.* Angelus autem ille, qui hanc immolationem ob bonum totium generis humani impedierat, & romphæam Abrahæ jam incumbentem jugulo unigeniti sui continuit, non S. Augustin. apud Lippom. in c. 22. Gen. Gal. 3. 16.

erat

erat alius juxta Theodoretum, quàm S. Michaël Archangelus, hic enim
Gen. 22. 16. loco Dei Abrahamo promisit: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Subintrat hîc Jansenius: *Ubi pro semine Abrahæ intelligitur Christus: sicque verbis illis promisit Pater Unigenitum suum ex semine Abrahæ incarnandum.*

5. Cæterùm disputant sacrarum litterarum periti, quisnam primas vestes Adamo Proto-parenti nostro, cùm post lapsum é paradiso per Cherubinum ejiceretur, composuerit? Si Scripturam consulimus, habet
Gen 3. 21. illa: *Fecit quoque Dominus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Ergo Deus Adæ coriarius & pellium sutor fuit? Minimè gentium, sed quod Scriptura hîc recenset, Angelorum ministerio factum est, ac præsertim S. Michaëlis adjutorio, qui misertus generis humani protoplastos vestivit non panno, aut purpurâ, vel veste sericâ, sed pellibus crudis animalium, quasi cilicio, ut nuditatem eorum tegeret, aëris arceret injurias, & ut consideratione illarum vestium dignos pœnitentiæ fructus facerent. Addit Moses Barcesa Episcopus Syriæ, S. Athanasius & alii, quòd S. Michaël Adamum cum uxore sua exinde in Judæam traduxerit, ubi illis de instrumentis, quibus terra foditur, aratur, colitur, seminatur, & meti-
Gen. 3. 19. tur, providerit, juxta illud: *In sudore vultus tui vesceris pane*; & quod an-
Udalr Dirh hoc festo. te mortem, cùm nunc annis nongentis & triginta in gratia Dei constanter vixisset, illum ad montem, postea Calvariæ dictum, traduxerit, ubi illi in spiritu ostendit, quæ & qualia tormenta olim illius Redemptor & novus Adam, Deus & homo Christus, propter contractum apud divinam justitiam debitum, pro illo & omni genere humano esset exantlaturus, mortisque chirographum in ligno Crucis deleturus. Vide hîc, & considera singularia beneficia, quæ S. Michaël generi humano contulit, & adhuc conferre assolet. Invoca eum devotè ac constanter, & experieris il-
S. Laur. Just. serm. de S. Mich. lius opem: *Non abs re*, ait S. Laurentius Justinianus, *S. Mater Ecclesia illum honorat, quem sui specialem, & proprium novit esse custodem, assiduum intercessorem &c. Defendit humiles, pudicos diligit, custodit vitam, regit in via, perducit ad patriam.*

6. Cùm Josue invictissimus Belli Dux in agrum Jerichuntis se conferret, ut locum oppugnandæ urbi opportunum specularetur, obviam illi venit vir quidam generosus evaginatum tenens gladium, ad quem Josue:
Josue 5. 33. *Noster es, an adversariorum? qui respondit: Nequaquam: Sed sum princeps exercitûs Domini, & nunc venio*, scilicet tibi & populo Hebræorum in auxilium. Et quis fuit vir ille armatus, quem Josue pronus in terram adoravit? Resp. Lyranus, Abulensis & passim alii, illum fuisse S. Michaëlem, hic enim est Princeps exercitûs Domini, non tam cœlestis & omnium Angelo-

gelorum, quàm & terreſtris puta, omnium fidelium populorum, præeſt enim Eccleſiæ Angelicæ in cœlis triumphanti, & Eccleſiæ Chriſtianorum in terra militanti, ut eam contra Dæmonum, & infidelium inſultus defendat, ac propugnet; proin meritò illius opem omnes quidem Chriſtiani, ſed præſertim duces ac milites in bello invocare debent, cum Judæ Machabæo orantes: *Et nunc, Dominator cœlorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore magnitudinis brachii tui, ut metuant, qui cum blaſphemia veniunt adverſus ſanctum populum tuum &c.* 2. Mach. 15. 23.

Erexit quondam Nabuchodonoſor Rex ex auro mirandæ altitudinis ſtatuam, in qua à gentibus voluit adorari; recuſant id tres Pueri, Sidrach, Miſach & Abdenago, unde in ardentem mittuntur fornacem; ſed Deus mittit Angelum ſuum, qui eos ſervat immunes: *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace &c.* Et qualis hic Angelus extitit, quem Rex inter tres illos pueros ſimilem filio hominis conſpicatus eſt? Reſp. Panthaleon Diaconus & alii, hunc fuiſſe S. Michaëlem, qui in fornace illa Babylonica flammarum compeſcuit ardorem, & tres illos Juvenes conſervavit illæſos. Vis, anime mi, à flammis gehennalibus & ſempiternis præſervari, ſerva mandata Dei, & cole impoſterum impenſiùs hunc cœleſtem Principem, quem Deus conſtituit ſuper omnes animas ſuſcipiendas. Ergò & ſuper tuam. Dan. 3. 49.

7. Juvat hîc pro coronide hujus Conſiderationis plura de S. Michaële coacervare argumenta. Hic fuit ille Angelus, qui Moyſi paſcendi oves in medio rubi ardentis quidem, ſed incombuſti apparuit, ubi jam tunc generationem Dei hominis, & immaculatum B. Virginis partum adumbravit, & præſignavit. Hic fuit ille Angelus, qui vice Dei in monte Sina legem Hebræis dedit, & Decalogum univerſo populo promulgavit. Hic fuit ille Angelus, qui Habacuc Prophetam cincinno capitis apprehendit, illumque ex Judæa ſubitò in Babylonem cum prandio tranſtulit. Hic Baalam pſeudo prophetam ſtricto gladio terruit, ne populo electo malediceret. Hic Gedeonem ex horreo elegit, eique mirandam illam victoriam contra Madianitas obtinuit. Hic Davidem corripuit, & ad ſeriam pœnitentiam reduxit, dum ſtricto gladio urbi Hieroſolymitanæ tempore triduanæ peſtis interitum intentavit. Exod. 3. 2. Ex. 20. 1. Dan. 14. 35. Num. 22. 22. Jud. 6. 12. 2. Reg. 24. 16.

In novo Teſtamento S. Michaël choragus fuit, qui in Nativitate Chriſti cum multitudine militiæ cœleſtis intonavit, & præcinuit illud fauſtiſſimum: *Gloria in altiſſimis DEO, & in terra pax hominibus.* Ille poſt jejunium & Satanam devictum juxta mentem Seraphici Doctoris primus Chriſto in deſerto adfuit, humiliter miniſtrans ei: *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Ille Probaticæ piſcinæ aquas commovit, & ſanctifica- Luc. 2. 14. Matt. 4. 11.

Joh. 5. 4. ctificavit, in figuram Baptismi, ita, ut qui primus in illam descenderet, ab omni curaretur infirmate. Ille in monte Olivario ad Christum agoni-
Luc. 22. 43. zantem venit, eumque consolatus est. *Apparuit autem Angelus de cœlo, confortans eum.* Ille in sepulchro Christi à mortuis resurgentis grandem illum
Matt. 28. 2. lapidem removit, milites terruit, quia aspectus ejus erat sicut fulgur &c. Ille denique in extremo illo judicii die inflabit tubam illam horrendam:
1 Thess. 4. Surgite mortui, venite ad judicium: *In jussu & in voce Archangeli, in tuba*
15. *DEI descendet de cœlo &c.* Nunc maturé te para, ut ibi securus consistas.

CONSIDERATIO XXXIX.

S. Franciscus, cur tantoperè Agnum, & Alaudam æstimârit?

Pro Festo S. Francisci Seraph.

Interroga jumenta, & docebunt te, & volucres cœli, & indicabunt tibi. Job. 12. 7.

1.

MIror, quoties attentiore animo mecum perpendo mirabilem illam sententiam, quâ olim patientissimus Job mortalibus præcepit, ut ad scholam irrationabilium animalium se conferrent, ut ab illis veram addiscerent sapientiam, quâ instructi Deo
Job. 12. 7. T. O. M. imposterum meliùs servirent: *Interroga*, ait, *jumenta, & docebunt te, & volucres cœli, & indicabunt tibi.* Quid, obsecro, à brutis animantibus, & cœli volucribus ad nostram possumus salutem addiscere?
Prov. 30. 30. Resp. Enim verò multa. A Leone, *qui ad nullius pavet occursum*, discere possumus animi fortitudinem: à Camelo, sine murmure pondus gestante, patientiam: à Bove arante & triturante laborem: à Cane domestico gratitudinem: à Cervo saucio, ad fontem vivum pro medela anhelante, pœnitentiæ lachrymas: à Lepore salutarem DEI timorem: à Dama fugam adversus vitia: ab Elephante obedientiam & perseverantiam:

ab

ab Herinacio, maturè ſibi de victu proſpiciente, providentiam : à Lynce perſpicaciam : à Monocerote corporis & animi puritatem : ab Urſo catulos lambente ſedulam filiorum educationem : à Panthera, ſuavem odorem ſuum longè lateque ſpargente, virtutis odorem. En ! cauſam & rationem, quare Job Propheta ad ſcholam irrationabilium pecudum nos ablegaverit : *Interroga jumenta, & docebunt te.*

Sed & *interroga volucres cœli, & indicabunt tibi.* Interroga Aquilam, irretortis oculis Solem contemplantem, cum lemmate: *Oculi mei ſemper ad Dominum*, & diſce, in præſentia Dei ambulare, juxta illud : *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Vide Struthionem, duriſſimum ferrum ſine damno coquentem, & diſce ab eo dura concoquere. Cerne Pelicanum, pectus ſuum roſtrô lancinantem, ut pullos ſuos, ſerpentis veneno enectos, ſanguine ſuo vivificet, & diſce ab eo pro Deo & proximo tuò nec ſanguini parcere. Conſidera gruem, lapidem, ne ſomno capiatur, inter ungues tenentem, & ediſce ab ea vigilantiam. Contemplare Ardeam, ſereno cœlo ſuper lucidas nubes ſe efferentem, & diſce ab ea ſpem ſuam in ſolo Deo collocare. Attende Carduelem, ſpinis & carduis innixam & tamen ſuaviter canentem, & addiſce ab ea carnis mortificationem. Intuere Ciconiam, parentes ſenio confectos propriis humeris ferentem, & diſce ab illa pium ac gratum erga parentes & benefactores tuos affectum. Reſpice columbam ac turturem omni felle carentem, & diſce ab ipſa manſuetudinem & pacem. Inſpice candidiſſimum Cygnum, priusquam cibum capiat, ſe in aquis abluentem, & diſce ab eo præparationem ad SS. Evchariſtiam dignè ſumendam. Contemplare Falconem, qui, dum jejunus eſt, ad quævis ſublimia & ardua ſe elevat, diſce ab eo refrænare gulam, ut mens ſemper ad DEUM ſit elevata. Aſpice Philomelam, ſuaviùs in cavea, quàm priùs in ſylva canentem, & diſce, ſi anima religioſa es, libenter intra cœnobii ſepta habitare, & DEUM tuum die noctuque & cantu, & oratione tum vocali, tum mentali laudare. Interroga denique Hirundinem, bacillum ad maris littus colligentem, quô ſi volant ſuper mare feſſa eſt, quaſi naviculâ utitur, donec mediante hoc ligno ad optatum portum perveniat, diſce ab illa Crucem amare, Crucem ſequi, Cruci inniti, ſi per mare magnum & ſpatioſum hujus ſæculi ſecurus ad felicis æternitatis portum diſcupis contingere : *Inſtituit Deus*, ait S. Auguſtinus, *lignum, quô mare tranſeamus, nemo enim poteſt tranſire mare hujus ſæculi, niſi Cruce Chriſti portatus.*

Pſ. 24. 15.

Gen. 17. 1.

S. Auguſt. To. 9 tr. 2. in Joan.

Sed ad quid iſta enarro ? Franciſcum Seraphicum, cujus hodie glorioſam memoriam agimus, conſulamus, quare per omnem vitæ ſuæ curſum tanto affectu & amore innocentem agnum & alaudam aviculam ſit proſecutus ? nihil enim magis curabat, & ſtudebat, quàm ut illorum

duorum animalium mores & virtutes pro possibili posset imitari. Ea-
Jo. 12. 7. mus & nos ad hanc scholam, ut in virtute proficiamus: *Interroga jumenta, & docebunt te, & volucres cœli, indicabunt tibi.*

2. Olim in lege veteri mandavit Deus, ut singulis diebus sibi duo immaculati immolarentur agni, unus mane in ortu solis, & alter vesperè in ejusdem occasu. Fiebat autem hoc sacrificium, tum matutinum, tum vespertinum, de quo sæpiùs Vates Regius meminit, publicis & communibus populi Israëlitici impensis, ubi priùs Agnus offerendus in piscina probatica erat ablutus, serto exinde viridi coronatus, à Sacerdote jugulatus, pelle nudatus, ac sic veru ligneo affixus, lento igne assatus in altare DEO in odorem suavitatis oblatus est. Et hoc erat juge ac perpe-
Ex. 29. 38. tuum sacrificium, de quo Scriptura: *Hoc est, quod facies in altari; agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum manè & alterum vesperè.*

Omnia hæc illis contingebant in figura, scripta sunt autem propter
S. Bern. ser. 2. & 4. de Purif. nos: proinde pereleganter S. Bernhardus per primum & matutinum Agnum Christum infantem intelligit, quomodo à SS. Matre sua quadragesimo post Virgineum partum die Hierosolymis in templo æterno Patri in sacrificium matutinum fuerit oblatus, & per agnum vesperè immolatum idem Mellifluus eundem pientissimum Redemptorem nostrum subaudit, quomodo circa vesperam, sole jam ad occasum vergente, pro salute totius mundi in ara Crucis se ipsum Patri suo in hostiam pacificam præsen-
S. Bonav. l. Medit. vitæ Christi c. 78 tavit: *Ecce hîc sum, Pater mi, usque ad Crucem me humiliare voluisti pro amore & salute generis humani placet, accepto, & pro eis me tibi offero, quos dedisti mihi, & fratres esse voluisti; accepta igitur, & tu Pater, & deinceps placabilis esto mei amore, & omnium maculas veteres absterge, & clonga ab eis &c.* Et hoc est, ad quos S. Franciscus Seraphicus peculiari studio attendit, dum feré assiduo in corde & ore suo ruminabat illa aurea SS. Præ-
Jo. 1. 29. cursoris Domini verba: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; hinc cùm aliquando agnum innocuum à lanione ad macellum, ut ibidem jugu-
Jer. 11. 19. laretur, raptare vidit, memor illius Divini Agni, de quo Jeremias: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, mox in largissimas lacrymas effusus est, nec priùs destitit, donec prece, pretio illum agnum jam morti destinatum redemerit, quem secum domum asportavit, & benè habuit, illius mores accuratè observans, quos sibi proposuit imposterùm pro viribus imitandos.

3. Solet autem agnus ut plurimùm in stabulo nasci & morari. Ita Agno Divino Christo JEsu placuit, non in alio loco in publicam prodire
Ps. 48. 13. lucem, quàm in stabulo, in quo inter jumenta in præsepio reclinari voluit, ut hominem perditum, qui sicut jumentum apud Deum factus est, ibidem quæreret. De S. Francisco recenset vita, quòd, cùm mater ejus,

ejus, Pica nomine, per dies aliquot ob partum in ſummo verſaretur vitæ periculo, à peregrino quodam, qui Angelus credebatur, admonita fuerit, ut, ſi à concepto partu feliciter vellet expediri, in ſtabulum ſeſe reciperet, ubi inter jumenta feliciſſimum partum edidit, & ſuper fœno & palea depoſuit; quem exinde in ſacro baptiſmate Joannem vocari voluit, ſed quia puer gracilis erat ac docilis, & linguam Gallicam facillimo perdiſcebat conatu, ideo eum pater, Petrus nomine, de familia Mariconi, & Mercator Aſſiſiis in Italia Franciſcum appellare conſuevit, quod nomen usque ad felicem obitum S. Franciſco adhæſit. Refert Marchantius in Candelabro myſtico de Baptiſmo, quòd ab Angelo de ſacro fonte fuerit ſuſceptus.

Agnus manè, cum à ſommo ſurgit, aut veſpere, cum ſuper paleam recumbit, ſemper priùs genua ſua inflectere aſſolet, quaſi Deo creatori ſuo humiles ob recepta beneficia referret gratias. Hunc laudabiliſſimum morem & S. Franciſcus à teneris annis imitatus eſt, offerens ſe & omnia ſua genibus flexis benigniſſimo DEO ſuo quotidie; unde & agnum iſtum, quem à lanione & morte redemerat, edocuit, ut durante SS. Miſſæ ſacrificio ſine ullo murmure & ſtrepitu genua ſua humiliter flecteret, quaſi DEUM & hominem Chriſtum præſentem in altari agnoſceret. Aliâ vice, cum S. Viro oblata fuiſſet ovicula, eam ob innocentiæ & ſimplicitatis amorem grato animo accepit, quam monuit, ut ab omni offenſa fratrum abſtineret, & laudibus divinis intenderet, quod ovicula illa exactè obſervans ſemper, cùm Fratres in choro cantes audierat, & ipſe Eccleſiam intravit, & ante altare B. V. humiliter proſtrata balatu ſuo, quantùm potuit, SS. Deiparam ſalutavit? O Chriſtiane! *Interroga jumenta, & docebunt te.* Si adeſt hora, ut de ſomno ſurgas, monet Angelus: *Surge velociter*; & Eccleſiaſticus: *Hora ſurgendi non te trices*; & ſapientia æterna: *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Proinde imitare manè & veſperè agniculum, & cum eo in genua provolutus Deum tuum humiliter adora, & ad SS. Cor JESU tuam intenionem tanquam ad ſalutis ſcopum dirige. Ita Heliotropium ad primos ſolis orientis radios ſe pandit, & conchæ maris ad primum ſolis exurgentis conſpectum ſeſe aperiunt, ut rorem cœli accipiant; ſerò olim & tardiùs ſurgentibus Manna ab exiguo ſolis radio calefactum tabeſcebat.

In annal. Minorum. an 1221.

Job. 11. 7. Act. 12. 8. Eccl. 32. 15. Prov. 8. 17.

4. Agnus gratus eſt ſuo benefactori, & miſericors in hominem pauperem, dum illi lanam præbet & pellem, quibus ſe veſtiat, & nuditatem tegat, atque à frigore ſe tueatur. De S. Franciſco recenſet vita, quòd, cum die quodam hominem pauperculum, eleemoſynam à ſe flagirantem, prætet conſuetudinem repuliſſet, mox in ſe reverſus ei largiſſimam impertivit eleemoſynam, ſtatuitque ex illo tempore, ſe nemini

impoſterùm ob amorem Chriſti eleemoſynam negaturum, & quia Evangelicæ perfectionis erat cupidiſſimus, quidquid habuit, pauperibus erogavit, ut pauper pauperem Chriſtum ex eo liberiore ſequeretur animo; hinc nudus in ſuæ converſionis principio coram Antiſtite Aſſinate, etiam rejectâ patris togâ, apparuit, & nudus in conſummatione de hoc mundo
Job. 1. 21. exire voluit, illud Jobi ſecum ingeminans: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.*

Agnus ex centum millibus ovium, quæ paſcuntur in campo, matrem ſuam ex voce & balatu agnoſcit, unde ingenti anhelatione & impetu ad illam currit, ut ab ea optato paſcatur lacte. Venit S. Franciſcus primis converſionis ſuæ diebus in templum S. Damiani Aſſiſii, ubi pia Crucifixi Salvatoris colitur imago quatuor affixa clavis, ad quam cum appropinquat, audit ex ore Crucifixi Amoris ſui hanc clariſſimam vocem: *Franciſce, Franciſce!* Stat attonitus ad hanc Chriſti ad ſui ſequelam vocantis vocem novus commilito; & ſicut quondam Moyſes paſcens in deſerto
Ex. 3. 4. oves Jethro, à Domino in rubo ardente, & incombuſto vocatus eſt: *Vocavis eum de medio rubi, & ait: Moyſes: Moyſes!* Supra quod egregiè Cornelius; *Verbum DEI in rubo, eſt Verbum DEI in Cruce, quia utrobique inter ſpinas.* Ita, inquam, & S. Franciſcus à Chriſto JESU Crucifixo vocatus eſt: *Franciſce, vade, & repara domum meam.* Intellexit hanc Divini Agni ac Domini ſui vocem Divus ille, unde mox Romam profectus, ut & matris ſuæ Eccleſiæ vocem & voluntatem obediens ovicula audiret, ab Innocentio III. tunc S. Petri claves tenente & vices gerente in ſomnis viſus eſt collabentem Lateranenſem Baſilicam, omnium Eccleſiarum ma-
S. Bonav. in vita c. 3. trem ſuis ſuſtinere humeris: *Proximam jam ruinæ*, ait S. Bonaventura, *quam quidam homo pauperculus, modicus & deſpectus proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet, ſuſtentabat Eccleſiam.* Et ecce, cùm eum Summus Pontifex conquiſitum ad ſe accerſiri juſſiſſet: *Veré*, inquiebat, *hîc eſt, qui opere & doctrinâ Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam.* Vide hîc, atque conſidera, quomodo DEUS ſemper humiles elegerit ad ſumma in Eccleſia DEI expedienda & perfici-
S. Hieron. l. 2. Ep. 19. ad Celant. enda negotia, divites ac ſuperbos dimiſit inanes: *Nihil eſt*, ait D. Hieronymus, *quod nos ita & hominibus gratos, & DEO facit acceptos, quàm ſi vita meritô magni, humilitate infimiſimus.*

5. Agnus vilibus ac macilentis eſt contentus paſcuis: pinguia illi nocent, & cum herbas deguſtat, eas non deglutire, ſed ruminare aſſolet, proinde apud omnes gentes inter munda reputatus eſt animalia; hinc &
Lev. 11. 3. ipſe Deus: *Omne quod habet diviſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis*; habet autem Agnus diviſam ungulam, ruminatque cibum. En! typum in S. Franciſco expletum, qui plerumque ſolo duntaxat pane & aqua erat contentus, rariſſimè coctis veſcens cibis, quibus ad guſtum cor-

corrumpendum miſcebat cinerem, ut mortis memoriam jugiter ante oculos haberet, & ruminando in animo Chriſti paſſionem, Crucis mortificationem in corpore ſuo aſſiduò portaret; hinc nuda terra illi lectus fuit; & lignum duriſſimum illi locò pulvinaris inſerviebat, memor ſemper crucifixi amoris ſui, qui pro homine indigno tam indigna ferre dignatus eſt. Diſce hîc tuam refrænare gulam, & corporis ſectari mortificationem, ne tibi prævaleat inimicus & domeſticus homo: *Debet homo*, ait S. Bonaventura, *corpus ſuum mortificare, & ſicut Magiſter piſtorum in Cruce ſuſpendi.* S. Bonav. ſ. 1. Dom infra octo. Epiph.

1 Agnus manſuetus eſt, & patiens in adverſis, & dum ligatur, ac tondetur, vel ad victimam rapitur, non reclamat, ſed patienter cuncta adverſantia ſuſtinet. Conſidera ex altera parte porcum, tonde illum, & experieris, cujus toni ſit ejus grunnitus. De S. Franciſco refert vita, quòd patientiſſimi ſemper animi extiterit; unde cùm malediceretur, non maledixit; cùm à pueris ſacco cinereo indutus, luto & lapidibus tanquam fatuus impeteretur; os non aperuit; cùm à proprio parente domi incarceratus pluribus afficeretur plagis, non contradixit; cum Aſſiſii fune collo innixo ad publicum juſtitiæ & ſupplicii locum traheretur, placido animo irriſiones ac contumelias ſuſtinuit, ſe conformans in omnibus Chriſto, dicens cum S. Petro: *In hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* 1 Petr. 2. 21.

6. Agnus humilis eſt, qui non adinſtar capræ ad meliores carpendos arbuſculorum flores & ſurculos in altum aſcendit, ſed humum reſpiciens gramina & herbas ſeligit, & dum eas ruminat, cœlum reſpicit, quaſi gratias ſuo Creatori ac Benefactori acturus. S. Franciſcus, juxta exemplar Agni illius immaculati & incontaminati inter latrones ſuſpenſi, in eam ſe demiſit humilitatis abyſſum, ut omnium peccatorum maximum ac coriphæum ſe palam profiteretur, unde corpus ſuum non aliter ac jumentum tractabat, dicens cum Vate Regio: *Ut jumentum factus ſum apud te*; Pſ. 27. 23. hinc fune quodam ligatus, tunicula cinere aſperſa malé veſtitus, capite nudus, corpore extenuatus, pedibus diſcalceatus, facie pallidus ac macilentus, oculisque terram defixis incedebat, ſe veliſſimum ſemper reputans terræ vermiculum, ac indignum, quem terra ferret, unde factum eſt, ut etiam latroni peſſimo in patibulo pendenti ſe poſthabuerit, & cùm à Fratre quodam comite in itinere interrogaretur, quòd latroni tam ſceleratu ſe poſtponeret, & quòd hoc ſalvâ conſcientiâ dicere non poſſet; Reſpondet humiliter Chriſti ſervus: *Si quantumcunque ſceleratum hominem tantâ fuiſſet Chriſtus miſericordiâ proſecutus, arbitror ſanè, quòd multò, quàm ego, Deo gratior eſſet.* O qualis eſt noſtra humilitas! quàm longè adhuc diſtamus: Recumbe, recumbe, anime mi, in noviſſimo loco, quia non S. Bonav. c. 6. vitæ.

no-

nocet, ait devotissimus Kempensis, si te omnibus postponas, nocet autem, si vel uni te præponas.

Agnus pacificus est, non lites amat & jurgia, sed pacem, unde non
Ps. 37. 15. incongrue illi pro lemmate inscribes illud Davidicum: *Non habet redargutionem.* Christus, agnus ille Divinus nil magis dilexit, quàm pacem, hinc ad impium Herodem ire non recusavit, ut pacem inter illum & Pila-
Luc. 23. 12. tum componeret: *Nam antea erant inimici ad invicem &c.* Ita S. Franciscus Seraphicus pacis, & unitatis semper erat amantissimus, quam ubique inplantare & conservare illi animus fuit. Missis aliis hoc unum nobis serviat exemplum.

Chron. Minor. lib. 10. c. 29. Lupus quidam immanis, & fame rabidus, Eugubium urbem in Umbria antiquissimam obsederat, ut nec quisquam ingredi vel egredi, & nec comitatus quidam auderet. Audiit forte hoc S. Franciscus, & ut pacem inter cives & rabidum illum lupum conciliaret, se inter utramque partem mediatorem interposuit, signoque Crucis ferocientem belluam combescuit quæ non aliter, ac si esset mutata in agnum ad S. Viri pedes se prostravit, & jussa in urbem ultrò secuta est. Pacis conditiones erant, ut lupus imposterùm nulli civium inferret injuriam, & cives injuriarum obliti lupo necessaria præberent alimenta. Quod pactum sine mora ex utraque parte firmatum est, dum lupus in signum fœderis sanctissimo Viro dextrum porrexit pedem, & cives latitiâ exilientes, benedicebant Dominum, miram innocentiam ac sanctitatem in D. Francisco intuentes, & ubique eam depradicantes. O! quoties contingere assolet, ut homo homini fiat lupus, si poteris ejusmodi inimicas & litigantes reconciliare partes, quæso,
Matth. 5. 9. nulli parce labori, quia *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

7. Agnus, prout Auctor est Plinius, in Insula Ponto, ad plurimùm absinthio pascitur, quam herbam licet gustui amaram, tamen dulcissimi
Lib. 1. Chron. a. 103. mellis instar libare solet: unde lemma: *Dulcescit amarum.* S. Francisco Seraphico nihil dulciùs erat, quàm amarissimam Domini sui passionem diu noctuque meditari, & cum aliquoties mense integro videndi facultate esset privatus, sedens dies totos in tenebris nil aliud cogitabat, quàm passionem Christi, unde ad fratrem quemdam cum in afflictione filiali affectu consolantem dixit: *Ex Christi patientis memoria tantùm haurio voluptatis, ut, si ad finem usque mundi vitam mihi protrahendam scirem, haud aliam lectionem ad jucundissimam animi relaxationem essem desideraturus.* Disce ex hoc, anima desolata & afflicta, qualem ac quantam nobis parere soleat consolationem Christi patientis meditatio; proinde rectè moralis ille Ecclesiæ
S. Greg. M. in Epist. Doctor S. Gregorius M. *Nihil*, inquit, *adeò grave, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur.*

Agnus, ne perdatur, & ex aliis promiscuis dignoscatur ovibus, à Patrefamilias rubâ Cruce notari solet, unde lemma: *Signatur, ne perdatur.*

S. Fran-

S. Franciſcus, ut cognoſceretur orbis, cui eſſet militaturus, & ad quem pertineret Patremfamilias, à DEO in utero materno rubeâ Cruce notatus eſt, quâ inſignitus in hanc lucem prodiit. Felix es, ſi tali te ſigno notet DEUS.

Agnus, licèt ſit timidus, & ad quemlibet canis latratum fugiat, ſi tamen arietem gregis ducem præcedentem videt, generosè eum ſequitur, etiamſi per vaſtum & periculoſum flumen, ſit tranſeundum; unde lemma: *Omnes pendemus ab uno.* D. Franciſcus Seraphicus, ubi agnum illum Divinum attentiore, prout ſolebat, animo contemplatus eſt, de torrente Paſſionis in via bibentem, imò ipſum rubrum Paſſionis mare transnatantem, mox & ipſe, licèt antea fuerit ſemper pavidus, juxta illud Sapientis: *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*, generoſo tamen animo eum ſecutus eſt; unde mare Mediterraneum penetravit, ut in Syria & Ægypto Paganos ac Gentiles ad Chriſtum animarum paſtorem converteret, ut optatam martyrii palmam obtineret! ſed voluit benignus DEUS, ut Martyr fieret amoris, dum per duorum annorum curriculum, quaſi crucifixus vixit, ab ipſomet Chriſto in monte Alverniæ in Crucem actus, & ſacris ſuis ſignatus vulneribus. Prov. 28. 14.

8. Agnus denique, prout doctiſſimus Quaresmius & Cornelius à Lapide benè obſervant, quinque ſanguinolenta & ſtigmata & cicatrices in corpore ſuo perpetuò geſtat: *Ut vero*, ait Quaresmius, *expreſſior eſſet agnus Chriſti Domini figura, voluit naturæ moderator & rector, ut in anterioribus agni pedibus apparerent ſtigmatum & hiantia foramina, plagas manuum ac pedum immaculati Agni Chriſti repræſentantia, ut curioſi obſervaverunt, & non diſſimile habere in pectore aſſeverant, & velleris elevatum floſculum, ubi ſignum eſt.* Quaresm. to. 10. c. 3. ſect. 10.

Juvat hîc etiam audire Cornelium: *Neſcio*, inquit, *quid vulnerum perpetuò gerant agni in mediis pedum volis, non abſimili modo, quo Salvator noſter ex Cruce reſervat in manibus, & pedibus fixuras clavorum &c.* Cornel. à Lap. in Matth. 26. 19.

En! mirabilem ac planè perfectiſſimum typum in D. Franciſco expreſſum; cum enim in latere montis Alverniæ oraret, & quadrageſimam S. Michaëlis Archangeli jejunaret, vidit quondam manè Seraphinum de cœlo ad ſe deſcendentem, ſplendidum ac ſex alas habentem, montemque penitùs inflammantem. Modus autem impreſſionis ſtigmatum erat ſequens, quem hîc ſubjungo: "Appropinquante autem (Seraphino) vidit inter alas Chriſtum JEſum crucifixum, cujus hæc ad ſe verba ferebantur: Para te, Franciſce, faciam enim in te mirabilia hodie. Et ille, tu ſcis Domine, quia paratus ſum ad omnia mandata tua. Tunc Chriſtus extendit manum ſuam dexteram ſuper beati Franciſci manum dexteram, ad cujus contactum Franciſcus vulneratus in manu dolorosa voce exclamavit: O Domine JESU, & cecidit in terram, reſpiciens Chriſtum; qui ſtupenti ait: Surge Franciſce, extende aliam manum, & fecit" Hadr. Lyræus de Chriſto Pat. apud me ſ. 202.

"fecit consimili modo in sinistra manu ejus, & iteratò ille cecidit. Ad "quem Dominus iterum ait: Surge Franciſce, ſurge, & para te. At "ille: Domine mi, paratus ſum, & Dominus poſuit pedes ſuos ſuper pe- "des Franciſci, & ille plagatus repentè clamavit, & cecidit in terram. "Tandem dixit ei iterum Dominus: Franciſce, ſurge, ſurge, ut perfici- "am in te, quæ diſpoſui mirabilia. Franciſcus ait: Domine, quis pote- "rit ſuſtinere dolores? cui Dominus: quid tu feciſſes, ſi verbera, acu- "leos, ſpinas, punctiones, alapas, ſputa, aliasque pœnas, quas ego pro "hominibus ſuſtinui, excepiſſes? Surgens tunc Franciſcus ait: Quid ju- "bes, mi Domine; paratus ſum. Tunc Chriſtus amplexus eum, latus "ſuum junxit lateri beati Franciſci, & ſtatim impreſſit plagam lateralem. "Tunc Franciſcus exclamavit: O pie JEſu! ceciditque in terram quaſi "mortuus, & Chriſtus in cœlum diſparuit &c. Hucusque Adrianus Ly- ræus è Societate JEſu. Vide hîc, atque perpende eximium amorem, quo JEſus crucifixus in Franciſcum, & Franciſcus viciſſim in JEſum ferebatur,

Gal. 2. 20. qui rectè ex illo tempore dicere poterat: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò*
Gal. 6. 17. *in me Chriſtus, cujus ſtigmata in corpore meo porto.* O! ſi nos eadem ſacra ſtigmata ſaltem in animo per devotam meditationem portaremus.

9. Diutius, quàm penſavi, in explicatione hujus typici & myſtici
Job. 12. 7. agni moratus ſum, nimirum: *Interroga jumenta, & docebunt te, & volucres cœli, & indicabunt tibi*, inter quas ſolùm alaudam conſulo, quâ mitè olim S. Franciſcus delectabatur.

Corn. in Matth. 6. 16. Alauda cumprimis nomen habet *à laude* Dei, unde eam SS. Pater ſæpiùs ad Dei laudes ſecum concinendas ſolebat invitare, quæ turmatim ad ejus imperium apparuit, & ſuavi concentu Creatorem ſuum laudavit. Diſce, ſi religioſa es anima, aſſiduo cantu, ac pſalmodiâ, & præſertim ſanctitate vitæ laudare Deum, quia in hunc finem vocata es.

Alauda cinereum habet colorem, & criſtam inſtar galeri in capite geſtat. Tali habitu & caputio uſus eſt & S. Franciſcus, voluitque Minoritas ſuos tali inſigniri & indui veſtimento, ut ſemper memores eſſent illius: *Memento homo, quia cinis es &c.*

Alauda nidum ſuum inter vepres & dumeta collocat, ut eò ſecurior vivat contra omnes hoſtiles incurſus. Hoc & S. Franciſcus fecit, in ve- pribus ſe volutando, ut ſenſualem in ſe penitùs extingueret amorem. Quid tu hîc facis?

Alauda in paupertate ſua vivit contenta, & ſi granum frumenti re- perit, directo curſu in altum ſe levat, & pro beneficio grata Deum alito- rem voce canorâ, volans per gyrum, laudat; S. Franciſcus in ſumma pau- pertate ſua erat contentiſſimus, Deo pro acceptis beneficiis gratiſſimus, ac ſæpius inter orandum ac contemplandum in aër & exſtaſin raptus, lau- dans animitùs cum alauda Deum. Imitare, & diſce laudare Deum.

Alau-

Alauda, ſi fertur in ſublimi volatu in aëra, expanſis alis ſuis Crucem format, & obſervat admodum R. P. Athanaſius Kircherus, quòd aliquando alauda laudem Crucifixo JEſu his clariſſimis verbis in aëre cantillaverit: JESUS CHRISTUS CRUCIFIXUS. En! viam, per quam evectus eſt in cœlum S. Franciſcus, unde ut plurimùm, expanſis per modum Crucis brachiis, ad Deum & amorem ſuum Crucifixum orabat: *JEſus Chriſtus Crucifixus amor meus.* Si tu vis venire in cœlum, ſine Cruce illuc non poteris pertingere. Kircherus Muſurg l. 1. c. 14. §. 5.

Alauda unâ alâ inſtructa volare non poteſt, ſed neceſſariò duæ requiruntur pennæ, ut ſe poſſit in altum levare. Dextra penna, juxta Mellifluum, amor DEI eſt, ſiniſtra amor proximi, his inſtructa S. Franciſci anima usque ad Seraphinos volavit. Si ſequi diſcupis, anime mi, de his alis tibi maturè provide. S. Bern. de diligendo Deo f. 297.

Alauda denique in magna copia advolans S. Franciſco, dum ſanctiſſimè obiit, cum inſolita jubilatione parentavit. Sanctiſque laudes & gloriam celebravit. Gratulamur & nos tibi hodie, ſanctiſſime Pater! humiliter te deprecantes: *Reſpice in ſervos tuos &c.* Pſ. 89. 16.

CONSIDERATIO XL.

De Vita, & glorioſo Martyrio SS. Simonis & Judæ Apoſt.

Pro Feſto SS. Simonis & Judæ.

Servus non eſt major Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. JOAN. 15, 20.

1.

MAthatias, vir generoſiſſimus, & in lege DEI ac patria tuenda contra omnes inimicorum & Tyrannorum inſultus conſtantiſſimus, cùm nunc morti eſſet proximus, ne aliquando poſt obitum ſuum inter filios oriretur diſcordia, prudentiſſimè diſpoſuit, ut cæteris præficerentur Simon & Judas Machabæus:

1 Mach. 2. 65. us: *Et ecce, Simon frater vester, scio, quòd vir consilii est, ipsum audite, & ipse erit vobis pater; & Judas Machabæus, fortis viribus à juventute suâ, sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.*

En! perelegantem figuram hodie in SS. Simone & Juda secundùm nomen & omen adimpletam, quos Christus Dominus nunc ad cœlestem Patrem iturus, tanquam Patres nostros, & Ecclesiæ suæ Duces constituit, ac reliquit, qui duo fratres, ait Reverendissimus Aresius Episcopus, charitate uniti non inter sese divisérunt officia, sed ambo se Patres patriæ & generosos Belli Duces demonstrârunt; Hinc de illis hodie S. Ecclesia in sacro officio commemorat, quòd innumerabiles filios Christo JEsu pepererint. Ambo quoque fuerunt militiæ Duces strenuissimi, quia Dæmonem hostem acerrimum fugarunt, & proprio sanguine glorioſissimam de eo victoriam reportârunt.

Jo. 19. 15. Fuerunt autem Simon & Judas filii Mariæ Alphæi, sive Cleophæ, quæ cum B. V. & Matre dolorosâ Cruci Christi astitit; hæc sanctissima mulier quatuor filios habuit, é quibus tres à benignissimo Salvatore ad Apostolatum electi sunt, videlicet Jacobus Minor, Simon & Judas; quartus fuit Joseph competitor Matthiæ, cùm sors Apostolatûs cecidit super Matthiam, & hi in Evangelio vocantur Fratres Christi, id est, consanguinei & affines ejus. Dictus est autem Simon *Zelotes*, eò quòd zelavit pro Domino, ita S. Fulgentius, & Judas Thadæus, id est, Leoninus, cordatus, animosus &c. Plura de his glorioſissimis Apostolis hodie occurrunt exponenda &c.

Matth. 13. 55.

2. Ita est, fratrum gratia & concordia rara est. Abelem & Cainum considera: *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras: Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Isaacum consule & Ismaëlem, non rectis oculis se invicem aspicientes; *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo.* Jacobum & Esau interroga, qui in materno jam utero sustinere se invicem non poterant; *Collidebantur in utero parvuli &c.* Et in ortu, cùm uno partu nascerentur à Rebecca in lucem, Jacob manu pedem Esau tenebat, quasi impedire cupiens, ne primus exiret, ut primogenita, prout postea fecit, ei præriperet. Joseph, licèt innocentissimus, fratrum tamen odia evitare non potuit: *Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plùs cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.* David, licèt mansuetissimus, fratrum suorum invidiam non valuit declinare, à quibus graviter inculpatus est, quòd ad exercitum Saulis venisset, ut contra Goliathum pugnaret: *Quòd cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, & ait: Quare venisti,*

Gen. 4. 8.

Gen. 21. 9.

Gen. 25. 22.

Gen. 37. 4.

1. Reg. 17. 28.

veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oves illas in deſerto: ego novi ſuperbiam tuam, & nequitiam cordis tui &c.

Ex quibus ſatis luculenter apparet, quod jam olim Poëta cecinit: *Fratrum quoque gratia rara eſt.* Unde Salome mater filiorum Zebedæi non ſine cauſa ſibi viſa eſt timere, ne duo filii ſui & fratres uterini Jacobus & Joannes inter ſe fierent diſcordes, dum à Chriſto Domino non pro utroque filio dextram ejus, ſed pro uno ſolo, & pro altero ſiniſtram in regno petiit: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matth. 20. 21. Et quare hoc? Reſp. Areſius Epiſcopus Detronenſis: *Non audebat petere, ut ambo ſederent ab uno latere, cùm metueret, ne inter ſe diſcordes fierent, ſed maluit, ut Magiſter illorum Chriſtus medium teneret.*

3. Non ſic glorioſiſſimi fratres noſtri Simon & Judas, non ſic, ſed ſumma inter eos ſemper vigebat charitas fraterna, quia ſemper illorum erant memores verborum Domini, quæ hodie in Evangelio recitantur: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Jo. 15. 17. Proinde erant ut Jonathas & David, de quibus ſcriptura refert: *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam.* 1 Reg. 18. 1. Erant ſicut Abraham & Loth, alter alterius portans onera, curas & labores: *Non ſit jurgium inter me, & te, & inter Paſtores meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus.* Gen. 13. 8. Erant ſicut Joſue & Caleb ad regnum Canaan idololatriâ infame explorandum profecti, ut illud legi DEI ſubjicerent: *At verò Joſue filius Nun, & Caleb filius Jephone, qui ipſi luſtraverant terram, ad omnem multitudinem Iſraël locuti ſunt, Terra, quam circuivimus, valde bona eſt; ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manentem. Nolite rebelles eſſe contra Dominum &c.* Num. 14. 6.

En! novum Jonathan & David, novum Abraham & Loth, novumque Joſue & Caleb, in SS. Apoſtolis Simone Zelote, & Juda Thadæo præſignatos & expreſſos, dum ſpretis omnibus terrenis, ita diſponente Divino Numine, profecti ſunt in Chanaan, aliasque orbis remotiſſimas provincias, idolis & idololatris refertas, ut eas à ſordibus & erroribus expurgarent, cæcos idolomaniæ tenebris caligantes veræ fidei lumine illuſtrarent, Chriſtum & hunc crucifixum prædicarent, eumque tanquam verum Cypri botrum in caſtra Chriſtianorum reportarent; hinc factum eſt, ut gentes baptiſmi gratiam reciperent, Dæmones effugarentur, innumerabiles converterentur animæ, & ſacrum Evangelium in barbaris illis & efferatis regionibus mirum in modum inciperet clareſcere; dum S. Simon in Ægypto plura hominum millia ad Deum verum & vivum convertit, & S. Judas frater ejus in Meſopotamia ſimilem animarum meſſem & ſegetem collegit; unde Eccleſia de illis paucis, ſed emphaticis verbis:

Cùm innumerabiles filios JESU Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminâssent, doctrinâ & miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum JEsu Christi nomen illustrârunt.

4. Nota hîc ingentem ac planè admirabilem animarum zelum, quòd dicti Apostoli intra paucos annos tantam hominum multitudinem potuerint ad DEUM convertere, nimirum exemplum erant, & gentilium, & fidelium, in verbo & conversatione. Disce, anime mi ab his sanctissimis viris, si non pari, saltem pro possibili modo zelari legem DEI, & salutem animarum. Joseph, Vicarius Regius in Ægypto, universam regionem circuivit, urbes & pagos lustrans, an suo tempore copiosam ob annos venturos steriles posset habere messem: *Et circuivit omnes Regiones Ægypti; venitque fertilitas septem annorum; & in manipulos redacta segetes con-*
Gen. 41. 46. *gregatæ sunt in horrea Ægypti.* Plùs quam Joseph in S. Simone Apostolo, & Christi consanguineo, qui totam Ægyptum in æstu & gelu, in siti & fame pedes perambulavit, ut copiosam animarum segetem in illa va-
Luc. 6. 15. stissima regione posset facere, & bonum triticum in horrea Domini invehere; quod & mirabiliter obtinuit; hinc non sine singulari Spiritûs Sancti instinctu ab Evangelista appellatus est: *Zelotes: Et Simonem, qui vocatur Zelotes.*

Hoc etiam fecit charissimus ejus frater, Judas Thadæus, in Mesopotamia. De Eliezer refert Scriptura, quomodo in Mesopotamiam regionem ab Abrahamo hero suo missus fuerit, ut illic locorum dignam Isaaco filio suo sponsam inquireret. Tandem, ubi lassus ex itinere in illa regione advenit, extra oppidum ad puteum considens formosam exspectavit Rebeccam, ut sibi sitienti desideratam aquam ex hydria præberet hauri-
Gen. 24. 17. dam: *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua; quæ respondit, bibe, Domine mi: celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, & dedit ei potum.* Ex qua officiositate, & beneficentia prudens Eliezer non obscurè agnovit hanc ipsam puellam esse sponsam diviti Isaaco à Deo paratam: *Inclinavit se homo & adoravit Dominum.*

En! alterum Eliezer in S. Juda Thadæo à Christo Domino suo in Mesopotamiam amandato, ut ibidem animas Christi sponsas quæreret, & converteret. O! quoties sedebat lassus, & defatigatus ex itinere, exspectans, & sitiens animarum salutem: *Sitis Apostolorum*, ait hîc Cornelius: *erat desiderium salutis hominum; huic potum præstant, qui eorum verba audiunt.* Neque illi satis fuit, Evangelium Christi in sola hac Mesopotamia summo cum fructu disseminâsse, sed universam peragravit Idumæam, Arabiam, Syriam, Lybiam, ac tandem venit Edessam civitatem inclytam in India, ubi dum aulam Regis Abagari intravit, scribit S. Bonaventura, eum solo vultûs sui splendore totam aulam irradiâsse, Regemque, insana-

bili

bili, infirmitate longo tempore detentum, solo tactu sanasse, dans ei non tam vitam corporis, quàm & animæ, ad cujus prædicationem, attestante S. Antonio, pluribus miraculis confirmatam, plùs quam sexaginta hominum millia sacro fonte lustrata sunt: Regi verò in donum dedit telam, in qua impressa Christi facies velut in speculo relucebat, cui Abagarus aureo charactere subscripsit: *Spes nulli imponit, quam quis in te Christe ponit.* Et tu, ò animè mi, in quo spem tuam ponis?

5. Cùm Apostolorum Princeps Petrus in Joppem nunc ad convertendas gentes se se accingeret, observat Scriptura, quòd ad superiora domûs seu in tecta, quæ in illis regionibus plana sunt, & ad ambulandum, sedendum & orandum accommodata, ascenderit, ut ibidem liberiùs cœlum intueretur, & à terra oculos ac mentem oraturus ad DEUM attolleret. Et ecce, dum orabat in meridie, cecidit super eum mentis excessus, seu exstasis, in qua vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, in cujus utero erant omnia quadrupedia, & serpentes terræ, & volatilia cœli; & facta est vox ad eum: *Surge Petre, & occide, & manduca.* Act. 10. 13.

Quæres hîc, quid per munda & immunda ista animalia S. Petro, fuerit præsignatum? Resp. Judæi & Gentiles: Judæi quidem per munda, & Gentiles per immunda. Voluit autem benignus Deus, ut ex utrisque conflaretur una Ecclesia, cujus typus fuit Arca Noëmica, in qua ex omni genere pacificé cohabitabant animalia; ideo Petro præcepit; *Occide, & manduca*, hoc est; Occide in gentibus infidelitatem & vitia, ut in eis vivat Christus, fides & virtus, & in Judæis, ut & ipsi societati Ecclesiæ in lege gratiæ sub capite Christo in unum adunentur corpus.

Hoc mandatum quàm maximé observârunt SS. Apostoli nostri Simon Zelotes, & Judas Thadæus, dum non duntaxat Judæis, sed & gentibus efferatissimis Evangelium Christi prædicârunt, ut & illas barbaras nationes in unam coadunarent Ecclesiam. Proinde cum S. Petro illos oportuit devorare peccata hominum. Serpentes erant Ægyptii, & abominabiles quidem, quia & serpentes, & crocodilos adorabant, hos comedit S. Simon Zelotes. Serpentes erant Mesopotamii & Indi, & hos devoravit Thadæus. Serpentes & immunda animalia erant Persæ & Babylonii, quos & illi, eodem tempore in Perside convenientes, ambo devorârunt, convertentes eos verbô vitæ ad pœnitentiam & ad Deum verum & vivum; ac unicum Dominum nostrum JEsum Christum. Hîc verificatum fuit illud Oseæ: *Peccata populi mei comedent*; & illud Veritatis: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Oseæ 4. 8. Matth. 10. 16.

6. Multa quondam signa fecit Dominus per manus servorum suorum, Moysis & Aaron, inter quæ primum fuit conversio virgæ Aaronis in

in serpentem ; secundum , conversio aquarum Ægypti in sanguinem per-
attactum ejusdem Virgæ Aaronicæ ; tertium , multitudo ranarum, cyni-
Ex. 7. 10. phum , & gravissimarum muscarum , & sic de cæteris , de quibus in Exo-
do per plura agitur capitula. Unde de illis Vates Regius ; *Misit Deus signa & prodigia in medio tui , Ægypte , in Pharaonem , & in omnes servos ejus.*

Ps. 134. 9. Nec minora Dominus per venerabiles servos suos Simonem & Judam in Persida patravit prodigia , dum duobus istis fratribus , hoc vastissimum regnum ingredientibus , mox idola , quæ priùs hominibus , ea colentibus, dabant responsa , omnino facta sunt muta , Dæmones ab obsessis pellebantur corporibus , ægri sanitati restituebantur ; leprosi mundabantur , mortui resuscitabantur , & prout refert Petrus Bessæus , jussu S. Simonis septua-
Bessæus ser de his SS. ginta hominum cadavera tempestate hausta , mare ad littus effudit , quos omnes S. Apostolus miraculo planè mirando vitæ restituit. Juvat hîc au-
S. Chrys. dire S. Jo. Chrysostomum pro alia reflexione morali : *Si velis* , inquit,
hom. 33. in *signa videre , extermina abs te omne delictum , & vidisti , quod cupiebas , magnus*
Matt. c. 10 *enim Dæmon peccatum est , quod , si abs te abjeceris , major tu mihi eris , crede , quàm qui Dæmonia ejiciunt.*

7. Cùm Paulus & Barnabas Lystram venissent , oblatus illis fuit homo infirmus , ex utero matris claudus , cujus fidem cùm in spiritu vidisset Paulus : dixit magnâ voce : *Surge super pedes tuos rectus.* Et ecce claudus ille sine mora in pedes se erexit , exilivit , & ambulavit , laudans Deum :
Act. 14. 9. *Turbæ autem , cùm vidissent , quod fecerat Paulus , levaverunt vocem suam Lycaonicè dicentes : Dii similes facti hominibus , descenderunt ad nos ; & vocabant Barnabam Jovem , Paulum verò Mercurium &c.*

Simile quid sanctis nostris Apostolis Simoni & Judæ accidit. Cùm enim Persæ vidissent , tot ab illis fieri miracula , & quòd omnia terrena despicerent , atque dona pretiosa oblata ultrò recusarent , exclamaverunt cum Rege Satrapæ : *Isti sunt Dii , latentes in humana effigie.* Dionysius Carthusianus recenset , quòd , cùm Rex Abagarus copiosum aurum S. Thadæo , eò quòd lepram ejus curâsset , offerret , Apostolus responderit : *Si nostra dereliquimus , quomodo accipiemus aliena ?* Et belli Dux Babyloniæ , cùm ambos interrogasset : quare tam longinquo , diuturno , periculîsque pleno itinere in tam remota & extera advenissent regna ? responderunt : *Pro vestra salute advenimus.* Ecce , quid à nobis Sacerdotibus , præsertim
Gen. 14. 21. curam animarum gerentibus , requirat Deus : *Redemptor noster* , ait S. Gregorius M. *à Sacerdotis officio non quærit aurum , sed animas : Da mihi animas* , dicebat quondam Rex Sodomorum ad Abraham , *cætera tolle tibi* ; proinde cùm S. Paulo & veris animarum curatoribus , ac legis Divinæ zelatoribus contenti simus , si habemus ad vitam honestè sustentandam necessaria:
1 Tim. 6. 8 *Habentes alimenta , & quibus tegamur , his contenti simus ; nam qui volunt divites*

vites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Cave Domine Paroche, qui magis pecunias, quàm animas tuæ fidei & curæ commissas quæris, ne & tibi hoc accidat.

8. Cæterùm mandavit Dominus Christus, ut discipuli sui, cùm ad alienas, Evangelium prædicandi causâ, transirent Provincias, semper primùm populo & domui, in quam intrarent, pacem apprecarentur: *Pax huic domui*, sine pace enim vivere, est malè vivere. Ideo pretiosissimus orbis Servator in hunc mundum venit, ut Deum inter & homines & Angelos pacem conciliaret: *Et in terra pax hominibus.* Ideo mitissimus Dominus ad Herodem ire voluit, ut inter Pilatum & ipsum pacem componeret: *Nam antea inimici erant ad invicem.* Ideo ad Apostolos dixit in diversas nunc orbis partes dispergendos: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, quia nullum animal magis pacificum, quàm agnus, in media irruens pericula, si ducem habet præeuntem; unde illud Vatis Jessæi & S. Pauli: *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* En! typum verî animarum Pastoris & Viri Apostolici. Hinc & S. Franciscus Xaverius nunc proficiscens in Indiam amicis suis flentibus dicebat: *Mercatores tantis impendiis & periculis navigant in Indiam, prodigi vitæ mercium temporalium studio; Ego non ibo eôdem Dei & animarum causa?* Videlicet habebat illud Jessæi Vatis præmeditatum: *Anima mea in manibus meis semper.*

Matth. 10. 12. Luc. 2. 14. Luc. 23. 12. Luc. 10. 3. Rom. 8. 36. Ps. 118. 109.

Redeo ad SS. Apostolos nostros Simonem & Judam, quos Dominus tanquam agnos misit inter lupos, ut ex lupis agnos facerent; hinc voluit, ut Gentilibus semper priùs pacem annuntiarent, & apprecarentur; de quibus recenset S. Antonius, quòd, cùm venissent in Persidem, & Indiam, ut populos illos, inter quos horrendum bellum gliscere cœpit, pacificarent, ad Baradach Belli Ducem, se se Babyloniæ ad cruentum prælium accingentem, dixerint: *De terra longinqua, scilicet Judæa venimus, volentes pacem facere inter vos, Persas, & Indos, & noli timere, ò dux, quia pax hunc nobiscum intravit, & cras hora diei tertiâ legati Indorum ad te venient, & tuæ potestati subjicientur cum pace.* Et ita factum est, altero enim die, quem Rex Persarum, & prædictus Dux belli avidissimè exspectabant, duo promissi advenerunt legati ex India, pacem à Persis petentes, & feliciter obtinentes.

S. Anton. 1. p. tit. 6. c. 14.

9. Mugil, seu Cephalus, piscis marinus, facili conatu à piscatoribus capitur, dum de nocte ad proram navigii clarum lumen statuunt, ad quod Cephali sine mora veniunt, & nativo impulsu versùs lumen in navim prosiliunt, & sic ingenti numero à piscatoribus non sine jucundo spectaculo comprehenduntur. Piscatores erant SS. Simon & Judas, & quidem piscatores hominum, lumen, quod accendebant, erat Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; vel si mavis,

erat lumen illud lux Evangelica, quam in obscura nocte & caligine tenebrarum inter barbaras gentes, & inter idololatras accendebant, & prædicabant. Et ecce innumeri Cephali, id est homines, mediante hoc lumine capti sunt : *Innumerabiles filios JESU Christo pepererunt.* Ita hodie Ecclesia.

O glorioſissimi cœli Principes SS. Simon & Juda, fratres semper concordes & utilissimi, qui nihil aliud per omnem vitæ cursum, quàm Dei honorem & proximi inquirebatis salutem, quibus ego vos laudibus ulteriùs extollam? Ego, inquam, peccator miserrimus, qui quondam Romæ in Vaticano gratiam habui, supra tumbam vestram, in qua sacra vestra recondita sunt corpora, primam missam celebrandi? Quibus, inquam, vos laudibus efferam?

Vos præsignati estis per duas illas sonoras & argenteas tubas, quas olim Deus fieri curavit, ad populum in castris convocandum, ad sacrificia sibi diebus festivis ac Sabbathinis peragenda, & ad bella contra inimicos
Num. 10. 2. cienda : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem &c.* Supra quòd Eminentissimus Cardinalis Hugo : *Prima tuba est verbum prædicationis, secunda est exemplum boni operis.* Utrumque fecerunt SS. Apostoli nostri, dum in omnem terram exivit sonus eorum, unde de illis Dionysius Carthusianus : *Fidelissimè & infatigabiliter pro humani salvatione generis laboraverunt*, & verbi Dei prædicatione, & boni operis exem-
Apoc. 11. 4. plo omnibus præluxerunt, de quibus jure merito possum dicere: *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes* : Olivæ bonorum operum fertilissimæ, quia multum fructum attulerunt in Ecclesia Dei in conversione Judæorum, & exinde Gentilium ; & simul duo candelabra in conspectu Domini lucentia, qui & charitatis pinguedine, & scientiæ luce universam Ecclesiam illustrârunt. Hinc summoperè à SS. Patribus commendatur illa Epistola Canonica, quam S. Thadæus in Perside ad fideles omnes Græcè scripsit, quia tunc temporis lingua Græca maximè
S. Hieron. ad Paulin. erat communis, & latissimè patebat ; de qua Epistola S. Hieronymus asserit : *Brevem esse, & longam, brevem in verbis, longam in sententiis, ut rarus sit, qui in ejus cœcutiat lectione.* Lege, anime mi, pro reflexione morali istam Canonicam Epistolam, & invenies, quomodo dogmaticè multa astruat, nimirum SS. Trinitatis, incarnationis, & redemptionis Christi mysterium, fidem Orthodoxam, futuri judicii timorem, fugam blasphemiæ, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, doli, & adulationis, personarum acceptionis &c. & è contrario docet, quomodo in fide teneamus constantiam, in omni necessitate ad orationem confugiamus, charitatem sectemur &c. Ecce in paucis multa, & in uno nucleo Homerum : *Hoc fac, & vives.*

10. Olim prudentissimas Rex Salomon duas columnas fortissimas, ac longè pretiosissimas, ex ære fusas, & auro purissimo vestitas in primo

vesti-

vestigio Sanctuari constituit, in quibus juxta Vilalpandum expensi fuerant 95. Milliones, cui uni nomen dedit *Jachim*, & alteri *Booz*, hoc est: *Sapientia & fortitudo.* Audiamus textum: *Et statuit duas columnas in porticu templi, cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachim: similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz.* 3. Reg. 7. 21. Ad quid istæ columnæ, quas Salomon baptizavit nomine Jachim & Booz: Sapientia, & fortitudo? Resp. & dico: Vos, vos estis, ô glorioſissimi Apostoli, Simon Chananæe, & Juda Thadæe, fratres venerandissimi, per istas duas pretiosas adumbrati columnas; per sapientiam enim vestram, & fortitudinem, velut robustissimæ columnæ erexistis, & sustinuistis Ecclesiam Dei in tot remotissimis ac barbaris nationibus.

Loquatur hîc Euphrosymon, quem Apostoli, tanquam Reverendissimi Episcopi ordinârunt in Diaconum, à pessima quadam puella, & cujusdam Ducis filia diffamatum, quasi sibi vim intulisset, & ex quo filium quendam suscepisset; quæ res Neophytos in fide summè afflixit. Sed quid SS. Apostoli? Infanti ante paucas horas in lucem edito præceperunt: *Dic infantule in nomine Domini JESU, si diaconus iste hoc præsumpsit?* quid exspectas? Mox infans unius diei respondit: *Hic Diaconus castus & sanctus, nec unquam carnem coinquinavit.* Et cùm urgerent parentes, quisnam ille esset fornicator, ut eum morti traderent? Responderunt Apostoli: *Nos innocentes absolvere decet, nocentes prodere non decet.* S. Antonin. in Chr. p. 1. tit. 6. 14. En! summam illorum sapientiam, & perfectam charitatem in proximum: *Charitas*, ait S. Petrus, *operit multitudinem peccatorum.* 1 Petr. 4. 8.

Sed & videamus illorum fortitudinem. Cùm templum illud magnificentissimum à sapientissimo Rege Hierosolymis ædificaretur, voluit Deus, ut omnes lapides, qui ad hanc fabricam erant applicandi, priùs dolarentur, & ad justam mensuram quadratam perficerentur: *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est.* 3. Reg. 6. 7. Per hanc domum Ecclesia Dei adumbrata fuit, ædificata super fundamentalem & angularem lapidem Christum JESUM; per lapides autem dolatos SS. Apostoli intelliguntur, de quibus Ecclesia in Dedicationis hymno antiquo: *Tunsionibus pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis.*

Tales lapides dolati & secti, atque pro fundamento Ecclesiæ positi, erant & nostri SS. Apostoli Simon & Judas. Lapis quadratus, si qua vertitur, nunquam cadit, sed semper stat erectus; sic omnis fortuna prospera, vel adversa dictos SS. Apostolos stantes invenit; dum enim Angelus apparens illis optionem daret, an diutiùs desiderarent vivere, ut plures animas lucrarentur, an citò ad optatam martyrii coronam pervenire? Responderunt Apostoli: *Exorandam esse Divinam misericordiam, ut & illos convertere, & nos ad martyrii palmam perducere dignetur.* Mans. dis. 5. n. 10.

Disce, quomodo in omnibus, præsertim in adversitatibus, te sanctissimæ Dei voluntati committas.

Hebr. 11. 37. De Isaia Propheta refert Martyrologium Romanum 6. Julii: *In Judæa S. Isaiæ Prophetæ, qui sub Manasse Rege sectus in duas partes occubuit.* Quòd sanè acerbissimum tormentum fuit in homine sene 126. annorum. Et ad hoc alludit Gentium Doctor: *Secti sunt.* Vel ut S. Hieronymus legit: *Serrati sunt*, & quidem serra ligneâ, ut crudelior esset pœna: Addit Ribadeneira: Dum Simon secaretur, & Judas fustibus percussus spiritum DEO redderet, serenum & innube cœlum protinus nubibus fuisse involutum, ex quibus fulgura & fulmina, templa, idola cum Sacrificulis dejecerunt; quorum SS. corpora Xerxes Babyloniorum Rex ad suam urbem transtulit, & in eorum honorem miræ magnitudinis templum ædificavit, demum Romam translati sunt, ubi in Vaticano à piis fidelibus illuc voti causâ confluentibus piè coluntur &c. Quid nunc restat, nisi ut animitùs vobis gratulemur: Eja Apostoli, vicistis, &c.

CONSIDERATIO XLI.

De Desiderio ad cœlestem, & æternam Patriam.

Pro Festo omnium Sanctorum.

Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Matth. 5. 12.

I.

Tob. 5. 12. Eccl. 9. 1. QUale *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo?* Dicebat quondam senior Tobias ad Archangelum Raphaëlem, quasi diceret: qua ratione queam gaudere, qui in hoc mundo omni luce destitutus vivo, & in tenebris miseram ac tristem vitam ago, ac insuper ignoro, an odio, vel amore sim? *quale gau-*

gaudium mihi erit? Hoc & ego vobis dico, ò Christiani! quale gaudium nobis erit, qui in tenebris sedemus? Ambulamus in hoc mundo, quam diu hoc mortale circumferimus corpus, in tenebris & umbra mortis, extorres à patria cœlesti, expositi millenis animæ & corporis periculis, *neque habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus;* Ergo aspiremus cum Tobia ad altiora, ad cœlestia, ad sempiterna bona, ad quæ æternùm fruenda à benignissimo Numine sumus creati. *O patria nostra*, exclamat D. Augustinus, *patria secura, à longè te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur lacrymis, si quo modo ad te perveniamus.* Hebr. 13. 14. S. Aug. in Ps. 121.

Consolamus hac in re Davidem, Israëlitarum regem potentissimum juxta ac sanctissimum, qui in hac mortali vita nulla re temporali, quantumvis pretiosâ, potuit exsaturari. Accepit illum Deus de post fœtantes oves deditque ei gratiam, ut Goliam immanem illum gigantem sterneret, atque sic immensam sibi gloriam pararet. Quid ad hoc David? *Ego verò egenus, & pauper sum.* Creatus est exinde Dux militum, & ditavit eum Rex Saul divitiis multis, cui & propriam filiam Michol desponsavit. Quid iterum David? *Ego verò egenus, & pauper sum.* Eligitur tandem post interfectum Saulem in Regem Juda & Israël, cumulavitque eum Deus gloriâ & honore, ac planè immensis opibus, ut pro solo ædificando templo Salomoni filio relinqueret *auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum;* hoc est, prout Cornelius computum facit: *Bis mille, & quadringentos milliones aureorum.* Et quid hîc rursus David? *Ego verò egenus & pauper sum*, hinc & moribundus ad Salomonem filium dixit: *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domûs Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.* O splendida paupertas! Et quare, obsecro, Rex talis ac tantus nullis divitiis, nullis deliciis, nullis honoribus, nec ulla re temporali in hoc mundo potuit satiari? Audi ipsum loquentem: Tunc *satiabor, cùm apparuerit gloria tua;* & rursus in alio loco: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: Ut videam voluptatem Domini, &c.* O beatissimum regnum! ad quod Sancti & Electi omnes tot suspirârunt votis: *Filioli*, subintrat hîc Mellifluus, *concupiscamus in atria Domini, ipsa est patria nostra. Crebrò suspiremus illuc; Adoremus saltem, & à longè salutemus eam.* Et de hoc desiderio ad cœlestem patriam plura hodie occurrunt tractanda: *Gaudete*, ait Veritas Christus, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Erige animum tuum, ò Lector? vel Auditor! Ps. 69. 6. 1 Reg. 18. 2. 1 Par. 22. 14. Ps. 16. 15. Ps. 26. 4. Matt. 6. 12.

2. Heu nos miseros! Imitamur strenuè Jonam Prophetam, super cujus caput in æstu ardentis solis ascendit virescens hedera: *Et lætatus est Jonas super hedera lætitiâ magnâ.* Et quid paulò post accidit? *Paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum; & percussit hederam, & exaruit.* En! Jonæ 4. 6.

genuinum typum mundanarum deliciarum. Et quid est omnis hujus mundi voluptas, quàm similis hedera? Lætantur divites lætitiâ magnâ umbra hederæ suæ, divitiarum, pecuniarum, prædiorum &c. Lætantur voluptuosi, gulosi & ebriosi sub umbra suarum deliciarum & mensarum. Lætantur ambitiosi, arrogantes, superbi sub umbra honorum, vanæ gloriæ,
Prov. 14. 13. & respectuum humanorum &c. Et quid tandem? *Extrema gaudii luctus oc-*
Eccl. 10. 11. *cupat*, & in alio loco: *Omnis potentatus brevis vita.* Sursum igitur corda, ò Christiani! Sursum corda? cœlum suspicite, & ibi regnantem conside-
Ps. 45. 5. rate, in cujus gloriæ pondere est torrens voluptatis, *& fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* O! quam dulce, quam suave, quàm sublime gloriæ pondus tunc erit nobis ipse Deus! O! beatissime Moyses! nunquid de facto
Ex. 33. 19. apud te impletum illud cernis, & experiris: *Ostendam tibi omne bonum?* O! beati Spiritus, & animæ justorum, an non merces vestra est magna nimis, magna nimis, magna nimis, quia ipse Deus est merces vestra? Abrahamum consulamus, ad quem olim DEUS, quia fortiter se gessit in fide, spe,
Gen. 15. 1. charitate, patientiâ, obedientiâ, &c. hæc consolandi causâ dixit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quis ergo non aspiret ad Deum, & ad cœlestem patriam, in qua tantus charorum numerus nos exspectat? Si juxta mentem Boëtii M. *Beatitudo est status bonorum omnium aggregatione perfectus, sine admixtione ullius mali*, in quo omnes Electi cum plenissima desiderii satietate quiescunt securè in æternum; quare ergo lætamur cum Jona super hederam mox perituram? *Sursum corda*, ô filii hominum; ad DEUM & ad cœlum aspirate.

3. Miror, quoties attentiore animo contemplor Josephum illum veteris Testamenti, quòd æquô semper animo tot sustinere ac tolerare potuerit adversa. Invidebant illi fratres omnes, quòd à patre plus amaretur; hinc illi machinabantur necem, & interitum, in quem finem eum
Gen. 37. 19. in veterem quondam miserunt cisternam: *Ecce somniator venit; venite, occidamus eum, &c.* In quibus tamen adversitatibus Josephus nunquam
S. Cyrill. l. 4. de orat. animo decidit. Quomodo, dices, hoc possibile fuit in juvene tam tenerè, educato? Rationem assignant S. Cyrillus Jerosolymitanus, & S. Chryso-
S. Chrys. hom. 62. stomus: Ideo Josephum omnia adversa tulisse *fortiter, & mansuetè*, quia infallibiliter confidebat in viso somnio suo, quomodo tandem à DEO esset exaltandus, & Princeps Regni constituendus: Sperabat à Deo, ait Cornelius, semper meliorem sortem, nec dubitans, se hac viâ per adversa exaltatum iri. O Christiani! Si unicum somnium de temporali regno Josephum poterat in omnibus consolari adversis, ut omnia heroico perferret animo; quanto magis nos excitare debet regnum illud cœleste & æternum, quod nobis promisit, & immenso sanguinis sui pretio comparavit Christus DEUS & Salvator noster, ut pro illo obtinendo, quidquid

adversi

adversi esse potest, æquo & hilari animo feramus? *Quanto labore*, ait S. Augustinus, *digna est merces, quæ non habet finem? Ad tempus laboras, in æternum non laborabis. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo. Ad modicum pateris, sine fine gaudebis.* O immensa gloria! S. Aug. in Ps. 26.

4. De Jacob Patriarcha recenset S. Ambrosius, quod in diuturno exilio suo inter tot curas & labores, inter angustias & persecutiones semper sese reputaverit beatum: *An non beatus Jacob, etiam cùm patriam relinqueret? Imò planè beatus? qui dura exilii suscepit, ut fratris mitigaret iracundiam &c.* Et quomodo beatus inter tot constitutus calamitates? An non ipse dicit: *Die noctuque æstu urebar, & gelu? fugiebatque somnus ab oculis meis?* Gen. 31. 40. Et tamen beatus? Ita, ita, subjungit idem Sanctus Ecclesiæ Doctor: Jacob beatus fuit, quia vidit scalam à terra usque ad cœlum pertingentem, per quam Angeli ascendebant, & descendebant, in supremitate autem scalæ vidit ipsum Dominum scalæ innixum, quæ visio illi omnem indulcorabat laborem; quoties enim hujus recordabatur scalæ & gloriæ cœlestis, omne illi onus, persecutio, & calamitas per omnem vitæ cursum videbatur dulcis, grata & accepta: *Meritò itaque*, pergit citatus S. Ambrosius: *eum Divina ubique comitata est gratia, ut, & cum dormiret, beatæ vitæ munus acquireret: Videbat enim futurorum mysteria, & Divina audiebat oracula &c.* Et nunquid, anime mi, hæc consideratio futuræ aliquando gloriæ & mercedis te excitare debet ad magis amandum Deum, & ut illi pro omnibus viribus inservias? *Quid dabitur viro*, dicebat quondam David, tum adhuc puer pastoritius, *qui percusserit Philistæum hunc, & tulerit opprobrium de Israël?* Et cùm audiisset: *Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israël*, mox generoso accensus spiritu intra se dicebat: Quid moror? Ursos & leones interfeci, & quare non etiam hunc Philistæum? Agedum, resume animum, aut vincendum, aut moriendum mihi erit in arena, digna enim hæc merces est. Stabo igitur, & pugnabo, & si mille oporteret impendere & exponere vitas, digna hæc merces est. Hoc fac & tu, anime mi; excita te ipsum, sta supra te ipsum, si tentaris, contemneris, infamaris, mortificaris, cruciaris, infirmaris cum Jacob, & Davide, cœlum cogita, ac mercedem planè infinitam quam hodie promisit veritas: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* S. Ambr. l. 2. de Jacob. 1 Reg. 17. 26. Matt. 5. 12.

5. Idumæus ille Propheta patientissimus Job, licèt unà die omnia perdiderit bona & prædia, proles, & opes, oves, & boves, camelos & asinos, & Deo permittente à Satana toto corpore à capite usque ad talos pessimis ulceribus, morbisque fuerit percussus, in his tamen omnibus miseriis ac calamitatibus stabat fortiter, ut cautes Marpesia, invictus Jobi animus, unde de se ipso ait: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Et quid, quæso,

Job. 19. 15. quæso, sperabat Job? Audiamus ipsum loquentem. *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & carne mea videbo Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: Reposita hæc est spes mea in sinu meo.* En! spes & desiderium æternæ vitæ & gloriæ obtinendæ, beatissimo Job cunctos indulcorabat mœrores, leniebat dolores, & decumanos mitigabat cruciatus! & licèt Dæmon in vexando & affligendo illo, laxatis sibi à DEO habenis, omnes suas exercuerit vires, spes tamen vitæ æternæ & summi boni adipiscendi Jobum constanter consolabatur, & ad incredibilem animabat patientiam.

Sed observandum hîc est, quòd Job dicat: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Et quare non alius? Ergo, ô beatissime Job, nullus alius, excepto te, videbit Deum Salvatorem suum in æterna illa felicitate, & felicissima æternitate? Hanc difficultatem explicat textus Hebraicus, qui locò ly *alius* legit *non aliter*; proinde sensus est: Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei (mentis non corporis) conspecturi sunt, *& non aliter* quam per Cruces, tribulationes, & adversitates; proinde sine in me furere Diabolum, pereat hoc corpus mortale; mihi sufficit in æternum posse videre DEUM Salvatorem meum: *Beati*, ait Doctor Seraphicus, *& ter beati, multoties beati, qui beatâ illa potiuntur requie, quemadmodum miseri, & ter miseri, & infinitè miseri, qui à beatitudine illa se ipsos abjiciunt.*

S. Bonav. l. 4. Phæretræ c. 50. p. 198

6. Roboremus hanc veritatem per varios Sacræ Scripturæ conceptus. Jacob Patriarcha, cujus mentionem priùs fecimus, ubi de nocte intempesta usque ad auroram cum Angelo Dei colluctatus: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane*; finitâ luctâ ingenti effectu & desiderio benedictionem ab Angelo flagitavit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, quam benedictionem non duntaxat Angelus ei impertiit, sed & insuper nomen ejus *Jacob* in nomen *Israël* commutavit: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israël.* Et quare Angelus ille, qui personam Dei gessit, nomen Jacob in Israël mutare voluit? Ratio est, quia *tò* nomen Jacob idem denotat, quàm *certator & luctator*; quia ergò Jacob egregie cum Angelo illo decertavit, & luctatus est, quasi palæstrita in palæstra, ideo mutatum est nomen ejus in *Israël*, quod idem est, quàm *videns Deum.* Collige pro te, anime mi, sensum moralem: Si vis aliquando esse verus Israël, & *videns Deum* per omnem æternitatem in visione illa beatifica ac fruitiva, nunc esto *Jacob*, bellator & luctator fortis contra te ipsum, contra pravos habitus tuos, contra Dæmonem, mundum, carnem &c. *Nam & qui certat, in agone, non coronabitur, nisi legitimè certaverit.*

Gen. 41. 24.

1 Tim. 2. 5.

Sanctam illam & cælestem civitatem Jerusalem dilectus ille Christi Discipulus in exilio suo non forma rotunda, vel ovali, vel triangulari,

gulari, sed in quadro fundatam vidit: *Civitas in quadro posita est.* Et quare in quadro, seu in forma quadrangula? Fortâsse, quia urbes quadratæ commodiores, pulchriores & perfectiores sunt? Resp. doctissimus Aretas in hunc locum: Civitas quadrangularis figuram Crucis repræsentat, qui ergo ad hanc S. Civitatem, Jerusalem novam & cœlestem, discupit venire, non aliam viam, quâm Crucis inveniet: *Circuire possum, Domine,* ait S. Droga, Episcopus Hostiensis, *cœlum, & terram, & mare, & aridam, & nusquam te inveniam, nisi tantùm in Cruce.* Et quid deinde? *Sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* O infinita! ò immensa gloria! Apoc. 21. 16. S. Droga de Sacram. Dom. passionis.

Et hoc est, quod pretiosissimus orbis Redemptor Christus Discipulis suis in ultima cœna, dum supremum ad eos habebat sermonem, pro testamento reliquit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum &c.* Et quomodo, dices, Pater cœlestis dilectissimo Filio suo regnum cælorum disposuit, an per honores, & mundi gaudia? Minimè gentium, sed per Crucem, labores & dolores &c. Ita & *nos oportet,* ait S. Præco Tarsensis, *per multas tribulationes intrare in Regnum Dei.* Priùs Calix Passionis nobis est epotandus, antequam cum filiis Zebedæi ad dextram vel sinistram in regno DEI sedere volumus. Granum frumenti, priusquam panis fiat, & in mensa Domini ponatur, multa priùs debet sustinere & perpeti adversa. Non nitet ferrum, nisi multo usu confricatum. Non spirant aromata, nisi conterantur. Ut linum tela, & lana pannus fiat, & centones subtilis papyrus, variè priùs tribulantur: *Attende Christum,* ait S. Augustinus, *pati venit, sed & glorificari;* sic & nos, *si commortui sumus, & convivemus, si sustinemus, & conregnabimus.* O! beatissimum regnum, *quod DEUS præparavit diligentibus se,* subintrat hîc iterum D. Augustinus, *fide non capitur, spe non attingitur, charitate non comprehenditur, acquiri potest, æstimari non potest. Effugit omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit illa gloria.* Luc. 22. 29. Act. 14. 21. S. Aug. ser. de verbis Dom. S. Aug. l. 22. de civit. Dei

7. Pro hoc fortunatissimo regno obtinendo generosi Machabæi nulla formitabant supplicia, nullus quantumvis decumanos horrebant cruciatus, ignes, sartagines, equuleos nullos, sed propter spem æternæ vitæ omnia contemnebant tyrannorum tormenta; hinc intrepidè ad Antiochum Regem idololatram dicebant; *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit &c.* 2 Mach. 7. 9.

S. Paulus pro hoc cœlesti Regno acquirendo Antiochiæ lapidatus, virgisque cæsus, & benè occisus, naufragia plura pertulit, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, unde & de se ipso dixit: *Quotidie morior &c.* In his tamen omnibus periculis, laboribus & curis pro Ecclesia Dei ædificanda susceptis & exantlatis, se 1 Cor. 15. 31

ipsum semper animabat. *Non sunt condignæ Passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Imò & tribulationes suas omnes flocci & nihili æstimavit, se ipsum consolans: *Momentaneum hoc & leve, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Audis hoc?

2 Cor. 4. 17.

Heroica illa mater Machabæorum, cui nomen Salome, quæ septem filiis suis & Magistra fidei, & Dux ad Martyrium extitit, cujus septemplicem triumphum quotannis sancta recolit Ecclesia, ubi jam sex filios conspicata est pro fide consumptos, ad filium natu minimum conversa, animo plusquàm masculo eum Hebraico sermone, & patria voce in tormentis adhortata est, ut cœlum cogitaret, cœlum suspiceret, & ibidem regnantem intueretur: *Peto, nate, ut aspicias ad cœlum, &c.* Hoc & ego vobis dico, animæ desolatæ, animæ afflictæ: *Peto, ut aspiciatis ad cœlum*, si tentatio vos invadit, si adversa sunt toleranda, si injuriæ coquendæ, si ingruit omne malum, si ipsa mors & imminens judicium: *Peto, ut aspiciatis ad cœlum*; non enim vobis vita eripitur, sed mutatur in melius, dignum enim his omnibus etiam collectivè sumptis miseriis ac cruciatibus, quos unquam pertulerunt SS. Martyres, dignum est cœlum.

2 Mach. 7. 28.

Et nunquid S. Stephano Proto-Martyri lapides torrentis dulces videbantur, dum impavidus inter hostes stetit, & saxeum imbrem excepit immobilis? Causam assignat Scriptura, quia immensa illa cœlestis, quam sperabat, gloria, omnes illos, quos patiebatur, indulcorabat dolores: *Intendens in cœlum vidit gloriam DEI, & JESUM stantem â dextris DEI, & ait: Ecce video cœlum apertos, &c.* En! patria nostra cœlum est, terra verò exilium & carcer. O Christiani! Ad altiora nati sumus; hîc dura, hîc fortia, hîc, si oportet, etiam cruenta sunt sustinenda Martyria, tantùm ut Christo fruamur: *Cum attenderis*, ait S. Augustinus, *quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias. Nam utique fratres pro æterna requie labor æternus subeundus esset, æternam felicitatem accepturus, æternas Passiones sustinere deberet; sed si æternum sustineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Ita fit, ut temporalis necessariò sit tribulatio tua, quâ finitâ, venias ad felicitatem infinitam.*

Act. 7. 55.

S. Aug. in Ps. 32.

8. De pretiosissimo Redemptore nostro Christo ex sacris abundè patet Paginis, quòd in monte Olivario in tantum imminentem exhorruerit Passionem, Crucem ac mortem, ut pavor ille ex omnibus ejus membris sanguineum extorserit sudorem: *Et factus in agonia, prolixiùs orabat; & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Apparuit autem de cœlo Angelus confortans eum. Et quomodo, dices, Christum in agonia illa confortavit? An fortasse pretiosi nectaris poculum mœsto præbuit, prout Scriptura jubet: *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro*

Luc. 22. 43.

Prov. 31. 6.

sunt

sunt corde? An aquas confortativas, vel pretiosa unguenta de nardo pistico infirmæ humanitati adhibuit, prout paulò ante Maria Magdalena in convivio? Nihil horum fecit cœlestis ille Nuntius ac Legatus, sed Christo patienti, & in Agonia tunc constituto immensam illam cœlestem gloriam, mercedem ac retributionem æternam, quam consummatâ Passione sacratissima humanitas ejus, & omnes prædestinati essent recepturi, efficaciter propòsuit; unde sequitur, quod subdit Paulus: *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.* Hebr. 12. 2.

Et hoc est, quod Dominus JESUS dilectis suis Apostolis Petro, Jacobo, & Joanni, dum in monte Thaboræo coram illis transfiguratus est, & unicum duntaxat radium cœlestis & divinæ gloriæ suæ illis ostendit, quasi sub obedientiæ præcepto mandavit, ne ullum verbulum de hac glorioſa transfiguratione ante Christi Resurrectionem mundo manifestarent: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Et quare hoc Matt. 17. 9. sigillum ori eorum Christus impressit?

Simile quid accidit Isaiæ Prophetæ, cùm enim aliquando DEUM vidisset in solio Majestatis suæ sedentem, & Angelos mirabili, ac suavissimâ melodiâ Trisagion cantantes, mox ad eum missus est unus de Seraphinis, qui calculo ignito ejus os & labia sigillavit: *Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os meum.* Et quare Angelus os hujus Prophetæ pretioso calculo, quasi sigillo munivit, dum vix quendam divinæ gloriæ radium conspicatus est? Inter alias rationes etiam hanc assignant SS. Patres, & Interpretes, ideo ori ejus appositum esse sigillum, ne loqueretur de hac gloria cœlesti, cujus speciem, seu umbram tantùm per transennam viderat; unde interrogatus Propheta de hoc mysterio, respondit: *Secretum meum mihi:* quasi diceret, ait S. Hieronymus: Non possum cuncta narrare, quæ vidi, hæret lingua mea faucibus meis, impossibile enim est, de hac immensa gloria dignè loqui, excedit omnium vires &c. Hic adimpletur illud Davidis: *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.* Observa *in excessu meo*, Ps. 115. 2. seu in exstasi mea, quâ in cœlum aliquando in animo meo raptus fui, in quo excessu mirabilia & arcana vidi, proinde judico, & exclamo coram universo orbe terrarum: *Omnis homo mendax*, quia quidquid de essentia divina & infinita ejus gloria dicit, minùs dicit: *Non licet homini loqui*, dicebat quondam S. Paulus, quæ ac quanta præparaverit Dominus gaudia diligentibus se; imò non poterit loqui, quia hîc *omnis homo mendax.* Et quibus hactenus enarratis rationem capies, quare Dominus dictis suis Discipulis Petro, Jacobo & Johanni prohibuerit, ne de transfiguratione in monte Thabor factâ, ante resurrectionem suam aliquid propalarent: *Nemine dixeritis visionem, &c.* Resp. S. Hilarius, quod memorati Apostoli tunc temporis intervallo, quia nondum à Spiritu S. fuerant illustrati, 2 Cor. 12. 2. S. Hilar. hîc in Matth.

omninò fuissent inepti & incapaces, ut vel minimam partem tantæ gloriæ potuissent explicare, proinde illis altum silentium indixit; si enim Petrus ubi tantùm stillam hujus cœlestis gloriæ delibavit, mox, præ insolito gaudio absorptus & admirabundus exclamavit : *Domine, bonum est hîc nos esse, &c.* Quid dixisset, si de ipso plenissimo voluptatis hausisset Oceano ; Subintrat hîc S. Augustinus : *Vix stillam dulcedinis*, ait, *ille gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem ; quid putas, dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis gustâsset, quam abscondit Deus timentibus se?*

S. Aug. in Sol. c. 22.

9. De Regina Saba recensent Sacræ paginæ, quòd, cùm ingressa fuisset Jerusalem, & vidisset sapientissimum Regem Salomonem in sua gloria, & circumstantes Principes, ac Illustres, divitias, potentiam, Regiam domum, pulcherrimum ordinem, & ornatum assistentium Ministrorum non ampliùs præ stupore in ea remanserit Spiritus : *Non habebat ultra Spiritum, &c.* Hinc in illa memorabilia prorupit verba : *Non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit : Major est sapientia & opera tua, quàm rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper.* Si tanta fuit gloria Salomonis terrestris & mortalis, quid erit illius cœlestis & immortalis, qui plùs est quàm Salomon ? *Si admirata est*, commentatur in hunc locum S. Thomas Villanovanus, *mortalis mortalem, quid putas, faciet anima, quæ ex captivitate Babylonis subitò in cœlestis Jerusalem opulentiam rapitur ? Non Principis cujusdam terreni, sed omnipotentis Dei domum, potentiam, ministerium, pulchritudinem, gloriam intuitura.*

3. Reg. 30. 7.

S. Th. Vill. s. de S. Mich.

Ubi Salomon anno ætatis suæ vigesimo à Sadoc Sacerdote summo, & Nathane Propheta in Regem pacificum Israëlis in monte Gihon erat inunctus (qui mons Gihon monti Calvariæ vicinus est, in quo Christus, *pax nostra*, regnavit à ligno) universus populus, cùm novum Regem in suo diademate & pretiosissimo ornatu conspicatus est, in insolitum prorupit gaudium : *Et dixit omnis populus : Vivat Rex Salomon. Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum.* Anima Christiana ! si tantâ quondam lætitiâ populus ille Hebraicus fuit perfusus, ut ipsa terra præ tanto resonaret jubilo ; quale, obsecro, erit gaudium beatarum mentium, & Electorum in cœlesti illo & pacatissimo Regno, quando Regem Regum, & pacificum illum Salomonem, olim cruentis redimitum spinis, nunc inæstimabili coronâ gloria coronatum in altissimo gloriæ suæ throno inter Angelorum myriades videbunt regnantem ? O immensum, ò ineffabile gaudium, videre Deum, & posse frui Deo in æternùm ! Tunc, ait dilectus ille Discipulus, *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est.* Tunc *inebriabuntur* Electi *ab ubertate domûs tuæ.* Tunc cor nostrum & caro nostra exaltabunt in Deum vivum. Tunc *fulgebunt justi sicut sol in Regno Patris eorum.*

Eph. 2. 14.

3 Reg. 1 39.

1. Jo. 3. 1.

Ps. 15. 1.

Ps. 83. 8.

rum. Tunc *gaudium Beatorum*, ait Angelicus, *erit perfectè plenum & superplenum.* Tunc *exultabit Jacob, & lætabitur Israël.* O Christiane, si vis esse tunc Israël, id est, videns Deum, nunc esto Jacob, certa & labora cum illo, *Jacob servivit pro Rachel septem annis*, & tamen Liam lippam priùs debuit accipere in uxorem. Lia illa lippa vita præsens est, Rachel decora, vita futura & beata in cœlis. *Si ergo delectat mentem magnitudo præmiorum, non deterreat certamen laborum, ad magna quippe præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores*, opportunè ad rem loquitur Magnus ille Gregorius. Juvat etiam hîc audire S. Augustinum: *Tanta*, inquit, *est dulcedo futuræ gloriæ, ut si una gutta in infernum defluëret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* Quis ergo tali Domino, ac tanto remuneratori non libenter inserviat? Quis non libenter cuncta sustineat adversa, ut ad illam optatissimam patriam, & immarcescibilem coronam perveniat? Elias ex hoc exilio ad cœlestem anhelans patriam, non horruit equos igneos, & currum igneum, sed mox generoso animo illum ascendit currum, in quo raptus est in paradisum: *Et ascendit Elias per turbinem in cœlum*: Audis, anime mi, & intelligis, *per turbinem?*

Matth. 13. 43. Ps. 13. 7. Gen. 29. 20. S. Greg. Ser. 37. in Ev. S. Aug. de Beat. cœl. 4 Reg. 2. 11.

CONSIDERATIO XLII.

De Animabus in Igne purgante adhuc luentibus.

Pro Festo Animarum.

Sancta, & salubris est Cogitatio, pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. 2. Mach. 12. 46.

I.

JEphte nonus Israëlitarum Judex, cùm ingruente bello votum fecisset, ut, si ipse victor ex cruenta rediret pugna, eum, qui primus è domo sua esset occursurus, DEO T. O. M. in signum grati animi vellet immolare, victori domum venienti prima occurrit unica filia, Saila nomine, quam pater quasi voti reus imperterritam

DEO sacrificavit, & corpus exanime cum resecto capite in rogo collocavit, ubi in holocaustum concrematum est, cinere in urnam illato. *Exinde mos increbuit in Israël, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.*

Jud. 11. 39.

Si jam olim virgineus Israëlitarum chorus tanto cum luctu memoriam & anniversarium suæ dilectæ Jephtiadis solebat celebrare, quantò magis S. Mater Ecclesia solemni cum ritu ac luctu celebrare debet memoriam piorum Manium in Christo defunctorum, sed adhuc à cœlesti patria exulantium, & in igne purgante, quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum, detentorum? Proinde meritò post festum Omnium Sanctorum hodierna die institutum est festum commemorationis Animarum per universum Christianum Orbem observandum, ut unanimiter in illarum conspiremus auxilium Animarum.

Apoc. 21. 27.

Pientissimum, juxta ac patientissimum Jobum à Sathana nunc toto corpore pessimo ulcere percussum, & in sterquilinio in summis doloribus sedentem tres præcipui visitârunt amici, ut eum in tanta calamitate consolarentur, de quibus Sacra Pagina commemorat: *Cumque elevâssent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamántes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum, & sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: Videbant enim dolorem esse vehementem.* O Christiani! Levate hodie oculos vestros, imò potiùs eos deprimite in profundam illam purgatorii abyssum, ibi videbitis non Jobum aliquem, sed charissimos parentes, amicos, & benefactores vestros inter crudeles flammas sepultos; considerate, dolorem eorum esse vehementem, quia ignis ille ad tempus purgans idem est, quod ignis in æternum crucians: *Eodem igne*, ait D. Augustinus, *purgatur electus, & cruciatur damnatus.* Ergo currite velociter, & miseris istis opem ferte, quia manus Domini non ferrea, sed ignea tetigit illas.

Job. 2. 12.

S Aug. ſ 41. de Sanctis.

2. Ubi Proto-Parentes nostri ob admissum in DEUM crimen ex amœnissimo paradisi viridario fuerunt eliminati, observat Scriptura, quòd mox ad ingressum illius terrestris paradisi Cherubinus fuerit ordinatus, qui flammeo gladio, atque versatili homines ab ingressu illius paradisi arceret: *Collocavit ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem.* Ad quid, obsecro, ille gladius ignitus, & versatilis ante portam paradisi?

Gen. 3. 24

Rup Abb. l. 3. in Gen. c. 13. 1 Cor. 3. 13

Resp. Rupertus Abbas in hunc locum, quòd per flammeum illum gladium recte ignis purgatorii subaudiri debeat, ut, qui ad cœlestem aspirant paradisum, priùs per ignem illum purgantem transeant: *Flammeum gladium*, inquit, *atque versatilem ante paradisum esse collocatum, ut quicunque deinceps admittendi sunt illuc, transeant per examinatorium ignem.* Et hoc est,

ad

ad quod allusit gentium Doctor Paulus. *Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: Et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* O bone DEUS! Quid de me erit, quando ignis ille mea probabit opera? Parce Domine, ah parce servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 1. Pt. 14. 2.

De Jona Propheta refert sacer Codex, quòd peractâ in Ninive concione de civitate egressus contra Orientem sederit, ut videret finem, quid tandem accideret civitati; & quia circumeundo, & prædicando sub ardente sole, & ipse æstu laborabat, ideo sibi umbraculum ædificavit sub cujus umbra nonnihil à laboribus quiesceret. Verùm mox paravit Deus vermem, qui virentem percussit hederam, quæ sine mora exaruit, & decidit: *Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido & urenti: Et percussit sol super caput Jonæ, & æstuabat, & petivit animæ suæ, ut moreretur, &c.* Jonæ. 4. 8.

En! summam Jonæ impatientiam, dum exiguum solis ardorem non poterat sustinere, se potiùs optaverit, festinam subire necem, quàm diutiùs sub ardente sedere Phœbo. Sed ad quid ista enarro? O mi Jona! Solus non es, plures nunc habes socios, qui, si illis prómitterentur Regna, & Imperia, nec per unum quidem horæ quadrantem digitum ardenti candelæ possent inferre, & tamen isti delicatuli magnis quotidie passibus ad infernum properant. O populе stulte & insipiens! *Utinam saperent, ac noviſſima providerent.* Audite Isaiam: *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante: Quis habitavit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Sunt & alii, imò quàm plurimi, qui nec horrent, nec formidant purgantes ignes, unde in veniales noxas quotidie ruunt, nec seriò studeant, qualiter & leves excessus sint periculosi, & ad graviores sternant viam. O Christiane! Per salutem animæ tuæ rogo te, ut omni studio etiam minimas caveas culpas, quia divinis certus es oraculis, etiam verbum otiosum purgantibus mulctatum in flammis: *Ille purgatorius ignis*, ait S. Augustinus, *durior erit, quàm quid-quid potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.* Et! pœnam sensûs. Deut 32. 29. Isa. 33. 14. S. Augusti. ser. 4 pro Def.

3. Sed præcipué consideranda est pœna damni, quæ est carentia divinæ visionis, quæ animas illas infelices super omnem modum affligit. Et de hac scribit S. Chrysostomus: *Decem millia quis proponat gehennarum, nihil tale est, quale est, beatâ gloriâ excidere.* Et hic cruciatus est omnium gravissimus animabus in purgatorio existentibus, vel momento carere divinâ ac beatificâ visione, nam *spes, quæ differtur, affligit animam.* S. Chrysost. hom. 13 in Matth. Prov. 13. 12.

Absolonem consule, qui, licet mediante Joab in gratiam Davidis Regis fuerit receptus, & ab exilio revocatus, cùm autem intellexisset: *Faciem meam non videat*, adeò contristatus est, ut mori potiùs optaret, quàm diutiùs vivere, & non videre faciem patris sui; proinde in has prorupit voces: *Obsecro ergo, ut videam faciem Regis, quod, si memor est iniquitatis meæ, occidat me.* 2. Reg. 14. 24.

Um-

Umbram audisti, anime mi! Finiti enim ad infinitum nulla est proportio, dum longè majori cum desiderio anhelant, & suspirant animæ illæ purgantes ad videndam faciem DEI, in quam desiderant Angeli prospicere, quàm olim Absolon post exilium videre faciem patris sui; in hac enim visione fruitiva DEI consistit unica, & formalis illarum beatitas: *Tam enim dulcis*, ait Mellifluus, *est Dominus JEsus gustantibus eum, tam suavis ad complectendum, ut brevis ejus absentia sit doloris maximi.*

S. Bernh. hom. in f. Oct. Epiph.

Israëlitæ illi in captivitate Babylonica per annos septuaginta detenti, quoties recordabantur Sionis, in amaras prorumpebant lachrymas, unde juxta flumina Babyloniæ sedentes suum lugebant, & deplorabant exilium, dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus: Dum recordaremur tui, Sion.* Et quare, dices, Hebræi isti captivi tantoperè suam deplorabant calamitatem? Fortasse, quia nimirum erant defatigati ex laboribus in lateribus faciendis? Aut, quia muros Babyloniæ tam amplos cum suis munitionibus debebant exstruere, & sicut jumentum agros colere? Vel saltem ob animi dolorem, ex tot ac tantis collectum ærumnis? Sed nihil horum Israëlitas illos captivos ad fletum poterat commovere. Aliam subjungit causam Vates Jessæus: *Cùm recordaremur tui, Sion*, erant enim longissimo terrarum tractu separati ab amantissima sua Jerusalem, civitate perfecti decoris, quam dulcissimam patriam suam, quia videre, & illam intrare non licebat, amarissimis deplangebant lachrymis.

Ps. 136. 1.

Collige ex hoc, anime mi, dolorem & mœrorem animarum illarum à cœlesti Jerusalem exulantium, dum non duntaxat felicissimâ illâ terrâ carent, perpetuò lacte & melle manante, sed & summo Bono, quod est ipse Deus, in cujus visione, & fruitione unica illarum consistit beatitudo, & æterna felicitas, unde hujus negatio carentia eas vehementissimè affligit: *Quando veniam*, suspirabat quondam in ærumnis suis Propheta Regius, *& apparebo ante faciem DEI?* Et quia moram patiebatur videndi hoc summum & immensum Bonum, subjungebat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: Dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus: Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*

Ps. 41. 3.

4. Mortuus est pauperrimus Lazarus, & portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ; mortuus est & dives Epulo, & à Dæmonibus sepultus est in inferno; ô profundum sepulchrum! & ecce vir in illum tormentorum locum dives ille, sed nunc infortunatissimus, descendit, mox summis & ineffabilibus tum ardentissimæ sitis, tum gehennalis incendii ardoribus cruciare cœpit; unde elevans oculos suos in tormentis, vidit Abraham de longè & Lazarum in sinu ejus, & ipse clamans dixit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Sed miserrimo illi damnato,

Luc 16. 24.

to, tanquam DEI inimico, etiam unica ista aquæ guttula, quam tam ardenter in flammis petierat, denegata est in pœnam Talionis; ubi verificatum est illud: *Per quæ quis peccat, per hæc & puniatur*, & qui priùs mendico egentissimo micam panis negaverat, nunc desiderans unicam aquæ stillam nil impetrat: *Justus Domine, & rectum judicium tuum.* Sap. 11. 17

Verum enim verò longe feliciores sunt animæ purgantes, & in ardentibus flammis jacentes, licèt enim gravissima sustineant tormenta, & se ipsas juvare non possint; possumus tamen nos illis succurrere, proinde à nobis summis gentibus unicam flagitant guttulam. Intingamus ergo, Christiani charissimi, extremum digiti in fontibus ac vulneribus Salvatoris, ac præsertim in divinissimo Corde JESU, & illis de Sanguine pretiosissimi Redemptoris nostri feramus optatum auxilium, nihil enim magis illis prodest, quàm Divini Sanguinis & meritorum Christi crucifixi applicatio.

Et hoc est, quòd dilectus ille Christi discipulus in Insula Pathmos observavit, dum vice quâdam turbam magnam stolis albis amictam ad cœlestem gloriam introëuntem conspicatus est, & cùm quæsitum esset: *Qui sunt hi? & unde venerunt?* Responsum ab uno de Senioribus accepit: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in Sanguine Agni.* Cæterùm doctissimus Pineda per hanc turbam magnam candidissimis stolis condecoratam, & in Sanguine Agni ab omni peccati sorde dealbatam rectè purgantes fidelium animas intelligit; illæ enim veniunt de tribulatione magna, quando à pœnoso & ignito purgatorii carcere per Sanguinem Divini Agni in SS. Missæ sacrificio liberatæ, & à noxis dealbatæ, nunc ad cœlestem & sempiternam gloriam admittuntur triumphantes: *De tribulatione*, ait Pineda, *venerunt purgatorii & laverunt stolas suas in Sanguine Agni, qui percipitur in altari per Evchariſtiæ sacrificium.* Et hæc est causa, quòd Sacerdos in SS. Missæ sacrificio Hostiam consecratam paulò post elevationem in tres partes dividere soleat: Rationem assignat S. Chrysostomus: *Tres*, inquit, *partes hostiæ fiunt à Sacerdote in altari. Prima ad designandum, quòd hoc sacrificium offeratur ad honorem DEI & Sanctorum in cœlo, secunda ad salutem viventium, tertia, quæ in calicem mergitur, ad liberationem purgantium in purgatorio.* Apoc. 7. 14. Pineda in hunc luc. S. Chrysost. serm. 27. in quadrag.

5. Pulcherrima hîc mihi occurrit quæstio, jam olim in sacra Divi Domini familia inter doctos ventilata, an melius ac fructuosius sit orare & sacrificare pro vivis, an pro mortuis? Erant, qui cum Bertrando sentiebant, expedire magis, orare & sacrificare pro vivis, utpote de salute sua æterna periclitantibus, quàm pro mortuis, & in igne purgante adhuc luentibus, quia piæ illæ animæ in gratia DEI obiêrunt, & de salute sua sempiterna, licet nunc ad tempus patiantur, semper certæ sunt. Huic opinioni fortiter oppositus Benedictus, ex eodem sacro Ordine vir religiosi- Historia S. Dominici p. 1. l. 1. c. 27.

gioſiſſimus, aſſerens, & per plura confirmans argumenta, quòd oratio illa longè magis exiſtat meritoria, quæ à Chriſtianis pro defunctorum animabus purgantibus, quàm pro vivis offertur peccatoribus, quam veritatem per inſigne quoddam problema magis dilucidavit.

Sunt, inquiebat, ante templi fores duo mendici, unus ſanus, robuſtus, & integer viribus, qui, licét laborando panem lucrari poſſet, ex deſidia tamen vitam traducit inertem, pluribusque obnoxiam vitiis; alter mendicus reverà pauper eſt, membris non duntaxat deſtitutus, ac plenus ulceribus, & inſtar Jobi in ſterquilinio, deſertus ab omnibus, neque ipſe potens eſt, ut ſe adjuvet, ſed aliorum piorum Chriſtianorum exſpectat & rogat auxilium? cui nunc mendicorum priùs eleemoſynam nos oportet elargiri? Sano, an ægro? Reſpondebat Bertrandus: *Utique debili*; ad quod Benedictus: *Debiles ſunt defuncti, qui ſe ipſos juvare nequeunt.* Ergo illis priùs ſpiritualis eleemoſyna eſt porrigenda: Iſti enim ſunt in purgatorio catelli iſti miſeri famelici, qui ſub menſa Domini ſummo cum deſiderio cadentes exſpectant micas: *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Iſti ſunt ille Lazarus plenus ulceribus, præ foribus divitum quotidie ſplendidè epulantium jacentes, & nec micam panis unicam obtinentes: *Et nemo illi dabat.* Iſti ſunt ille Joſeph, in ciſternam veterem miſſi ac detruſi, ad quam ingrati fratres ſedentes manducabant panem cum lætitia, nullâ prorſus fratris ſui captivi & anguſtiati habitâ curâ: *Miſeruntque eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam* &c. Iſti ſunt Paralyticus ille miſerrimus, qui propter graviſſimam parlyſin ſe ipſum movere non poterat, ut ad Chriſtum veniens adjuvaretur, ſed alieno opus habebat adjutorio, & charitate, proinde in lecto mitiſſimo orbis Servatori præſentatus eſt, ut ab eo ſanaretur, à quo & corporis, & animæ ſalutem accepit: *Cùm vidiſſet JESUS illorum fidem, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Iſti denique ſunt ille claudus ad portam templi ſpecioſam ſedens, & opem ab introëuntibus demiſsé flagitans: *At ille intendebat in eos, ſperans, ſe aliquid accepturum ab eis.* Claudus ille mendicus à S. Petro Apoſtolorum Principe adjutus eſt: *in Nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge.* Vade, & fac ſimiliter, dona pauperculis illis manibus SS. Nomen JESU, SS. Vulnera, Crucis merita, Sanguinem pretioſiſſimum, *ſine quo non fit remiſſio*, &c.

Matth. 15. 27.

Luc. 16. 21.

Gen 37. 24.

Marc. 2. 5.

Actor. 3. 5. Hebr. 9. 22.

6. Revertor ad Jonam, ſed nunc in mare miſſum, & à ceto abſorptum, in quo mox anguſtiæ eum ad Deum redire, & SS. Nomen ejus humiliter invocare compulerunt, proinde pulchro carmine in abyſſo pelagi, & in medio ventris balænæ Deum laudare, & impenſiſſimé invocare cœpit: *Et oravit Jonas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis.* Verùm nec primo, nec ſecundo die per orationem ſuam à Deo aliquid impetravit, donec tandem die tertio votum fecerit, quòd ſine mora poſt liberationem

Jonæ 2. 2.

ſuam

ſuam ex hoc vivo carcere victimam pacificam, & ſacrificium laudis in templo Hieroſolymitano DEO T.O.M. vellet offerre: *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcumque vovi, reddam pro ſalute Domino.* Et ecce mox ſequitur: *Et dixit Dominus piſci; & evomuit Jonam in aridam.* En! perelegantem typum hîc habes, quid incruentum poſſit efficere Sacrificium pro liberatione animarum ex purgatorio, quæ hactenus in abyſſo terræ inter tot tormentorum fluctus velut in quodam ceto fuerunt incluſæ. Sancta quidem, & bona eſt oratio cum eleemoſyna, & jejunio, ſed ſummi, imò infiniti valoris eſt SS. Miſſæ ſacrificium, in quo diviniſſima Hoſtia DEO Patri offertur pro ſalute defunctorum. Juvat hic audire S. Bernhardinum: *Miſſa eſt*, inquit, *majus bonum, quod poſſit fieri pro animabus, propter communicationem corporis Chriſti; nam una Miſſa eſt ſufficiens evellere omnes animas de purgatorio.* S. Bernh. tom. 4. ſer. 15.

Daniel, ubi idolum Bel, & draconem deſtruxit, ab ingratis Babyloniis in lacum leonum miſſus eſt, ut à voracibus illis beſtiis unguibus diſcerptus devoraretur, in quo lacu usque ad diem ſeptimum indemnis permanſit. Interea Habacuc Propheta in Judæa coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo, ibatque in campum, ut ferret meſſoribus, quem in via apprehenſum Angelus Domini in vertice, & in capillo capitis portavit, poſuitque in Babylone ſupra lacum in impetu ſpiritûs ſui: *Et clamavit Habacuc, dicens; Daniel, ſerve DEI, tolle prandium, quod miſit tibi DEUS.* Dan. 14. 30. Quæres, quid per hoc prandium fuerit præſignatum, ſiquidem omnia in figura contingebant illis? Reſp. Seraphicus Doctor: *Panes, quos Habacuc contriverat in alveolo, ductu Angelico transmittuntur Danieli in lacum leonum. Hic eſt panis Corporis Chriſti, qui cùm pro defunctis offertur, tunc in locum purgatorii transmittitur per effectum.* S. Bonav. ſerm. 6. in Cæn. Dom.

7. Filii illi Prophetarum tempore famis collegerunr colocynthidas, & cucurbitas agreſtes, quibus maleſuadam ſatiare cupiebant famem, ſed cùm deguſtâſſent cibum tum inſipidum, amarum, imò peſſimum, quia veneno infectum, exclamârunt: *Mors in olla.* Cui malo citò obviavit Eliſæus Propheta: *Afferte*, inquit, *farinam; cumque tuliſſent, miſit in ollam & ait: Infunde turbæ, ut comedant; & non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla.* 4. Reg. 4. 40.

Mors in olla, mors in olla, exclamant omnes purgantes animæ, quia non habent, nec aliud ſentiunt, niſi amaritudines omni morte amariores; ſed potes, anime mi, indulcorare hanc mortis ollam, & igne furoris Domini ſuccenſam, ſi illuc miſeris pauxillum farinæ, hoc eſt, panem Angelorum omne delectamentum in ſe habentem, qui omnem pœnarum amaritudinem in optatum convertet dulcorem; unde non absque ſingulari cauſa in Miſſa de Requie legitur Evangelium: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendit, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, hunc Joan. 6. 51.

Tob 4 18. Tob. 4 10. inquam, divinum panem super sepulturam justi constitue, & *præmium bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.*

Semper Sacra Scriptura permagni æstimavit, & ut opus DEO gratissimum, hominique mortali proficuum esse dixit, si quis cadavera defunctorum honestæ mandâsset sepulturæ. Davidem consulamus, qui, ubi intellexit, quòd viri Jabes Galaad sepelissent Saul in bello occisum, eos summoperè ob hoc speciale charitatis opus commendavit, & Legatos ad eos misit, qui nomine Regis sui illis gratias agerent, & insinuarent: *Benedicti vos Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum; & nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam; & veritatem, sed & ego reddam gratiam,* &c. Idem charitatis opus summoperè extulit Archangelus Raphael, dum ad Tobiam dixit: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepelicbas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Ex quibus patet, opus valde meritorium esse, Deoque pergratum, sepelire cadavera mortuorum; quid ergo erit defunctorum curare animas, pro eis orare, sacrificare, communicare, jejunare, eleemosynas elargiri, hanc vel illam offerre mortificationem, indulgentias lucrari, &c. imò juxta exemplum S. Gertrudis, & aliorum Sanctorum, omnia sua bona donare opera, ut eò citiùs de purgatorio liberatæ ad æternam perveniant lætitiam?

2. Reg 2. 5. Tob. 12. 12.

8. David gratus fuit erga claudum Miphiboseth Saulis filium, cum quo fecit misericordiam, mensamque suam regiam ad dies vitæ obtulit: *Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam, & tu comedes panem in mensa mea semper.* Gratiores erunt animæ, quas tuâ industriâ & pietate è purgantibus flammis liberâsti & præmisisti in cœlum ad cœlestes Agni dapes. Gratus erat Josue ergaRahab,quæ per funiculum duos exploratores Israëlitas salvavit: *Rahab verò meretricem & domum patris ejus, & omnia, quæ habeat, fecit Josue vivere, & habitaverunt in medio Israël usque in præsentem diem, eô quòd absconderit nuntios, quos miserant, ut explorarent Jericho.* Longè majorem gratitudinem erga te præ se ferent animæ illæ purgantes, quas ex lustrali igne liberatas in cœlum transvexisti; ac tunc præsertim suam demonstrabunt gratitudinem, quando Jericho, hoc est, corpus tuum destruetur, ne in similem tormentorum locum venias, aut citò ab illo expediaris. Gratus erat Abdemelech Jeremiæ Prophetæ, quem in lacum cænosum demissum, cum sociis suis funibus extraxit: *Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu.* Purgatorium lacus est non cænosus tantùm, sed & igneus, sulphureus ac profundissimus, in quem immersæ sunt animæ purgantes, donec ad ultimum quadrantem debitum suum apud DEUM solvant. Imitare Abdemelech, & funibus, hoc est, SS. Rosario, &c. miseras illas extrahe animas, & erunt tibi in æternum pro accepto beneficio

Joſ. 6. 25.

Jer. 38. 13.

gra-

gratissimæ: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Ps. 40. 1.

9. Imitare pro dictorum coronide exemplum pretiosissimi Salvatoris tui JESU, qui cùm Lazarum amicum suum à mortuis discuperet resuscitare, solicitè inquisivit de ejus sepulchro: *Ubi posuistis eum?* Bone JEsu! ad quid interrogas? nunquid omnia nuda & aperta sunt oculis tuis? *Scîsti*, exclamat hic admirabundus S. Augustinus, *quia mortuus sit, & ubi sit sepultus, ignoras?* Resp. S. Gregorius Magnus: *Omnis Christi actio nostra fuit instructio*, unde ipse ait: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Voluit proinde mitissimus Dominus, ut & nos interrogemus de mortuis nostris amicis; *Ubi posuistis eum?* ut simili modo, saltem pro nostro posse, illis succurramus. Vocavit autem Lazarum *amicum*, qui tamen tunc temporis nondum erat in Paradiso, neque in inferno, quia amicus Dei erat, & sic per consequens erat in loco tertio, hoc est, ait doctissimus Bonherba, in purgatorio. Disce, memor esse amicorum tuorum, quia *sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Joa. 11. 34. Joa. 13. 15. Bonh. ser. 6. post Dom. 4. quadr. 2. Mach 12. 46.

Denique quærunt Sacri Doctores, quare Christus Dominus in mortem venditus sit 30. argenteis, qui faciunt juxta computum Cornelii 15. florenos: *At illi constituerunt ei 30. argenteos?* Causam hujus venditionis Christi satis luculenter declarat S. Matthæus, ubi asserit, quòd Judâ suspensô Sanguinis illius Divini pretio emptus fuerit ager pro sepultura peregrinorum, qui Hierosolymam venientes ibi moriebantur: *Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* En! JESUS pretium sanguinis sui applicat in commodum defunctorum, & animarum purgantium, & ideo etiam post mortem SS. latus suum aperire voluit, *ex quo*, teste S. Chrysostomo, *Sanguis fluxit in animarum præsidium purgantium.* Et tu quid impostetum facis pro animarum in purgatorio existentium salute? quid? Matth. 26. 15. Matt. 27. 7. S. Chrysost. & S. Chrysolog. ser. 123.

CONSIDERATIO XLIII.

De vita, & glorioſa morte S. Martini Epiſcopi Turon.

Pro Feſto S. Martini Epiſcopi.

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio: ſed ſuper candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Luc. 11. 33.

1.

NOn ſine ſingulari cauſa pretioſisſimus orbis Salvator Chriſtus in hodierno Evangelio Viros Apoſtolicos lucernæ accenſæ comparavit, qui non ſub modio condi, ſed altè in candelabro poni debeant, ut & alii, qui in domo DEI ſunt, luce ſanctitatis, & fulgore virtutum eorum illuſtrentur: *Neque accendunt*, ait Veritas, *lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Talis lucerna primò ſub modio poſita, & exinde ſuper candelabrum in domo DEI publicè collocata, & exaltata, ut ſplendore ſanctitatis ſuæ univerſa Eccleſia DEI omnibus præluceret Chriſtianis, fuit S. Martinus Epiſcopus Turonenſis, qui primò in juvenili ſtatu in caſtris Juliani Imperatoris Apoſtatæ militem egit, exinde in deſerto Monachum, ac tandem in Eccleſia Epiſcopum irreprehenſibilem, de quo verificatum fuit illud: *Ille erat lucerna lucens, & ardens*, ardens charitate & zelo, lucens exemplo virtutum, quo & alios ad Deum convertit: *Magnus*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *erat Martinus animo, etſi exiguus corpore: qui cœleſtium amore ſuccenſus jugi cogitatione ferebatur in DEUM.* Plura hodie de ſanctisſimi Viri hujus laudibus occurrunt exponenda & conſideranda.

Matth. 5. 15.

Joa. 5. 35.

S. Laur. Juſt. ſer. de S. Mart.

2. Vene-

2. Venerunt aliquando ad S. Joannem Baptistam, in ripa Jordanis pœnitentiam prædicantem, etiam milites & quidem non pauci, qui conscientiâ moti & compuncti, ab illo sanctissimo Præcursore Domini petebant consilium, quidnam debeant facere, ut salventur? *Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos?* Audiebant enim, Joannem in vitia detonantem, & gehennam eis minitantem; quibus S. Præcursor: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris.* Luc. 3. 14.

Talis miles, sicut Joannes præscripsit, erat S. Martinus, qui filius parentum Gentilium duodecim annos natus, clam & insciis parentibus Ecclesiam Christianorum accessit, instanter petens, ut Catechumenis mereretur accenseri; postea sub Juliano Imperatore ad militiam ob generis nobilitatem assumptus, strenuè in castris & bello se gerebat, sequens prædictum S. Joannis monitum: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*; Non ergo inferebat molestias rusticis, ut alii solent facere milites, sed de stipendiis propriis vivebat; & quia *Castra* nomen habent à *Casto*, castissimum se semper in mente, verbo & opere exhibuit, virginitatemque perpetuam, teste Pepino & aliis, per omnem vitam servavit. O! quàm alius est nunc mundi immundi hujus stylus, præsertim inter milites, & petulantem ac immorigeram Juventutem! Moyses, ubi rubum illum ardentem, & in igne prorsùs illæsum conspicatus est, attonitus exclamavit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Vides hîc in S. Martino militem justum, castum, &c. ac suis contentum stipendiis, & quòd plùs est, in igne maligno positum, & tamen illæsum! O visio magna! Pepin. in 5. de hoc S. Exod 3. 3.

3. David de se ipso loquitur: *Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.* Et quomodo, dices, ac quando David tale portentum, ac prodigium factus est? Resp. Lyranus, & Cajetanus: In adolescentia sua, quando interficiebat ursos, & leones, Goliathum mactabat, & Philistæos iteratis vincebat præliis. Verùm majus prodigium nobis factus est S. Martinus juvenis, dum tanquam miles nobilis in adolescentia & juventute sua tres suos infensissimos animæ hostes, hoc est, Mundum, carnem, & Diabolum superavit, & tanquam miles fortis Christi JESU debellavit. *Sed tu adjutor fortis*, ô mi DEUS! qui hunc servum tuum fidelem ab infantia custodîsti, ne inter tot pericula & tentationum fluctus periret? unde rectè cum eodem Psalte dicere poterat; *Dominus mihi adjutor: non timeo, quid faciat mihi homo*; hinc generoso ac intrepido animo ad Imperatorem dixit: *Ego signo Crucis non Clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus.* Disce, anime mi, hìc modum contra tres hostes tuos dimicandi. Invoca cum Davide & S. Martino, si immineat aliqua tentatio, gratiam Divinam, & dic cum castissimo Josepho: *Quomodo hoc malum possum facere, & peccare in DEUM meum.* Ps. 70. 7. Ps. 117. 6. Gen. 39. 9.

De

1Reg.18.4. De Jonatha non ignoramus, quomodo exspoliaverit se tunicâ, quâ erat indutus, & eam dederit David, S. Martinus adhuc miles chlamydem suam militarem gladiô, quo erat præcinctus, per medium divisit, ut hac veste pauperculum hominem præ frigore tremulum ac nudum contegeret; unde à Christo nocte sequente cum Angelis sibi apparente hanc dulcem vocem audire meruit: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit:* Vide hîc, & considera, quàm benè illud impendatur, quidquid pauperi porrigitur. Subintrat hîc S. Chrysostomus: *Eja*, inquit, *charissimi, hodie ostenditur, qualiter sit ars artium quæstuosissima eleemosyna.*

S. Chrysost. hom. 33. ad populum.

4. Vidimus hactenus S. Martinum militem, nunc ut Monachum considerabimus. David cum immani gigante Golia pugnaturus, priùs arma, quibus â Saule Rege erat indutus, deposuit, ut sic expeditior ad pugnam curreret. *Non possum sic incedere, quia non usum habeo, & deposuit ea.* Suspirabat S. Martinus noster jam à primis adolescentiæ annis ad serviendum Deo viventi in aliqua eremo, ubi familiariùs cum eo posset agere, ad militiam tamen adactus humiliter obediit parentibus, & in ipsa militia potiùs Monachum, quàm militem egit. Tandem omnino pertæsus omnium ejusmodi vanitatum & negotiorum sæcularium statuit, aut Christo ex toto corde servire, aut non ampliùs vivere; unde arma sua militaria coram Imperatore deposuit, & pauper pauperem Christum sequi cœpit, non ignorans, quòd pretiosissimus hic Salvator noster, antequam in Calvario monte Crucem ascenderet, priùs se vestimentis suis exuerit, & ad pedes Crucis ea abjecerit. S. Martinus nunc Christi miles ad Crucem provolaturus, priùs vestes militares deposuit, & nudus nudum Christum sequi voluit, ut ipsi mundus, & ipse mundo esset crucifixus; proinde, quidquid erat in mundo, ipsi nauseare cœpit, ut Christum lucrifaceret.

1 Reg. 17. 39.

Gen 19 17. Ad Lothum, cùm nunc Pentapolis igne cœlesti esset concremanda, dictum est ab Angelo ductore, *Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa Regione: Sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Hoc sibi ab Angelo suo tutelari dictum putabat S. Martinus, dum adhuc curis sæcularibus erat intricatus; unde relictâ Sodomâ montem elegit, ac desertum & horridum locum & in eo speluncam in saxo excavatam pro cella sua, ubi cum aliis piis Monachis & anachoretis sanctissimam vitam in cinere & cilicio, atque in assiduis jejuniis & ad DEUM precibus per plures annos duxit. Ita quoque Elias desertum petiit Jezabelem fugiens, & cùm subter unam Juniperum indormiret, ab Angelo consolatus est: *Et ecce, Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.* En! alterum Eliam in S. Martino, dum Jezabelem (Mundum) fugit, consolationem â cœlo habere meruit, *quem Angeli*, ait Nadasius, *& Angelorum Regina, SS. Petrus & Paulus, ac SS. Agnes & Thecla invisere* Sic nimirum, ubi

3Reg. 19.5.

ubi desunt humana auxilia, ac solatia, incipiunt adesse divina. Disce à S. Martino amare solitudinem, ut eò liberiùs cum DEO possis agere. *O solitudo, tu sola beatitudo!*

5. Sed nunc tempus est, ut lucerna ista ardens & lucens non ampliùs sub modio, sed super candelabrum ponatur, ut luceat omnibus qui in domo, hoc est, in Ecclesia DEI sunt. Electus igitur Martinus, licèt invitus, in Episcopum Turonensem, mox securim ad radicem arboris posuit, ut idololatriam tunc magna ex parte adhuc in orbe regnantem, in diœcesi sua pro viribus eradicaret. Elias aram Baal idoli, & cultores ejus ingenti zelo destruxit, verumque DEI viventis & omnipotentis cultum in Regnum Israëliticum introduxit: *Quod, cùm vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus.* Hoc fecit & S. Martinus noster nunc factus Episcopus Turonensis, de quo Mansius: *Innumera templa unà cum falsis, quæ in iis colebantur, simulacris funditùs evertit*; & populus videns suum errorem, verumque Deum agnoscens exclamavit: *Dominus ipse est DEUS.* 3 Reg. 18. 39.

Abel innocens & justus in signum grati animi DEO ac Domino suo obtulit in Ara sacrificium de primogenitis gregis sui, & subdit textus: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Et quomodo, dices, ac quo signo DEUS declaravit, quòd sibi placeret sacrificium Abelis, non autem Caini; Resp. communiter SS. Patres, Deum hoc igne de cœlo in sacrificium Abelis, non autem Caini misso, declarâsse. Observa: S. Martinus, Episcopus nunc factus, cùm incruentum DEO offerret sacrificium, aliquoties visum est, quòd in specie ignis descenderit Spiritus Sanctus: *Dum Sacramenta offerret*, ait Vita, *globus igneus apparuit super caput ejus.* O! si tali spiritu omnes Sacerdotes in Ecclesia DEI essent imbuti! Sed quæ tepiditas modò? O tempora! ô mores! Et hoc in sacrificando. Gen. 4. 4.

6. Regium Salomonis thronum non cervi aut lepores, sed duodecim custodiebant leones. Idem Rex ordinavit, ut lectulum suum sexaginta fortes ex fortissimis Israël ambirent, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Thronus & lectulus hic Salomonis Ecclesiam adumbrant, quam non cervi & lepores, sed fortissimi leones ac Duces ambiant ac defendant, necesse est; sunt autem hi Duces non alii, quàm Reverendissimi Præsules, ac Episcopi zelosi, inter quos præeminet S. Martinus Episcopus Turonensis, qui Ecclesiam suam, ac oves concreditas, contra omnes inimicorum, & hæreticorum assultus tum doctrinâ, tum sanctitate vitæ fortiter, ut leo, defendit, ac Domum DEI, velut alter Simon Oniæ filius Sacerdos magnus, in vita sua suffulsit, & in diebus suis corroboravit templum; unde nullam potestatem sæcularem, nec ipsum Imperatorem timuit: *Nunquam*, ait Clichto, *pertimuit summos Reges atque Imperatores vel reprehendere, si errâssent, vel admonere salutis*; hinc Imperatoriæ Majestati Capellanum suum in mensa anteponere non dubitavit. Discant hîc Sacerdotes, quomodo rectè agendo nullam potestatem sæcularem timere debeant. 3 Reg. 10. 20. Cant. 3. 7. Eccl. 50. 1. Clichto in l. de hoc S.

Quid dico de S. Martini miraculis? Christus tres mortuos suscitavit ad vitam, Lazarum quatriduanum de sepulchro, adolescentem in Naim de feretro, & filiam Jairi Principis Synagogæ de lectulo. Sanctissimus Antistes noster pariter in vita sua tres mortuos ad vitam revocavit, inter quos erat unus adhuc Catechumenus, qui sine Baptismo ex hac mortali vita discessit, pro quo cùm ad DEUM orâsset S. Martinus, mirabiliter revixit mortuus, stupentibus omnibus, qui aderant, quem mox S. Episcopus sacro Baptismatis fonte abluit, qui exinde adhuc per plures annos sub disciplina S. Martini supervixit. Juvat hîc audire S. Bernhardum: *Suscitavit*, inquit, *Martinus tres mortuos, quot nimirum legerat, Salvatorem suscitâsse; reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Evasit divinâ virtute pericula, proprii corporis obice flammas repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem, columnâ parili è cælo descendente prostravit, leprosum mundavit osculo, oleo paralyticum curavit, Dæmones vicit; Angelos vidit, &c.* En! præclarissimum Testimonium Melliflui Doctoris de S. Martino.

Sulpitius in vita S. Mart. c. 5.

S. Bern. in ser. de hoc S.

Supereſt, ut nunc beatissimum ejus obitum inspiciamus. David, cùm nunc esset jam provectæ ætatis, pertæsus vitæ, & ærumnarum humanarum, sæpiùs optavit: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et S. Paulus satur vitæ suæ exclamavit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Patientissimus Job multoties secum ingeminavit; *Tædet animam meam vitæ meæ.* S. Martinus noster, prout observat S. Thomas Villanovanus, jam pedes in paradiso posuerat, & libenter retrahit, ut fratribus suis serviat; litus optatum diu jam securus tenebat, & amore filiorum redit ad pelagus, atque pro dilectis ovibus, velut bonus Pastor iterum exponitur naufragio: *Domine, si adhuc populo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Tandem jam animam agens, viso Cacodæmone: *Quid*, inquiebat, *adstas cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies*, placidè in Domino exspiravit. Et ecce, mox exultans Angelorum chorus visus est ejus animam suscipiens, & lætas DEO laudes decantans. O Præsul sanctissime, interpone etiam pro nobis tuas ad DEUM preces, ut bestia illa cruenta in articulo mortis nihil in nobis inveniat, &c.

Ps. 119. 5.
Rom. 7. 24.
Job. 10. 1.

S. Th. Villanov. ser. de S. Mart.

CON-

CONSIDERATIO XLIV.

Cultus constans B. V. Mariæ signum prædestinationis nostræ.

Pro Festo Præsentationis B. V. Mariæ.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Prov. 8. 35.

1.

PLura sunt signa prædestinationis nostræ. 1.) Timor Domini, juxta illud Davidis: *Beatus vir, qui timet Dominum.* 2.) Verbum DEI libenter audire: Ita ipsa Veritas Christus: *Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt.* 3.) Adversa patienter tolerare, quibus promittit Christus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* 4.) Misericordia in pauperes, ita rursus attestante Domino: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* 5.) Inimicis facilè ignoscere, & orare pro eis, juxta exemplum Christi: *Pater, dimitte illis.* 6.) Novissimorum sedula meditatio, prout monet Sapiens: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* 7.) Fuga peccati, juxta illud Proverbiorum: *Sapiens timet, & declinat à malo.* 8.) Amor & memoria Passionis Dominicæ, de quo D. Paulus: *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptâ. Recogitate eum &c.* 9.) SS. Sacramentorum usus & iterata participatio; audi Veritatem: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* 10.) Et cultus devotus & constans B. V. Mariæ, de qua Sapiens vaticinatus est: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et de hoc ultimo prædestinationis signo, hoc est, de peculiari cultu, & veneratione SS. Deiparæ hodie plura dilucidabimus, quia Præsentationem ejusdem in templo hodierna die factam, in libro de dolorosa Matre jam pluribus explicavimus.

Ps. 111. 1. Luc. 11. 28. Luc. 21. 19. Matth 5. 7. Luc. 23. 34. Eccl. 7. 40. Pro. 14. 16. Hebr. 12. 2. Joan. 6. 51. Prov. 8. 35.

2. Proponebat quondam Isaias Propheta Regi Achaz ex parte DEI, ut signum à Domino eligeret: *Pete tibi signum à Domino DEO tuo.* Achaz, licèt impius, non tamen ausus est ejusmodi signum & prodigium à DEO petere: *Non petam, & non tentabo Dominum;* proinde Isaias ultrò signum illi offert: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium,*

Isa. 7. 11.

& vocabitur nomen ejus Emanuel. Ex quibus verbis videtur, quòd B. Virgo jam tunc temporis miseris mortalibus à Propheta designata sit tanquam signum salutis, & prædestinationis futuræ eorum, qui eam impensè colunt, & ut Matrem DEI, ac suam venerantur; unde B. Alanus de Rupe: *Habentibus devotionem ad hanc Deiparam, signum est ordinationis & prædestinationis permagnum ad gloriam.*

B. Alan. de Psalter. V. c. 41.

Et quid dubitas, anime mi? Ipsa enim est signum illud magnum, quod S. Joanni dilecto Christi Discipulo in cœlo quondam monstratum est: *Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Ipsa est mystica illa, & felix scala Jacob, cui innixus est Dominus, per cujus intercessionem gratiam nobis subministrat ad tam arduum iter usque ad cœlum perficiendum: *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum.* Ipsa est illa civitas munita à DEO quondam Hebræis designata, in qua securi vivere poterant ab omni hostili incursu immunes: *Quare sedemus? convenite & ingrediamur civitatem munitam &c.* Supra quod B. Albertus Magnus: *Ipsa est civitas, & domus salvationis: Convenite celeriter, & ingrediamur civitatem munitam, id est, Mariam, munitam in natura, in gratia, in gloria, quia non audemus deprecari Dominum, quem offendimus, sed ipsa deprecetur & roget &c.* Ipsa est Arca illa gratiosa, & tabernaculum fœderis in mediis castris Israëlitarum tanquam commune asylum & propitiatorium collocatum, circa quod omnes duodecim tribus Israël per circuitum sua posuerunt tentoria: *Singuli per turmas, signa atque vexilla, & domos cognationum suarum, castra metabuntur filii Israël per gyrum tabernaculi fœderis.* Ipsa est illa Ruth, quæ in oculis divitis Booz gratiam invenit, ut spicas superstites, & à messoribus derelictas possit colligere: *Abiit itaque, & colligebat spicas post terga metentium.* Supra quod D. Seraphicus: *Ruth in oculis Booz Maria in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsa spicas id est, animas à messoribus derelictas colligere ad veniam possit. O! verè magna Mariæ gratia, qua multi ex eis admisericordiam colliguntur, qui à Doctoribus, & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur.*

Jer. 8. 14. B. Albert. M. in Bibl. Mar. l. Jer.

Num. 2. 2.

Ruth. 2. 3. S. Bonav. in Specul. Virg. c. 5.

3. Rem per plures figuras, & conceptus memorabiles explicabimus. Stat Abiathar inter spem & metum, quia contra Regem Salomonem cum Adonia conspiravit, eumque in Regem Israël inunxit, ob quam causam Adonias per manum Banaiæ occiditur, & Abiathar ad rigorosum citatur examen & judicium: Quid feciſti? Quare rebellis, & reus læsæ Majestatis factus es? Tandem tulit Rex ipse sapientissimus, sed in mitiorem partem, Abiathar sententiam: *Vade in Anathoth ad agrum tuum; equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portâsti Arcam Domini Dei coram David patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus.* Osorius per hanc Arcam fœderis, quam Abiathar quondam portavit, sacratissimam Deiparam subaudit: *O quàm multi, inquit, ad infernum jam essent trusi, nisi hanc portâssent Arcam in corde suo.* Oportet quoque hîc audire S. Anselmum: *Cui, ait, concessum fuerit sæpè dulci studio posse cogitare de illa sanctissima Maria, magnum promerendæ salutis indicium esse con-*

3. Reg. 2. 26. Osor. ser. 4. de devot. ad B. V. M. S. Anselm. de Excell. Virg. c. 4.

se conjecto. Ecce, amare & colere impensiùs sacratissimam Deiparam, est signum prædestinationis nostræ. Quid tu hîc facis? & quomodo eam colis & amas?

4. Postquam quinque prudentes Virgines cum ardentibus lampadibus suis ad cœlestis Sponsi nuptias jam erant introductæ, venerunt tandem & reliquæ quinque Virgines, sed fatuæ dictæ, quia non sumpserunt oleum secum, pulsantes januam, & inclamantes: *Domine, Domine, aperi nobis*, quibus mox responsum fuit: *Amen dico vobis, nescio vos.* Et quare hoc? & quid peccârunt istæ Virgines, quòd æternum fuerint reprobatæ? Omissis aliis rationibus, subintrat hîc Mendoza: Videte, inquit, & considerate istarum Virginum stultitiam, Sponsum hunc cœlestem graviter priùs in vita offendebant, & nunc volunt, ut mox sibi aperiatur cœli janua, ô dementiam! si sacratissimæ Virginis & Matris DEI invocassent patrocinium, & dixissent: Domina, Domina, fuissent probabiliter exauditæ: *Si quemadmodum, Domine, Domine, inclamaverunt, Domina, Domina, illam fortasse repulsam non paterentur.* Matt. 25. 11. Mendosa in Reg. 4. Ann. 12.

Ex quibus patet, quàm verum sit illud S. Gregorii Magni: *Qui tempus congruæ pœnitentiæ perdit, frustra ante Regis januam cum precibus venit.* Proinde, dum tempus habemus, operemur bonum, & Matrem misericordiæ nobis in tempore reconciliemus, ut, cùm defecerimus, recipiat nos ad æterna tabernacula. Nunc, nunc, imitando egregias ejus virtutes illius quæramus amorem, si ab ipsa pariter velimus redamari: unde de se ipsa dicit: *Ego diligentes me diligo:* non affectu solùm, sed & effectu, nec sino mihi devotum clientem perire æternùm. S. Gregor. hom 12. in Evang. Prov. 8. 17

5. Olim in aula Regia potentissimi Persarum Regis Darii, post splendidam cœnam omnibus præfectis factam, in conclavi suo dormientis, tres ejus principales corporis custodes hoc moverunt problema: Quidnam in orbe fortissimum? Num vinum? an Rex? an mulier? diversimode hac in parte disputatum, & disceptatum est, & tandem vicit veritas. Mihi videtur, quod Zorobabel non multùm à scopo aberraverit, qui asseruit, & defendit, mulierem esse illud fortissimum, quod quærebatur: *Tertius, qui dixerat de mulieribus & veritate, hic est Zorobabel, cœpit loqui: Viri, non magnus Rex & multi homines, nec vinum præcellit. Quis ergo, qui dominatur eorum? Nonne mulieres*, &c. 3. Esdræ 4. 11.

Siste hîc gradum, anime mi, non enim sine peculiari causa Zorobabel post longam habitam disputationem hanc definitivam dedit sententiam, mulierem, & veritatem in orbe esse illud fortissimum, quod ab omnibus considerari & quæri oportet. Veritas autem hæc non alia est, quàm ipse Christus, qui de se ipso ait: *Ego sum via, veritas, & vita*, & mulier omnium fortissima, quæ ipsum Deum de cœlo ad se in terram attraxit, Maria est, verè mulier fortis. Fortis Juditha, fortior Maria: de Judith scriptum est: *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor: ecce enim, Holofernes jacet in terra, & caput ejus non est in illo.* Plus Maria, quæ Ducis infernalis contrivit caput, & fecit confusionem in castris Principis tenebrarum; proinde recte Joan. 14. 6. Jud. 14. 16. Ps. 22. 4.

Vates Regius: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala*; & quare
S Thom. Opuſ. 8. hoc? Ecce, mox addit Pſaltes: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*,
Jo. 19. 30. per baculum Crux, & per virgam B. Virgo intelligitur: *Virga ex Iſraël*, ait S. Thomas Aquinas, *eſt B. V. Maria, hanc qui præſentem habet moriens, ſuaviter exſpirabit.* Ideo Chriſtus *inclinato capite tradidit ſpiritum*, & quidem ad partem dextram inclinando, ubi inter filium & latronem ſtabat media ſanctiſſima Mater ejus: *Ex parte Matris ſuæ*, ait Hugo Cardinalis, *quaſi dicat: per ipſam veniam petite: ipſa eſt oraculum miſericordiæ*, ſæpe enim, quos Chriſtus ſalvare non poteſt propter ſuam juſtitiam, quia juſtus Judex eſt, Maria ſalvat per ſuam miſericordiam & interceſſionem. Ex quibus patet, quòd inter alia prædeſtinationis ſigna non minimum ſit amor & cultus B. V. Mariæ: *Juxta Cru-*
Oſſuna ſer. 28 in Quad. *cem*, ait Oſſuna, *facta eſt tanquam Mater omnium prædeſtinatorum.*

6. Per me licet: Amet Samſon ſuam Dalilam: *Poſthæc amavit mulierem,*
Jud. 16 4. *quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.* Amet Jacob ſuam Rachelem,
Gen. 29. 20. pro qua ſeptem annis indefeſſo ſtudio ac labore inſerviebat: *Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Amet Sichem ſuam Dinam, pro qua ob-
Gen. 34. 19. tinenda non abhorruit circumciſionis cultrum: *Amabat enim puellam valde.* Amet Aſſuerus Rex ſuam Eſther. *Et adamavit eam Rex plusquam omnes mulie-*
Eſth 2. 17. *res, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo.* O vanus, & ſæpè inſanus amor! Amemus nos DEUM ſuper omnia creata ſimul, & poſt DEUM SS. Dei-
Eccl. 24. 14. param Mariam, quia ita eſt voluntas DEI. Audiamus ipſam per Os Sapientis loquentem: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, in me gratia omnis viæ & veritatis in me omnis ſpes vitæ & virtutis, &c.*

Olim Ezechiel conqueſtus eſt, quòd nemo in terra inveniatur, qui ſe ſe opponat murum, quando DEUS juſtus Judex ob demerita mundum vult
Ezech 13. 5. caſtigare, & vindictam de eo ſumere: *Neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* Verùm hoc nobis præſtat SS. Deipara, quæ ſæpius ſe oppoſuit, & adhuc ſe opponit murum inter DEUM puniturum, & Eccleſiam puniendam: *Ego murus, & ubera mea ſicut turris, ex quo*
Cant. 8. 10 *facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.*

Ipſa Veritas Chriſtus Eccleſiam ſuam aſſimilavit vineæ: *Homo erat pa-*
Matth. 21. 33. *terfamilias, qui plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei, &c.* Non à ſcopo aberrabo, ſi ſepem vel maceriam dico Mariam, quæ ſuo Patrocinio & potenti protectione ambit & protegit univerſam Eccleſiam, ut ſolet maceria
Eccl. 36. 27. vineam. Audi Eccleſiaſticum: *Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio: & ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens.* Mulier hæc onomaſtice Maria eſt. Quàm ergo impensè à nobis colenda & amanda! Mater noſtra eſt, ergo amat filios ſuos, ſi non ſunt degeneres. Domina noſtra eſt, ergo amat ſervos ſuos, præſertim fideles. Os noſtrum, & caro noſtra eſt, ergo ſuos amat
Prov. 8. 17. fratres & ſorores? *Ego diligentes me diligo.*

Barac sibi certam promittebat victoriam adversùs Sisaram, militiæ Regis Jabin Principem, obtinendam, si secum ad prælium descenderit fortis illa ac prudens Debbora, Heroina & Prophetissa: *Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: Si nolueris venire mecum, non pergam; quæ dixit ad eum: Ibo quidem, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.* Jud. 4. 8. Victoriam & mihi, & tibi promitto, Lector Mariane, si nobiscum fuerit in suprema illa pugna, ex qua pendet tota æternitas, Beatissima Virgo & Prophetissa Maria, quæ si nos nimiùm erimus infirmi, infernalem debellabit & superabit Sisaram: *Si Maria pro nobis*, ait S. Bonaventura, *quis contra nos? & si ipsa est, qui justificat, quis est, qui condemnet?* S. Bonav. in spec. B. V. lect. 15. q 2.

CONSIDERATIO XLV.

De Vita, glorioso Agone, & Triumpho S. Catharinæ Virg. & Martyris.

Pro Festo S. Catharinæ V. M.

Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. Eccl. in Brev. Rom.

I.

EXtollant, & laudent alii fortissimam Judith, Matronam & genere, & forma nobilissimam, cujus eximia forma cum pari pietate & virtute certabat; unde à DEO ad tam heroicum actum electa est, ut capitalissimum Hebræorum hostem Holofernem proprio gladio trucidaret, & Israëlem ab interitu liberaret: *Percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus &c.* Ego autem hodie laudo S. Catharinam Jud. 13. 10. Costi Regis Alexandriæ filiam, quæ jam in tenera ætate de mundo, carne, Diabolo, & cruentissimo Tyranno glorioſissimè triumphavit, & ideo cum Angelis in paradisum introivit.

Com-

Esth. 2. 15. Commendent alii formosam Esther, de qua Scriptura, *Erat enim incredibili pulchritudine, & omnium oculis gratissima, & amabilis.* Ego autem commendo hodie S. Catharinam Virginem & Martyrem, specie mirabilem, præclaram natalibus, sed tamen divitiarum contemptricem, delicias respuentem, & carnis incentiva calcantem, ac unicè amorem suum Crucifixum amantem.

Deprædicent alii prudentissimam Abigail, cui Scriptura hæc duo insi-
1 Reg. 25. 3. gnia attribuit elogia: prudentiam & pulchritudinem: *Eratque mulier prudentissima, & speciosa, &c.* Ego verò deprædico S. Catharinam, quæ prudentiam simul unà cum eximia corporis & animæ pulchritudine conjunxit, unde meruit, ut à Christo DEI filio in Sponsam eligeretur. Plura in hodierna festivitate de illa occurrunt consideranda, &c.

2. Olim præcepit DEUS, ut specula munda ante tabernaculi fores appenderentur, ut ingredientes in illud tabernaculum, Deum ibidem adoraturi, priùs sese in illis speculis inspicerent, ac maculas corporis, si quas haberent, abstergerent: *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi*, &c.

Exod. 38. 8. Tale speculum, & quidem mundissimum erat etiam S. Catharina, ubi sacro baptismatis fonte jussu B. V. Mariæ abluta est. Rem miram accipe. Erat Catharina regio nata sanguine, formâ elegantissima, sed baptismate nondum initiata. Vidit hæc aliquando in somno SS. Deiparam, quæ ipsi suum dulcissimum offerebat Filium brachiis insidentem? sed reductabatur Filius, & noluit venire ad Catharinam, dicens: eam ideo sibi non placere, quia non esset Christiana ac baptizata. Excitata à somno, ne à sacratissima Virgine & divino illius Filio repudiaretur, altero die, quia in lege Christiana jam erat instructa, & mirâ sapientiâ prædita, sacro fonte abluta est; ubi de novo ei Christus cum SS. Matre sua, multis stipatus Angelis, apparuit, eam sibi solemniter despondens, & ut sponsæ suæ charissimæ pretiosum annulum digito ejus inserens.

Hîc adimpletum fuit illud Sapientis de sapienti Virgine Catharina:
Sap. 8. 2. *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Considera & perpende hîc, anime mi, qualem consolationem habuerit S. Catharina, ubi experrecta cognovit, non hoc inane fuisse somnium, sed verum cum Christo sponsalitium, in cujus evidens signum annulum digito insertum invenit. O! quanto exinde amore flagrare erga JESUM cæpit, cujus honorem, ut vera sponsa, semper quoad vixit, propagavit, & proprio sanguine defendit, proinde jure merito illud dicere poterat: *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi, propter amorem Domini JESU Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* Et quomodo tu amas JESUM Sanguinum Sponsum, anima Christiana? O quàm tepidè adhuc! *Duc in altum.*

3. Cor-

3. Corvum & Columbam emisit quondam Noë de Arca, postquam diluvium minutum est, & Arca subsidere & quiescere in montibus Armeniæ cæpit. Corvus non ampliùs rediit in Arcam, quia vidit & odoratus est plura cadavera, quorum escâ suas quæsierat delicias; hinc apud Hebræos in proverbium transiit, ut dicere soleant *corvus nuntius*, cùm de nuntio tarde vel nunquam redeunte comparationem facere volunt. Sed columba, quia in terra illa limosa pedem figere non poterat, nec apud fœtida remanere volebat cadavera, sine mora in Arcam reversa est: *Quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam.* Corvi sunt libidinosi & procrastinatores omnes, qui libentiùs in cœno peccatorum suorum volutari volunt, quàm ut redeant ad Noë, hoc est, ad Christum in arcam. Sed columba imago est animæ puræ, quæ pedes suos non in cœno & cum cadaveribus vult coinquinare, sed ubi periculum subolet, absque mora ad dilectissimum suum Noëmum, manus in Cruce extendentem, solet confugere: *Extenditque manum, & apprehensam tulit in arcam.* Gen. 8. 9.

Talis columba innocens & pura erat S. Catharina, quæ noluit pedes suos coinquinare ejusmodi sordibus mundanis & carnalibus; unde in omni tentatione citò reversa est in arcam, & ad suum Noëmum, manus suas in Cruce totâ die expandentem, ubi in foraminibus petræ & caverna maceriæ illius, hoc est, in SS. Vulneribus & corde JESU semper tutissimum invenit auxilium. O anime mi! si tentaris, si tribularis, en præsentissimum remedium!

4. Laudatur in Scriptura zelus Mathathiæ, cùm vidit Judæos idolis immolantes: *Accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modim secundùm jussum Regis: & vidit Mathathias & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundùm judicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram.* 1 Mach. 2. 13. Esdras Sacerdos, ubi audivit, Hebræos ad idola deflexisse, & cum gentibus iniisse matrimonia, vehementer doluit: *Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens, &c.* Esdræ 9. 3. Cùm S. Paulus prædicaret Athenis, & vidisset, civitatem ferè totam idololatriæ esse deditam, æstuabat illius animus dolore & compassione tam doctæ, & tamen tam cæcæ ac miseræ civitatis: *Incitabatur spiritus ejus in ipso, &c.* Actor. 17. 16.

Audiamus nunc S. Catharinæ Virginis ac Sponsæ Christi zelum. Cùm Maximinus Imperator & Tyrannus publico imperâsset mandato, ut cives & incolæ, omnesque accolæ convenirent Alexandriam, ut diversis ibidem sacrificarent idolis; Catharina certior facta, tantam divini Sponsi sui injuriam ferre non poterat, sed supra sexûs & ætatis conditionem delubrum, in quo erat Imperator, audacter ingressa est, illumque publicè de tam immani impietate redarguit, quòd populum ad colenda & adoranda idola impe-

rio suo adduxisset, qui potiùs, ut caput cæterorum, subditis suis primo debuisset prælucere exemplo, ut Deum verum & unicum ejus Filium Dominum nostrum JEsum Christum colerent, & humiliter adorarent: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JEsum Christum.* Quam veritatem sapientissimis rationibus Imperatori & populo præsenti demonstravit, quòd extra fidem Catholicam nulla sit animæ speranda salus; Et sicut illi, qui tempore diluvii extra arcam Noëmi erant, miserè perierunt, sic extra veram Ecclesiam neminem posse salvari; proinde abjicienda esse vana illa simulacra & idola, de quibus jam olim Vates Regius pronuntiavit: *Simulacra gentium, argentum & aurum, opera manum hominum: os habent, & non loquentur: Oculos habent, & non videbunt,* & sic de cæteris &c. Ecce ingentem zelum iujus Sacræ Virginis, dum nullum formidabat periculum, nullum supplicium, imò nec mille neces, dummodo honorem Divini Sponsi sui potera defendere & augere. Et tu, quid hîc agis, anime mi, cùm opus est defendere, tueri & augere divinum honorem? O quàm tepidus adhuc es! concientiam tuam inspice.

Jos. 17. 3.

Ps. 113. 12.

5. Holofernes, ubi vidit, & contemplatus est speciem Judith fœminæ longè formosissimæ, mox *captus erat in suis oculis &c.* Ita Maximinus Imperator cernens tam eximiam Catharinæ pulchritudinem, licèt ab ea priùs fuisset objurgatus, mox tamen insano in eam exarsit amore. Et quemadmodum Herodes filiæ suæ saltatrici dimidium Regni obtulit: *Et juravit illi, quia, quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium Regni mei.* Ita Maximinus Imperator Catharinæ non tantùm connubium, sed & medium imperium præsentavit: *Meum tecum dividam imperium, mecum habebis regna; neque velis, rogo, videre interire tormentis tantam pulchritudinem.* Sed quid ad hæc Amazon illa regia? Responsum audite; *Hæc*, inquit, *quam tu admiraris, pulchritudo, terra est & cinis, quam & tempus deflorere facit, & morte tabescit, utpote, quæ nihil stabile, nihil firmum habet.* O! utinam hæc verba magis caperent moderni temporis virgines, domicellæ, & fœmellæ, quæ thesaurum incomparabilem virginitatis suæ, quam in vasis portant fictilibus, tam parvi pendunt, & tam levem ob causam non tam periculo exponunt, quàm & ruinæ prostituunt: *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.*

Judith. 10. 17.

Marc. 6. 23.

Sur. in vita.

Eccl. 26. 20.

6. Judith, de qua priùs mentionem fecimus, ubi Holofernem Principem insigni stratagemate subegit, & universum ejus exercitium confudit, exclamavit Vagao, actum tam generosum in fœmina admirans: *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor.* Hoc fecit & Catharina tenera virguncula: *Una mulier Alexandrina fecit confusionem in domo Regis Maximini*; ubi enim ad imperatoris imperium quinquaginta doctissimi Philosophi erant convocati, ut cum ea de fide disceptarent, omnes prudentissimis rationibus disputando confudit; & quia verba ad respondendum tam validis Virginis argu-

Judith. 14. 16.

argumentis illis non ampliùs ſuppetebant, Chriſtum Dominum publicè confeſſi ſunt, quem & genu flexo adorârunt, ejusque Sacro Evangelio colla ſubmiſerunt unâ cum Auguſta Imperatrice, & Porphyrio Belli duce, & ducentis militibus, quos omnes ſapientiſſima virgo tanquam glorioſiſſimos Martyres in cœlum præmiſit. Et quia Tyrannus Catharinam neque blanditiis, neque promiſſis, neque minis de ſententia poterat deducere, amorem in furorem mutans, eam verberibus, plumbatisque contuſam ad carcerem detrudi juſſit, ut ibidem fame & inediâ conficeretur, aut Chriſtum negaret.

Elias tempore famis à corvo paſtus eſt: *Corvis præcepi, ut paſcant te,* 3 Reg. 17. 4. S. Catharina, ubi undecim diebus in teterrimo carcere ſine cibo & potu detenta eſt, non à corvo, ſed à candidiſſima quadam columba paſta, & ab ipſo Chriſto JEſu ad conſtantiam animata eſt: *Eſto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. 10. Interim paratur rota, acutiſſimis armata mucronibus, quâ virgineum diſcerperetur corpus. De leone, licet fortiſſimo animalium, refert S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, quòd ad rotarum ſtrepitum ſoleat expaveſcere, & à ſtatione ſua aufugere. Non ſic Virgo noſtra Alexandrina, non ſic Catharina, ſed generoſo animo, quaſi ad nuptias feſtinaret, ad locum ſuppliciorum deſcendit, ubi brevi ad preces illius rotæ crudelis machina per Angelum diſſoluta & confracta, ipſa verò tenerrima Virgo capite plexa eſt, de cujus collo non ſanguis, ſed lac candidiſſimum, incorruptæ virginitatis teſtimonium, repente promanavit, cujus ſacrum exinde corpus Angeli cum jubilo in montem Sinai deportârunt, ubi adhuc hodie quieſcens è tumulo largum & ſalutiferum miſeris mortalibus ſubminiſtrat oleum.

Quid nunc reſtat, niſi ut animitùs tali ac tantæ gratulemur heroinæ? Veni Sponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum, pro cujus amore ſanguinem fudiſti, & cùm Angelis in paradiſum intrôiſti. Nunc, nunc caſtis Divini Sponſi tui gaudes amplexibus; nunc Agnum ſequeris, quocunque ierit, nunc omnis horror mortis & dolor abſorptus eſt. O glorioſiſſima Virgo, victrix Diaboli, triumphatrix Tyranni, & gaudium univerſæ terræ; Gratulamur tibi omnes in unum. Viciſti, ſuperâſti omnes tibi adverſantes, & nunc glorioſa in cœlo cum DEO tuo regnas, & in æternum cum eo & Sanctis ejus regnabis in gloria. Reſpice, obſecro, de cœlo, & noſtri quoque memor eſto apud Altiſſimum, ut caſto corde & mundo corpore hîc illi inſerviamus, & tandem cum illo regnemus in æternum.

CONSIDERATIO XLVI.

De vita S. Andreæ Ap. & ejus in Cruce Triumpho.

Pro Festo S. Andreæ Apost.

Proposito sibo gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta. Hebr. 12. 2.

I.

Seneca Ep. 96.

RECTÈ L. Annæus Seneca: *Vita sine proposito vaga est.* Navigantes, si per hoc mare magnum & spatiosum hujus mundi ad alias terræ plagas se volunt conferre, ad aliquod cœli sidus cursum dirigant necesse est, aliàs toto cœlo à portu aberrabunt. Homo Christiane! si ad felicem æternæ beatitudinis portum post vitæ hujus mortalis cursum cupis pervenire, opus est, ut & tibi aliquod cœleste sidus proponas, ad quod nitaris, & quod imiteris. Nautæ illi, qui duce Christophoro Columbo Genuensi ad novum investigandum mundum per varia rerum discrimina denique ad lineam æquinoctialem cum tribus navibus venerant, ubi circa polum antarcticum quatuor novas stellas in modum Crucis radiantes conspicati sunt, insolito perfusi gaudio hanc Cœlestem Crucem salutârunt, juxta quam & suum direxerunt cursum, ac tandem juvante Numine, superato vastissimo Oceano, novum mundum invenerunt. Crux splendidior cunctis astris est, & simul dux illorum, qui vitam volunt ducere Evangelicam, hoc, inquam, sidus oportet ut nos sequamur, si per hunc periculosum orbis Oceanum ad cœlestis patria portum securi velimus appellere: *Crux*, ait S. Joannes Chrysostomus, *est spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refranatio divitum, navigantium gubernatrix, periclitantium portus.*

Aresius Ep. Dorton. disc. 34.

S. Chrysost. hom. 55. sup. Matt.

Olim

Olim Hebræis, dum ex Ægypto & durissima servitute Pharaonica in Palæstinam per varias viarum ambages proficiscerentur, columna nubis & ignis viam monstravit, quâ duce ac comite tandem feliciter ad terram illam desiderabilem, lacte & melle manantem, pervenerunt: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore.* Quod olim Hebræis hæc columna nubis & ignis fuit, hoc nobis Christianis est Dominica Crux, ita S. Hieronymus: *Crux*, ait, *humani generis columna est*, & Dominus præcedens in hac columna est ipse Christus: *Nubes, quâ homo*, inquit Cornelius, *& ignis, quâ Deus*, ita Moyses: *Dominus Deus tuus ignis consumens*; si ergo olim Israëlitæ tanta sedulitate ac indefesso studio hanc columnam ducem suam secuti sunt; quantò magis nos, qui Christum colimus, laboremus, ut Crucifixum amorem nostrum sequamur? Qui teste Psalte Regio *scapulis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis*; per quos scapulos & pennas SS. Patres sacratissima brachia ejus & manus in Cruce extentas subaudiunt: Christus, inquit le Blanc, in Cruce nos obumbrat scapulis suis, brachiis, & manibus, sub quibus nos abscondit, protegit, refrigerat, alit & fovet. Et hoc est, quod in his terris fecit S. Andreas Apostolus, qui unicè gloriabatur in Cruce Domini N. J. C. unde cum illo *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ.* Plura de hac veritate in præsenti consideratione dilucidabimus.

Exod. 13. 21. — S. Hieron. in Ps. 95. — Deut. 4. 24. — Ps. 90. 4. — Le Blanc. hic in Ps. — Hebr. 12. 2.

2. Quanta & quàm eximia olim fuerit templi Solymæi magnificentia, ex eo conjici potest, quòd ipse Deus ideam illius præscripserit, & eam Davidi tradiderit, qui exinde moriens illam consignavit filio suo Salomoni, proinde non immeritò hoc templum à cunctis nationibus habitum est orbis miraculum, in quo per septem continuos annos ducenta hominum millia & ampliùs laborabant, cujus parietes renitebant auro, ita ut intrantium oculi insolito fulgore undique occurrente perstringerentur. Observat autem Scriptura, quòd Salomon pro fundamento tanti operis lapides pretiosos ac marmoreos voluerit collocari, qui fabricam omnem sustinerent: *Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.*

3 Reg. 5. 17.

Omnia hæc illis contingebant in figura, per quod templum allegoricè repræsentabatur Ecclesia militans, & analogicè triumphans in cœlis, cujus utriusque Architectus ipse Christus est, qui pro fundamento primum lapidem pretiosum posuit S. Andream, licèt S. Petrus major sit dignitate, quia Christi in his terris Vicarius, S. Andreas tamen frater ejus primus ad agnitionem veræ fidei pervenit, & exinde Petrum fratrem ad Christum perduxit: *Hinc prærogativam habuit*, ait Lyranus, *quòd fuit primus Christi Discipulus, primusque, qui Messiam promissum digito monstravit.*

Lyran in Jo. c. 1. — Pepin in sanct. serm. 1.

Modus autem vocationis S. Andreæ piscatoris in Bethsaida oriundi fuit sequens. Eo tempore, quo Sanctus Christi Præcursor trans Jordanem prædica-

dicabat, & baptizabat, ingens ad eum concurrit hominum multitudo, ut novum hunc audirent concionatorem, & ab eo in Jordanis baptizarentur flumine, inter quos S. Andreas auditâ ejus famâ accessit; & cum semel S. Baptistam terribiliter contra obduratos peccatores in concione tonantem au-
Matth. 3. 7. diret: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* & paulò post suaviter rursus populum admonentem: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Andreas salutari perculsus timore, finitâ concione, ad S. Joannem accessit, petens humiliter, & non sine lachrymis ab eo, ut mereretur ejus fieri discipulus, quem piissimus Pater benignè suscepit, & in omni sanctitate instruxit. Contigit autem, ut paucos post dies ipse pretiosissimus orbis Salvator Christus ad S. Joannem transiret, quem videns de
Jo. 1. 29. longè sanctus Præcursor genu flexo adoravit, extentoque digito discipulis suis monstravit: *Ecce Agnus DEI: ecce qui tollit peccatum mundi: hic, de quo dixi, post me venit vir, qui ante me factus est &c.* Hoc insigne testimonium, ubi à suo Magistro audivit Andreas, & insuper vidit Spiritum Sanctum in columbæ specie super Christum, cùm à Joanne baptizaretur, descendentem, statuit
Jo. 1. 37. relictis omnibus terrenis in toto corde sequi Salvatorem: *Et audierunt eum duo discipuli* (Andreas & Joannes) *loquentem, & secuti sunt JEsum.* O! quoties per internas inspirationes vocat nos Deus, & nos renuimus? Quoties extendit manum diversa nobis largiendo beneficia, & non aspicimus? Quoties increpat nos per adversa, concionatores, sacros libros &c. & increProv. 1. 24. pationes ejus negligimus? Quid tandem erit de nobis in fine? Audite fulmen: *Vocavi, & renuistis &c.*

3. Verùm progrediamur ulteriùs. Accessit vice quadam ad Christum pientissimum Salvatorem nostrum Scriba quidam & legis peritus, humiliter
Matth. 8. 19. petens, quatenus ab eo in discipulum susciperetur: *Et accedens unus Scriba ait illi: Magister, sequar te, quocunque ieris.* Verùm mox repulsam hic legis Doctor à Christo passus est, cui per indirectum non aliud dedit responsum: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet:* hinc tristis ille Scriba discessit, qui voti sui compos factus non
S. Aug. de Verbis Domini S. Hieron. hîc. est. Et quare, dices, homo ille à Christo rejectus est? Resp. S. Augustinus, S. Hieronymus: *Quid me propter divitias, & sæculi lucra sequi vis, cùm nec hospitiolum habeam?* Proinde rectè à Christo tanquam avarus & superbus rejectus est, vult enim perfectionis Magister tales discipulos, qui toti vacent DEO.

Et talis fuit S. Andreas, qui primus omnium secutus est JEsum in humilitate & paupertate, in assiduo labore & zelo animarum, in fame & siti, in tribulationibus, & persecutionibus, imò usque ad ipsam Crucis necem, perfe-
Matth. 16. 24. ctissimè adimplens illud Redemptoris nostri Consilium: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Simon Cyrenensis portavit quidem Cruem cum JEsu, & post JEsum, sed invitus ac coactus,

neque

neque in ea mori voluit, ſed mox in Calvario jugo ſe ſubduxit: *Hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus.* Verùm S. Andreas mortificationem jugiter in ſuo corde & corpore portavit, & in ea exſpiravit, ſecutus tanquam fidelis ſervus ſuum Dominum, diſcipulus Magiſtrum, miles ducem, & innocens ovicula ſuum paſtorem. Matth. 27. 32.

Eliſæus cùm ſemel ſuam agnovit vocationem, ab Elia patre ſuo ſpirituali non ampliùs voluit ſeparari; dixit illi quidem Elias: *Sed hîc, quia Dominus miſit me usque in Bethel*; voluit enim Propheta ſuum occultare raptum, & à ſe dimittere Eliſæum diſcipulum, qui tamen ab illius latere ſapienter noluit diſcedere, ut ſic ejus particeps fieret benedictionis, unde ſubjunxit: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te.* 4 Reg. 2. 6.

S. Andreas, ubi S. Joanni Baptiſtæ in deſerto valedixit, protinus, prout dictum eſt, cum S. Joanne Evangeliſta JEſum ſecutus eſt: *Converſus autem JEſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis?* ſubjungit Andreas: *Rabbi, ubi habitas?* En! zelum mirandum hujus Apoſtoli, dum à Chriſto noluit ſeparari; & licèt mitiſſimus Salvator proprium non habuerit hoſpitium aut domum, cupiebat tamen cum Chriſto ſemper eſſe, & ad perfectiorem ab illo inſtrui vitam; & quia nox ingruebat, & jam decima diei hora erat, noluit benignus Dominus eum cum ſocio à ſe rejicere, ſed ſtatim cum eis ſalutis cœpit tractare negotia. Subintrat hîc S. Auguſtinus: *O! quàm beatum diem duxerunt, quàm beatam noctem! Quis eſt, qui nobis dicat, quæ audierint illi à Domino? Ædificemus & nosmetipſi in corde noſtro, & faciamus domum, quò veniat ille, & doceat nos, & colloquatur nobis &c.* Diſce ex hoc, quærere Patrem aliquem ſpiritualem, virum prudentem atque fidelem, cui, & cum quo tuas cogitationes, & affectus, bona ac mala communices, nemo enim ſibi ſolus ſapit, & duo oculi plùs vident, quàm unus: Noli ſapere apud temetipſum, monet Sapiens, eſt enim via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem. Audi S. Bernhardum: *Qui in negotio ſalutis æternæ ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit.* Jo. 1. 38. S. Aug. tr. 7. in Jo. Prov 14. 12. S. Bernh. ap. Sucquel. Exod. 2. 10.

4. Quomodo Moyſes ab aquis ad aulam Pharaonis fuerit vocatus, luculentum de eo ſacræ litteræ perhibent teſtimonium. Verùm, ubi à Deo, in rubo ardente & incombuſto apparente, nunc factus vir, de novo ad dictum Ægyptiorum Regem tanquam legatus, ut populum Hebræorum à duriſſima ſervitute dimitteret, denuò miſſus eſt, varias prætendit excuſationes: & tandem ægrè, & non niſi per ſigna ac prodigia à DEO induci potuit, ut munere ejuſmodi fungeretur miſſionis: *Mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Iſraël de Ægypto; dixitque Moyſes ad Deum: Quid ſum ego, ut vadam ad Pharaonem?* Exod. 3. 10.

Jeremias, licèt in ventre Matris ſanctificatus, & tempore Joſiæ à DEO ad prophetandum miſſus, quas, obſecro, excuſationes non habuit, ut à tali, ac tam

Jer. 1. 6. tam periculosa eximeretur missione? *Ecce*, inquiebat, *nescio loqui, quia puer sum ego.*

Ezechiel, cùm ad populum rebellem, & prævaricatores filios Israël à Domino esset ablegandus, ut eos ab inveteratis peccatis ad DEum verum & unicum, & ab idololatria ad sinceram converteret pœnitentiam, prævidens innumera incommoda, ac persecutiones ex omni parte ingruentes, vehe-
Ezech. 2. 1. menter expavit: *Et cecidi in faciem meam &c.*

Jonas à Domino in civitatem Ninive missus, ut obstinato huic populo prædicaret interitum, perterritus ex hac legatione navigio fugit in Tharsis:
Jonæ. 1. 3. *Descendit in Joppen, & invenit navem euntem in Tharsis &c.*

O! quàm longè promptior erat S. Andreas, ab aquis & mari, velut alter Moyses, à DEO vocatus; quàm longè, inquam, promotior erat ad exequen-
Matth. 28. 19. da mandata DEI, vix enim audierat: *Euntes ergo, docete omnes gentes &c.* Mox obedientissimo ac promptissimo animo paratum sese exhibuit, sine sæculo & operâ, usque ad extremos fines terræ Evangelii prædicandi causâ ad proficiscendum; unde de eo commemorat vita: *Innumerabiles homines ad fidem convertit*, plantavit enim Christianam fidem in Scythia, & Thracia, in Bithynia, & Cappadocia, in Epyro, & Albania, denique etiam in Græcia, ubi proprio sanguine plantavit Ecclesiam DEI, salutis animarum semper zelantissimus.

5. Servus ille Evangelicus, qui à Domino suo jussus fuerat, ut ad cœnam magnam multos invitaret, supra modum diligens, & obediens in exequendo hoc Domini sui mandato extitit; & licèt primâ, secundâ, & tertiâ vice ad varias hominum conditiones ab Hero suo fuisset amandatus, & paucos inveniisset, qui venerunt ad nuptias, non tamen propterea se excusavit, sed contra audentior factus, exiit de novo in plateas & vicos civitatis, immo & ad sepes viarum, ex quibus locis pauperes ac debiles, cæcos & claudos ad cœnam illam magnam introduxit; & ut perfectum suum monstraret zelum, dixit Domino: *Factum est, ut imperâsti, & adhuc locus est.* En! quomodo
Luc. 14. 22. 19. servus ille Evangelicus honorem sui Domini, & numerum Electorum zelaverit: *Adhuc locus superest.*

Hunc fidelem servum ac prudentem imitatus est S. Andreas Apostolus in conversione Judæorum, & Gentilium, dum omnes peramicè ad cœnam illam magnam, & ad cœlestes invitabat nuptias: Quamprimùm enim Christum ut orbis Messiam agnovit, mox sollicitus de salute fratris extitit, quem
Joan. 1. 41. sine mora ad eundem Salvatorem adduxit: *Invenit hic primùm fratrem suum Simonem, & dixit ei: Invenimus Messiam, & adduxit eum ad JEsum.* En! ingentem piscem, quem statim ab initio S. Andreas cæpit, & in retia Salvatoris impulit, qui piscis tandem piscatus est orbem. Fuit autem S. Andreas triginta annis & ampliùs, huic lucro & piscationi animarum intentus, & non in illis

illis duntaxat, quas diximus, Provinciis, quibus annuntiaverat Evangelium, verùm etiam in ipso Crucis patibulo, ubi per biduum affixus, sine intermissione usque ad supremum halitum Christum, & hunc Crucifixum circumstantibus populis prædicavit.

De Christo ait D. Augustinus, quòd Crux illi facta sit Cathedra, in qua ultimam ad populum fecit concionem: *Lignum*, inquit, *in quo fixa erant membra patientis, etiam Cathedra fuit Magistri docentis.* Ita quoque lignum Crucis S. Apostolo facta est Cathedra, in qua per biduum adhuc vivens ingentem hominum multitudinem ad agnitionem veræ fidei perduxit: En! quomodo hic Apostolus in animarum procuranda salute totus fuerit. Disce imitari illius zelum: *Qui non zelat*, ait *S.* Augustinus, *non amat.* Collige ex hoc, qualis tu sis zelator animarum? S. August. tract. 19. in Joan. S. August. Contr. Adiman. c. 13.

6. De Davide refert Scriptura, quod per citharam suam ab obsesso Rege Saul Dæmonem inhabitantem fugaverit: *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malignus.* Et quare, dices, adeò Cacodæmon iste Davidis expaveſcebat citharam? Rupertus Abbas per hanc citharam accipit prædicationem Evangelii. Venerabilis Beda per eandem citharam Crucem Dominicam subaudit, in cujus virtute, & prævisis Christi meritis, Diabolus ab obsesso pulsus est. Lyranus & Abulensis per memoratam citharam Davidicam orationem devotam intelligunt, dum enim citharizabat David, simul psalmos recitâsse dicitur. 1 Reg. 16. 23.

Quidquid sit hac de re, omnes dictæ expositiones bonæ sunt, & fidei orthodoxæ, ac rectæ rationi conformes. Et quid dico? Exurge de novo psalterium & cithara; en! novum Psaltem S. Andream, qui per citharam suam mysticam (hoc est, Evangelii prædicationem, Crucis virtutem, ac devotam orationem) plura & stupenda operatus est prodigia. In urbe Nicæa in sepulchris Gentilium septem horrendi habitabant maligni spiritus, qui in forma rabidorum, ac nigerrimorum molossorum plures dilacerabant mortalium. Cùm illuc veniſſet S. Apostolus, obvii ei facti incolæ rogârunt, ut huic, communi malo optatum ferret remedium: *Salus nostra in manu tua est, homo Dei;* Quid hic Andreas? Tollebat citharam suam prædicando illis Evangelium, & Christum JEsum, ad hunc crucifixum, & factâ oratione sine mora truculentos istos infernales spiritus misit in Orcum; ad quod succlamabant populi: *Credimus, JEsum Christum Filium DEI esse, quem prædicas* En! quomodo S. Andreas citharam Davidicam pulsaverit. Pulsa & tu similiter. Corn. hîc, Abdias Ep. Babyl. in Vita.

In Achaia per solum attactum cæcis visum restituit. Nicomediæ juvenem defunctum, quem parentes ad sepulchrum comitabantur, ad vitam revocavit. Juxta urbem Patras quadraginta homines per naufragium

in irato mari submersos, stans in littore, à mortuis resuscitavit. Hungo Pictorum Regi per intercessionem suam plenissimam victoriam à DEO obtinuit, ubi, durante cruentissimo prælio, Crux fulgida, illius instar, quâ S. Apostolus pro Christi nomine affectus est, in aëre apparuit. Mitto quàm plurima alia prodigia, quæ DEUS per fidelissimum servum suum in his terris operatus est. Vide ex hoc, atque perpende, quomodo diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum.

Ciacconius de signis SS. Cruc. c. 5.

7. Jehu, ad Regium thronum nunc in Israël evectus, cùm currum suum triumphalem ascendisset, ut omnes impios cultores Baal everteret, in via Jonadab filium Rechab, virum integrum, ac sanctum sibi obvium habuit, cui benè precatus, & more Hebræo salutans dixit: *Pax tibi*, quem exinde ad se, cùm in simili forma responderet, in currum suum levavit: *Cumque abiisset inde, invenit Jonadab in occursum sibi, & benedixit &c. Et ait ad eum; Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam, qui dedit ei manum suam, at ille levavit eum ad se in currum.*

4 Reg. 10. 15.

S. Ambr. l. 10. in Luc. c. 83.

Per Jehu Christum verum Israëlitarum Regem subaudi, per currum ejus triumphalem sanctissimam Crucem, in hoc enim curru, ait S. Ambrosius, de omnibus suis triumphavit hostibus. Per Jonadab virum sanctum ac justum S. Andream intellige, hunc enim, qui cor ejus semper rectum erat cum Corde JESU, ad se mitissimus Salvator levavit in Currum Crucis suæ, ut in hoc pariter de cunctis suis triumpharet inimicis, ubi adimpletum fuit illud Sapientis: *Simili pœna servus cum Domino affectus est, & popularis homo Regi similia passus.* Et quid tu hactenus passus es pro Christo?

Sap. 18. 11.

Olim præcepit DEUS, ut quotidie sibi agnus immaculatus in altari offerretur in sacrificium: *Hoc est, quod facies in altari, unum agnum mane.* Consule librum primum Regum, & invenies, quòd Samuel per ejusmodi agnum immolatum insignem contra hostes Philistæos victoriam obtinuerit: *Tulit autem Samuel agnum lactantem, & obtulit illum holocaustum Domino, & clamavit Samuel ad Dominum pro Israël, & exaudivit eum Dominus.* Per hunc Agnum, teste S. Gregorio M. & Quaresmio præsignatus fuit divinus ille Agnus, qui in Ara Crucis cruento modo semel pro salute mundi quondam se obtulit, & nunc quotidie adhuc offertur incruento modo in quotidiano sacrificio missæ pro salute Ecclesiæ.

Exod. 29. 38.

1 Reg. 7 9.

Et hoc est, quod B. Andreas Apostolus, unus ex primis Ecclesiæ Principibus, apud Ægeam Proconsulem professus est: *Ego omnipotenti DEO, qui unus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, aut hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, ac vi-*

In hor. Canonicis Fest.

vivus. Disce hîc à S. Andrea, & priscis illis Christianis, quo honore, amore, ac veneratione debeas cum SS. Angelis assistere huic divinissimo mysterio, quia sacrificium illud altaris idem prorsus est cum sacrificio aræ Crucis, non duntaxat in commemorando & repræsentando, sed etiam, prout Theologi loquuntur, in essendo; unde Sancta Synodus Tridentina: *In hoc divino sacrificio incruentè immolatur, qui in ara Crucis semetipsum cruentè obtulit.* Sess. 22. c. 2. Accede proinde cum omni fiducia, fide vivâ, spe firmâ, charitate ferventi, & in animo contrito, ac humiliato, quia *ipse propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi:* & cur non etiam, pro tuis? 1 Joan. 2. 2.

8. De Jeremia Propheta Sacræ perhibent Litteræ, quòd Hierosolymæ ad portam Benjamin à Jeria sibi infenso fuerit comprehensus, & ad Principes, quos in suis concionibus, & vaticiniis priùs acriter perstringebat, armatâ militum manu tanquam transfuga adductus: *Quamobrem irati Principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem.* Jer. 37. 14. Lyranus addit, eum dirè flagellis priùs fuisse cæsum, antequam cænoso includeretur ergastulo.

Hoc ipsum accidit S. Apostolo Andreæ, dum enim liberrimè veritatem Evangelicam in partibus Achaiæ prædicaret, ab Ægea impiissimo judice tentus, ferreis vinculis adstrictus, & in obscurum carcerem detrusus est, quem exinde ad quæstionem vocatum, & Christum Crucifixum libere confitentem, truculentus ille Tyrannus, & idololatra à septem carnificibus horrendum in modum flagellari præcepit, *quorum ter mutatæ sunt vices*, ait Mansius, *fuitque percussionum grando, quæ in hoc innocens & decrepitum corpus exonerata fuit, adeò impetuosa, ut inde aperta fuerint omnia viscera ejus, sanguinis rivulis ex omnibus corporibus partibus copiosè manantibus.* Manss. hoc Fest. disc. 1. O glorioſissime Christi athleta! quid hoc est? Nunquid hîc appositè applicare potero illud Isaiæ: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Isa. 63. 1. hoc enim significat nomen tuum *Andreas*, quod idem est, ait S. Thomas Villanovanus, quàm *Fortitudo.* Vide ex his, anime mi, quomodo hic Divus longè excellentiùs prædicaverit exemplo, quàm verbo. Imitare, & imposterum pleniùs opere, quàm voce doce.

Recordor hîc Moysis, Hebræorum quondam Ducis ac Legiferi. Cùm nunc pugnandum esset contra Amelec in Raphadim in deserto, Moyses locò sui Josue Belli Ducem designavit, ipse verò ad montem prælatum ascendit, ubi expansis ad cœlum brachiis, & mente elevatâ in DEUM pro obtinenda orabat victoria: *Fecit Josue, ut locutus erat Moyses, & pugnavit contra Amelec: Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis; cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël, sin autem paululùm remisisset,* Exod. 17. 10.

sisset, superabat Amelec: Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est, ut manus illius non lasserentur usque ad occasum solis; fugavitque Josue Amelec, & populum ejus in ore gladii.

S. Cyrill. Alex. lib. 3. de Inst.

S. Cyrillus Alexandrinus pereleganter per hanc Moysis brachiorum extensionem Christum Crucifixum subaudit, in monte Calvariæ manus suas in Cruce expandentem, & Amelec, hoc est, hostem infernalem Diabolum cum suo exercitu debellantem, ac superantem. Sed & jure merito per eundem Moysen S. Andream Apostolum possumus intelligere, dum per biduum in Crucis ligno pendens, & manus extendens perfectissimam victoriam adversus Dæmonem, mundum, carnem, Tyrannum, & idololatriam obtinuit. Juvat hîc audire Dionysium Carthusianum: *Nequaquam*, inquit, *contremuit: sed quantùm alii, qui ducuntur ad mortis supplicia, vultu palescunt, horrore concutiuntur, verbis deficiunt, & animo infirmantur, tantùm felix iste Apostolus Cruce conspecta vultu resloruit, exultatione repletus est, verbis invaluit, & corde firmatus est, nempe quàm ignita, quàm devotissima, quàm affectuosissima protulit verba: Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es &c.* O quàm aliter nos Crucem aspicimus! quomodo ergo conglorificabimur, si non compatimur?

Dionys. Carthus. ser. 6.

9. *Si Rex Israël est*, dicebant quondam in monte Golgothæo obstinati Pontifices, Scribæ & Pharisæi, dum Christum in ligno Crucis affixum prætereuntes contemplabantur: *Si Rex Israël est, descendat de Cruce, & credimus ei.* Agedum, mitissime JEsu! En, nunc tandem se offert illa toties optata & exquisita occasio omnes adversarios tuos convertendi; hoc autem solùm adhuc restat, ut descendas de Cruce, & sic omnes credent in te &c.

Matth. 27. 42.

℟. Minimè Gentium, & minimè omnium, priùs enim videbant scelerati isti, quomodo mortuum è sepulchro resuscitâsset Lazarum, cernebant insuper ingentia illa prodigia, quæ in Passione & morte Christi facta sunt, & tamen non in ipsum credebant, multò ergo minùs in eum, tanquam Filium DEI credidissent, si ad petitionem ipsorum de Cruce descendisset: Noluit Christus, subintrat hîc Cornelius, descendere (licèt id facere potuisset) irritatus tot Pontificum sannis, quia ex Patris præcepto in Cruce mori debebat, ut nos è morte redimeret. Contemsit ergo impiorum improperia, ut nos idem facere doceret. S. Gregorius aliam subdit rationem: *Si*, inquit, *tunc de Cruce descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret, sed exspectavit paululùm, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admirationem; & qui de Cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plùs igitur fuit, de sepulchro surgere, quàm de Cruce descendere: plùs fuit mortem resurgendo destruere, quàm vitam descendendo servare.*

Corn. hîc

S. Greg. M. hom. 21. in Evang.

Redeo

Redeo ad S. Andream Apostolum. Ubi Patris in Achaia ad arborem olivæ rectus crucifixus est, & nunc duos dies, totidémque noctes ad viginti hominum millia de Christi fide peroraſſet, omnémque istam multitudinem DEO lucratus fuisset, territus Proconsul, & seditionem populi metuens, eum de ligno Crucis detrahere constituit, sed prævenit S. Andreas sublata voce ad Dominum clamans: *Ne permittas, Domine JESU Christe, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in Cruce, solvi; sed suscipe, Domine JESU, spiritum meum in Cruce.* Hoc dicens inter cœlestem splendorem ad Deum migravit. O Christiani! Discite hîc fortiter tenere Crucem, qui in ea perseveraverit, salvus erit.

CONSIDERATIO XLVII.

De vita exemplari, & prodigiis S. Nicolai Episc. Myrensis.

Pro Festo S. Nicolai Ep.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. 1. Tim. 3. 2.

1.

PRoponit hodie nobis Sancta Mater Ecclesia S. Nicolaum Episcopum Myrensem, virum omnibus numeris absolutum, & talem, qualem Doctor Gentium Paulus in Timotheo, & Tito, Discipulis suis, atque ab ipso creatis Episcopis, requirit, & describit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse.* 1. Tim. 3. 2.

Olim Sacerdos summus in veste poderis, seu in tunica hyacinthina in parte extremâ aurea portare solebat tintinnabula, rationem litteralem assignat Scriptura: *Ut audiatur sonitus, quando ingredietur & egredietur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Hinc nec pedem figere poterat, quantumvis mutus, ac silens, ut non ab omnibus ejus adverteretur Exod. 28. 35.

& agnoſceretur præſentia; & hoc ad excitandam in populo debitam erga DEUM, & Sacerdotes ejus reverentiam. S. Gregorius Magnus per aurea tintinnabula Sacerdotis bona intelligit opera, mores enim, & vita illius, omnesque actiones ſunt æra canora, quæ, licèt lingua ſileat, præ omni ſonant tintinnabulo.

S. Greg. M. I. Regiſt. ep. 24.

Procedente quondam columnâ, quæ per deſertum in terram deſiderabilem ducebat Iſraël, procedebat & populus: ſed quando ſtabat illa quieta, populus quieſcebat: *Cernentibus univerſis, quòd columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi, ſtabantque ipſi & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum.* Si Epiſcopus, ſi Prælatus, ſi Superior, ſi Parochus, ſi Concionator pergit in via virtutis, & ſubditi hoc facient; ſin fuerit otioſus ac tepidus, & ſubjecti fient otioſi & tepidi: *Stabantque ipſi.* Quales erant virgæ illæ variegatæ, quas Jacob in canali inter limpidas ſuis ovibus oſtendebat aquas, tales quoque oves concipiebant fœtus: *Ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ovium, ut in earum contemplatione conciperent.* Et nunquid ſubditi majorum ſequuntur exempla, ſeu bona, ſeu mala? Si bonum notant, res ſalva eſt, fecit enim Superior, quod ſuum erat; ſi malum? Ecce opera tua, ô Superior! ſeu bona, ſeu mala, ſunt virgæ, quas contemplantur oves tuæ curæ commiſſæ, proinde ordinariò vivent, ſicut tu vivis. *Duc in altum*, quicunque tandem es animarum Curator, ſive in ſuperiori, ſive in inferiori gradu conſtitutus, & diſce à S. Nicolao Myræ Epiſcopo, quomodo te gerere debeas, ne ſimul cum ovibus æternùm pereas.

Exod. 33. 10.

Gen 30. 41.

Luc. 5. 4.

2. Samuel ex Anna Matre ſterili, Elcanæ viri nobilis de Ramathaim conjuge, ex voto natus eſt, quem pia Mater ablactatum per manus Heli Pontificis DEO obtulit, & in ſervum perpetuum ei dedicavit: *Pro puero iſto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulavi eum. Ideirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus.* Joanna, Epiphanii viri illuſtris digna conjux, in urbe Patara Provinciæ Liciæ & minoris Aſiæ, per plures annos in matrimonio ſterilis, ſimilem filium precibus ſuis à Bonitate divina impetravit anno Chriſti 280. quem qui parentes Nicolaum appellabant, & Deo totum in obſequium conſecrabant, *Diuturnâ*, inquit Vita, *laboraverant ſterilitate S. Nicolai parentes, cùm tandem ſerventi oratione precibusque filium impetrârunt, qui prodigioſa ſanctitate & Doctrinâ totum illuſtravit orbem.*

1 Reg. 1. 27.

Vit. S. Nicol.

De S. Joanne Præcurſore Domini applicat S. Mater Eccleſia iſta Iſaiæ Prophetæ verba: *Dominus ab utero vocavit me: de ventre Matris meæ recordatus eſt nominis mei.* Hoc idem pereleganter applicare poſſumus S. Nicolao, de quo infante recens nato perhibet S. Methodius, & alii, quòd ipſe Nativitatis ſuæ die, cum obſtetrix, aſſiſtentibus aliis mulieribus, eum juxta morem in primo abluere vellet balneo, proprio motu ſe in pelvi erexerit, &

Iſa. 49. 1.

ſtans

stans sine adminiculo, elevatis in cœlum oculis ac manibus Deum adoraverit: *Stetit*, ait Dionysius Carthusianus, *erectus in pelvi, dum infantulus balneare-tur; unde opinari quis posset, quòd fortè acceleratus fuit in eo supernaturaliter tunc usus rationis &c.* Dionys. Carth ser. 2. de hoc S.

3. Jeremias ait, & in se ipso expertus est: *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* S. Nicolaus jam à primis cunabulis jugum Domini portare cœpit, dum diebus Mercurii & Veneris semel duntaxat sub vesperam lac maternum admisit, quam consuetudinem jejunandi per omnem vitam servavit. O quàm dissimilis est gustus & gula nostra! O Christiani! audite monentem & clamantem Apostolum: *Sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo &c.* Thren 3. 27. Tit. 2. 12.

Patientissimus Job in omni tribulatione se ipsum solatus est: *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum.* Hoc quoque de S. Nicolao dicere possumus, quòd cum eo creverit ab infantia & primis vitæ annis miseratio in pauperes, dum enim in studiis litterarum admotus, insignes in variis acquirendis scientiis, ac præsertim in omni genere virtutum progressus feciſſet, jam tunc pater pauperum extitit, quæ virtus jam à pueritia ipsum usque ad beatum obitum comitata est. Job. 31. 18.

4. Dives Booz valde misericors fuit erga Ruth pauperculam & verecundam, quæ præ modestia & verecundia non audebat petere eleemosynam, sed in agro colligebat remanentes spicas; unde Booz suis præcepit messoribus: *De vestris manipulis projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* S. Nicolaus, ubi piè mortuis parentibus suis dispensator omnium bonorum paternorum factus est, statuit, omnem hæreditatem erogare in pauperes ac præsertim verecundos, qui palam petere, quibus indigebant, non auderent; unde largissimè subvenit tribus virginibus extremâ paupertate laborantibus, & de integritate pudicitiæ laborantibus, & ne illæ perderent castitatem, ipse aurum perdere voluit; proinde rectè cum Jobo dicere poterat: *Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum*: Oculus, inquam, Divus Nicolaus cœco fuit, dum post studia Presbyter factus ignorantes & cæcos in fide docuit, verbum DEI summo fructu disseminando; baculus fuit claudis, dum vacillantes in fide, præsertim tum temporis inter tot Gentilium Imperatorum & Judicum eorum persecutiones confortavit, erexit, confirmavitque. Pater quoque pauperum fuit, quos de suis nutriebat facultatibus: *O! beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.* Ubi observandum, quòd Regius ille Vates non dicat: *Qui subvenit*, sed *qui intelligit super egenum & pauperem*, ille enim quàm proximè appropinquat DEO: ratio est, quia DEUS T. O. M. tam benignus est, ut indigentibus, licèt subinde non petamus, plura tamen subministret beneficia, gratias, auxilia &c. Adinstar solis, *qui oritur super bonos, & malos, super justos, & injustos.* Ruth. 1. 16 Joh. 29. 15. Pl. 40. 1. Matth. 5. 45.

5. De

Marc. 1. 35. 5. De Christo Domino recensèt S. Marcus: *Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum.* In alio loco idem Evangelista commemorat, quòd Christus post decollationem S. Joannis Baptistæ suos discipulos pari-
Marc. 6. 31. ter ad desertum invitaverit: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Et quare hoc? Resp. Cornelius & alii, ut ibidem & ipse Christus & discipuli ejus tum orationi mentali, tum vocali, ac piis exercitiis, utpote à strepitu sæcularium magìs remoti, attentiùs vacarent. En originem Sacrorum Exercitiorum! De S. Nicolao pari modo refert vita, illum in eremo demoratum, ut meliùs & attentiùs DEO posset inservire; in qua dulci solitudine usque ad vitæ finem lubentissimè permansisset, nisi per divinam revelationem fuisset admonitus, ut rediret Myram. Disce hîc, anime mi, meditationi imposterùm magis invigilare, si vis in solida virtute proficere:
Ps. 38. 4. *In meditatione mea*, ait Psaltes, *exardescet ignis.*

Job. 14. 15. 6. Quomodo vocationi divinæ sit parendum, agnovit benè tolerantissimus ille Jobus: *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* Econtra, quia Jonas
Jonæ 1. 3. DEUM vocantem non secutus est, sed abiit, *ùt fugeret a facie Domini*, fugiens DEUM vocantem, incidit in cetum devorantem. Mirabilis illa fuit vocatio, quâ S. Nicolaus à DEO ad munus Episcopale vocatus est; cùm enim post Sacra Palestinæ loca visitata Hierosolymâ reverteretur Myram, & ibidem Episcopi Provinciales de novo consultarent Episcopo Myrensi eligendo, divinitùs admoniti sunt, ut eum eligerent, qui postridiè manè primùs in Ecclesiam ingrederetur, Nicolaus nomine. Qua observatione adhita in Ecclesiæ janua deprehensus est Nicolaus, & summo omnium consensu illius loci dignissimus Antistes creatus est. Reluctabatur quidem ille, quantùm poterat, dum supra majus altare collocaretur, sed quia voluntatem DEI, & ardens Episcoporum ac totius populi studium agnovit, non sine lachrymis hanc dignitatem acceptavit, dicens interim cum Psalmista:
Ps. 87. 16. *Exaltatus autem humiliatus sum, & conturbatus.*

7. David sedulam suarum ovium, quas ut adolescens pascebat, curam & custodiam habuit, pro quarum salute non dubitavit vitam aliquoties ex-
1 Reg. 17. ponere, quod satis luculenter apparet ex propriis illius verbis, quæ ad Saul
34. Regem nunc contra Goliathum pugnaturus dixit: *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum, & illi consurgebant adversùs me, & apprehendebam mentum eorum, suffocabam, interficiebamque: nam leonem & ursum interfeci, ego servus tuus. Erit igitur & Philistæus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* Verùm longè major erat sollicitudo & vigilantia S. Pastoris nostri Nicolai in tuendis & regendis Christi ovibus, nullus enim labor, nullum corporis incommodum, nullum vitæ periculum illius poterat labefactare animum, quin in omni occasione se generosè leoni infernali,

li, & ursis, hoc est, gentilibus & tunc exurgentibus Arianis opponeret; unde indefesso suo studio, sudore ac labore plura hominum millia ex faucibus Diaboli eripuit. En! veri animarum Pastoris perfectissimi ideam. Facisne tu similiter?

Ingens erat Eliæ Prophetæ zelus, unius & veri DEI cultum promovendi, & econtra idolum Baal, & illius cultores destruendi; unde legitur, quòd extirpatis falsis prophetis Baal, altare holocausti Deo vivo & vero erexerit, supra quod ignis de cœlo cecidit, & holocaustùm devoravit, quod videns omnis populus exclamavit: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Postquam S. Nicolaus factus est Episcopus, adhuc colebatur in Provincia Myrensi idolum Dianæ, in quem finem ipse, tanquam alter Elias, zelo religionis incensus statuit totam suam circuire Diœcesin, & hujus idoli cultum cum idololatris gladio verbi DEI & prodigiis extirpare, quod & feliciter perfecit, totamque Regionem ab idolis expurgavit; unde non immeritò tunc omnis populus exclamavit: *Dominus ipse est DEUS: Dominus ipse est DEUS.* 3 Reg. 18. 39.

8. De castitate Josephi Jacobi Patriarchæ filii, egregium habemus in Sacris litteris testimonium: Cùm enim impudica Puthipharis uxor pluries illi esset molesta, eò quòd formosus erat, & decorus, imò & tandem vim ipsi discuperet inferre, relicto pallio in manu ejus, fugit, apud se dicens, & in cœlum ingeminans: *Quomodo hoc malum possum facere & peccare in DEUM?* En! præsentissimum contra libidinis tentationes remedium, timor videlicet DEI, quem Joseph ubique præsentem venerabatur; & fuga ejusmodi malæ occasionis, quia vel ipse mulieris tactus contagiosus ac venenatus est, & non aliter viris, præsertim sacris, quàm rabidissimi canis morsus, & latentis in herba serpentis fugiendus. Proinde rectè Christianus ille Poëta cecinit: Gen. 39. 9.

Quid facies, facies Veneris cùm veneris ante?
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

De S. Nicolao refert vita, quòd non duntaxat in juventute sua, sed & per omnem vitæ cursum fuerit castissimus, & mulieres non aliter quàm pestem, & cane pejus & angue fugerit; non enim reputabat se Samsone fortiorem, nec Davide sanctiorem, nec Salomone Sapientiorem, qui omnes per mulieres decepti sunt. Et si, ô homo Christiane, non vis pariter ab illis falli ac circumveniri, oportet ut pestem earum vitare familiaritatem: *De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas*; & sicut difficile est, stupam approximari igni, & ab eo non comburi, ita pari ratione est difficile, virum, quantumvis pium, familiariter cum formosa muliere conver- Eccl. 42. 13.

sari, & non per incentiva libidinis ardere; hinc rursus scriptum est; *Qui te-*
Eccl. 13. 1. *tigerit picem, inquinabitur ab ea.*

9. Mirabilis erat ille raptus, quo Habacuc Propheta per Angelum ex Judæa in Babylonem uno, ut ita dicam, momento deportatus est, ut ibidem Danieli in lacu leonum incluso deferret prandium: *Dixitque Angelus*
Dan. 14. 33. *Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum; & dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Simile quid accidit cum S. Nicolao: cùm enim nautæ in summis jactarentur tempestatum angustiis, nec ullum ampliùs humanum sperare possent subsidium, expansis manibus ad DEUM clamârunt, ut ipsis in salutem mitteret Myrensem Episcopum, ut tanti viri ac tantoperè à DEO dilecti patrocinio ac meritis juvarentur. Et ecce, illicò adest D. Nicolaus, dum adhuc in vivis existens, invisibili Angelorum manu illuc translatus, qui hisce verbis consolatoriis periclitantes in mari allocutus est: *Adsum quem invocâstis, in DEO confidite, cujus ego Minister advenio*; & arrepto clavo navim ad portum direxit inconcussam. O S. Nicolae! periclitamur & nos in hoc mari magno & spatioso hujus mundi immundi, dirige, obsecro, nos in viam & portum salutis æternæ &c.

10. De S. Josepho Ægyptiorum Pro-Rege recensent Sacræ Paginæ, quàm sollicitus pater fuerit in conservando tritico, ne tempore egestatis futuræ, quod spiritu superiori illustratus præviderat, homines fame perirent, qui & invidis fratribus suis largâ manu frumentum distribui manda-
Gen. 34. 25. vit, ut illud in Chanaan perferrent: *Jussit Ministris, ut implerent eorum saccos tritico.* Nec minorem curam de suis ovibus habuit S. Nicolaus, quas non solùm pane in egestate summa refecit, sed & triticum illis in annonæ defectu mirabilem in modum procuravit. Ita enim refert vita, quòd adhuc vivens Mercatori prædiviti, qui in Sicilia frumento naves suas oneraverat in Hispania illud venditurus, apparuerit, eumque efficaciter adhortatus sit, ut quantociùs in Lyciam vela dirigeret, & Myræ in urbe sua egentibus civibus frumentum divenderet, maximas exinde adepturus divitias. Paruit Mercator, & Provincia Lycia cum sua Metropoli Myra ab extrema fame & interitû liberata est. En! providum patrem & pastorem suæ diœceseos, dignum, quem imitentur Principes & Episcopi, ut non solùm de pane vitæ, sine quo non vivit homo, sed & de temporali, quantùm fieri potest, gregi
Ps. 40. 1. suo provideant: *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.*

Abraham non exspectavit, ut pauperes ab eo humanitatis peterent beneficia, sed ipsa eis, ac præsertim peregrinis obviam venit, rogans eos, ut apud se diverterent; quod satis luculenter patet de tribus Angelis, in spe-

cie

cie peregrinorum ante domum suam transeuntibus, quos humanissime rogavit, ut unà secum cibum caperent: *Cumque elevâsset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum; quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum &c.* Gen. 18. 2. En! alterum Abrahamum in S. Nicolao, qui etiam non rogatus pauperibus pro possibili subvenit, & futuris sæculis pulcherrimum exemplum reliquit. Unde meritò de illo hodie canit Ecclesia; *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Ps. 111. 25. Et cùm aliquando non haberet, nisi unicum panem in cellario, illum pluribus operariis in Ecclesia sua laborantibus apposuit, quò omnes abundè refecti sunt. Aliâ vice, cum mensæ cum suis Clericis assideret, nec ad refectionem illorum haberet, nisi modicum vini vasculum, cunctis infundi præcepit, ubi vinum mirabiliter adauctum cunctos refecit. Ecce, quam verùm sit illud Sapientis: *Qui dat pauperi, non indigebit.* Ex Prov. 28. 27. quibus, anime mi, collige, quomodo eleemosyna non depauperet, sed summè ditet; proinde valde mirandum est, quòd multi divites fideles cùm fidem habeant, reipsa tamen & factis huic DEI promisso non credant: *Et nunquid frumentum*, subintrat hîc S. Basilius, *cadens in terram lucrum projicienti parit? sic & panis in esurientem porrectus multam imposterùm tibi reddet utilitatem.* S. Basil. hom. 6.

11. S. Paulus, ubi in Concilio publico Judæorum Hierosolymis causam suam & Christianismum prudentissimis rationibus voluit defendere, ubi vix loqui cœpit, mandavit Ananias injustus Pontifex, ut ab adstantibus percuteretur alapis; sed ille mox retorquebat argumentum: *Percutiet te DEUS, paries dealbate.* Actor. 23. 3. Dixit hoc Paulus authoritate Apostolicâ, & ex zelo justitiæ, intentans & prædicans injusto judici justam DEI ultionem. De S. Nicolao refert ulteriùs vita: Cùm Niceno interesset concilio tanquam Episcopus & Prælatus Ecclesiasticus, in eo Catholicam fidem, ac præsertim DEUM unum in essentia, & trinum in personis contra Arrium & illius sequaces validissimus argumentis, & Sacræ Scripturæ testimoniis acerrimè defendit, & ut magis adhuc confunderet Arrium dicentem: Patrem in divinis majorem Filio, & Spiritum Sanctum utroque minorem, surrexit intrepidus desella sua, & in conspectu totius Sacri Concilii non ferens blasphemiam, impio Arrio egregiam impegit Alapam: *Percutiet te DEUS, paries dealbate;* arripiensque in manus laterem, seu coctum lapideum, naturalibus argumentis & experientiis disputationem suam ulteriùs prosequebatur. *Hanccine*, inquiebat, *tegulam cernitis, tria omninò diversa in se complectentem; constat quippe aquâ, argilla & igni: nonnisi tamen unus est later. Ad eundem planè modum in arcano, ineffabilique SS. Trinitatis mysterio rem se habere vobis persuâdeatis velim, nam in illa quidem tres discrepantes personæ sunt, & in relationibus planè oppositæ, attamen non nisi unum & essentiâ & naturâ DEUM constituunt, substantiâ hic unitatem, & relatione causante differentias.* Petr. Bess. hoc festo. Hæc cùm diceret, stupebant omnes, qui eum audiebant, & nemo erat, qui poterat

resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur, nisi solùm aliqui **Græcorum**, qui eum ad tempus aliquod suâ privabant mitrâ & pallio, quod tamen utrumque paulò post recepit, dum enim Missam in honorem B. Virginis, cui erat devotissimus, in Pontificalibus vellet celebrare, & ob privationem mitræ & pallii doleret: *Ecce, cunctis videntibus*, ait Antonius Spinellus, *duo Angeli astiterunt, quorum unus mitram, alius pallium sibi divinitus restituerunt, & ex tunc reassumpsit sibi cœlitus delata.* Disce hîc, fidem Catholicam & verbo & facto defendere, & usque ad mortem certa pro justitia &c.

Ant. Spin. ex Petro de Natalibus.

12. Multa sanè ac planè stupenda Dominus per S. Petrum Apostolum & Vicarium suum patravit miracula, de quibus in Actis Apostolorum Divus Lucas commemorat, quòd, illo in civitatem aliquam introëunte, passim infirmi in vicis & plateis cum lectulis & grabatis fuerint collocati, ut saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis: *concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum, afferentes agros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* De S. Nicolao legitur in hodierna Collecta, quod de nullo Sanctorum legitur, quòd nimirum Deus innumeris eum honoraverit miraculis: *Deus, qui beatum Nicolaum Pontificem innumeris decorâsti miraculis &c.*

Act. 5. 16.

Nautam mortuum suscitavit ad vitam; Oratione sua varios sedavit maris motus ac tempestates; Vivus adhuc & absens Constantino Imperatori apparuit, & innocentes quosdam clientes à morte & carcere liberavit. Cùm esset Romæ, ubi juxta Tiberim palatium magna ex parte prolapsum erat in flumen, & hinc inde jacebant ruinæ domûs, præteriens vidit columnam marmoream adhuc integram, supra quam Crucis formavit signum, dicens: *I columna per hoc flumen usque ad mare, & usque ad urbem Myræ te circumfer, nam ibi te uti in Ecclesiæ meæ erectione volo, cùm DEI ope rediero.* Attende hîc, anime mi, ingens prodigium: Columna illa marmorea obedivit voci Sancti hujus Antistitis, & per Tiberim usque ad mare Thyrenæum, & per illud usque ad portum Myræ pervenit, ubi paulò post rediens ad suam diœcesim S. Nicolaus, eam in portu invenit in columnam Porphyreticam, quam in novo templo suo pro fulcro erexit, ubi etiamnum spectatur in tanti prodigii perenne monimentum. Mitto quàm plurima alia prodigia, quæ DEUS per hunc servum suum patrare voluit, dum in cunctis elementis mira fecit: Ignem extinxit furentem, aërem rabiosum compescuit, fluctus tumentes & insanos coërcuit, terram fœcundavit &c. quæ miracula in vitis Sanctorum spectanda multùm Orthodoxos reddere debent in fide stabiles: *Non enim fecit DEUS taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

Ant. Betaillius in vita.

Ps. 147. 20.

13. Ad beatum obitum hujus SS. Præsulis Myrensis venio. Cùm nunc grandævus jam esset, virtutibus, doctrinâ, miraculis ac meritis summè

mè conspicuus, de cujus vultu mirabile promicabat lumen, petiit à DEO Salutari suo, ut ab hoc miseræ mortalitatis exilio dissolveretur, in quem finem levi correptus morbo, se DEO & sanctissimæ ejus voluntati in omnibus paratum stetit. Et cùm nunc adventâsset optatus ille & supremus vitæ articulus, ex quo pendet omnibus aut felix, aut infelix æternitas, Angelos obvios habuit, ubi læto animo adhuc recitavit illum Psalmum: *In te, Domine, speravi; non confundar in æternum;* & ubi pervenit ad illum versiculum: *In manus tuas commendo spiritum meum*, DEO Creatori ac Salvatori suo in pace reddidit spiritum suum. Et quid tot ac tantis vivus à DEO erat illustratus prodigiis, nec minoribus eum mortuum Dominus decoravit miraculis, dum mox ex illius sepulchro pretiosum manna, seu pretiosus quidam, & salutifer liquor, qui variis & insanabilibus mederi cœpit morbis, manavit, & etiamnum manat ex marmorea illius tumba, propter quod turmatim illuc ruunt ex omnibus Nationibus populi, ut de hoc sacro oleo & manna aliquid participent, sicut & ego recepi: *Benedictus DEUS in Sanctis suis.* Ps. 30. 1.

Quid igitur nunc restat, anime mi, nisi in virtutes hujus SS. Antistitis pro omni possibili modo imitemur, si cum eo pariter in cœlesti gloriâ à DEO velimus coronari? Portavit ille dulce jugum Domini non ab adolescentia tantùm, sed jam ab infantia sua; & nos quid in meliori & provecta ætate? Ah nos miseros! quotidie incipimus, & tamen in solida virtute non proficimus. Agnoscamus aliquando, dum adhuc tempus est, miseriam nostram, & demerita nostra amaris deploremus lachrymis. Ille Sanctus, quia magnis pro honore DEI & salute proximi perfunctus est laboribus, in morte Angelorum choros sibi obvios habuit congratulantes ei, & concinentes: *Euge, serve bone &c. O! pretiosa mors in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus;* Quis igitur tali ac tanto Domino non libenter, & pro omnibus viribus non serviat, quoniam omnia inserviunt ei? *Dixi, nunc cœpi*, & hodie iterum incipio de novo servire DEO meo. O S. Nicolae impetra mihi hanc gratiam & quidem efficacem.

CONSIDERATIO XLVIII.

De B. Virgine sine omni Macula originali, & actuali.

Pro Festo Conceptionis B. V. Mariæ.

De qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.
Matth. 1. 16.

I.

PErelegans est ista quæstio, quam sancti Patres, & sacrarum Scripturarum Interpretes producunt in medium; An videlicet adhuc supersit amœnissimus ille paradisus terrestris, in quo primus homo Adam fuit collocatus: *Plantaverat autem Dominus DEUS paradisum voluptatis? &c.* Resp. S. Justinus cum S. Augustino, Damasceno, Thoma Aquinate, & mille aliis, quos citat Viegas, quòd omnino ex peculiari DEI providentia tempore Noëmi in universali illo diluvio paradisus terrenus fuerit servatus intactus, eò quòd innocentiæ locus à DEO non maledictus, in quo in hodiernum usque diem quietè, ac sanctè vivunt Henoch, & Elias, qui ambo Angelorum ope in illum amœnissimum locum fuerunt transportati, in quo in continua DEI contemplatione usque ad ultima orbis tempora vivent, ubi Henoch Gentibus, & Elias Judæis prædicabunt pœnitentiam &c. Juvat hîc audire Abulensem: Cùm totus orbis, inquit, aquis diluvii obruitur, paradisus immunis servatur, & licèt aquæ ad majorem ascenderint altitudinem, paradisum tamen adinstar muri cingebant, & intactum conservabant. Et quare hoc? Ex figura nosce figuratum.

Gen. 2. 8.

Gen. 5 224. 4. Reg. 2. 11. Abulens. q. 15 in Gen. 7.

Per hunc paradisum S. Joan. Damascenus Beatissimam, & immaculatam DEI Genitricem MARIAM subaudit; *Ad hunc paradisum*, ait, *serpens aditum*

S. Damasc. orat. 2. de

tum non habuit; & ubi peccatum originale, instar diluvii totum terrarum orbem inundans, omne mortalium genus devastaverat: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*; soli ac unicæ SS. Deiparæ nocere non potuit, proinde rectè S. Thomas Aq. *Maria purissima fuit, quantùm ad culpam, quia nec originale, nec mortale nec veniale peccatum incurrit*, & hoc ipso, quòd Ecclesia hoc festum Conceptionis B. V. tanta cum solemnitate, & octava per orbem terrarum assumpsit celebrandum, omnibus fidelibus ingens, & luculentum adstruit testimonium, eandem B. V. Conceptionem à prima animationis instanti fuisse sanctam, & omnis contagionis expertem, de qua & sacrum Evangelium hodiernum concludit: *De qua natus est JESUS, qui vocatur Christus:* Hoc solum sufficit, subintrat hîc Celada, dum Matrem DEI dixit, plùs, quàm mille rationes pro ejus puritate. Plura de hac veritate nobis hodie occurrunt explananda, & dilucidanda. Qui MARIAM pro sua dignitate æstimat, amat, & colit, facilè attentas præbebit aures, quia de tali dilecta nunquàm satis.

B.V dormit. Rom. 5. 12. S. Thom. Opusc. 4. de Salut. Angel. Matth. 1. 16. Celada in Esth. §. 348.

2. Si sacram Scripturam attentiore perpendimus intellectu, inveniemus, quòd Eva sola inter mortales omnes in paradiso terrestri à DEO fuerit formata, & ex costa dormientis Adami in mulierem ædificata, Adam autem generis humani Proto-parens extra paradisum à DEO ex limo terræ creatus est, & exinde primùm ab Angelis translatus in paradisum, ut operaretur, & custodiret illum. Et cur sola Eva, dices, in paradiso in lucem prodiit, cæteris omnibus procul à paradiso in lucem prodeuntibus? Quis non miretur, quòd soli Evæ ex universa hominum massa hic honor à DEO deferatur? An fortasse, quia erat *Mater cunctorum viventium.*

Gen. 2. 21. Gen. 3. 20.

Minimè Gentium, subintrat hîc de Lanuza Episcopus Barbastrensis in Medulla Cedri Libani: *Crediderim sanè in gratiam Mariæ, quæ reliquis in peccati exilio extra paradisum nascentibus, ipsa sola in paradiso nascitur sanctitatis, DEI Genitrix post futura: Illa, inquam, quæ naturæ humanæ, sed maximè fœminei sexûs infamiam repararet, dum digna DEI Mater eligitur, & hodie in hunc finem immaculata concipitur &c.* Ita ille Episcopus Hispanus.

De Lanuza hoc festo.

Job, licèt patientissimus, ubi conceptionem suam, ac diem suum natalem, inter tot constitutus ærumnas, attentiore mente perpendit, laxatis naturæ habenis, & nocti illi, & diei maledixit: *Posthæc aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo.* Ad quid, obsecro, talis impatientia in homine aliàs patientissimo? Et cur ortum suum adeò execratus est? Nunquid hîc crimen impatientiæ admisit, cùm tamen de istius sanctitate S. Spiritus hoc luculentum ferat testimonium: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra DEUM locutus est?*

Job. 3. 1. Job. 1. 22.

Resp. Doctor Angelicus: *Maledixit*, inquit, *Job diei isti propter culpam originalem, quam nascendo contraxit*; quæ maledictio in omnes homines pertran-

S. Th. q. 76. 2. 2. Rom. 5. 23.

transiit: *Omnes enim in Adam peccaverunt, & egent gloriâ DEI.* Sed non SS. Deipara, semper ab omni originali, mortali, & veniali labe immunis. Benedicta sit igitur illa nox, in qua sine ulla macula concepta est; & benedictus dies, in qua sine ulla labe originali nata est; proinde rectè S. Ildephonsus: *Constat*, ait, *illam ab omni peccato fuisse immunem, per quam non solùm maledictio Matris Evæ soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur.*

S Ildephon. l. de Partur. Virg.

3. Abimelech non tam Judex, quàm & Tyrannus, nothus Jerobaal, seu Gedeonis filius, ubi septuaginta fratres suos abominando parricidio super unum lapidem occidit, ut solus Regno Israëlitico potiretur, exercitum suum in tres divisit turmas, quibus turrim, seu arcem Sichem grandem, & munitissimam, ad quam velut ad securum asylum plures homines confugerant, obsidione cinxit, & tandem ferro, & igne expugnavit, necatis ibidem mille viris. Abinde cum exercitu suo proficiscens in Thebes, cùm similem excelsam ac munitam turrim conaretur expugnare, propiùs accedens à fortissima quadam muliere, è summo pinnaculo ingens saxum in ipsum projiciente, contritus est: *Et ecce, una Mulier fragmen molæ desuper jaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.*

Jud. 9. 53.

Per Abimelech, superbum illum Tyrannum, rectè subaudies Diabolum, qui per tres turmas suas in orbem immissas, hoc est, per peccatum originale, mortale, & veniale universum genus humanum suæ subjicere voluit potestati. Ast ubi venit ad turrim Davidicam, ex qua mille clypei pendent, hoc est, ad Mariam, ut eam pariter expugnaret, & peccati originalis labe inficeret, ipsi ab hac fortissima Muliere contritus & superatus est, ubi divinum illud miraculum adimplétum est: *Ipsa conteret caput tuum.*

Cant. 4. 4.

Gen. 3. 15.

Vidit aliquando Nabuchodonosor Rex inter somniandum mirabilem quandam, ac nimìs prægrandem arborem, cujus altitudo usque ad cœlos pertingebat, & aspectus illius usque ad universos terminos terræ. De cujus fructibus omnigenæ pascebantur bestiæ, volucres cœli, & quod plus est: *Ex ea vescebatur omnis caro.* Et ecce, dum proceram, frugiferam, ac virescentem arborem in medio terræ stantem considerat, quidnam sibi velit, & quid portendat, observat Rex quendam vigilem, seu Angelum fortiter de cœlo clamantem: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus: verum tamen germen radicum ejus in terra finite.*

Dan. 4. 11.

Bessæus in supplemen. hoc festo

Petrus Bessæus insignis Theologus, & Christianissimi Regis Orator, per dictam arborem latissimam, naturam humanam intelligit, jam in paradiso terrestri à malo Angelo propter peccatum protoplastorum, (quod exinde in omne genus humanum pertransiit) destructam, succisam, vastatam, dissipatam, & exterminatam: *Verum tamen germen radicum ejus in terra finite,* per quam radicem seu germen, quod solum intactum in illo excidio permansit, SS. DEIpara ab omni peccati labe immunis præsignata est, de qua Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet; & requiescet su-*

Isa. 11. 1.

per

per eum Spiritus Domini &c. Hæc, inquam, radix Jeſſe, ubi tota natura humana, velut prædicta arbor, per culpam hæreditariam lapſa, & collapſa eſt, ſola ac unica in terra indemnis, ac immunis præſervata fuit, ex qua tandem radice ortus eſt *Flos campi*, & arbor vitæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, per quem ſalvati, & liberati ſumus: *De qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus.* Juvat hîc audire Nicolaum Cuſanum: *Sola*, inquit, *illa electiſſima DEI Mater hoc habet, quòd in initio eſſendi ſub nequitia maligni dificere nequivit; Puta, quod in creatione rationalis animæ in corpore, & ſeparatione à corpore in poteſtate maligni nunquam fuit; ſola igitur glorioſiſſima Virgo non reperitur tempore ullo peccato originali ſubjacuiſſe.* Cant. 2. 1. Matth. 1. 16. Nicol. Cuſ. lib. 8. in Cant. 2. v. 2.

5. Fecit quondam Moyſes, Dux & Legifer populi Iſraëlitici, non ſine ſingulari divini Numinis inſtinctu *labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi*, ut, ſi ingredi vellent tabernaculum Sacerdotes, ſe ipſos priùs ante fores in illis lucidiſſimis ſpeculis intueri poſſent, & maculas corporis, ſi quas invenirent, in labro illo æneo abluere. Exod. 38. 8.

Pulcherrima eſt hæc figura. Nunquid tale ſpeculum Maria eſt, & quidem ſine omni macula? Ita atteſtatur Sapiens: *Candor enim eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine omni macula.* Supra quod D. Ambroſius: *in qua*, inquit, *velut in ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis.* Speculum autem in ſe recipit formam proprii ſui artificis; ita Virgineum illud ſpeculum Mariæ in ſe recepit, atque in caſtiſſimis viſceribus ſuis concluſit proprium ſuum Creatorem: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo;* Unde & Mater noſtra ſancta Eccleſia de ea cantat: *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Sap. 7. 26. S. Ambr. l. 2. de Virg. Eccl. 24. 1.

Vidit quondam dilectus Chriſti Diſcipulus ſignum magnum in cœlo: Mulierem amictam ſole, & lunam ſub pedibus ejus, & in capite ejus coronam ſtellarum duodecim habentem; paucis intercalatis addit; *Et Draco ſtetit ante mulierem, quæ paritura erat, ut, cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.* Barradius per illum Draconem Herodem intelligit, qui Chriſtum puerum vix in lucem natum enecare, & devorare voluit. Verùm Rupertus Abbas per dictum Draconem magnum & rufum, habentem capita ſeptem, Diabolum, ſeu ſerpentem antiquum ſubaudit, qui Mulieri, hoc eſt, B. Virgini jam jam in animationis inſtanti parabat inſidias, ut eam pariter cum cæteris mortalibus labe inficeret originali: *Draco ſtetit ante mulierem;* ſed re infectâ, quia ipſa conculcavit leonem & draconem, & ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulavit. Ita enim decebat, dum jam ab æterno ordinata invenit gratiam apud DEUM; proinde rectè ſuper montana Judææ ambulans, lætâ voce & animô cantavit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Audi ipſum, anime mi, præfatum Rupertum: *Stetit quidem Draco ante Mulierem: Serpens namque inſidiabatur, ne fieret, quod poſuerat DEUS. At DEUS propoſiti ſui victoriam in* Apoc. 12. 1. Pſ. 90. 13. Luc 1 48. Rup l. 2 de vil verbr Dei c. 16.

potestate habens, mysteria à sæculo abscondito, immaculatam sibi Matrem elegerat. Observa: *Immaculatam.*

6. Demiratur Orbis universus sumptuosum illud & magnificentissimum templum, quod Salomon quondam Hierosolymis DEO T. O. M. immensis impensis ædificavit, pro cujus fundamento pretiosissimam unionem jecisse asserunt, & alios lapides pretiosos, ut per hoc demonstraret, quòd non homini, sed DEO universorum Domino exstrueretur templum, hinc illud ædificium non super fundamenta vilis & abjectæ materiæ, sed super uniones ac pretiosos lapides collocavit, ex cujus exinde structura, cùm perfecta est, adeò sibi complacuit DEUS, ut Scriptura dicat: *Elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

2 Paral. 7. 16.

S. Damasc. Orat. 1. de dorm. B. V.

S. Ildeph. c. 20. de B. V.

Omnia hæc facta sunt illis in figura. *Templum Salomonis*, ait S. Damascenus, *B. Virgo est*, & S. Ildephonsus eam vocat: *Templum unicum Factoris sui*, in illa enim Verbum, tanquam in centro suo, oportebat requiescere; hinc cùm DEUS creavit & fabricavit hoc mysticum templum, jecit non fragilia, aut ob noxæ originalis fœditatem vilia fundamenta, sed solida, pretiosa, & sancta, cum gratiæ sanctificantis unione, & lapide longe pretiosissimo, ut initium vitæ sic fini foret conforme, unde de eo Vates Regius: *Fundamenta ejus in montibus sanctis &c.*

Ps. 86. 1.

Prævidit quondam Sapiens superiore lumine & Spiritu illustratus mulierem quandam strenuam ex stirpe Regia & Davidica in hunc mundum venturam, quæ tanquam navis mercatoris à longinquo mercimonia sua, panemque copiosum ad alias indigas Regiones esset advectura: *Facta est, quasi navis institoris.* Pereleganter hæc Sapientis verba B. V. Mariæ adaptantur, hæc enim, dum mundum ingressa est, facta est sicut navis institoris, hoc est, Salvatoris nostri, de longe, id est, de cœlo portans in utero suo panem vivum, hoc est, Christum, per quem omnes reficiuntur justorum animæ.

Prov. 31. 14.

Cœlestin. Sfondrati Card. de Innocentia Vindicata.

Cæterùm de Ferdinando Magellanico referunt, quòd ope navis suæ, cui nomen imposuit *Victoria*, triennii spatio per diversa maria totum orbem lustraverit; & ubi cæteræ naves fuerunt aut ventorum rabie, aut tempestatum fluctibus, aut allisione ad petram fractæ, ac submersæ, sola illa navis *Victoria* semper in omni periculo evaserit *Victrix*, & post triennium salva Hispali, unde exierat, felix rursùm portum subierit, pretiosissimis mercibus, auro & aromatibus onusta. Maria sine macula concepta talis navis institoris est, semper victrix, nullisque ventis, turbinibus, insidiis, tentationibus, & periculis cedens: *Semper Victrix*, proinde jam à primo animationis instanti à periculoso illo originalis culpæ scopulo & naufragio misericorditer per DEUM præservata est; unde meritò hæc navis Victrix hoc lemma tulit. *Expers naufragii.*

7. Venit aliquando Christus Dominus cum Discipulis suis Capharnaum, ubi

ubi ſub urbis porta Romani exactores tributum à Petro exigebant: *Magiſter veſter non ſolvit didrachma:* (Non enim auſi ſunt interpellare Chriſtum ob ſanctitatis & miraculorum famam, ideo Petro ſeorſim loquebantur) quibus Petrus ait: *Etiam;* & cùm intrâſſent in domum conductam, prævenit eum JESUS dicens: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum vel cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis?* Et reſpondit Petrus: *Ab alienis,* & rurſum Chriſtus: *Ergo liberi ſunt filii &c.* Matth. 17. 23.

Tributum peccati originalis, ob primam culpam Proto-Parentum noſtrorum in totum genus humanum derivatum, ſolvere debent omnes, nullus hîc excipitur, nec infans unius diei; ergo & B. Virgo? Reſp. nullo modo, non enim aliena erat, ſed libera ſemper, atque æterni Regis Filia, Mater, Sponſa, adeoque nulli ſubjecta tributo, quod omnes filii Adam debebant, & etiamnum debent ſolvere: *Non enim pro te,* dicebat quondam Rex Aſſuerus ad ſuam Eſtherem dilectam, *ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt &c.* Eſth. 15. 13.

Ita malum Punicum, quia cum corona naſcitur, Regumque fructus aſſeritur, non ſolvit tributum, quocunque tandem pervenerit: *Si Beata Virgo,* ſubintrat hîc Eminentiſſimus Cardinalis Sfondrati, *nunquam ſubjecta tributo peccati originalis, & creata cum corona gratiæ fuit, ut videlicet intelligas, omnium creaturarum, ac etiam ipſius Adami Reginam fuiſſe, ſicque ejus legibus exemptam; nec enim decebat, & Reginam, & ſubjectam eſſe.* Card. Sfondrari de Innocentia vindicata.

8. De Vite recenſet Plinius, quòd tacta fulmine impura habeatur. Et nunquid in ſacris Litteris B. Virgo comparatur viti: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris?* Si illa vitis, ergo botrus eſt Chriſtus Dominus Filius ejus, in torculari Crucis pro ſalute hominum compreſſus: *Botrus Cypri dilectus meus.* Et hæc Vitis, quæ DEUM erat paritura, aliquando maledictionis fulmini fuiſſet ſubjecta? Abſit. Plin. l. 14. c. 19. Eccl. 24 23. Cant. 1. 13. Plin. l. 16. c. 13.

Fraxinus arbor præſentiſſimum remedium contra venenatos ſerpentes eſt, cujus umbram vel longiſſimè fugiunt, & abhorrent, quin in ignem potiùs proſilient, quàm ut ad Fraxinum accedant, unde lemma: *Infeſta infeſtis;* vel: *Nocentibus noxia.* Serpens ille infernalis toti generi humano ſtruxit inſidias, ut peccato hæreditario inficeret mortales omnes, quos & infecit. Verùm abhorrebat arborem unam, Fraxinum videlicet, ad quam non auſus eſt accedere, ſed potiùs ſe præcipitavit in ignem Tartareum. Fraxinus B. Virgo immaculata eſt, quàm à morſu ſerpentis antiqui præſervavit Omnipotens. Juvat hîc audire memoratum Cardinalem Sfondrati: *Quàm Fraxinus,* inquit, *ſerpentis tam Virgo peccati abhorrens: nec illa venenum, nec iſta culpam admittit: & quod natura in arbore, hoc gratia in Virgine fecit.* Card Sfondrat. loc cit. Plut in Vit. Alex. M.

Julius Cæſar (ſic nominatus, quià à matris utero cæſus) cùm poſt plura cruenta, & feliciter conſummata prælia in ſenectute bona indulgeret animi gratiâ venationi, aliquando vivam cepit raræ pulchritudinis cervam, & tantopere ab ipſo dilectam, ut mox ei libertatem donaverit; atque ut im-

posterùm venatorum insidias manusque effugeret, monile deauratum ejus collo alligari mandavit, in quo grandioribus litteris scriptum & insculptum erat: *Noli me tangere, quia Cæsaris sum.*

Cervæ ejusmodi amabili, & unicè dilectæ, & sacratissima Virgo à nobis non incongruè allegoricè assimilari potest, unde Sapiens: *Cerva charissima*, & Christus: *Hinnulus cervorum.* Sed cave, venator tartaree, & insidiator animarum scelestissime! Cavè, inquam, ne ad hanc à DEO uno & trino unicè dilectam, & charissimam accedas cervam; audis illam jam à longè clamantem: *Noli me tangere, quia Cæsaris sum*, & æterni Imperatoris filia. Nihil hîc canes immundi, quia inanis est omnis impetus, allatrare quidem sed mordere eam non potestis: *Cadent quidem in reticulo ejus peccatores: Singulariter autem sum ego, donec transeam.*

Prov. 5. 19. Cant. 8. 14. Ps. 40. 10

9. Et quid mirùm, quòd hæc SS. Deipara ab omni originali noxa fuerit præservata? Nunquid jam ante mundi constitutionem electa est DEI Mater? *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Videlicet in mente, & prædestinatione DEI non solùm, ut esset sancta & immaculata, sed etiam, ut esset Mater ipsius DEI Filii, & ideo omnis sanctitatis. Proinde hodie in festo ejus Conceptionis Ecclesia non immeritò in sacrificio Missæ hanc legere solet Epistolam, quia Conceptio SS. Deiparæ principium fuit redemptionis nostræ humanæ, dum paulo post incarnatio Verbi peragenda, & celebranda erat &c.

Prov. 8 23.

Matth. 13. 46. S. Cyrill. Ep. Alex hom. contra Nest.

Proposuit quondam Veritas Christus dilectis suis Discipulis memorabilem quandam de pretiosa margarita parabolam: *Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* S. Cyrillus B. Virginem simili margaritæ comparat: *Sit tibi S. Mater laus: Tu es margarita orbis terrarum.* Et quomodo Margarita? Adverte: Mira sanè est margaritæ in concha, seu in conchilio, genesis & custodia, & licèt fluctuet, atque jactetur inter salsas æquoris undas, ventorumque furias, nullum tamen, & nec minimam aquæ salsæ guttulam intra se admittit. Cui proinde rectè hanc adscribes gnomam: *Intra uterum jam pura fui.* Hinc non incongruè S. Bonaventura: *Cœli puritatem in se habere debuit MARIA, de cujus mundissimis particulis illa purissima caro Verbi cœlestis unibilis est assumpta.* Juvat hîc quoque audire doctissimum Mansium? Licèt, inquit, in mari salso hujus sæculi à suis progenitoribus communis culpæ contagio contaminatis nata & concepta fuerit, ipsa tamen ne vel minimam amaritudinis peccati stillam in se recepit, eò quòd in sinu animæ suæ à cœlesti rore, id est, divinâ gratiâ eam præservante præventa fuerit.

S. Bonav. cœlest. Hierarch. p. 4. c. 7. Mans. in Prompt. s. disc 2.

10. Isaias Prophetarum Princeps pulcherrimè de adventu Christi, Incarnatione Verbi, & passione ejus, vaticinatus est, ubi inter alia contemplans personam Christi, & dignitatem ejus, admirabundus exclamat: *Generatio-*

Isa. 53. 8.

nem

nem ejus enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. Ubi observa, quòd dupliciter illa Christi generatio possit accipi, æterna, quia ab æterno illum genuit Pater, cui simul coæternus est & humana, dum à Maria Virgine, inoperante Spiritu Sancto, in tempore natus est homo, quæ generatio pariter nova, & admirabilis fuit. Et subdit Propheta: *Quia abscissus est de terra viventium.* Et quænam illa terra viventium? Resp. Rupertus, quòd per illam terram debeat accipi SS. Deipara, quæ est terra benedicta, sancta, immaculata, de qua virginea terra in generatione humana Christus abscissus est. *Hic,* inquit, *recte intelligitur, quia abscissus est de terra viventium, de terra, inquam, non morientium, sive non mortuorum morte peccati quâ omnes in Adam mortui sunt: Sed de terra viventium, id est, terra virginea per sanctum vivificatum Spiritum abscissus est.* Quàm enim fuisset inconveniens, si DEUS Filius, qui in hunc finem in mundum venit, ut peccatum aboleret, ipse talem assumpsisset carnem, quæ peccato fuisset obnoxia? Rup. Abb. lib. 2. in Isaiam.

Eliezer servus primarius Abrahami, cùm ab hero suo missus fuisset in Mesopotamiam, ut dignam filio suo Isaaco sponsam seligeret, videns non tam egregiam formam, quàm & sedulitatem, benevolentiam & liberalitatem in Rebecca virgine, hoc tacitus apud se formavit judicium: *Ipsa est mulier, quam præparavit Dominus filio Dominimei;* & dedit ei in aures aureas & armillas &c.

Elegit DEUS ab æterno ex universa prævisa mulierum massa solam Mariam in dignissimam Filii sui Matrem: *Ipsa est mulier, quam præparavit Dominus filio Domini mei;* Igitur tales illi præparavit dotes ac gratias, quæ tali ac tantæ DEI Genitrici convenirent, & decerent, à servitute nimirum peccati, tum originalis, tum actualis, illam eximendo, & omnibus virtutum prærogativis exornando. Quare rectissimè in persona illius scriptum est: *In plenitudine Sanctorum detentio mea;* siquidem in ea fides Patriarcharum, spe, Prophetarum, charitas Apostolorum, fortitudo Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, & puritas Angelorum. Gen. 24. 44. Eccl. 24. 16.

Agite mortales omnes: Hodie divina *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem &c.* Domus ista alia non est; quam domus aurea, B. V. Maria, hanc domum mysticam ipse DEUS fundavit, ornavit, & suffulsit septem fortissimis columnis, id est, septem Spiritûs Sancti donis. Hodie arca fœderis de lignis Setim incomputribilibus compactâ, & purissimo auro vestita est: *Arcam de lignis Setim compingite &c.* Quòd lignum amuletum est contra venenatos serpentes, eosque à se longè repellit; ita hodie serpens antiquus, ne originali toxico animam B. V. Mariæ inficeret, à Spiritu Sancto longissimè ab ea repulsus est: *Non accedet ad te malum &c.* Hodie *sanctificavit tabernaculum suum altissimus*, in quo suo tempore habitaret cum hominibus. Hodie thronus pretiosissimus ex purissimo auro & ebore candidissimo præparatus est, in quo requiesceret, qui plùs est quàm Salo- Prov. 9. 1. Exod. 25. 10. Ps. 45. 5.

3 Reg. 10. 20. Cant. 3. 7. Ps. 90. 11. Cant. 3. 7.

mon: *Non est factum tale opus in universis Regnis.* Hodie adimpletum est illud: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hodie *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Hodie *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiêrunt &c.* O! lectulus semper floridus, cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis &c. Quid igitur restat, nisi ut valde æstimemus hanc SS. Deiparam, eique animitus gratulemur, ut DEUM pro nobis exoret, ut dignè & castè vivamus &c.

CONSIDERATIO XLIX.

De Exspectatione Partûs B. V. Mariæ.

Quod Festum celebratur 18. Decembris.

Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur Nomen ejus Emanuel. Isa. 7. 14.

I.

SOlet sancta Mater Ecclesia his ultimis septem Adventûs diebus singulariter esse occupata, quomodo dignum Messiæ & Regi sæculorum in carne humana in mundum venturo præparet habitaculum & obsequium: ad hoc enim nos hactenus excitavit dignissimus præcursor Domini: *Parate viam Domini*, & Isaias Propheta: *Beati omnes, qui exspectant eum.* Modum autem, quo hunc nostrum excipiamus Salvatorem, subministrat Apostolus. *Ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & piè vivamus in hoc sæculo: exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI, & Salvatoris nostri JEsu Christi.* En! modum, quomodo ad festa ventura præparare te debeas.

Luc. 3. 4. Isa. 38. 18. Tit. 2. 12.

Et quid dico? Ecce stat ante fores Ecclesiæ Mulier quædam prægnans, aspectu & moribus venerabilis, ac vir ætate quidem profectus, sed justus ac pius; hi petunt à nobis, animæ Christianæ, diversorium, quia hactenus

nus hac rigida hyemis ſtatione non poterant invenire, ubi locorum tuti diverterent. Et nunquid huic Dominæ proximæ partui lubentes in veſtris ædibus concedetis hoſpitium? *Para mihi*, ſcribebat quondam D. Paulus ad Philemonem? *hoſpitium*: *Nam ſpero orationes veſtras donari me vobis.* Para & tu anime mi, in corde tuo dignum hoſpitium, quo JESUM, MARIAM & S. Joſephum brevi ad te venturos dignè ſuſcipias. Et hi exſpectant te foris. Ad Philem. v. 22.

Et unde hoc mihi, dicebat quondam S. Eliſabetha in introitu MARIÆ prægnantis in domum ſuam, *ut Mater Domini mei veniat ad me?* Et exclamavit magnâ voce, & dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Exclamemus & nos pariter cum illa. O pientiſſima Domina! Virgo, & Mater, Mater, & Virgo, ipſo DEO gravida, atque jam partui proxima; Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, de quo David promiſſum factum eſt: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* O! quanto tempore te exſpectavimus: Negotium hoc erat ſæculorum omnium, & ecce jam completi ſunt dies, proinde læti hanc Dominam cum benedicto fructu ventris ſui ſuſcipiamus, de cujus Exſpectationis feſto plura hodie occurrunt explicanda, & conſideranda. Luc. 1. 43. Pſ. 131. 11.

2. Plura ſunt ſacra Emblemata ac ſymbola, quibus SS. Virgo DEI Verbô gravida pulcherrimè adumbrari poteſt: 1. Globulus Bombycinus, cum lemmate Italorum: *Chi mi formò, nel ſeno mio ripoſa*, quod idem eſt: *Qui me formavit, in ſinu meo requieſcit.* 2. Concha, in qua pretioſa latet margarita, cum inſcripto: *Cœleſti rore fœcunda.* 3. Struthio, ovum ſuum fixis oculis intuens, cum epigraphe: *Donec egrediatur.* 4. Spica triticea, grano frumenti plena, cum gnoma: *Fert, quo reficimur.* 5. Lampas ſuſpenſa, & ardens, lemma ſubjunctum habens: *Lucem utero gerit.* 6. Atlas orbem ferens, cui inſcriptionem junges: *Portantem omnia portat.* 7. Iris, ſeu arcus cœleſtis amæniſſimus, addito lemmate: *Circumdat immenſum.* 8. Aurora rutilans, quam ſequitur proximè ſol oriens, hoc lemmate inſignita: *Parturiet ſolem.* Omitto plura.

Et ita eſt, ô pientiſſima Virgo! Aurora es, valde rutilans, in utero tuo includens, & brevi parturiens ipſum juſtitiæ ſolem, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, cujus faciem nunc deſiderat univerſa terra. Iris es, circumdans immenſum DEUM, quem cœli & terra capere non poſſunt, tu gremio comprehendis. Atlas, in ſacratiſſimo utero tuo portans, qui tribus digitis appendit molem terræ. Lampas es inextinguibilis, ex qua promanat, & reſplendet lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Spica triticea es, quæ, quò plenior, eô & onuſtior ac humilior, per quod frumenti granum totus terrarum orbis refectus eſt. Struthio es, feliciſſimum partum tuum attenta conſiderans mente, oculosque tuos aſſiduò in DEUM, quem utero geris, unicè defigens: *Donec egrediatur ut ſplendor* Iſa. 62. 1.

Ju-

Justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Concha es, inæstimabilem in te gerens & abscondens margaritam, quâ inventâ Mercator ille Evangelicus vendit omnia, quæ habuit, & emit eam. Bombyx tandem es, in cujus sinu placidè requiescit tenerrimus vermiculus, Filius David, qui de se ipso testatus est: *Ego autem sum vermis, & non homo.* O sacratissima Virgo, ac Domina totius universi, quantùm tibi obligatus est totus terrarum orbis. Quàm benè igitur de te scripsit Seraphicus: *Nam pro miseris Mater DEI facta es, misericordiam genuisti, & tibi miserendi officium est commissum.*

Ps. 21. 7.
S. Bonav. in Stim. amor. p. 3. cap. 19.

3. Progrediamur ulteriùs. Mirantur & quidem haud immeritò plures sanctorum Patrum, quare SS. Evangelistæ tam parci fuerint in conscribendis laudibus sacratissimæ Virginis & DEI Genitricis Mariæ? Christi actiones glorioſas, ortum, vitam, passionem, mortem, sepulturam, resurrectionem & ascensionem ejus in cœlum emphaticè descripserunt, de beatissima autem Virgine & Matre illius dignissimâ vix pauca verba mortalitati humanæ consignârunt. Et quare hoc? Resp. S. Thomas Villanovanus: *Sancti Evangelistæ de ejus laudibus silent, quoniam ineffabilis est magnitudo, satis fuit de ea dicere: De qua natus est JEsus.* Hæc Maternitas est terminus divinæ omnipotentiæ; unde D. Anselmus: *Hoc solum de sancta Maria Virgine prædicare, quod DEI Mater est, excedit omnem celsitudinem, quæ post DEUM dici, vel cogitari possit*; & hæc Maternitas est *Non plùs ultra.* Ex hoc enim, teste Angelico, quòd est Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est DEUS, & ex hac parte non potest aliquid fieri meliùs eâ. Collige ex hoc, anime mi, quantùm æstimare, venerari, ac diligere debeas hanc divinam Matrem, præsertim, dum eam contemplaris DEO & Verbo gravidam. Pergo ad alia. Adam homo primus, ubi de limo terræ à DEO erat formatus, in paradisum terrestrem translatus est; *Plantaverat autem Dominus DEUS paradisum voluptatis à principio* (hoc est, die tertio mundi) *in quo posuit hominem, quem formaret.* Christus, Adam secundus, non alium sibi elegit paradisum, quàm purissimum uterum sacratissimæ Matris suæ, in quo novem mensibus ceu in amænissimo paradiso commoratus est: *Hæc est*, ait S. Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus loquens de SS. Deipara, *secundi Adami paradisus, in quo per Incarnationem fuit positus, ut operaretur videlicet, & custodiret illum*, quæ verba pereleganter exponens Richardus à S. Laurentio: *In paradiso uteri B. V. Mariæ*, inquit, *positus est Christus in Incarnatione, quando mulier circumdedit virum, ut operaretur in ea fœcunditatem, & custodiret illæsam virginitatem.*

S. Thom. Vil. serm. 2. de Nat. Virg.
S. Ansel. & S. Th. Aq. de B. V. laud.
Gen. 2. 8.
S. Proclus de laud. B. V.
Rich à S. Laur. lib. 8. de laud. B. V.

4. Vates Regius superiori Spiritu illustratus, ubi admirandam hanc Verbi Incarnationem prævidit, stupore plenus exclamavit: *DEUS autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* Et quomodo in medio terræ? & quod est illud centrum seu medium terræ? Resp. prædictus Richardus: *Maria centrum mundi dicitur, quia ex omni parte mundi omnibus ad eam recur-*

Ps. 37. 17.
Rich. loc. cit.

recurrendum in omnibus ſuis neceſſitatibus, ſicut omnes circumferentiæ recurrunt ad centrum. Juvat hîc audire pro majori dilucidatione Mellifluum, qui per illud terræ medium caſtiſſimum Virginis uterum accipit, *Tunc*, inquit, *jam operabatur ſalutem noſtram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur.* Et ut magis oſtenderet creaturarum omnium lineas hoc ſpectare centrum, ad Mariam ferri, mox pro ſolatio noſtro addidit: *Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad Arcam DEI, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum, reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis; illi, qui ſunt in cœlo, ut reſarciantur, & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur, qui ſequuntur, ut glorificentur. Ideo beatam te dicunt omnes generationes, DEI Genitrix, Domina mundi, Regina cœli, quia omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius Creaturæ, quia in te, & per te benigna manus Omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit.* Hucusque Mellifluus, & melliflue pro noſtro omniumque Chriſtianorum ſolatio. S. Bern ſer. 2. de Pentecoſt.

5. Et quid ulterius dico de te, ô beatiſſima! De Salomone ſapientiſſimo Rege dicitur: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem.* Ubi obſervandum, quòd ferculum à verbo *fero* dicatur, proinde ejuſmodi Salomonis ferculum, quod magnis impenſis ſibi fieri curavit, geſtamen erat, quo Rex vel à bajulis ſuccollantibus, vel equis aut mulis per plateas ferebatur. Cæterum non quæro hîc litteram, ſed ſenſum. Reſp. Cornelius, quòd B. Virginis uterus & ſinus fuerit ferculum auguſtiſſimum, ferens & bajulans Verbum Incarnatum, in quo quaſi in throno & ſolio regali conſedit, *qui plùs eſt quàm Salomon*, ſuamque charitatem in orbem diffudit. Columnæ fuerunt duo brachia beatæ Virginis, quibus ſtringebat Chriſtum. Reclinatorium ejus pectus, ſupra quod ſuaviter requieſcebat DEUS & homo Chriſtus. *Media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem*, quia Chriſtus, qui eſt ipſa charitas, maximam gratiam & charitatem SS. Matri ſuæ aſpiravit, ut ipſe filiabus Jeruſalem, hoc eſt, animabus devotis ad illam in quavis difficultate recurrentibus opem ferret: Quare ipſa Mediatrix ſecundaria jam nunc inter DEUM & hominem peccatorem facta eſt. O anime mi! Quis eſt, qui hæc mente attentiore conſiderat, & non æſtimet, non colat talem ac tantam Matrem, quæ cum Rebecca duplex Mater facta eſt, & DEI, & hominis, & Regis, & exulis, & Jacob, & Eſau, id eſt peccatoris? Cant. 3. 9. Cornel. hîc. Matth. 12. 42.

6. Vidit aliquando dilectus ille Chriſti Diſcipulus *Agnum tanquam occiſum in medio throni.* Et cur hoc? Reſp. Thronus ſeu ſolium Chriſti à Divo Petro Damiano & aliis SS. Patribus ſæpius B. Virginis uterus appellatur, in hoc enim virgineo throno per novem menſium ſpatium requievit Rex Re- Apoc. 5. 6. D. Dam. in ſer. de Nat. B. V.

gum Christus quasi agnus occisus, quia jam tunc patri suo æterno se se obtulit, Matre consentiente, in cruentam victimam pro totius generis humani salute in ara Crucis immolandam. En! initium Passionis Christi.

Multùm quondam inter se coram judicio Salomonis duæ altercabantur mulieres, ad quamne pertineret filius mortuus, an vivus? Rex prudentissimus cùm utrique favere parti non posset, veram agnoscens matrem sapientissimè concluſit: *Date huic infantulum; Hæc est enim mater ejus.* Diu & jam à mundi primordio coram supremo Divini Regis throno inter se duæ contendebant mulieres, Justitia videlicet & Misericordia: hæc pro homine æternùm ob admissa scelera condemnando solicitabat veniam, & delictorum remissionem, illa prætendebat illius mortem & interitum. Tandem Sapientia Divina optatissimum invenit remedium, quo utrique satisfaceret parti, dando nimirum Infantulum vivum: *Parvulus enim datus est nobis*, qui à Virgine Matre post octiduum in antro Bethlemico pro salute omnium nasceretur in lucem: *Date huic infantulum vivum, hæc est enim Mater ejus*, semper inviolata, semper intemerata, *quæ*, prout ait Mellifluus, *Filium unum eundemque cum DEO Patre meruit habere communem.* Ecce, quomodo *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi &c.*

3 Reg. 3. 20.

Isa. 4. 6.

S. Bern. serm. 2. de Annunt.

Ps. 48. 11.

Videtur mihi hæc sacratissima Virgo Verbô gravida, ut Philippa Angliæ Regina. Obsederat Eduardus Anglorum Rex diu civitatem Caletum, quam Rex ad iram concitatus, ferro & igne firmiter statuerat delere, nisi Philippa partui proxima pro condemnatis civibus fuisset deprecata: *Domine, propter amorem JEsu Christi dona mihi istos homines*, cui Rex: *Habe eos.*

Mayerius in annalib. Flandriæ.

O! Domina mundi, rei & nos sumus, ac morte & gehennâ digni, ora, obsecro, pro nobis Patrem, ut ob benedictum fructum ventris tui nobis parcat &c.



CON-

CONSIDERATIO L.

De vita, prodigiis, & glorioso Martyrio S. Thomæ Apost.

Pro Festo S. Thomæ Apost.

Dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. **Joan. 20. 27.**

I.

PLures fuerunt Thomæ, & sanctitate vitæ, & doctrinâ, & rerum gestarum gloriâ conspicui, quos S. Mater Ecclesia per anni decursum singulari honorat officio. Inter quos non ultimus S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, cui propter justitiam exulanti apparens B. Virgo vestem laceram consuit, & alia vice ab ea meruit purpuream vestem cœlitus demissam accipere. Commendatur autem ab Ecclesia Dei singularis ejus pastoralis cura ac zelus. quo Regis Henrici secundi impiis mandatis intrepidus restitit, & pro Ecclesia DEI ac ovibus suis generoso animo mortem subire non dubitavit, dum impio ferro caput præcidendum obtulit, cujus cerebrô respersum est totius templi pavimentum. Agitur autem illius festum die 29. Decembris. De quo & illud memorabile refertur. Cùm post ejus obitum Clerici Missam defunctorum inciperent: *Requiem æternam dona ei, Domine*, subitò auditæ sunt voces Angelorum concinentes: *Lætabitur justus in Domino &c.* Quod & Clerici prosecuti sunt. Cantipratan. lib. 2. Apum. c. 29. S. Antonin. p. 2. tit. 17. c. 3. §. 2. Brev Rom. 7. Martii.

S. Thomas Aquinas dictus Angelicus, Ord. Præd. regio prognatus sanguine, lenam pudori suo insidiantem titione profligavit, unde ab Angelo casti-

castitatis baltheo præcingi meruit, qui tandem ab ipsa Veritate Christo Neapoli audire meruit, quòd bene de se scripsisset, oblatâ, quam vellet, scriptionis mercede; sed ille aliam non petiit, quàm JEsum, & hunc crucifixum, de quo bene scripserat, quàm mercedem consecutus est anno ætatis 50. Festum illius incidit in diem 7. Martii.

Brev. Rom. & alii. S. Thomas de Villa Nova ex Ordine S. Augustini avulsus, & exinde Valentiæ in Hispania Archiepiscopus creatus, per omnem vitam ostendit, quanto ardore animarum cuperet salutem, & quanto amore amplecteretur pauperes, cujus meritis aliquoties frumentum auctum est. Tandem auditâ ex ore Crucifixi mortis suæ horâ, sine mora pecunias, omneinque suppellectilem suam in pauperes distribui jussit, ne quidem proprio lectulo sibi retento, quem ab illo, qui priùs dederat, mutuum habuit. Obiit anno 1555. Cujus festum celebrat Ecclesia 18. Septembris.

Bagattæ p. 2. f. 125. n. 15. Mitto hîc alios Thomas celeberrimos: Thomam Kempensem, qui aureum illum librum de imitatione Christi composuit. Thomam Morum, Angliæ Cancellarium, qui pro justitia sub Henrico VIII. intrepidus carnifici collum præbuit. Thomam Lermam, zelosissimum Verbi DEI prædicatorem, & tandem cæcum effectum, sed cùm Missam celebrare discuperet, quòd quotidiè factum, semper videns effectus est. Thomam Florentinum, Ord. Minorum, qui prunas accensas illæsus portavit, aves obsequentes, & cervos sibi inservientes habuit &c. Inter quos omnes Thomas singulariter præeminet S. Thomas Apostolus, de quo plura hodie impræsentiarum considerabimus.

2. Ethai vir egregius, cùm David Rex à facie impii & rebellis Absolonis per montem Olivarium fugam capesseret, ultrò se comitem illi obtulit, ut cum ipso aut viveret, aut moreretur: *Vivit Dominus, & vivit Dominus Rex: Quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.*

2 Reg. 15. 21.

Thomas Galilæus à retibus ad Christum vocatus, in cujus schola mirum in modum profecit; cùm aliquando Christus ex Bethabara in Bethaniam ad suscitandum Lazarum se conferret, & cæteri Discipuli valdè formidarent, ne una cùm Christo in Judæa caperentur, & occiderentur. *Dicunt ei Discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Solus Thomas animosior omnibus respondit: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Supra quod Venerabilis Beda: Ecce, inquit, præ omnibus socios hortatur, ut eant, & moriantur cum JEsu; in quo magna ejus apparet constantia, fortitudo animi, & amor in JEsum, dum Dominum suum, velut Ethai Davidem, in omni periculo, etiam contemptâ morte, fideliter sequi voluit: *Offert ergo se,* ait S. Cyrillus, *pro Christo certæ morti, hanc enim imminere putabat: Quod insigne fuit fortitudinis ejus eximiæ æque ac amoris in Christum singularis argumentum.*

Jo. 11. 8. Jo 11 16. Beda hîc.

S. Cyrillus hic apud Cornelium.

Cùm

Cùm pretiosissimus orbis Salvator Christus in cæna ultima Apostolos suos creâsset Sacerdotes: *Hoc facite in meam commemorationem*, illosque sacrâ refeciſſet Synaxi, suavissimum cum illis instituit colloquium, ut eos in fide adhuc vacillantes magìs erudiret, & ad quævis ardua & adversa pro DEO perferendâ animaret. Inter alios autem sermones & hunc immiscuit: *Quia vado parare vobis locum, & si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis, & quò ego vado, scitis, & viam scitis.* Ad quem discursum primus inter Discipulos in cænaculo surrexit Thomas, sciens aliquid obscurè & confusè, nescіens tamen distinctè, & in particulari, quidnam Christus per hunc sermonem voluerit insinuare, proinde ex illo humiliter scisciatus est? *Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Ad quem Christus paucis, & emphaticis verbis: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Supra quod S. Antistes Hipponensis: Si vis ambulare, videlicet ex hac terra ad cœlestem patriam: *Ego sum via.* Si falli non vis in hoc perverso mundo: *Ego sum veritas.* Si mori non vis æternum: *Ego sum vita.* Juvat etiam hìc audire Mellifluum: *Sequamur*, inquit, *Domine te, per te, ad te, quia tu es via, veritas, & vita: Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.* Ecce, quomodo per Thomæ interrogationem DEUS & Homo Christus summa nobis revelaverit mysteria: *Non vos seducit*, subintrat hìc S. Hilarius, *qui via est, nec illicit per falsa, qui veritas est, nec in mortis relinquit horrere, qui vita est.* Age ergo, anime mi, & S. Thomæ Apostolo gratias age, quia ipse ab ore Veritatis primâ vice hanc gravissimam excepit, & audire meruit sententiam, nobis omnibus summè proficuam: *Ego sum vita &c.*

Luc. 22. 19.

Joan. 14. 2.

S. Augustin. hic S. Bern. s. 2. de Ascens. S. Hilar. de Trinit.

3. Paucis abhinc annis ibam cum socio Sacerdote peregrinatum ad montem Sanctum Andex, & abinde Polingam ad Thaumaturgum Crucifixum, ante annos 900. per cervam in sylva in venatione Thassilonis Bavariæ Ducis pedibus è terra erutum, & etiamnum hodie quotidianis beneficiis conspicuum. Cum ergo huic sacro-loco appropinquarem, vidi in patenti campo columbam candidam, solitariam, & à grege suo aberrantem, lætam tamen, & nunc huc, nunc illuc circumvolitantem, quam illico duo insecuti, & extremè persecuti sunt rapaces milvi, per varios gyros ac meandros in aëre illam vellicantes, mordentes, deplumantes, & vix non in frusta dilacerantes. Et ecce, dum hæc spectans ego jam opinabar, actum esse de hac solitaria columba, subitò illa ex rapacibus accipitrum unguibus se expediens evasit libera, rectoque volatu tremula ad antrum quoddam, seu foramen confugit, ubi accipitrum minas feliciter potuit eludere; cui columbæ tantopere ab hostibus agitatæ pro lemmate inscribo: *Hoc tuta sub antro.*

Ecce hæc facies est animæ nostræ, quàm persequitur quotidie infernalis accipiter, ut eam rapiat, & perdat; unde Osee Propheta: *Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor: Ægyptum invocabant, ad Assyrios*

Osee. 7. 11.

rios abiêrunt. Tales sunt, qui malas occasiones peccatorum, familiaritatem mulierum, & societatem pravorum sociorum non vitant, donec tandem corruant in scelera & gehennam: quid enim stolidius, quàm relictâ societate sanctâ, sua sponte Assyrio, hoc est, Dæmoni se dedere, & sic seipsum præcipitare in ruinam sempiternam? Verè S. Augustinus: *Quid est miserius misero non miserente se ipsum.*

S. August. l. 1. Confess. 13.

Talis columba seducta erat Thomas, hoc enim significat ejus nomen *Thomas, Columba*, & quia à societate cæterorum Apostolorum per octiduum à resurrectione Christi se subtraxit, verè per incredulitatem suam in laqueum Diaboli, & ungues accipitris infernalis incidisset, nisi adhuc mature ad Discipulorum collegium rediisset, ubi turum asylum *in foraminibus petræ, & caverna maceriæ*, hoc est, in SS. Vulneribus Christi JESU invenit: *Ubi tuta*, ait S. Bernhardus, *firmaque securitas; nisi in Vulneribus Salvatoris? tantò illic securior habitas, quantò ille potentior est ad salvandum. Premat mundus, premat corpus, Diabolus: ne time, quia in foraminibus petræ secura es.*

Cant. 2. 14. S. Bern. s. 21. in Cant.

4. Reminiscor hîc illius optimi Patris, qui filium suum, antehac immorigerum & prodigum, sed nunc ab exilio ad patriam suam, & à peccatis ad frugem redeuntem, vultu animoque benigno accepit. Hîc verificatum fuit illud proverbium in accipiendis hospitibus accommodatum: *Ille dat multum, qui dat benignum vultum.* Advenit, inquam de regione longinqua prodigus ille filius, & dum Pater illum à longè vidit, tam miserum, squalidum, lacerum, lachrymantem, & vix præ fame ossibus hærentem, intimis commotus visceribus, de sui filii miseriâ, quasi de suâ animitùs condoluit: *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater, & misericordiâ motus est.* Et quid sequitur? *Accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* O! pientissime Pater, quid agis: nodosum potiùs fustem arripe, & tergum illius inunge, aut carceribus eum trade, quia non alio dignus est honore. Sed mitiùs egit optimus ille parens, dum plùs honoris huic filio suo pœnitenti exhibuit, quàm filio majori, qui semper domi manens Patrem nunquam offenderat. Et quare hoc? rationem addit ipse Pater: *Quia mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.* Ita quoque Christus Thomæ Apostolo suo nunc ad frugem revertenti, & seriò pœnitenti, plùs amoris & honoris detulit, quam cæteris Discipulis; de nullo enim legitur, quòd Dominus sacratissimum Cor suum exhibuerit, & omnimodam facultatem dederit ex hoc divinitatis thesauro, quidquid luberet gratiarum & donorum extrahendi *Affer manum tuam, & mitte in latus meum*, quàm S. Thomæ; & licèt secundùm mentem Angelici Doctoris Divus Thomas Apostolus visis sacris Vulneribus ob reverentiam à tactu voluerit abstinere, & ad pedes diviniissimi Magistri sui se abjiciens, errorem suum amaris deplorârit lachrymis, Christus tamen pro suo in hunc Discipulum affectu, manum ejus ultrò arripuit, eamque singulis plagis suis ex ordine admovit, unde totus colliquescens amoris igne exclamavit: *Do-*

Luc. 15. 20.

Jo. 20. 27. S. Th. Aq. 3. p. q. 54. a. 4. ad 2.

minus

minus meus, & DEUS meus. Sic nimirum ovicula illa, quæ aliquando è faucibus & dentibus lupi rapacis erepta est, longè suavior & gratior est gustui humano, quàm illa, quæ simile periculum non experta est. O! quantùm gavisus est optimus ille Pastor, dum tandem post longos labores & sudores invenit oviculam illam perditam, quæ in deserto à reliquo grege separata aliàs periisset; non punivit eam, non baculo percussit, non diris & asperis verbis tractavit; sed summâ cum benignitate excepit: *Imponit in humeros suos, & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Luc. 15. 1. Hodie hoc in S. Thoma Apostolo verificatum est, dum ovicula illa perdita à bono Pastore non duntaxat inventa, sed etiam è luporum infernalium faucibus erepta ac redemta est, aliàs inter præcipitia infidelitatis æternùm peritura. Ah! si tale gaudium DEUS & Homo Christus de invento uno peccatore verè pœnitente; quare ergo te illi tanto tempore subtrahis, ò anime mi? Si secutus es Thomam errantem, quare non etiam illum sequeris pœnitentem? Dic proinde cum illo ex animo contrito & humiliato, prostratus ante pedes Crucifixi amoris tui: *Dominus meus, & DEUS meus.* Magnos suos affectus ille paucis concluſit verbis, quia nec dolor de peccatis, nec amor in JESUM plura illum loqui patiebantur. Quid tu?

5. Dura erat illa petra, ex qua Moyses, Dux & Legifer Israëlitici populi, copiosas quondam ope portentosæ virgæ suæ produxit aquas: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Ps. 77. 20. Durior hac petra erat Thomas incredulitate sua: venit enim ad eum Maria Magdalena, annuntians ei glorioſam Christi à mortuis Resurrectionem: *Vidi Dominum, & hæc dixit mihi &c.* Jo. 20. 18. Quid ad faustissimum hoc nuntium obstinatus Thomas? *Non credam.* Venit Petrus, & vix præ insolito gaudio se ipsum capiens dicit Thomæ: *Surrexit Dominus verè.* Luc. 24 34. Joan. 20. 25. Quid rursus Thomas? *Non credam.* Venerunt & cæteri Apostoli omnes hæc læta referentes: *Vidimus Dominum.* Quid ad ista incredulus Thomas? *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* O durum cor! ô saxeum pectus! Venit tandem ipsa melioris mundi origo Christus post octiduum clausis januis in cænaculum, ubi & Thomas cum cæteris Discipulis præsens fuerat, & conversus ad Thomam ait: *Pax tibi Thoma, infer digitum tuum huc, & mitte in manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quid hîc exspectas anime mi? *percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Percussit Christus virgâ virtutis suæ, & virgâ Crucis saxeum cor Thomæ, monstrans illi SS. vulnera, latus apertum, & dulcissimum Cor suum: *& fluxerunt aquæ;* aquæ videlicet lachrymarum de petra illa durissima: *Non credam, non credam.* Unde amore divino saucius, & novitate rei attonitus, cùm cicatrices glorioſas pretioſissimi Salvatoris sui tangeret, manumque in latus divinum mitteret, totus colliquefactus amoris igne, clamavit: *Dominus meus, & DEUS meus?* quibus verbis profitebatur illum,

qui

qui paulò ante tantâ cum ignominiâ crucifixus fuerat, non tantùm suum, omniumque creaturarum esse Dominum, sed & ipsum DEUM. O! beati digiti, ô! manus felices, quæ ad intima usque Redemptoris nostri penetrârunt viscera, ipsumque Cor JESU attigerunt, in quo sunt omnes divinæ sapientiæ thesauri. Disce hîc, anime mi! quid tibi post tales ac tantos lapsus tuos, quibus gehennam, vel saltem purgatorium meruisti, sit imposterum agendum, & quàm sollicitus esse debeas de malis compensandis, & ferventiùs bona agendi. *Noli esse incredulus, sed fidelis.*

6. Paralyticus ille, qui triginta & octo annis Hierosolymis ad piscinam probaticam, quinque porticus habentem, jacebat infirmus, meritò sibi gratulari poterat, quia in Christo invenit illum hominem, qui tam diuturnis, & desperatis adhuc mederi poterat malis: *Hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Cæterùm aquæ hujus probaticæ piscinæ fuerunt rubræ, densæ, & sanguine victimarum, quæ in illam ex atrio templi per canales subterraneos fluebant, immixtæ, in qua piscina & illud lignum erat, ex quo Crux Christi fabricata est. Omnia hæc illis facta sunt in figura: Piscina Passionem Christi præfigurabat, quinque autem porticus, in quibus jacebat multitudo magna languentium, quinque ejus SS. Vulnera præsignabant; Ita S. Thomas Villanovanus: & S. Antonius Paduanus: *Piscina est Passio Christi, quinque porticus quinque vulnera ejus &c.*

Joa. 5. 7.

S. Th. Vill. & S. Ant. Pad. fer. 6. post 1. Dom. Quad.

Ad hanc piscinam mysticam hodie venit, & mox sanatus est ægrotus quidam magnus, qui in periculosam animæ inciderat paralysin; & hic erat Thomas incredulus & obstinatus; quamprimum enim Angelus Domini, hoc est, *magni consilii Angelus*, Christus Dominus in hanc piscinam per Passionem suam descendit, & nunc ut glorioſissimus de morte, Diabolo, & peccato triumphator resurrexit, de novo in gratiam infirmantis Thomæ hanc salutiferam movit piscinam, & *sanatus est.* Audi Theophylactum: *Vide*, inquit, *quomodo propter unum hominem Thomam non dedignatus est ita condescendere Dominus, & latus ostendere, ut salvet animam unam.* Supra quod S. Thomas Villanovanus: *Discant Prælati, quàm commissis ovibus sollicitudinem exhibeant, si pro una sola Dominus apparuit; omnis sollicitudo, omnis labor unius animæ negotio minor est.* Plùs S. Bernhardus: *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est &c.* Et S. Chrysostomus: *Unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur.*

Isa. 9. 6.

Theophyl. in Joa. 20. S. Bern. ep. 34 S. Chrysost. in Gloss. ad c. 1. Act. Ap.

7. Venit aliquando ad pientissimum Salvatorem nostrum, cùm adhuc in hac mortali versaretur carne, adolescens quidam non infimæ sortis, & legis bene peritus, petens ab eo, quâ ratione vitam posset obtinere æternam: Christus assignabat illi mandatorum divinorum observationem; & quia perfectiora adhuc postulabat, ei suggessit, ut opes & facultates suas distribueret pauperibus, ut in cœlo thesaurum inveniret nunquam periturum. Ille hoc audiens, abiit tristis, quia multas habebat possessiones, ex cujus discessu

Chri-

Chriſtus aliud elicuit argumentum, quòd divites ægrè, & valde difficulter ſalventur: Unde converſus ad diſcipulos ſuos dixit: *Faciliùs eſt, camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum,* O fulmen! ô tonitru horrendum! Audite, ô divites, S. Jacobum Domini fratrem: *Agite,* inquit, *nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizâſtis vobis iram in noviſſimis diebus.* Si hoc eſt cum divitibus, nolo eſſe dives ego, ſed potiùs DEUM meum rogo cum illo Sapiente: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria.* Ergo, dices, divitibus quodammodo præcluſum eſt Regnum cœlorum? Matth. 19. 14. Jacob. 5. 13. Prov. 30. 8.

Reſp. Minimè gentium, quia mox addit benigniſſimus orbis Servator: *Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud DEUM autem omnia poſſibilia ſunt.* Hîc oportet, ut audiamus ad majorem tanti myſterii dilucitationem Sanctum Paſchaſium, ita ſuper illa prædicta Chriſti verba: *Faciliùs eſt, camelum per foramen acûs tranſire &c.* piè ac ſolidè commentantem; *Per acum,* inquit, *Chriſtus intelligitur perforatus in Paſſione: per quod utique foramen omnia ad ſe, & poſt ſe trahit.* Ergo & divites, & peccatores terræ per infinita Chriſti merita adhuc poterunt ſalvari, ſi dignos pœnitentiæ fructus volunt facere. Et quemadmodum acus beneficio vulneris ſeu foraminis ſui ſecum filium trahit, quò vult, ita Vulnera pientiſſimi Salvatoris noſtri, ac præſertim apertum & vulneratum Cor ejus Thomam incredulum ſuaviſſimè ad ſe attraxit, in æternum non ampliùs ab illo ſeparandum, dum enim manum ſuam in latus JEſu impoſuit, ac ſi filum in foramen acûs ingereret, ab illa acu ſuaviſſimè attractus, ad quæcunque adverſa impoſterum pro Chriſto perferenda paratum ſe exhibuit. Sic nimirum ab aucupe attrahitur falco, ſi illi de longè cor monſtrat; ſic trahitur puer, ſi nuces illi exhibes; ſic trahitur ovis, ſi ramum viridem ei oſtendis; ſic trahitur piſcis in flumine, ſi vermiculum in hamo appenſum conſpicatur; non vi trahitur, ſed amore illius eſcæ; ſic magnes ad ſe trahit ferrum: O ſacratiſſimum & diviniſſimum Cor JESU! tu eras ille magnes, qui ferreum cor Thomæ ad te traxiſti. O anima peccatrix! quousque adhuc reſiſtes divinæ voluntati? quoties te ad ſe trahere voluit benigniſſimus DEUS per tot inſpirationes, adhortationes, libros ſanctos &c. & tu adhuc renuis venire? quousque claudicabis in duas partes? Evigila tandem, ut quid ſopore gravi ſupprimeris? *Ecce ſtat ad oſtium, & pulſat*; & tu quid? S. Paſchaſ. in cap. 19. Matth. Apoc. 3. 20

8. Memorabile illud eſt, quod à viris fide dignis, ac præſertim à Joanne Boccatio de fontibus admirandis recenſetur, quòd in Epiro reperiantur ejuſmodi fontes, quorum aquæ iſtius ſunt naturæ, ac tanti caloris, ut, ſi extinctæ faces in ejusmodi immergantur fontes, illico ad contactum de

novo accendantur. Naturæ hoc est prodigium & arcanum, sed ad nostrum conceptum peraccommodum. Vidisti sæpius, Lector optime, quomodo in sacra hebdomade Passionis Dominicæ in Matutino illo & vespertino in candelabro trigono omnes deleantur candelæ accensæ, unâ solummodo exceptâ, quæ B. Virginem, ac Matrem doloroſam præsignat; dum enim omnes Discipuli, relicto Christo, fugiebant, ipsa sola perseverabat immobilis, & lumen fidei minimè in ea extinctum est, de qua Sapiens: *Non extinguetur in Nocte lucerna ejus.* Sed extinctum erat lumen fidei in Thoma Apostolo incredulo, & obstinaci: *Non credam: non credam.* Hodie ille venit ad fontem vivum, & fax per turbinem Passionis extincta de novo accensa est; erat autem ille fons amoroſus & calidissimus non alius, quàm SS. Cor JESU, verè fons gratiarum & misericordiarum, de quo vaticinatus est Zacharias Propheta: *In die illa erit fons patens Domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris*; & longè ante ipsum Isaias Vatum divinorum Princeps: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Et ecce! vix hunc fontem Thomas tetigit, mox novo divinæ charitatis igne accensus exclamavit: *Dominus meus, & DEUS meus.* Ecce, quomodo hîc Thomas humilis, & pœnitens priorem suam damnaverit incredulitatem, & hoc magno fidei, spei, & charitatis affectu, & quomodo se totum Christo JESU Crucifixo consecraverit in servum perpetuum. O anime mi! quando tu aliquando hoc facies, ut nihil tibi in mundo immundo sapiat, nisi solus JESUS? Dicis quidem, & promittis in singulis tuis confessionibus: *Dominus meus, & DEUS meus!* & tamen, prô dolor! idem semper permanes, hoc est, tepidus, & perfunctorius, & utinam non omnino luridus.

Prov. 31. 18.

Zach. 13. 1.

Isa. 12. 3.

9. Ubi sol refulsit in aquam illam crassam, quam Nehemias ex illo puteo hauriri jusserat, in quo priùs tempore belli ignis sacer fuit absconditus, mox refulgente sole versa est illa aqua congelata in ignem magnum: *Et tempus affuit, quô sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Aqua crassa & congelata erat cor Thomæ: *Non credam*; sed ubi illi refulsit sol ille justitiæ, qui est Christus DEUS noster, ignis in pectore illius accensus est magnus, ita ut omnes mirarentur; proinde non dubitavit usque ad extremum terræ potiùs volare per donum agilitatis, quàm excurrere, ut Christum efferatis illis Gentibus annuntiaret; hinc de illo affirmat ex S. Petro Chrysologo Sylvester Prieras, solùm hunc Apostolum universum terrarum orbem percurrisse, sacrum Evangelium omnibus annuntiando, dum accepto Spiritu Sancto mox in Orientem profectus est, ubi tres Magos sacro Baptismatis fonte abluit, in fide Orthodoxa pleniùs instruxit, & prædicationis socios & adjutores effecit. Inde ad Regiones Septentrionales se contulit, unde reversus in meridiem transiit, ubi Abyssinios docuit; postea in Persidem, Mediam,

2 Mach. 1. 22.

Sylv. Prier. in aurea Rosa.

S. Chrysost. hom. 2. in Matth.

Par-

Parthiam, Hyrcaniam, Scythiam, & alias regiones profectus eſt, ubique Chriſtum, & hunc crucifixum Gentibus prædicans, & ſtupenda patrans prodigia. Hinc Gad, fratrem Gondophori Indorum Regis, à mortuis reſuſcitavit, ut ſibi ferret Apoſtolicæ innocentiæ Teſtimonium. Super prunas ardentes diſcalceatus ambulavit. In ardente fornace illæſus permanſit, & velut tres illi pueri Babylonici, DEO & Crucifixo amori ſuo laudes decantavit. Ingens flumen, velut alter Eliſæus Jordanem, ſicco pede pertranſiit, dum ad ejus adventum ſeſe in duas dividens partes, ei ſecurum iter præbuit. Meliopere prægnandi mole arborem, quam plures hominum, & elephantes multi ne quidem è loco movere poterant, obſequentem ſibi habuit, dum eam cingulo ſuo per decem milliaria traxit, & ad novi templi ſtructuram Chriſto erigendam applicavit, ubi & vaticinium hoc edidit: Cùm mare illac pertingeret, affuturos, qui, quam ipſe nunc, eandem fidem de Crucifixo JESU prædicarent, quod per S. Franciſcum Xaverium S. J. completum eſt. Denique innumeris ex idololatria & impietate ad Chriſtianam religionem adductis, Apoſtolatûs honorem gloriosâ martyrii coronâ decoravit, dum ante Crucem Sacram Thomam precantem impii ſacrificuli ſagittis primùm, tum crudeli lanceâ trajecerunt, ut adimpleretur illud: *Amor pares facit, aut invenit*; Amor illius erat JESUS, & hic Crucifixus, ideo etiam in morte ei deſiderabat eſſe conformis. O glorioſiſſime Apoſtole! Congratulamur tibi &c.

Bagatt. p. 2. f. 536. n. 1.

S. Vincent. ſ. de S. Th.

CONSIDERATIO LI.

De Christo Domino à Virgine in mundum nato.

Pro Festo Nativitatis Christi.

Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis Salvator &c. Luc. 2. 10.

I.

QUem sancti Patriarchæ in veteri quondam Testamento tot desiderabant votis, quem Prophetæ Sancto Spiritu illustrati toties orbi denuntiabant venturum, quem omnes animæ justæ, ac piæ ardentissimis exspectabant desideriis, ecce ipse hodie à Virgine in antro Bethlemico in lucem natus est: *O!*
4 Reg. 7. 9. *dies boni nuntii.*

Obsederat quondam Benadat Rex Syriæ Samariam civitatem, quam per longam obsidionem ad extremam usque inopiam, & malesuadam famem redegerat. Placuit autem divini Bonitati tantis Hebræorum miseriis imponere finem, unde Syros per spectra immissa terrefecit, ut abjectis omnibus, etiam pretiosis de nocte aufugerent, & tentoria sua, ac civitatem obsessam relinquerent. Erant autem, prout observat Scriptura, ibidem quatuor viri leprosi juxta portæ introitum, ita invicem inter sese discurren-
4 Reg. 7. 3. tes: *Quid hîc esse volumus, donec moriamur? Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur; sive manserimus hîc, moriendum nobis est; Venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ: si pepercerint nobis, vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.* Et ecce, dùm dicti viri ad hostilia venerunt castra, nullum ampliùs invenerunt hominem, quâ captatâ optimâ occasione,

ali-

aliqua tentoria auro, argento, & vestibus cœperunt spoliare, & saturatà fame, revertentes in urbem Samariam læti exclamârunt: *Hæc dies boni nuntii est.* Audiêrunt hoc cives, & erumpentes ad divitem prædam, magnam simul annonæ, & panum copiam receperunt, quibus post tantam exantlatam famem abundè refecti sunt: *O! dies boni nuntii.*

Obsedit tenebrarum Princeps in antiquo Testamento cum exercitu suo non solùm Samariam, sed & totum terrarum orbem. Pauci tunc erant justi, sed propemodum omnis caro corruperat viam suam. Audi Psaltem de suo ævo lamentantem: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus; non est, qui faciat bonum.* Erat igitur tunc in universo orbe fames spiritualis maxima: *In orbe universo fames prævaluit*, quia in toto orbe panis decrat, videlicet panis ille verus & vivus, qui est Christus Dominus & DEUS noster. *O dies boni nuntii!* hodie per adventum & Nativitatem hujus benignissimi Salvatoris nostri non duntaxat tenebrarum Princeps cum exercitu suo fugatus est, sed & Bethlehemicum horreum apertum (observa: Bethlehem idem est, quàm domus panis) per quem divinum panem, qui de cœlo descendit, totus terrarum orbis mirum in modum refectus est. *O dies boni nuntii!* audite Archangelum ad Pastores loquentem: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David; & hoc vobis signum: Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in præsepio &c.* Plura audiemus in præsenti.

Ps. 52. 2.

Gen. 41. 54.

Luc. 2. 10.

2. Pulcherrimè sibi correspondent & veteris & novi Testamenti Paginæ, illud repræsentat *Figurans*, hoc *Figuratum.* Adamum primum hominem considera immediatè à DEO creatum, ac productum ex terra Virgine, nullâ pluviâ, aut semine priùs fœcundata: *Formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ.* Hodie secundus Adam Christus Dominus è terra virginea prodiit in lucem, ut illud repararet, quod prior destruxit. Juvat hîc audire Mellifluum: *vehementer quidem nobis dilectissimi, vir unus & mulier una nocuêre: sed gratias Deo, per unum nihilominus virum, & mulierem unam omnia restaurantur &c.*

Gen. 2. 7.

S. Bern. de verb. Apoc. c. 12. figu. magnum.

Noë fabricavit Arcam, in qua ab interitu salvaretur genus humanum: *Fac tibi Arcam.* Per Arcam hanc V. Beda humanitatem Christi intelligit, quam Verbum assumpsit, in qua salvaret à secundo diluvio & æterna morte genus humanum.

Gen. 6. 14. V. Beda hîc.

Cùm Hebræi primò in deserto vidissent Manna attoniti exclamârunt: *Manhu? quid est hoc? ignorabant enim, quid esset, quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Et ecce, hac nocte virginalis germinavit terra, cœlique aperti sunt, & panis vivus, confirmans cor hominis, decidit in terram: *Manhu? quid est hoc?*

Exod 16. 15.

In sacro Epithalamio comparatur virgineus Mariæ uterus acervo tritici, sed tamen vallato liliis: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.*

Cant. 7. 1. Dionys.

Carth. de laud. Virg. Per acervum tritici Mariæ fœcunditas, per lilia autem ejus Virginitas intelligitur, quæ hodie peperit Salvatorem mundi, verum ac vivum frumenti granum, & tamen Virgo in ævum permansit.

Porta Orientalis olim in templo soli patebat Principi, cui diebus Sabbathi aperiebatur, ut in ea consistens spectaret Sacrificia, eum tamen non licebat illi transire: Ezech. 44. 2. *Porta hæc*, ait Ezechiel, *clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus DEUS Israël ingressus est per eam, eritque clausa Principi: Princeps ipse sedebit in ea.* Per hanc portam juxta mentem S. Augustini MARIA designata est, per hanc in Incarnatione ingressus est Dominus DEUS Israël, ex ea carnem assumens, & hodie in Nativitate per eam egressus est, portâ tamen clausâ & illa sa ejus virginitate. S. August. ser. 2 de Nat.

3. Vultis plura? Abrahamo quondam promissum fuit: Gen. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, hoc est, in Christo ex semine ejus nascituro. Et ecce hodie completum est; Unde facta hac promissione, meritò Abraham præ gaudio exultavit, prævidens in spiritu hunc divinissimum Infantem ex Virgine suæ stirpis nasciturum: Gal. 3. 16. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Jo. 8. 56. Imò & hodie post bis mille annos vidit in limbo existens per Angelum instructus, natum esse Salvatorem mundi, quem tot priùs desiderabat suspiriis: Corn. in Jo. 8. 56. *Avidissimè exspectans*, ait Cornelius, *Christum liberatorem ad suam & sociorum Patrum consolationem, ac leniendam tam longam anxiamque Christi exspectationem.*

Jacob Esau fratrem suum iratum fugiens, ne ab illo occideretur, in Mesopotamiam se contulit, ubi in via dormiens vidit DEUM innixum scalæ, se consolantem, & Angelos DEI ascendentes & descendentes per eam: Gen. 28. 13. *Et Dominum innixum scalæ.* Rup hic. Per hanc scalam, ait Rupertus Abbas, Incarnatio Verbi repræsentata est, per varios gradus, hoc est, generationes, tandem de cœlo descensuri, & nascituri. Et ecce, hodie in Nativitate Christi ista visio completa est, Dominus enim, quem Jacob scalæ innixum viderat, ipse de cœlo descendit, ut nos miscllos per Crucem & Passionem suam ab hac terra transmitteret & elevaret in cœlum. *O dies boni nuntii!*

Moyses, pascens oves Jethro in deserto, à Domino in rubo ardente & incombusto vocatus est: Exod. 3. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi &c.* Hodie hæc figura adimpleta est. Audi Ecclesiam: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Sancta DEI Genitrix.* DEI enim Filius in SS. Virgine conceptus, & hodie in lucem natus; illæsa ejus virginitate, per illam personam divinam, in ardente rubo apparentem, præfiguratus est; ita Theodoretus & alii.

4. Amarissimè quondam flebat Rex Ezechias, quando illi ab Isaia Propheta ex parte DEI intimatum est: Isa. 38. 1. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; & subjungit Scriptura: *Et flevit Ezechias fletu magno.* Sed ad quid, obsecro, ille ploratus in Rege aliàs generosissimo? fortasse, quia juvenis erat

tri-

triginta novem annorum, juvenibus autem mors videtur acerbior? *Certè,* subintrat hîc S. Hieronymus, *justus erat Ezechias, & corde perfecto iturus erat ad Dominum, igitur plorare non debuit?* Resp. Eusebius in Canticum Ezechiæ: *Jure lugebat, quia à serie Nativitatis Christi ex semine David futuræ suam posteritatem excluſam dolebat.* S. Hieron. to 2. advers. Pelag. f. 288.

Et sequitur: *Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum.* Et quare, dices, faciem suam in oratione vertit ad parietem? cur non in cœlum? Resp. S. Gregorius Magnus, convertisse Regem ægrotum faciem suam ad parietem, hoc est, ad humanitatem Christi, ejusque tot suspiriis desideratam, & per tot sæcula exspectatam Nativitatem, quia *ipsa stat post parietem nostrum.* Et ecce, hodie ægrotantis illius Regis completum est desiderium: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Vide hîc, & considera, anime mi, quibus Votis ac suspiriis olim Patriarchæ & Prophetæ, Reges ac Principes hanc Christi Redemptoris sui desideraverint Nativitatem: *Utinam dirumperes cœlos, & descenderes &c.* Proinde rectè S. Leo Papa hodie in secundo Nocturno: *Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus; neque enim fas est, locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ; Una cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. Exultet Sanctus, quia propinquat ad palmam: Gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam &c.* Isa. 38. 2. Cant. 2. 9. Isa. 52. 6. Isa. 52. 6. S. Leo Papa serm. 1. de Nat. Dom.

5. Moyses Dux ac Legifer, ubi quadraginta diebus suavissimè in monte Sinai cum DEO egit, digressus ab hoc divino colloquio, & descendens de monte advertit, radiantem se habere vultum. Ne autem ob hos promicantes faciei radios populus Israëliticus à suo arceretur colloquio, velo vultum obtexit: *Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam, & tunc loquebatur ad filios Israël omnia, quæ sibi fuerunt imperata.* Exod. 34. 5.

Ecce plùs hîc in præsepio, quàm Moyses in montis fastigio, quia ipse adest, qui olim cum Moyse & Prophetis locutus est: & quia *non videbit me homo, & vivet,* faciem DEI carnis velo contexit, & velavit, ut in his terris inter homines ambulans faciliùs cum eis loqui posset, atque conversari. Exod. 33. 20.

Samueli quondam, ubi Bethlehem ingressus est, à Senioribus oppidi dictum fuit: *Pacificusne est ingressus tuus?* qui sine mora respondit: *Est pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum.* Anima Christiana! Considera admirabilem illum ingressum, quo filius DEI in mundum, & in uterum Virginis, & exinde in Bethlehem, & de Bethlehem in stabulum, ac præsepe venit. Et nunquid hîc pari ratione ad eum dicere possumus: *Pacificusne est ingressus tuus,* ô pientissime JESU! an venisti nos perdere, & gladium mittere? Minimè gentium, reponit dulcissimus Salvator: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare?* ideo proclamari jussit ab Angelis: *Pax hominibus bonæ voluntatis;* sed *ad immolandum Domino* 1 Reg. 16. 4. Luc. 9. 56.

veni,

veni, me ipsum aliquando in Ara Crucis pro salute universorum DEO Patri meo in Hierusalem immolando; *Sanctificamini* ergo, & *venite mecum* ad
Isa. 8. 6. aspera, ad dura, ad Cruces, & Passiones, quia non est alia ad Cœlum via, quàm *per Crucem ad lucem.* Anima Christiana! erige te in spem; *Ecce Par-*
S. Bern. ho. 3. sup. Miss. est. *vulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri saculi, Princeps pacis.* O qualis parvulus: *Studeamus efficaci*, subintrat hîc, Mellifluus, *sicut ille Parvulus; discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde, ne magnus DEUS sine causa factus sit Homo parvulus; quia nisi efficiamini sicut Parvulus iste, non intrabitis in Regnum cœlorum.*

6. Viderat quondam in quiete Nabuchodonosor Rex mirabilem quandam statuam ex diversis metallis compactam, quam lapillus è monte sublimi cadens, & ferreos, fictilesque pedes ejus tangens, uno contrivit momento:
Dan. 2. 34. *Abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Lapis iste, ait S. Augustinus, Hieronymus, & communiter SS. Patres, Christus est, hodie de monte, hoc est, de B. Virgine sine manibus abscissus, quia sponte sua, nullisque intervenientibus manibus in mundum descendit, quia mox primum impetum in superbam mundi statuam fecit, eamque humilitate sua solo æquavit: *Petra autem erat*
1. Cor. 10. 1. *Christus.*

Moyses ardentissimis suspiriis divinam expetebat videre faciem: *Osten-*
Exod. 33. 18. *de mihi gloriam tuam*; cui Dominus: *Non poteris videre faciem meam*: hoc est, essentiam divinam, prout vult S. Hieronymus, sed *videbis posteriora mea*, per quæ posteriora Verbi æterni humanitas & Nativitas, vita & passio designata est; & hanc expetebat videre Moyses. Et quid dico? *Vidit & gavisus est.*
Matth. 17. 3. Ubi? in monte Thabor; ibi vidit humanitatem Christi, splendorem ejus, & gloriam Passionis, per quam Regnum cœleste nobis reparavit: *Et ecce; apparuerunt eis Moyses & Elias &c.*

Duos Cherubinos olim fieri voluit DEUS, propitiatorium in Arca fœ-
Exod. 25. 18. deris stipantes: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte oraculi*, seu propitiatorii. Per quod propitiatorium significatus est Chri-
Rom. 3. 21. stus: *Quem proposuit DEUS*, ait Apostolus, *propitiationem per fidem in sanguine ipsius*; alii legunt *Propitiatorem.* Et ecce, hodie Propitiator mundi factus est, non consistens inter duos Cherubinos, sed inter duo bruta animantia, bovem & asinum: sic & mori voluit inter duos latrones in Cruce, ut significaret, Regnum suum non consistere in deliciis & voluptatibus, non in fastu, gloriâ, & pompâ, non in palatiis & opibus, sed in Cruce, cujus præsepium typum gessit, & in mundi contemptu; unde ipse dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*
Matth. 8. 20. Nimirum *propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ nos divites essemus.*

7. Ho-

7. Hodierno faustissima die adimpletum est illud: *Dilectus, quemadmodum filius unicornium.* Unicornis tardus est ad iram, & sumendam vindictam, sed si lacessitur, homines & bestias ut stipulam consumit, ni se mediatricem interponat Virgo quædam casta ac pudica, cujus unico aspectu sinuque ejus omnis mitigatur ferocia: *Quid Filio DEI similius?* exclamat, & interrogat Divus Thomas Villanovanus, *quàm filius unicornium? captus est & ipse amore Virginis, & Majestate oblitus, carnis vinculis irretitus: unde in Canticis quasi capturam suam prævidens, ex amore ad Virginem clamat: Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Veni hodie, anima Christiana, si desolata es, ad hunc divinum Unicornem in sinu Virgineæ Matris suæ placidè requiescentem, & impetrabis, quidquid volueris. Olim quidem appellabatur *DEUS ultionum*, verùm nunc in lucem natus DEUS & homo, totus, ut ita dicam, à seipso mutatus est, & amari nunc magis vult, quàm timeri; ita S. Chrysologus: *Dominum mutavit in Patrem, & ab eo tempore amari maluit, quàm timeri.*

2 Cor. 8. 9. Isa. 28. 6. S. Th. Vill. conc. 4. de Nat. Christ. Ps. 93. 1. S. Chrysol. serm. 7.

Considera, anime mi, in quâ miserabili statu tunc in veteri Lege versaretur genus humanum. Erat simile luctuosæ illi Sunamitidi, cujus unicus immatura morte extinctus erat filius. O quot lachrymis ejus miserandam deploravit mortem & sortem! proinde festinavit ad Elisæum, ad pedes ejus sese abjiciens, ut tantis malis ferret remedium. Misit ille famulum suum cum proprio baculo, ut puerum à funere revocaret ad vitam. Sed frustra hic tentavit omnia, donec tandem ipse Propheta venerit: *Et ascendit, & incubuit super puerum &c.* Et quid factum est? *Oscitavit puer septies, aperuitque oculos &c.*

4 Reg. 4 34.

En! pulcherrimum typum hodie in gente humana jam deplorata, à Christo nato à morte reducta ad vitam, adimpletum. Misit is prius famulum suum Moysen cum baculo, & tabulis lapideis, miserat, & alios Prophetas, sed nemo his desperatis poterat succurrere rebus. Tandem hodie ipse Filius DEI in mundum venit, super mortuum hoc corpus se incurvans, & accipiens eandem naturam, usque ad præsepe & Crucem se humilians. Et ecce, revixit mortuum humanum genus. Juvat hîc audire S. Antistitem Hipponensem: *Venit*, inquit, *Elisæus, & ascendit in cœnaculum, quia venturus erat Christus, & ascensurus Crucis patibulum. Inclinavit se Elisæus, ut puerum resuscitaret: humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret. Misit Elisæus oculos super oculos, manus super manus. Videte fratres, quantùm se vir ille perfectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo, & jacenti congrueret. Quod enim Elisæus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit.* Audi Apostolum dicentem: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; quia parvuli eramus, parvulum se fecit; quia mortui jacebamus, priùs se medicus inclinavit: quia & revera fratrem nemo potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare. Quod autem puer oscitavit septies, septiformis gratia S. Spiritûs ostenditur, quæ humano generi, ut resuscitetur, in adventu Christi tribuitur.*

S. Aug. ser. 106. de Temp.

8. Paralyticus ille Evangelicus in trigesimum octavum usque annum
Joa. 5. 7. ad piscinam probaticam lecto affixus decubuit, hominem non habens, qui eum, cùm aqua ab Angelo mota est, misisset in piscinam: *Hominem non habeo.* Et observat dilectus ille Christi Discipulus, quòd ibidem, tanquam in hospitali grandi, jacuerit *multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum &c.* O qualis miseria!

Per prædictum Paralyticum genus humanum subaudi, non duntaxat per triginta octo annos, sed per plura sæcula, & mundi ætates infirmum, & in infirmitate sua vix non contabescentem, unde quotidie ingemuit: *Hominem non habeo*, id est, DEUM & hominem Christum, qui me solus à paralysi mea potest salvum facere. Et ecce, hodie in hoc mundo prima vice
S. August. sup. Joan. apparuit Medicus ille divinus, qui animæ nostræ morbos sanaturus advenit, & infirmitates nostras ipse in Cruce portabit: *Venit*, inquit S. Augustinus, *de cælo magnus Medicus, quia per totum mundum ubique jacebat ægrotus.* Quid enim tunc erat Mundus totus in maligno positus, quàm probatica illa piscina plena miseriis, *in qua jacebat multitudo magna languentium*, & quilibet homo poterat dicere: *Hominem non habeo.* Opus ergo fuit, ut in piscinam descenderet non Angelus, qui nos à languoribus nostris redimere non poterat, sed ipse magni consilii Angelus, DEUS & Homo Christus. Noli proinde dicere, anima peccatrix, misera & desolata; *Hominem non habeo*; Ecce, Verbum caro factum est, & hodie habitavit in nobis. Nunc invoco
S. Leo Papa serm. 1. de Nat. Dom. creaturas omnes, ut una mecum gratias agant divinæ Majestati: *Agamus ergo, dilectissimi*, ait S. Leo Papa, *gratias DEO Patri, per Filium ejus in Spiritu Sancto, qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri &c.* Lege, si placet, secundum hodiernæ festivitatis Nocturnum, & plura ad propositum invenies.

9. Hodie adimpletum est illud de Viatore Jerichuntino à latronibus graviter sauciato & despoliato. Præteriit quidem secùs viam Sacerdos & Levita, audientes illius vulnerati lamenta, & videntes ejusdem miserias, sed dereliquerunt eum. Tandem venit optimus Samaritanus, qui condolens, & misertus tantarum calamitatum, pauperculi illius sedulam curam egit,
Luc. 10. 33. vinumque & oleum in vulnera ejus infudit: *Videns misericordiâ motus est, & appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum, & imponens &c.* Per Jerichuntinum illum primus homo, vel si mavis, quilibet homo peccator adumbratus est, qui, dum peccat graviter, ait Mellifluus, *incidit in latro-*
S. Bern. Ep. 236. *nes, id est, in Diaboli manus.* Nemo hîc poterat juvare, & tam desperatis succurrere rebus, nec Angelus, nec Moyses, neque Elias, aut alius Prophetarum: *Sacerdos & Levita*, ait S. Augustinus, *qui pertranseunt, Sacerdotium & Mini-*
S. Aug. in Glossa. *sterium veteris figurant Testamenti, ubi vulnera languentis mundi monstrantur, sed non curantur.* Oportuit igitur, ut veniret ipse verus & cœlestis Samaritanus, qui est Christus DEUS noster. Et ecce, hodie apparuit ipse in stabulo

inter

inter duo jumenta medius, ut hominem, qui peccando sicut jumentum apud DEUM factus est, *Ut jumentum factus sum apud te*, quæreret, & salvaret, atque proprio sanguine à plagis curaret. Ps. 72. 23.

Natus est autem juxta fontem, ceu cisternam Davidicam, quia ipse est fons vitæ, scaturiens in vitam æternam: *Aquam, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Joan. 4. 14. Natus est juxta portam Bethlemicam, quia ipse est porta unica, per quam possumus intrare ad vitam: *Ego sum ostium: Per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Natus est secus viam, quæ ducit in civitatem David, quia ipse de se ait: *Ego sum via, & veritas, & vita: Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. 14. 6. Natus est non in civitate in aliquo diversorio, vel palatio, sed in publico campo, quia ipse est *flos campi*, prostans omnibus, qui eum volunt carpere, flos autem horti & urbis clausus est; proinde recte Diez: *Hodie Divinus Redemptor, flos campi, in domo sine januis nascitur, ut ad eum omnibus pateat aditus.* Cant. 2. 1. Diez de Nat. Dom. Natus est in solstitio hyemali, ubi brevissimus est dies, sed mox prima sequenti nocte uno solet excrescere momento, quia *illum*, prout asserit S. Præcursor, *oportet crescere, me autem minui*; ille crevit in Cruce, alter autem minutus est capite. Jo. 3. 30. Natus est mediâ nocte, cùm silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus venit, ut eò magis in illis Judaismi & gentilitatis tenebris lux vera, quæ Christus est, resplendesceret, & tandem universum illustraret orbem. Sap. 18. 14. Natus est, cùm pax esset in universo mundo sub Augusto Octaviano, Romanorum Imperatore, quia ipse est *Princeps pacis*, & non dissensionis; unde Apostolus: *Ipse est pax nostra.* Isa 9. 6. Ephes. 2. 14. Natus est in Bethlehem, quam civitatem suæ prælegit nativitati, Jerosolymam verò passioni, quia Bethlehem significat domum panis, prout asserit S. Gregorius Magnus, ipse autem erat panis vitæ & frumentum Electorum. S. Gregor. hom. 8. in Evang. Natus denique est in loco abjectissimo & humillimo, ut damnaret mundi fastum, & nostram superbiam. O! mortales omnes evigilate.

En! Rex cœli & terræ in vilissimo pecudum hospitatur spelæo, DEUS infans in stabulo, Rex Regum in præsepio inter bruta medius in summa paupertate, & vos inhiatis opibus, honoribus, voluptatibus? *Arca DEI*, dicebat quondam Urias ad David, *& Israël & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini mei super faciem terræ manent: Et ego ingrediar domum meam, & comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ: non faciam rem hanc.* 1 Reg. 11. 11. Utinam hoc omnes dicerent Christiani! Filius DEI incarnatus, & sanctissima Mater ejus & D. Josephus habitant, in stabulo, & super faciem terræ manent? & ego vacabo deliciis? Nullo modo faciam rem hanc.

Paraverat quondam rex Saul convivium, ad quod etiam David erat invitatus, qui tamen non comparuit, sed in Bethlehem interim profectus est, ut ibidem in patria sua cum fratribus suis DEO protectori suo solemne pa-

1 Reg. 20. 27. raret sacrificium. Indignatus Rex propter ejus absentiam ex filio suo Jonatha causam scisitatur: *Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* Cui Jonathas: *Rogavit me obnixè, ut iret in Bethlehem, & ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate; & ob hanc causam non venit ad mensam Regis.* Hoc fac & tu, anime mi, si de his sacris diebus mundus invitat ad convivia, ad epulas, ad compotationes, ad saltus, ad lusus, ad recreationes, dic cum Davide: *Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in Bethlehem*; illuc ibo cum pastoribus, ut videamus Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis: *Ecce*, ait Quericus Abbas, *offertur tibi JESUS, curre obviis manibus, expande sinum, devotionem tuam tam affectus probet, quàm actus. Filium, qui tibi natus est, spe magna venerare, suscipe fide, amplexare charitate:* Terrena omnia ex corde tuo expelle, ut ibi loco præsepii offerre possis cor purum, cor devotum, cor latum, & dic cum Apostolo: *Cor nostrum dilatatum est*, ô JESU! ad te amandum.

Quericus serm. 2. de Nat. Dom.

2 Cor. 6. 11.

CONSIDERATIO LII.

S. Stephanus plenus gratia fortiter pro cœlo pugnat.

Pro Festo S. Stephani Proto-Mart.

Lapidabant Stephanum, invocantem & dicentem: Domine JESU, suscipe spiritum meum. Act. 7. 58.

I.

Gen. 49 10. PUlcherrima est illa quæstio, quam proponit Nicolaus Lyranus, celebris quidam sacrarum Litterarum Interpres, super illa Jacobi Patriarchæ vaticinantis verba: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ex quibus verbis hoc deducit argumentum: Quare sceptrum & corona hæreditaria Regni Israël potissimùm in tribum Juda, & non in aliam translatum est? Et respondet, quòd in Exitu de Ægypto, ubi Moy-

Moyſes Dux populi mare rubrum primus ingreſſus eſt, Aminadab Princeps hujus tribus Juda inter omnes ſecundus fuerit, qui mare rubrum intravit, Moyſemque audacter ſecutus ſit; Trepidabat enim tunc populus ubi Moyſes per virgam ſuam mare rubrum in plures diviſit partes: *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones.* Ægyptii premebant eos à tergo, aquæ ex utraque parte à dextris & à ſiniſtris populo vadum introëunti minitabantur interitum, igitur præ formidine Moyſen non audebant ſequi. Inter quos tamen omnes audentior ac generoſior unus extitit Aminadab, ex tribu Juda oriundus, & ejusdem tribûs Princeps, qui ſuorum contribulium ſpectans horrorem, eos de novo erexit in ſpem in DEO vivo, optimo ac maximo collocandam. Atque ſic primus Moyſen per præfatum mare rubrum, erecto vexillo tribus ſuæ (in quo leo adumbratus erat) ſecutus eſt, quem præeuntem mox reliquæ tribus Iſraël per turmas & familias ſecutæ ſunt, & ſic feliciter, demerſo cum exercitu ſuo Pharaone, ad portum maris, & denique ad terram promiſſionis pervenerunt. Pſ. 135 13.

Per Moyſen D. Auguſtinus Chriſtum ſubaudit, qui primus mare rubrum paſſionis ſuæ ingreſſus eſt, ut nobis iter ad cœleſtem Palæſtinam panderet. Per Virgam Moſaicam, multorum prodigiorum operatricem, dominicam Crucem intellige. Hærebant hîc in ſequela omnes: Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? *Sequere me*, per inopiam, infamiam, perſecutionem, tribulationem, mortificationem, flagella, Crucem, mortem &c. Et ecce, hodiernâ luce novum Aminadab, qui inter omnes Sanctos in lege gratiæ ſecutus eſt per mare rubrum paſſionis pretioſiſſimum Salvatorem ac ducem ſuum Chriſtum JEſum. Et quis eſt iſte, & laudabimus eum? Audi S. Maximum: *Mortem, quam Salvator dignatus eſt pro nobis pati, hanc S. Stephanus primus reddidit Salvatori.* Et Emiſſenus: *Beatus, qui fumantem Dominicam victimam Sanguinis primus honoravit recenti ſacrificio paſſionis*; ſiquidem eodem anno, quo Chriſtus pro nobis paſſus eſt, & D. Stephanus mortem pro Chriſto pertulit. Plura de hoc S. Proto-Martyre nobis hodie exponenda occurrunt. Matth. 9. 9. S. Max. in ſer. de SS & Emiſſ. de S. Steph.

2. De Naboth viro probo & juſto recenſent ſacræ litteræ, quomodo innocens propter vineam ſuam à majoribus ſuis hæreditatem & acceptam, dolo impiiſſimæ Jezabelis Reginæ, quaſi blasphemus in DEUM & Regem Achab accuſatus, à Concilio falſo & ſubornatô ad mortem damnatus, & à populo lapidatus ſit: *Benedixit Naboth DEUM & Regem quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt.* En! perelegantem typum in S. Stephano Proto-Martyre & viro innocentiſſimo adimpletum, qui velut alter probus Naboth ab impia Synagoga, quæ per Jezabelem adumbrata eſt, hodie propter vineam, hoc eſt, Eccleſiam DEI, & quaſi blasphemias contra legem DEI, & Moyſem dixiſſet, extra civitatem ejectus, & à veſano populo lapidibus obrutus eſt: *Impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant.* 3. Reg. 21. 13. Act. 7. 56.

Videtur mihi D. Stephanus, & quondam pius ille & laborioſus Jacob,
Gen. 27. 41. quem Eſau frater mirum in modum perſecutus eſt: *Oderat ergo ſemper Eſau Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei pater, dixitque in corde ſuo; Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*; & hæc & cauſa fuit, quòd paternam domum deſereret, & velut exul à patria in Meſopotamiam ſe confer-
Gen. 28. 10. ret: *Igitur egreſſus Jacob de Berſabee pergebat Haran. Cumque veniſſet ad quemdam locum; & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo dormivit in eodem loco.* Sed nunquam ſuaviùs dormiebat Jacob, quàm reclinatus ſuper lapides, vidit enim in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque DEI aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſibi: *Ego ſum Dominus DEUS Abrahæ patris tui, & DEUS Iſaac: terram, in qua dormis, tibi dabo &c.*

Hæc figura pulcherrimè in S. Stephano expreſſa eſt. Jacob, ſeu Iſraël idem eſt, ac *videns DEUM*; S. Stephanus *vidit gloriam DEI.* Jacob plures à fratre ſuo Eſau ſuſtinuit perſecutiones. S. Stephanus à Judæis falſis fratribus varias injurias, contumelias, verbera, ipſamque cruentiſſimam necem. Jacob poſt ſolis occaſum de lapidibus ſibi lectulum ſtravit, in quo dulciter indormit. S. Stephanus, poſtquam in Cruce occidit ſol juſtitiæ Chriſtus DEUS noſter, lapides ſibi collegit, in quo duriſſimo lectulo ſuaviter obdormivit in Domino: *Et lapides torrentis illi dulces videbantur.* Jacob Dominum innixum ſcalæ vidit, & Angelos DEI de cœlo deſcendentes & aſcendentes.
Act 7. 55. De Sancto Stephano dicitur: *Cùm autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum vidit gloriam DEI, & JEſum ſtantem à dextris DEI; & ait - Et ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris DEI.* En! fructum tribulationum & perſecutionum, ſi patienter cum S. Stephano pro DEO & ju-
Apoc. 21. 4. ſtitia eas ſuſtineas; Tandem melior rerum facies veniet, quando ipſe DEUS abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiêrunt. Et dixit, qui ſedebat in throno: Ecce, nova facio omnia.

3. Recordor hîc illius fortiſſimi Belli Ducis Joab, qui, poſtquam Rex David urbem Hieroſolymam in ſuam redegiſſet poteſtatem, & adhuc ſupereſſet arx Sion armatâ manu expugnanda, primus omnium in aſſultu ſcalas aſcendit, & ſumitatem murorum apprehendens, in arcem penetravit, ubi debellatis hoſtibus inſignem victoriam reportavit, quam ob cauſam Joab à
1 Par. 11. 15. Davide totius exercitus Dux deſignatus, & nominatus eſt: *Porro David cepit arcem Sion, quæ eſt civitas David; dixitque: omnis, qui percuſſerit Jebuſæum in primis, erit Princeps & Dux. Aſcendit igitur primus Joab filius Sarviæ, & factus eſt Princeps.*

Arx Sion cœlum præfiguravit armatâ manu & vi forti expugnandum; Chriſtus inter omnes primus ſcalam Crucis applicavit, viam monſtrans,

quo-

quomodo hæc arx ſuperna & cœleſtis ſit vincenda: *Crux*, ait Cornelius, *eſt ſcala, & via, per quam Chriſtus, omnesque Chriſtiani in cœlum conſcenderunt, & in dies conſcendunt.* Poſt Chriſtum inter omnes purpuratos cœli Candidatos, mediante hac Crucis ſcalâ (nam in palo, velut Cruce erat alligatus, cùm lapidaretur) S. Stephanus hanc arcem & Sion cœleſtem cepit & oppugnavit; hinc jure merito deſignatus eſt Proto-Martyr, Dux & ſignifer tot millium, imò millionum Sanctorum Martyrum, & ideo à S. Chryſoſtomo appellatur *Dux, qui purpuratum ducit exercitum.* Cornel. in Gen. 28. 12.

De adamante referunt, quòd ſupra incudem locatus, nullâ malleorum vi & ferri ictu frangi poſſit, proinde pro lemmate tulit: *Non frangitur ictu*; vel ſi mavis: *Nec ferro, nec igne.* Et ſi Italus placet: *Sotto il ferro, mà ſenza piaghe.* Talis Adamas S. Stephanus extitit, non ferro, nec igne vincendus, aut ullo lapidum pondere, vel ſaxorum turbine frangendus: *Semper idem.* Sed unde tam inſolita illi fortitudo? Reſp. S. Auguſtinus, quia JEſum & hunc crucifixum ſibi tanquam ſpeculum & prototypon propoſuit, ad cujus memoriam, imò & conſpectum contra omnes inimicorum inſultus tam generosè decertavit; ſolet enim Dux, ſi in bello & periculis ipſe præcedit, mirum in modum formidoloſum militem ad æquale provocare certamen: *Eja, athleta Chriſti*, ait S. Antiſtes Hipponenſis, *aſpice illum, qui pro te pependit in ligno, crucifigebatur ille, tu lapidaris &c.* Et quid tu, anime mi? nondum usque ad ſanguinem in hac pugna pro cœlo reſtitiſti. S. Auguſt. ſerm. 7. de S Steph.

4. De lapide Philoſophico recenſet S. Baſilius Seleucenſis, quòd omnia metalla in optimum ſoleat commutare aurum. Felix, qui hunc lapidem invenit. Et quid dico de S. Stephano? Lapidem ille habuit Philoſophicum, qui omnes dolores & cruciatus ejus in optimum charitatis commutavit aurum. Lapis autem hic non erat alius, quàm Chriſtus, juxta illud: *Petra autem erat Chriſtus*, quem cum ex una parte in ligno Crucis ſuffixum, ex altera verò parte in cœlo nunc regnantem & certamen ſuum inſpicientem conſideraſſet, & exemplo ſui ducis, & ſpe futuræ gloriæ animatus: *Gaudens ſuſcepit lapides, ut mereretur habere coronam vitæ.* Audi S. Bernardum: *Stat Martyr triumphans, & tripudians, toto licèt lacero corpore: nempe in petra, nempe in viſceribus JESU &c.* S. Baſil. orat. 16. 1 Cor. 10. 1. S. Bern. ſer. 61.

Videamus nunc utriusque & Crucifixi JESU & lapidati Stephani analogiam. JESUS amariſſimam paſſionem ſuam in monte Oliveti non longè à torrente Cedron incepit: *Egreſſus eſt cum Diſcipulis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus &c.* Ibi & S. Stephanus extra portam paſſus & lapidatus eſt: *Extra portam*, ait B. Damianus, *paſſus eſt Dominus, extra eam lapidatur ſervus, exiens ad eum extra caſtra, & portans ſimilitudinem improprii ejus &c.* Jo. 18. 1. B Petr. Dam. in ſerm. de hoc. S.

JESUS

JESUS tanquam ovis & agnus mansuetus ductus est ad victimam,
Isa. 53. 7. non aperiens os suum: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, &*
S. Aug. serm. 99. de Divis. *non aperiet os suum.* Ita attestante S. Augustino, D. Stephanus Levita, vel Diaconus, sub S. Jacobo Minore Apostolo & Episcopo Hierosolymitano, *prima ovis fuit pugnans in medio luporum.*

JESUS tanquam blasphemus in judicio à falsis testibus insimulatus, accusatus, & judicatus est; unde Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua,
Matth. 26. 65. dicens: *Blasphemavit: Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam.* Ita & S. Stephano accidit, de quo S. Lucas in Actis Apostolorum: *Tunc submiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum verba blasphemiæ in Moysen &*
Act. 6. 11. *in DEUM &c.*

JESUS flagellis cæsus, extra civitatem ad locum supplicii raptus est, ubi in via, teste S. Anselmo, multi petulantes Judæi lapides & lutum in eum projecerunt; tandem nudus durissimo Crucis palo & ferreis clavis & funibus affixus, immaculatum spiritum Patri suo reddidit. Ita & S. Stephano evenit, dum ab insolentibus Hebræis per publicam plateam extra civitatem tractus, lapidibus & luto petitus, ac tandem, juxta Petri Bessæi aliorum-
Act. 7. 57. que opinionem, nudus palo funibus alligatus, lapidibus obrutus est: *Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant.*

JESUS pro inimicis & crucifixoribus suis in mediis & summis tormentis oravit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Supra quod
Luc. 23. 34. S. Bern. ser. 4. hebd. Pentec. egregiè Bernardus: *Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: flagellis cæsus est, spinis coronatus est, clavis confossus est, affixus patibulo, opprobriis saturatus: Omnium tamen dolorum immemor, charitatis memor: Ignosce, ait, illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Ita quoque S. Stephanus juxta dilectissimi Magistri sui exemplum in medio tormentorum pelago immemor omnis illatæ injuriæ, memor autem charitatis, pro inimicis suis ad DEUM oravit: *Do-*
Act. 7. 59. *mine, ne statuas illis hoc peccatum.* Audiamus hîc Eusebium: *Non mireris,* inEuseb. super. Actor. 7. quit, *si audias Stephanum orantem pro inimicis suis lapidantibus in valle: Domine, ne statuas illis hoc peccatum; quia didicit Levita à sacerdote magno clamante in Cruce: Pater, ignosce.*

JESUS in Cruce moriens spiritum Patri commendavit: *Et clamans voLuc 23. 46. Act. 7. 58. ce magna JESUS ait; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et sequitur; *Et hæc dicens exspiravit.* Pari ratione, cum S. Stephanus sub tam crudeli & cruento deficeret saxorum imbre, vel potiùs turbine, JEsumque ad dextram Patris stantem, & agonem hunc suum intuentem conspiceret, summo, quo potuit adhuc, affectu & ardore, ipsi animam suam commendavit: *Domine JESU, suscipe spiritum meum.*

JESUS

JESUS tandem in petra ſummo piarum mentium cum luctu ſepultus eſt: *Et poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petra, & advolvit lapidem ad oſtium monumenti*, & obſervat ulteriùs Zacharias Propheta: *Et plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti &c.* Ita & S. Stephanus poſt conſumatum glorioſum agonem ſuum, ſub lapidum acervo, & quaſi in petra ſepultus eſt; ſed viri probi, juſti ac timorati curaverunt eum, *& fecerunt planctum magnum ſuper eum &c. Et quis*, ſubintrat hîc S. Joan. Chryſoſtomus, *non plorâſſet, videns illum manſuetum agnum lapidari, & jacere mortuum?* Marc. 15. 46. Zach. 14. 10. Act. 8. 2.

§. Supra iſta hactenus dicta pro reflexione morali capiamus: Elephas, licèt corpore vaſtus, & anima ſagax, generoſus ac bellicoſus, minima tamen abhorret & reformidat animalcula, dum enim murem oberrantem conſpicit, ſubitò conturbatur, efferveſcit ſtomacho & iracundiâ, atque vix in ſuo retineri poteſt officio. Ita & nos ſumus conſtituti: Levis injuriola, leve verbulum, levis deſpectus nos frangit & angit, ut incipiamus coquere iram, & meditemur vindictam, ſed audi, bone Vir, nondum cùm S. Stephano ſaxorum expertus es imbrem, nondum cum ipſo usque ad ſanguinis effuſionem reſtitiſti. Ille in medio ſilicum turbine pro infenſiſſimis ſuis oravit inimicis: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*; cur tu, anime mi, non facis ſimiliter, ſi ad eandem aſpiras æternæ felicitatis coronam. Plin. l. 8. c. 10.

Moyſes, licèt patraverit ingentia ſigna ac prodigia in populo Iſraël & Ægypti, & inter mortales omnes ſui ævi fuerit manſuetiſſimus, de quo Scriptura: *Erat autem Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra &c.* Nihilo ſecius torrentem lapidum, quo eum ingratiſſimus populus volebat interficere, vix potuit effugere; audi ipſum loquentem: *Clamavit autem Moyſes ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? Adhuc paulum, & lapidabit me.* Aliâ vice, cùm populus in ſeditione jam lapides arriperet, ut eum cum Aarone interficeret, fugit ad tabernaculum, tanquam ad tutum aſylum, in quo pro perſecutoribus ſuis impenſiſſimè ad DEUM oravit, & divinam iram ac vindictam ab eis avertit: *Cumque oriretur ſeditio, & tumultus increſceret, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Num. 12. 3. Exod. 14. 4. Num. 16. 24.

En! Alterum Moyſen in S. Stephano, qui ingentia quoque patravit prodigia, de quo Apoſtolorum Acta: *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo*, dum mortuos, atteſtante Pepino, ad invocationem Nominis Chriſti ſuſcitavit, cæcos illuminavit, paralyticos curavit, ſurdis auditum reddidit, leproſos mundavit, dæmoniacos liberavit, ægrotos variis languoribus affectos ſanitati reſtituit, & ſi quæ ſunt ſimilia. Fuit inſuper manſuetiſſimus, dum pro ſuis infenſiſſimis inimicis, ac præſertim pro Saulo oravit, hinc & Paulum Eccleſiæ impetravit, & ex Saulo Paulum effecit. His tamen non obſtantibus lapideum imbrem effugere non voluit: Act. 6. 8. Pepin. in ſer. de hoc Sancto.

Act. 7. 56. *Impetum fecerunt unanimiter in eum.* Juvat hîc audire S. Augustinum, qui ita S. Stephanum, in hoc horrendo constitutum grandine, loquentem introducit: *Vide, Domine JEsu: Ego lapidor, ego patior; in me sæviunt, in me fremunt; sed ne statuas illis hoc peccatum, quia, ut hoc dicam tibi, à te primo audivi. Tu Verbum, ego auditor verbi &c.* Et quid evenit? *Vidit gloriam DEI, & JESUM stantem à dextris DEI.* O! invictam hujus glorioſiſſimi Proto-Martyris fortitudinem, patientiam, manſuetudinem, conſtantiam, &c. Anime mi, audi verbum; ſi impoſterùm tibi quid grave erit tolerandum, obſecro te, cum beatiſſimo Stephano eleva oculos in cœlum, & ſtatue tibi ante oculos mentis tuæ præſentem JEſum ibi regnantem, ibi te videntem, & ad coronam cœleſtem te invitantem: *Ecce, video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris DEI.* Hæc præſentia divina S. Stephanum animavit, & te quoque in adverſis omnibus, tum in vita, tum in morte animabit, ut cum Apoſtolo lætus poſſis dicere: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

S Aug hom. 16. de Sanctis.

Actor. 7. 55.

Rom. 8. 18.

6. Loquebatur aliquando Jacob & quidem familiariùs cum Labano, petens ab eo filiam ſuam natu minorem Rachelem in conjugem; & ut hoc magis facilitaret negotium, ſponte ſe obtulit: *Serviam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Laban hanc acceptans conditionem annuit, & Jacob ſua incipit ſervitia, ac fideliſſimè ad ſeptem usque annos perducit: *Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.*

Gen. 29. 18.

De eodem Jacob ſacra commemorat Hiſtoria, quòd ad adventum prædictæ Rachelis, quæ decora erat facie, & venuſto aſpectu, licèt laſſus, & ab itinere defatigatus, lapidem tamen prægrandem ab ore putei, qui ad adaquandos ovium greges inſerviebat, ſolus amoverit; quem alias plures paſtores nonniſi grandi labore poterant amovere: *Quam cum vidiſſet Jacob, & ſciret conſobrinam ſuam, ovesque Laban avunculi ſui, amovit lapidem, quo puteus claudebatur.* Unde, quæſo, tanta fortitudo & robur Jacobi? Reſp. Abulenſis: Hoc fuit propter Rachelem, quam tenerrime amabat, amor enim ultra vires eſt audax. Si amas, potes; plura poteris, ſi plùs amabis, ſupra vires enim evolat amor; hinc videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Et pergit idem Abulenſis: *Is pro Rachele ſerviret etiam ampliùs, tanto amore (honeſto tamen) tenebatur, nullus enim labor magnus videtur amanti, ignem non timet, nives ſpernit, gladio ſe opponit, & omnia periculoſa ſibi grata reputat, dum tamen amatum conſequatur.*

Gen. 29. 10.

Abulenſ. hîc.

O! quàm bene convenit hic amor Jacobi Patriarchæ cum amore S. Stephani Proto-Martyris! Unde, obſecro tantus animus, tantus ardor, tantus ignis in pectore hujus ſanctiſſimi Diaconi? Nimirum adamabat, & quidem ardentiſſimo amore longè formoſiorem Rachelem, quàm quondam Jacob, & quia illam tenerrimè amabat, ſecundùm magnitudinem pulchritudinis hujus feliciſſimæ Rachelis creſcebat & magnitudo dilectionis in animo S. Stephani.

Ra-

Rachel autem hæc non erat alia, quàm vita æterna, per Liam autem vita præsens terrena & laborioſa adumbratur; Proinde non timebat lapides, imò nec mille neces, dum ejus pulchritudinem vel de longe conſpicatus eſt: *Ecce video cœlos apertos &c.* O vita beata! ô pulcherrima Rachel! formoſa valde, & incredibili pulchritudine; tu glo ia Jeruſalem, tu lætitia Iſraël! quis non inſerviat DEO propter te? Nunquid omnes dies vitæ noſtræ pauci nobis videri debent præ amoris illius magnitudine? Eja Chriſtiani, erigamus animos; En! exſpectat nos DEUS, ut in arena adhuc dimicantes adjuvet, & ſi labor terret, nunquid nos merces invitet? Hîc pro noſtro ſolamine audire juvat S. Auguſtinum: *Ob hanc felicitatem*, inquit, *ſi oporteret te quotidie tormenta perferre; ſi ipſam gehennam longo tempore perferre? ut Chriſtum in gloria ſua videre poſſes, & Sanctis ſociari: nonne dignum eſſet pati omne triſte, ut tanti boni, tantæque gloriæ particeps efficiare?* Act. 7. 55. S. Aug. in Man. c. 15.

7. O glorioſiſſime Proto-Martyr! cui ulteriùs te aſſimilabo? Abel juſtus & innocens primus Martyr in lege naturæ fuit, dum propter DEUM, & Sacrificium in illius honorem oblatum, ab invido fratre fuit interfectus: *Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum;* cujus ſanguis innocenter effuſus mox adverſus interfectorem vindictam clamavit: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. 8.

B. Stephanus primus Martyr fuit in lege gratiæ, unde Eccleſia eum vocat Proto-Martyrem. Verum longè meliùs ad DEum clamavit ſanguis Stephani, quàm Abelis: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* En! ſummam illius charitatem, & quidem erga inimicos infenſiſſimos, & efferatiſſimos, & quòd mirabilius eſt, obſervat Scriptura, quòd prædicta verba poſitis in terram genibus, & voce magnâ clamaverit; addit D. Auguſtinus: Stephanum clamori miſcuiſſe lachrymas, in quo perfectiſſimè Chriſtum, in Cruce pro ſuis crucifixoribus orantem, imitatus eſt; hîc exauditus eſt pro ſua reverentia, & S. Stephanus pro ſua inſigni charitate: *Si S. Stephanus non oâſſet*, ait memoratus S. Antiſtes Hipponenſis, *Eccleſia Paulum non haberet: ſed ideo erectus Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.* Diſce, pro inimicis tuis orare, ſi à DEO vis ſpecialem gratiam impetrare, & ipſe exaudiri. Act. 7. 59. S. Aug. ſ. 99. de diverſis. S. Aug. ſer. 1. de SS.

Occurrit hîc mihi rurſus Joab, ſtrenuiſſimus Davidicarum copiarum Dux & Archiſtrategus, Regi ſuo cumprimis fidus, & experientiâ bellicâ inſigniter inſtructus; hîc, inquam, cùm urbem Rabbath in Regione Ammonitarum juxta torrentem Jaboc ſitam valido exercitu obſideret, eamque acriter oppugnaret, & nunc armatâ manu per ultimum aſſultum civitas eſſet oppugnanda, citò nuntios Davidi miſit, ut ipſe Rex huic cruento & glorioſo aſſultui, ac pugnæ dignaretur intereſſe, ut ſic omnis victoriæ honos non ſibi Joabo, tanquam ſubdito, ſed Regi ſuo Davidi adſcriberetur: *Miſitque Joab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adverſum Rabbath, & capienda eſt urbs aquarum; nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obſide civitatem, & cape eam,* 2 Reg. 12. 27.

ne, cùm à me vastata fuerit urbs, nomini meo attribuatur victoria. Vide hîc, & admirare fidelitatem, ac modestiam Ducis Joab, omnem gloriam urbis alias invincibilis, & nunc mox capiendæ, refutantis, & in Regem Davidem transferibentis.

Plùs invenies in S. Stephano, quàm in Duce Joab, qui, cùm nunc oppugnanda esset civitas illa superna, ac cœlestis Jerusalem, invocavit Dominum suum JEsum, ut ipse huic suo cruento dignaretur adesse certamini, ne victoria sibi, sed suo Domino Salvatori, ac Redemptori attribueretur. Et
Act. 7. 55. ecce, adest mitissimus JEsus, *stans à dextris DEI*, & spectans felicissimi servi sui agonem, simulque adjuvans eum subministrando illi gratiam efficacem ac finalem, quâ adjutus fortissimus athleta sanctam illam Electorum civitatem gloriosè oppugnavit, vicit, superavit, & ad æternam immarcescibilem coronæ gloriam ascendit ac pervenit? unde rectè illud Vatis Regii applica-
Ps. 29 4. re possumus: *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Disce hîc, Christiane, omnem gloriam tuorum bonorum operum, & quidem etiam heroicorum, semper, & pro semper resignare in DEUM, ac Salvatorem tuum JEsum, ipsi enim debetur omnis ho-
Isa. 48. 11. nor, amor, laus, & gloria; proinde non sine causa apud Isaiam ait: *Gloriam*
Apoc. 4. 10. *meam alteri non dabo.* Hinc & illi viginti quatuor Seniores *mittebant coronas ante thronum dicentes: Dignus es, Domine DEUS, accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creâsti omnia.*

Gen. 6. 16. Noë Patriarcha, cùm nunc arca in diluvio in sublime elevaretur, &
Gen. 8. 6. tempestas valida, quia *cataractæ cœli apertæ sunt* super eam, & qui in ea erant, se se pleno impetu effunderet, in medio illius turbinis hoc solatii habuit, quòd per fenestram unam pellucidam & grandiorem ex vitro, vel crystallo, vel etiam ex lapide speculari (prout volunt aliqui) compositam & elaboratam, potuerit cœlum intueri, illuc vota sua mittere, & optatum auxilium à DEO salutari suo quærere; ô quoties in illo carcere ingeminavit: *Auxilium meum*
Ps. 120. 2. *à Domino, qui fecit cœlum & terram!* Felicior S. Stephanus, qui in immani illo, non imbrium, sed saxorum turbine, & in tempestate valida, in circuitu suo non fenestram pellucidam, quâ mediante potuisset de longè cœlum intueri,
Act. 7. 55. sed ipsum cœlum jam apertum vidit: *Ecce, video cœlos apertos*, & quod plùs
Ps. 115. 5. est, vidit ipsum benignum suum Judicem de throno gloriæ suæ surgentem, & se adjuvantem: *Et JEsum stantem à dextris DEI.* O! felix mors, ô beata sors, sic mori posse in conspectu Domini: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.*

Cùm Josue invictissimus Israëlitarum Dux, contra quinque Reges Chananæos pugnaret, solem sistebat & lunam, quos spectatores in illo cruento
Jos. 10. 12. prælio habuit, donec tandem hostes omnes profligaverit: *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Aiolon &c.* S. Stephanus in sanguineo suo

præ-

prælio spectatorem habuit & solem & lunam, hoc est, Christum & Mariam, hic enim est sol justitiæ, illa autem pulchra, ut luna. Et quid mirum, quòd tam egregiè pro cœlesti dimicaverit coronâ? Age, glorioſissimè victor, & pugil Christi, ito ad JEsum tuum, pro cujus fide, amore, & honore tantum sustinuisti agonem; ito, inquam, sed obsecro te, esto memor nostri hîc & ubique, ac tunc præsertim, quando nobis erit pugnandum pro tota æternitate &c.

CONSIDERATIO LIII.

De Vita S. Joannis Apost. & Evang. dilecti Christi Discipuli.

Pro Festo S. Joannis Evangelistæ.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat JEsus. Joan. 21. 20.

I.

MIrabilem quondam visionem habuit magnus ille Propheta Ezechiel, dum aliquando currum glorioſum vidit, Deumque in solio ei præsidentem, quem stipabant quatuor Cherubini, quorum unusquisque aliam, ac diversam præseferebat faciem: primus habebat faciem hominis, alter faciem leonis, tertius bovis, & quartus aquilæ: *Similitudo autem vultûs eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor &c.* Ezech. 1. 10.

Non absimilem visionem in novo quoque Testamento habuit dilectus ille Christi Discipulus S. Joannes Apostolus & Evangelista, dum sacra illa quatuor animalia thronum DEI stipantia de novo in Insula Pathmos con-
Apoc. 4. 6. spicatus est, de quo ipso testatur: *In circuitu sedis*, inquit, *quatuor animalia plena oculis ante & retrò, & animal primum simile leoni, & secundum animal simile vitulo & tertium animal habens faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ volanti.* Labyrinthum hìc vides mysteriorum DEI, Lector prudens, & Oceanum arcanissimorum hieroglyphicorum, quibus Propheta ille tum antiquus, tum Apocalypticus, dum alii Sacrorum Vatum aperto solebant prophetare sermone, ipsi recondita mysteriorum divinorum per ejusmodi ænigmata satagebant præsignare.

Omissis aliis quàm plurimis expositionibus, per currum illum Cherubicum rectè sacrum Evangelium intelligimus, à Christo manifestatum, & à quatuor Evangelistis, velut quadrigam, agitatum, & toto orbe circum-
Cornel. in Procem. in Evang. actum Ita S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Irenæus, & plures SS. Patrum, & interpretum. Per animal primum simile Leoni S. Marcus denotatur, cujus facies, hoc est, Principium sacri Evangelii à clamore & rugitu S.
Marc. 1. 3. Joannis Præcursoris, quasi leonis in desertò clamantis, incipit: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Per vitulum significatur S. Lucas, qui Evangelium suum inchoat à veteri sacrificio, & Sacerdotio Zachariæ,
Luc. 1. 8. cujus victima erat vitulus vel bos: *Factum est autem, cùm Sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum &c.* Per hominem S. Matthæus præsignatur, qui Evangelium de humana Christi genealogia oritur; *Liber generationis JEsu Christi, filii David, filii Abraham &c.* Per aquilam volantem S. Joannes præfiguratur, qui non ab homine, vel à leone, vel à bove, sed ab ipsa
Joan. 1. 1 dignitate Verbi suum Evangelium cœpit: *In principio erat Verbum &.* Proinde longissimo gradu tribus aliis antecellit Evangelistis, dum solus agit de divinitate Christi, de origine Verbi, de processione & spiratione Spiritûs Sancti, de SS. Trinitate & unitate ejusdem &c. Ex quibus sequitur, quòd quasi aquila altissimè in cœlum se se libraverit, & quod notatu dignum, æquè ac mirum, ipse adhuc vivens illa prædicta quatuor animalia conspexit, throno DEI adstantia, & inter illa in aquila volante se ipsum repræsentatum. Plura ac planè mira hodie ocurrunt de hoc dilecto Christi Discipulo consideranda &c.

Thren 3.27. 2. *Bonum est viro, cùm portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* Talis fuit Samson, mortalium fortissimus, & Samuel, fidelis Propheta Domini, qui
Jud. 13. 17. à prima adolescentia sua à vino & sicera abstinebant, proinde meritò Naza-
1Reg. 1. 11. ræi consecrati sunt. Hos secutus est, imò longo intervallo superavit S.
Matth. 3. 4. Joannes Baptista Præcursor Domini, dum vix bimulus secessit in eremum,
Luc. 2. 7. locustis victitans, & aspero vestitus cilicio, humi supra petram recubans;

hinc

hinc Chriſti meruit fieri Præcurſor & Martyr glorioſus. Et nunquid ipſe melioris orbis Reparator Chriſtus à præſepio & primis incunabulis pauperem ac duram cœpit vitam, ut ſic ſe magis magisque ad duriora pararet exercitia, ac ſupplicia, olim in Paſſione & Cruce pro ſalute totius mundi ſuſtinenda ?

Talis fuit & S. Joannes, dilectus Chriſti Diſcipulus, dum à teneris vitæ annis juga mandatorum DEI colla lubentiſſimè ſubmiſit, & diſciplinæ ſub piis parentibus aſſuetus, tandem in talem ac tantum evaſit virum, quem etiamnum miratur, & ſuſcipit mundus univerſus; hinc cùm ad aures illius perveniſſet, quòd S. Joannes Baptiſta tàm auſteram in deſerto degeret vitam, omnesque invitaret in concionibus ſuis ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos, ipſe adhuc adoleſcens inter primos ad eum in deſertum trans Jordanis flumen volavit, à quo paternè exceptus, & in omni virtutum genere inſtructus eſt. Et hoc eſt, quod ipſe in ſacro ſuo Evangelio, tecto tamen nomine, orbi voluit inſinuare: *Altera die iterum ſtabat Joannes; & ex Diſcipulis ejus duo, & reſpiciens JEſum ambulantem dicit: Ecce Agnus DEI. Et audiêrunt duo Diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt JEſum.* Et quinam, dices, hi duo fuerunt Diſcipuli, qui hortatu ſui Magiſtri & Joannis Præcurſoris Domini ſine mora ad Chriſtum venerunt? Joan. 1. 35.

Reſp. Unus fuit Andreas, cujus nomen in Scriptura inſinuatur, ut patet verſu 40. cujus autem nomen non ponitur, ait S. Chryſoſtomus, & plura alii SS. Patrum, erat ipſe, qui hoc ſcripſit Evangelium, nimirum S. Joannes Evangeliſta, qui humilitatis causâ, ait Sylveira, nomen ſuum reticere voluit; & ſubdit Cornelius, quòd Joannes in Apocalypſi gaudeat Chriſtum vocare Agnum, quaſi qui hoc nomen audierit, & imbiberit à Magiſtro ſuo Joanne Baptiſta. Denique tanta puritas, virginitas, & ſanctitas S. Joannis Evangeliſtæ videtur manâſſe à puritate & ſanctitate Joannis Baptiſtæ. O Chriſtiani! Præſertim vos juvenes & adoleſcentuli, diſcite, quàm bonum ſit, portare jugum Domini in adoleſcentia veſtra, quia DEUS, prout benè obſervat Doctor Angelicus, ſpecialiter diligit eos, qui à juventute ſerviunt ei, quisquilias autem, paleas ad ſegmenta annorum nunc tandem in extremo vitæ velle conſecrare DEO, non dico, quòd omninò inutile, ſed probroſum ac periculoſum eſt. Joan. 1. 40. Corn hîc Sylveira hîc.

3. Cùm Davidi naſceretur ex Bethſabee filius ſecundus, illum non ſine ſingulari DEI inſtinctu appellari voluit Salomonem, id eſt, pacificum & DEO amabilem: *Et vocavit nomen ejus amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Quare S. Joannes Chriſti Diſcipulus in circumciſione, octava poſt ejus ortum die, à piis parentibus, Zebedæo patre, & Salome matre, *Joannes* fuerit appellatus, non ſine peculiari cauſa factum eſt, hoc enim nomen, teſte S. Iſidoro, non aliud ſignificat, quàm gratioſum, amabilem, & miſericordem, in quo eſt gratia Domini. Proinde recte illud Sapientis ei 1 Reg. 12. 25. S. Iſi. l. 7. Etym. c. 9. Prov. 22. 11.

appli-

applicare possumus: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem*; unde non mirandum est, quòd S. Joannes Regi Regum Christo JESU inter dilectos omnes Discipulos fuerit dilectissimus: *Quem diligebat JESUS*, quia dilexit cordis munditiem, & Virgo in ævum permansit.

Gen. 44. 20. Jacob Patriarcha, duodecim filiorum pater inter omnes natos suos ut plurimùm adamavit natu minorem Benjamin: *Pater verò tenerè diligebat eum.* Christus inter duodecim Apostolos, quos locò filiorum habuit, tenerrimè dilexit Joannem, ita Euthymius: *Joannem diligebat JESUS plùs cæteris, quia plùs diligi meruit* ob mentis candorem, summam mansuetudinem, sanctam simplicitatem, fidelitatem, & animi ac corporis puritatem, quam usque ad centesimum ætatis annum ad sepulchrum usque constantissimè conservavit: *Unde meritò*, ait S. Anselmus, *Christus Joanni tanta revelavit, quia præcellebat omnibus privilegio castitatis.* Disce, si Christo gratus & amabilis esse velis, servare puritatem in omnibus: *Foris canes*, & impudici, non enim habent partem in Regno DEI.

Euthym. Sup. Joan. S. Ansel. de S. Joan. Apoc. 12. 15.

4. De Jonatha refert Scriptura: *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam.* Causa hujus sinceri inter Jonathan & Davidem amoris erat perfecta morum, & amorum æqualitas, dum uterque probus fuit, pius, æquus, candidus, atque in bello contra Philistæos triumphans; hinc inter sese perpetuum amicitiæ inibant fœdus, immolatione etiam victimarum firmatum ac stabilitum. En! perfectissimum typum in Christo JEsu, dulci Jonatha, & in Joanne in novo Testamento adimpletum, dum uterque se invicem tenerrimo prosequebatur amore, ut proinde meritò de Christo illud dicere & applicare possis: *Anima Christi conglutinata est animæ Joannis, & dilexit eum JESUS quasi animam suam.* O si simili amore JEsum diligeremus! O si anima nostra simili modo animæ JESU esset conglutinata! Sed prô dolor! quàm tepidæ hîc sunt mortalium mentes! Amantur pecuniæ, amantur honores, amantur voluptates, & JEsus ipse amor non amatur. O portentum ingratitudinis nostræ, dum proprius amor præcedit amori JEsu! O anime mi! *Ejice ancillam hanc, & puerum ejus &c.* Non enim est conventio veritati & vanitati, luci & tenebris, Spiritui & carni, igni & tepiditati.

1 Reg. 18. 1.

Gen. 21. 10.

De Patre æterno perhibet sacra Pagina, quòd Unigenito Filio suo, cum in Jordanis flumine à S. Baptista & Præcursore suo baptizaretur, & cœli essent aperti, non alium titulum coram Angelis DEI assignaverit, quàm *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Similem titulum à pientissimo Salvatore nostro promeritus est S. Joannes Evangelista: *Hic est Discipulus, quem diligebat JESUS. O dilectus! quemadmodum filius unicornium.* Et quare hoc?

Matth. 3. 17.

Ps. 28. 6.

Resp.

Resp. Unicornis suavium odorum est amantissimus, diligit Virgines, dum depositâ feritate caput in sinum earum demittit; invicti insuper roboris est, & cornu illius singularem contra venena virtutem habet. Christus est similis ejusmodi unicorni, mansuefactus in sinu Virginis Matris, cujus suavi virtutum odore illectus & captus ad terram descendit, habitavitque cum hominibus in salvationem &c. Le Blanc hic.

Et ecce, alterum filium unicornium S. Joannem Evangelistam supra pectus Domini suaviter in Cœna ultima requiescentem, & ideo tantopere à Christo dilectum, quia illibatum adolescentiæ florem ad Apostolatum vocatus Domino suo obtulit, oblatumque usque ad beatam mortem conservavit: *Recubuit super pectus ejus.* Priùs in cœlo, & ante omnia sæcula, *Unigenitus filius erat in sinu Patris*; nunc homo in tempore factus requievit in sinu Joannis, & vicissim Joannes in sinu Christi. O verus *Benjamin adolescentulus in mentis excessu!* Joan. 21. 20. Joan. 1. 18. Ps. 67. 28.

5. Nathan, cùm Davidem Regem ad meliorem frugem voluit reducere, hanc illi pulcherrimam proposuit parabolam: *Dives*, inquiebat, *habebat oves & boves plurimos valde, pauper autem nihil habebat omninò, prater ovem unam parvulam, quam emerat, nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiebat.* Scio equidem, si litteram spectamus, quòd per virum illum pauperem, ejusque dilectam oviculam Urias & Bethsabee fuerint designati &c. Sed & aliud ex hac parabola possumus eruere mysterium. Proinde per virum illum pauperem Christus pastor bonus, qui de se ipso ait: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea*, rectè potest intelligi, qui inter cæteras oves suas, quas in suprema Cœna propriâ carne & sanguine, tanquam pane vitæ, & calice salutis pavit, nullum chariorem habuit, quàm S. Joannem Evangelistam, hunc enim pectori suo admovit, & in divino sinu fovit: *Qui & recubuit in Cœna super pectus ejus.* O felicem piscatorem, qui hamo amoris ad se ipsum diviniſſimum Cor JEsu attraxit, vere thesaurarius ejusdem dulcissimi Cordis, dum ex hoc incomparabili misericordiæ thesauro, quidquid pro salute nostra postulabimus, confidenter nobis potuerit impetrare. 2 Reg. 12. 2. Ps. 87. 16. Joan. 21. 20.

Samson in sinu Dalilæ quiescens, omnem virtutem & animi vigorem perdidit: *Statim enim ab eo fortitudo discessit.* Sed divus noster dormiens in sinu JEsu omnem inde gratiam, animi vigorem, scientiam plùs quàm Angelicam attraxit, sibique vitam comparavit æternam. Jud. 16. 19.

Olim à mundi primordio in paradiso *fluvius egrediebatur de loco voluptatis.* Sacratissimum Cor Jesu est locus ille voluptatis de quo flumina Evangelii sui hausit, & potavit, atque universo terrarum orbi exinde communicavit. O felicem Discipulum! Gen 2. 10.

Jacob Patriarcha recumbens supra petram, descendentes & ascendentes Angelos conspicatus est, & tandem ipsum Dominum scalæ innixum, & Gen. 28. 16.

1 Cor. 10. 1. subdit Scriptura: *Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* S. Joannes indormiens, supra petram (*Petra autem erat Christus*) non solùm in dulcissimo illo somno Angelos de cœlo descendentes & ascendentes vidit, sed & ipsum Angelorum Dominum scalæ Crucis innixum, cuius divinitatem tunc præsertim in cœna in illa amoris exstasi non obscurè agnovit, *hinc*, teste Alcuino, *omnibus sæculis inauditum eructavit Sacramentum: In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum.*

Cornel. hic. Adamo proto-parenti nostro in mirabili illo somno plurima mysteria in paradiso à DEO fuerunt revelata, & inter alia mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis Christi, ruinæ Angelorum &c. *Immisit ergo Dominus DEUS soporem in Adam &c.* Sed & dilectus Christi Discipulus indormiens supra pectus JEsu, multa, eaque altissima ac planè divina agnovit mysteria ac secreta cœlestia, quæ suo tempore in Apocalypsi sua manifestaret. O felix Discipule! Ipse Dominus non habuit, ubi caput reclinaret, sed tu invenisti, ubi securè caput tuum quiesceret; ô quàm bonum est hîc habitare!

6. Videamus nunc probam veræ & sinceræ dilectionis, quâ Christus Joannem, & Joannes Christum usque ad finem fortiter ac constanter dilexit. Luc. 9. 58. Sapiens adagium est: *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Sic Joseph fratres suos in angustiis non deseruit, sed in Prov. 17. 17. egestate ac fame aluit, & conservavit: *Nolite timere, ego pascam vos, & parvulos vestros. Consolatusque est eos, & blandè ac leniter est locutus.* Ita Judas Machabæus fratres, & amicos suos, imò & universum Israëlem in Gen. 50. 21. summis periculis non dereliquit, sed contra persecutiones Antiochi defendit, & vindicavit: *Et surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus, & adjuvabant eum omnes fratres ejus &c.* Ita & S. Joannes à Christi dilectione usque ad de- 1 Mach. 3. 1. crepitam ætatem neque in prosperis, neque in adversis unquam deficit, *quia perfecta illius charitas foras mittebat timorem.*

Recordor hîc illius adolescentis, de quo S. Marcus commemorat, quòd Christum in monte Olivario à militibus captum, & tanquam Agnum mansuetum ad lanienam raptatum de nocte secutus sit, cæteris interim Apostolis & amicis in fugam dilapsis: Marc. 14. 51. *Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum; at ille rejecta sindone nudus profugit ab eis.* Et quis, obsecro, hic adolescens fuit? Respondent S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Gregorius, Baronius, & alii apud Cornelium, non fuisse alium, quàm S. Joannem Evangelistam, tunc temporis adhuc adolescentem, & inter Discipulos Christi natu minimum, atque Divino Magistro suo ob candidissimos mores (ac planè innocentes) apprimè charum; hinc neque in prosperis, neque in adversis voluit deserere dulcissimum Domi- Prov. 17. 17. num suum, quia verus *amicus omni tempore diligit, & frater in angustiis comprobatur.* O quàm pauci sunt nunc tales amici! amici ad mensam, amici ad recipienda beneficia, & in tempore tentationis recedunt.

7. Job, ubi in tantam miseriarum voraginem devenit, ut spoliatus omnibus bonis terrenis, & insuper à Satana ulcere pessimo toto corpore percussus in sterquilinio sederet, adhuc tres fideles invenit amicos, qui eum visitantes consolati sunt: *Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut visitarent eum, & consolarentur.* Job. 2. 11.

David, cùm à facie Absolonis rebellantis fugam capesseret, & nunc summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum, ascenderet, occurrit ei Chusai fidelis amicus, quem remisit Rex in urbem, ut dissiparet Consilium Achitophel, quod & fideliter non sine vitæ periculo executus est: *Ecce, occurrit ei Chusai Arachites scissâ veste & terra pleno capite &c.* 2 Reg. 15. 32.

Similem sincerum amicum invenit item David in Ethai, cùm flens & operto capite nudis pedibus montem Oliveti scanderet, ut conjuratos suos effugeret hostes: *Et respondit Ethai Regi dicens: Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam, in quocumque loco fuerit Dominus meus Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* 2 Reg. 15. 12.

Umbras audisti anima Christiana! Longè fidelior Christi JEsu amicus extitit S. Joannes Evangelista, qui cæteris præ timore diffugientibus Discipulis, solus cum JEsu patiente & SS. Matre ejus compatiente in omnibus periculis constantissimè perseveravit. Rapitur in vincula JEsus, sequitur Joannes. Sistitur Magister iniquis Pontificibus, illuc pervadit & discipulus. Vocatur ad Romanum Judicem Judex vivorum ac mortuorum, illic quoque præsens est Divus noster, heu quo cum animi dolore & amore! Flagellatur crudelissimè Agnus immaculatus, sentit & plagas Apostolus charissimus. Coronatur spinis Rex Regum, & Dominus Dominantium, tot læsiones in anima patitur & fidelissimus ejus servus. Ducitur ad mortem, fatali trabe onustus mitissimus Salvator, eum comitatur & sinceriſsimus ejus amicus. Suffigitur in infami crucis patibulo, ah vita nostra! Christus, & S. Joannes cum eo discupit mori, ut, qui conjunctissimus ei fuerat in vita, neque per mortem separetur; sed noluit Cœlestis Pater, ut extincto justitiæ sole & deficiente mysticâ lunâ, hoc illustre sidus Ecclesiæ suæ deficeret, proinde in bonum universæ Ecclesiæ reservatus est. En! quomodo ad omnia cum Christo perferenda tormenta Virgineus Apostolus sese paratus exhibuerit. O verus *Benjamin!* Fallor, non amplius Benjamin, sed *Benoni*, id est, filius doloris mei. O si simili affectu, amore ac dolore Christum JEsum, & hunc Crucifixum sæpiùs meditaremur, quàm citò veræ devotionis in nobis exardesceret ignis! Gen. 52. 18.

8. De Jacob Patriarcha perhibent Sacræ Paginæ, quòd, cùm nunc morti proximus esset, ad se omnes suos filios convocari jusserit, quibus pro ultima voluntate sua varia reliquit documenta & dona, sed Josepho, dulcissimo filio suo nunc Ægyptiorum Pro-Regi, partem singularem & extra-

extraordinariam in hoc testamento suo assignavit, ad quem in lectulo con-
Gen. 48.22. versus dixit: *En! ego morior: do tibi partem unam, extra fratres tuos &c.* Erat autem hæc pars extraordinaria non alia, quàm insignis ager in Sichar juxta Samaritanorum, prout patet. Joan. 4. v. 5.

Audite nunc cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Mitissimus JEsus, amor noster Crucifixus, cùm nunc morti proximus esset, voluit pari ratione facere suum testamentum, in quem finem legavit peccatoribus veniam, latroni paradisum, militibus crucifixoribus sua vestimenta, Patri spiritum, Josepho ab Arimathæa exanime corpus, Petro, licet absenti, claves Ecclesiæ, afflictissimæ Matri suæ Joannem in filium: *Mulier, ecce filius tuus*, & Joanni dilectissimo Discipulo suo Mariam in Matrem, *ecce mater tua*; Juvat hîc audire S. Thomam Villanovanum: *Pendebat*, inquit, *in Cruce moriturus JEsus, disposuit testamentum: aderat ibi dilectus, quid sibi legaturus exspectans: quid tibi, o dilecte, legabo? quid in ultimis dabo tibi? Ecce Mater tua: hæc omnium, quæ possideo, charissima & pretiosa gemma: hanc tibi trado &c.* O felicem discipulum! sed & nos felices, si ex parte nostra erit hæc SS. Virginea Mater, si enim habemus, ait Arnoldus Carnotensis, *quadrigam*: per Joannem possumus pertingere ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filium ad Patrem.

Jo. 19. 26. S. Thom de Villa Nova Conc. 1. de S. Jo.

Arnold Carnot. tr. de V. D.

Dulcis Jonathas, cùm in prælio fuisset occisus, & corpus ejus à Philistæis in muro Bethsam suspensum, David amicus intimus millenis cum lacrymis deplanxit: *Planxit autem David planctum huiuscemodi super Saul, & super Jonatham filium ejus &c.* Dicat, qui potest, quàm amorosis lacrymis cum dolorosa Matre dilectus ille Discipulus suavissimum Jonatham Christum in Cruce extra muros suspensum, mortuum, toto corpore saucium, de ligno depositum & sepultum deploraverit, donec in eò penitùs deficerent lacrymæ; unde, teste S. Anselmo: *Tunc accurrens Joannes Evangelista concidit super pectus JEsu, plorans & dicens: Heu! heu! de isto pectore heri potabam dulcia, hodie tristia & lamentabilia &c.* O anima devota! quid dicis ad hoc? quotidie in conspectu tuo pendet imago Crucifixi Salvatoris tui, & tu non suspiras, non doles? Cernis SS. Vulnera eius, latus apertum, cor transfixum &c. & non plangis: Ergone sine corde & sine ullo amore es erga amorem tuum Crucifixum?

2 Reg. 1.27.

S. Anselm. de Pass.

9. Antequam huic nostræ considerationi imponamus coronidem, oportet, ut adhuc aliqua, & valde particularia de S. Joanne Evangelista inquiramus. Meminit Scriptura illius pretiosissimi throni, quem quondam Rex sapientissimus ex candidissimo ebore & fulgentissimo auro sibi fabricari fecit, quem à dextris & sinistris duo stipabant generosi leones, quasi custodirent illum: *Fecit etiam Rex thronum de ebore grandem, &*

vestivit

vestivit eum auro fulvo nimis &c. Et quid, obsecro, sibi voluit ille thronus tam splendidus ac magnificus, quem duo stipabant aurei leones? nunquid hæc omnia illis facta sunt in figura? ℟. B. Petrus Damianus, quòd thronus hic non aliud, quàm B. Virginem & DEI Matrem Mariam præsignaverit, in ea enim, quasi in throno suo, eburneo puriore, & auro obrizo per charitatem fulgentiore, æterna DEI Sapientia ad novem menses consedit. Sed & duo leones à dextris & à sinistris stipabant hunc thronum, dexter leo S. Gabriel Archangelus est, & sinister S. Joannes Evangelista, primus animam, alter pervigili solicitudine intemeratum corpus SS. Genitricis DEI custodiebat: *Qui benè leones dicuntur propter rugitum altissimæ vocis; duo enim verba nuntiarunt orbi terræ, qualia nec dicta sunt, nec dicentur &c.*

3. Reg. 10. 18.

B. Petr. Damian. Conc. 1. de Nat. B. V.

Collige ex hoc iterum, anima Christiana, singularem quamdam dignitatem & præcellentiam S. Joannis Evangelistæ, cùm à DEO cum Archangelo in custodia Divinæ Matris suæ comparatus est. O! quantùm Divus ille ex præsentia hujus sacratissimæ Virginis in omni virtutum genere profecit, ut proinde mirum non sit, quòd ad tantùm sanctitatis apicem ascenderit. Et si quondam *benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus*, eò quia *habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus*: qualem benedictionem putas accepisse S. Joannem propter arcam illam mysticam B. V. cui fidelissimè inserviit, donec ad cœlum assumpta est. Imitare, saltem quàntum potes, si vis esse filius talis ac tantæ Matris.

2 Reg. 6. 11.

10. His consideratis considerandis, non minor ampliùs, quare ille Angelus, qui S. Joanni de nuptiis Agni & retributione Sanctorum plura nuntiaverat, noluerit ab eo adorari: *Et cecidi ante pedes, ut adorarem eum. Et dicet mihi: Vide, ne feceris; conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium JESU, DEUM ADORA.* Et nunquid Angelus ille Legatus DEI erat: quare ergo non illam à S. Joanne Evangelista admisit adorationem, & honorem, prout quondam Angelus ille admiserat, qui Josue invictissimo Belli Duci cum gladio fulminante apparuerat? *Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?*

Apoc. 19. 10.

Jos. 5. 15.

Resp. Cornelius, quia Joannes Angelo illi erat dignitate æqualis, erat enim Virgo, Apostolus, Propheta, Evangelista, prædicator, & continuus Martyr, maximos labores & dolores sustinens pro Christo, ideoque par, imò superior Angelis meritò, sicque præmio ac gloriâ superior in cœlis; hinc nullum ei poterat nocere, & consumere Martyrium, quia potiùs Angelus, quàm homo fuerat.

Cornel. in Apoc. 19. 10.

Pueri illi Babylonici in fornace ignis ardentis persistebant illæsi: *Et ambulabant in medio flammæ laudantes DEum, & benedicentes Domino &c.* Ita & S.

Dan 3. 24. S. Hieron. & alii.

& S. Joannes Romæ ante Portam Latinam sub Domitiano Imperatore in medio ignis ardentis, & in dolio ferventis olei nihil læsus, sed potiùs pulchrior, & vegetior egressus, quasi Phœnix à morte redivivus apparuit, cunctis admirantibus, qui huic aderant spectaculo.

S. Hieron. prolog. in Apoc.

Tandem cùm Verbum DEI per annos sexaginta quinque prædicâsset, & innumerabiles animas ad Christum convertisset, placuit Divinæ Majestati servum tam fidelem ad cœlorum Regna transferre, cui circa finem vitæ, prout scribit S. Hieronymus, Christus Dominus apparuit, & dixit: *Veni dilecte, & ipse respondit: Venio Domine JEsu &c.* O dilecte DEI! esto memor nostri hîc & ubique, ac præsertim tunc, quando migrandum nobis erit ex hac mortali vita ad æternitatem &c.

CONSIDERATIO LIV.

De SS. Innocentibus M. M. & de cura parentum erga filios.

Pro Festo SS. Innocentium.

Tunc Herodes iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus. Matth. 2. 16.

I.

Exod. 1. 22. Gen. 49. 20.

QUod olim in Ægypto novus Pharao ignorans Joseph attentavit, ut omnes Hebræorum masculi post partum necarentur; *Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexûs natum fuerit, in flumen projicite.* Hoc & impius fecit Herodes in suo infanticidio; ubi enim intellexit ex Scribis & legis Doctoribus, imminere tempus Messiæ, eò quòd sceptrum modo à Juda ad alienigenam esset translatum, ipse nomen Messia ambiens, statuit non tantùm recens natum Messiam ex progenie David occidere, sed & omnes masculi-

maſculos à bimatu & infra bimatum, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis, neci tradere, ut ſic regnum ſuum ſibi ac poſteris ſtabiliret: *Tunc Herodes iratus eſt valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus.* Matth. 2. 16. Exod. 2. 5.

In illo infanticidio Pharaonis in Ægypto ſervatus fuit Moyſes infans in ſcirpea fiſcella, & in carecto expoſitus, & in hodierna Infantium cæde ſervatus eſt Chriſtus infans, & in Ægyptum deportatus. Occiſi ſunt autem, prout communior fert ſententia, circiter quatuordecim millia Infantium in odium Chriſti, proinde veri æſtimantur Martyres, & ita ab univerſali coluntur Eccleſia; ſupra quod S. Auguſtinus: *Profanus*, inquit, *hoſtis nunquam beatis parvulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio &c.* Et quare hoc? Si perveniſſent, ſubintrat hîc S. Anſelmus, & alii, ad æqualem Chriſti pretioſiſſimi Salvatoris noſtri ætatem, in paſſione ejusdem ſimiliter cum cæteris impiis Judæis clamâſſent: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Hinc providentiæ divinæ meliùs videbatur, ut citò ex hoc mundo immundo & perverſo tollerentur, quàm ut malitia ſuo tempore mutaret intellectum, & perverteret ſenſum. Et obſervat hîc Cornelius, non minimam quoque fuiſſe cauſam tantæ ſtragis puerorum, eò quòd ipſorum parentes B. Virginem puerperam & puerum JEſum hoſpitio non excepiſſent, ſed coëgerint adire ſtabulum, ibique parere. Plures ejusmodi ſtragis omitto cauſas & rationes, quia jam alibi in Tractatu de SS. Corde JESU & Mariæ V. ac Matris doloroſæ annotavi; hodie verò tranſeo ad parentes, qualem illos oporteat habere curam filiorum, & viciſſim iſti in parentes reverentiam. Adſit DEus, ut congruenter loquar.

S. Aug. ſer. 10. de Sanctis. Jo 19. 15. Sap. 4. 11. Luc. 2. 7.

2. Venit aliquando Dina Jacobi Patriarchæ filia ex Lia ſuſcepta, in civitatem Sichem, ut ibidem die quodam feſtivo alterius quoque gentis videret mulieres, moresque earum, veſtimenta, & Gentilium ornatus (prout eſt curioſum fœminarum & ſimiarum genus) contemplaretur. Et quid ſequitur? Audi Scripturam: *Quam cùm vidiſſet Sichem, filius Hemor Hevæi, Princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.* Vade nunc, & impoſterùm domi te contine, ibidem te nendo, texendo, & acu pingendo occupa. Sed unde, quæres, tanta in hanc filiam ignominia. Cur tam turpiter lapſa, & corrupta eſt Dina?

Gen. 34. 2.

Adverte: Dina fuit Liæ filia, de qua Scriptura: *Lia lippis erat oculis*, habebat enim debiles oculos, & ad lacrymas pronos, hinc aliquo modo cæcutiebat, unde venit, ut plura indulgeret filiæ ſuæ Dinæ, ut ad libitum excurreret, & ſuam expleret curioſitatem. Et quid accidit? Egreſſa eſt Penelopes, & regreſſa eſt Helenes: egreſſa eſt virgo 15. annorum, & regreſſa eſt mulier, imò & meretrix. Hoc habent ejusmodi, qui liberè cum juvenibus ambulatum ad ſaltus, ad pocula, ad familiares diſcurſus excurrunt. O parentes! nolite eſſe cum Lia *lippis oculis*, veniet profectò tempus, quando

Gen. 29. 17.

do districtissimus & justissimus Judex de hac vestra in filios indulgentia à vobis exactissimam requiret rationem.

3. Job Rex Idumææ, vir simplicis & candidæ mentis, omnisque falsitatis, simulationis & duplicitatis expers, cùm ex omni parte à Dæmone, cui Dominus petenti omnes ejus possessiones diripiendas concessit, acerrimè, & diversis exagitaretur plagis, semper illud orbi decantatum in ore & corde habuit: *Sit Nomen Domini benedictum &c.* Tandem advertit Scriptura, quòd vir ille, hactenus caute Marpesiâ constantior, præ nimio luctu vestes suas conciderit, & tonso capite in terram prostratus DEUM adoraverit: *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit &c.* Et quare, dices, Job sua dilaceravit vestimenta? An propter Chaldæos, qui tres turmas facientes invaserunt & tulerunt ejus camelos? An forte propter Sabæos, qui illius rapiebant boves, & asinos? An propter grandinem & ignem cœlestem de cœlo cadentem, & oves ac pueros consumentem? An propter vehementissimum morbum, quo eum Satanas toto corpore ulcere pessimo percussit? An propter uxorem insultantem, quæ illi extra civitatem, eo quòd esset elephanticus, in sterquilineo sedenti egregriè (ut ita dicam) planeram legit: *Benedic DEO, & morere?* Minimè gentium, ista omnia non commoverunt fortissimi & patientissimi viri animum ad querelas, ad lacrymas, ad vestimentorum scissionem, quid ergo?

Job. 1. 11.

Job. 1. 20.

S. Basil. M. in Catena Græca.

Resp. S. Basilius Magnus: Tunc primùm scidit vestimenta, quando illi fuit ruina filiorum nuntiata: Hactenus, inquit, justus quasi scopulus consistebat; postquam verò nuntius venit, qui diceret: in convivantes filios & filias violento flatu convivii domicilium corruisse, tunc omni naturæ sensu patefacto, vestem conscidit, ut eâ re propensæ voluntatis suæ erga liberos significationem daret; & quia inter se legem statuerunt filii, ut in orbem transirent convivii dies, optimus eorum parens probè advertit, ejusmodi orbicularem epularum transitum vix sine peccatis posse accidere, ideo audita illorum ruinâ, ne forte etiam æternum periissent, vehementissimè doluit: *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua.* En! vir talis ac tantus vehementer sibi timuit, ne nimiùm fortâsse filiis suis indulserit, hinc quotidie pro illorum salute victimas & holocausta DEO solebat offerre: *Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis; dicebat enim: ne fortè peccaverint filii mei.* Vide nunc, & considera moderna sæcula, quàm incurii & negligentes sint multi parentes in cura filiorum suorum promovenda, non absimiles simiis, de quibus constat, quòd fœtum nimiùm stringendo, amplexando, basiando occidant, unde lemma: *Perdit amando.*

Job. 1. 5.

4. Quamdiu Moyses virgam suam manu tenebat, virga permansit, sed ubi eam à se in terram projecit, mox in horridum serpentem conver-

sa

sa est: *Tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, & vertetur in colubrum.* Exod. 7. 9. Quod & in præsentia Ægyptiorum factum est: *Quæ versa est in colubrum.* Virga hæc potestatem, dominium & directionem parentum in filios suos adumbrat, quæ à Regio vate appellatur: *Virga directionis &c.* O! Ps. 44. 9. felices illi parentes, qui hanc virgam disciplinæ semper manu gestant, prolesque suas discretè corrigunt, illis exemplo suo præeuntes, atque in timore & observatione mandatorum DEI conservantes: Unde rectè Sapiens: *Noli à puero subtrahere disciplinam, si enim percusseris eum virgâ, non morietur, tu virgâ* Prov. 23. 13. *percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis &c.* Si autem hanc paternam virgam & disciplinam, neglectâ debitâ educatione, de manu tua abjeceris, væ tibi, crede mihi: *Vertetur in colubrum*, & tibi, & filiis tuis.

Heli veteris legis Sacerdotem considera, hominem cæteroquin pium, ac justum, sed filiis suis nimium indulgentem, unde paulatim sceleratissimi effecti sunt. Monuit quidem eos Pater: *Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite filii mei: non enim est bona fama,* 1 Reg. 2. 23. *quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini &c.* O Pater! nimis lenis est ista correctio; baculum potiùs nodosum arripe, & eorum tergora inunge, vel omnino eos tanquam refractarios carceri mancipa; & si adhuc tuis nolint obedire mandatis, eos à sacrificiis amove, & Sacerdotio priva, ut discant resipiscere, statum suum sine nævo servare, & DEO pro possibili inservire, opus enim est in hac venerea lue duro nodo, & cauterio, blandis nihil efficitur. Sed frustra loquor, imò actum ago, *dum enim filiis suis* S. Chrysost. *pepercit*, ait Os Aureum, *& suam & illorum salutem perdidit.* Ratio est, quia in loc. cit. à pueritio non magis eos ad meliora flexit, correxit, & castigavit; unde tritum illud promanavit: *Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos.*

5. De Amnon, primogenito Davidis filio, recensent Sacræ Paginæ, quàm turpi æstu, & fœdiore incestu Thamar sororem suam ex patre germanam oppresserit. Cùm hæc res adeò probrosa ad aures Davidis esset delata, observat sacer textus: *David contristatus est valde.* Et quid deinde? An tamen enormiter delinquentes condigne, prout patrem decet, castigavit? Audi rursus Scripturam: *Noluit contristare spiritum Ammon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primus genitus erat ei.* O David! quid agis: neque ob tantum admissum scelus morte dignum tuum corrigis & corripis filium? an non Lex jubet: *Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris* Lev. 20. 17. *suæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam; nefariam rem operati sunt: Occidentur in conspectu populi sui, eò quòd turpidinem suam mutuò revelaverint, & portabunt iniquitatem suam.* Hoc tu, Rex Israël, in propriis filiis scis, & connives, utramque prolem finis abire immunem?

Drexel. David. c. 25. §. 1.

Resp. Doctissimus juxta, ac pientissimus P. Hieremias Drexelius: Ideo Davidem filii incestum non castigâsse, quia partim amore, partim verecundiâ ductus, cogitaverat: Ego ipse sum castigabilis, quia liberis meis ipse pessimô prævi & nocui exemplô, cur ergo exprobrem, quod ipse feci? Ecce remordentem illorum parentum conscientiam, si ipsi priùs sunt rei criminis, quod ex post facto filii perpetrarunt, econtra animosos facit innocentia. Et subjungit ulteriùs memoratus gravissimus Auctor: In educandis liberis Rex David vix quidquam laudis obtinuit, Regias curas solertissimè tractavit, liberorum curam nec severam, putem, nec seriam gessit; hinc nec Absolonem patratâ jam cæde à fuga retrahi in carceres jussit &c. O bone Deus! quantum filiis pessimum nocet parentum exemplum! Unde poëta: *A bove majori discit arare minor.*

4Reg. 2. 23.

6. Progredior ulterius. Elisæus Propheta & Discipulus Eliæ, cùm in Bethel descenderet, ut ibidem contra idolum, quod Jeroboam Rex ex vitulo aureo constituerat, pugnaret, occurrebant ei de civitate nonnulli petulantes pueri, illudentes ei, & clamantes: *Ascende calve, ascende calve.* Elisæus, ubi tantam puerorum conspicatus est insolentiam, justo Religionis zelo commotus à DEO gravem illis imprecatus est vindictam & punitionem: *Maledixit eis in nomine Domini.* Et ecce, ad talem imprecationem sine mora immisit DEus in illos de proximo saltu duos ursos ferocissimos, qui ante ora parentum eos discerpserunt: *Egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Et quare, dices, voluit DEUS, ut prædicti pueri in conspectu parentum ab ursis discerperentur? cur non à leonibus, quorum multi juxta Abulensem tunc temporis intervallo in saltu morabantur?

S. Just. q. 80.

Resp. S. Justinus: *DEus puerorum clade parentes flagellavit, ac simul posteros monuit, ut in vero DEI cultu, modestiâ & probitate filios suos educent, ne similiter castigentur.* Addit S. Ambrosius, quòd ursi partus suos informes lambendo formentⁿ, & poliant: *Ursa partus suos ad sui effingit similitudinem.* Quia ergo parentes illi in civitate Bethel hoc non in suis faciebant prolibus, ideò meritò, & appositè in filiorum internecione ursos experti sunt; in qua punitione Elisæus adhuc bene pueris consuluit, si enim diutiùs vixissent, sceleratiores pessimorum parentum exemplô evasissent, & ideo graviùs suo tempore damnandi. O! parentes attendite, & ex hoc considerate, qualis pœna vos maneat in altera vita, si in cura vestrorum filiorum, & subditorum nunc estis negligentes.

S. Ambr l. 6. Hexam. c. 4.

Deut. 21. 18.

7. Et vos, ô filii! audite me, timorem Domini docebo vos; audite, inquam, quàm gravem pœnam DEUS in veteri Lege inobedientibus & rebellibus dictaverit filiis. Arrigite aures, & verbum DEI considerate, ita enim habet Scripturæ textus: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit:*

appre-

apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ atque convitiis. Et quid ulteriùs, ô juvenes, ad talem parentum vestrorum accusationem exspectatis? Auscultate, & tinniant ambæ aures vestræ: *Lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israël: audiens pertimescat.* O tempora! ô mores! Si nunc, obsecro sodes, omnes filii suis rebelles & contumaces parentibus simili deberent affici pœnâ, ubi sufficientes invenirentur lapides?

Ubi Sodoma, & finitimæ civitates igne cœlesti ob civium inhabitantium gravissima demerita extinctæ sunt: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem*, in illo, inquam, vastissimo & igneo diluvio non duntaxat senes, & juvenes utriusque sexûs, sed & innocui perierunt infantes: *Et subvertit civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores urbium*; ergo etiam innocentes infantes? & ita est. Sed quid tenera ista ætas in DEUM peccare poterat? Quare simili cum efferatis, & induratis peccatoribus affecta est pœna? Nunquid *pro mensura peccati erit & plagarum modus?* Si ergo nihil peccârunt in DEum; quo jure ita puniuntur? Gen. 19. 24. Deut. 25. 2.

Resp. Cornelius: Quia DEUS, qui omnium, mortisque & necis est Dominus, per eos etiam volebat parentes, & tantum parentum scelus punire, parvulis autem benè hac morte consuluit, ne, si superstites manerent, patrissarent, itaque æternis ignibus addicerentur. Corn. in Gen. 19. 25.

8. Achaz filius Jonathan Regis Juda, ubi anno ætatis suæ vigesimo ad Regale sceptrum & thronum evectus est, non fecit, quod erat placitum in conspectu Domini DEI sui, sed idola gentium colere, & templum profanare cœpit; & quod pessimum erat, impius Rex *lustravit filios suos in igne*, & hoc in gratiam idoli Moloch; quod & Scriptura in alio loco satis luculenter insinuat: *Insuper & filium suum consecravit, transferens per ignem secundùm idola gentium.* Observat autem Tostatus, quòd illa statua idola Moloch ænea, & concava fuerit, in qua Sacerdotes idololatræ accendebant ignem, & subjiciebant carbones. Cùm ergo nunc candesceret idolum æreum, filios à parentibus immolandos in manus idoli imponebant, ibique concremabantur, & ne audiretur ploratus infantium, interim tubis perstrepebant & tympanis, donec parvulus, & innocens illa Diaboli victima esset absumpta. Tum populo suadebant, dictos parvulos absque dolore ad cœlum, & beatitudinem evolâsse, & illis parentibus filios suos idolo Moloch immolantibus omnia prospera eventura. Et hoc est, ad quod alludit Vates Regius: *Immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmonibus.* Hoc faciunt etiamnum mali Christiani, dum filios suos ac filias quotidie immo- 2 Par. 28. 3. 4 Reg. 16. 3. Tostat. q. 3. in c. 16. 4. lib. Reg. Ps. 105. 35.

lant Dæmoni per maledictiones, & execrationes, per mala exempla, & per depravatam educationem. Et hoc inter Christianos?

1Reg. 4. 17. Revertor ad Heli, de quo superiùs mentionem feci, qui, cum triste illud nuntium percepisset: *Duo filii tui mortui sunt, Ophni & Phinees, & Arca DEI capta est*, de cathedra seu pontificali sella sua, ex pavore & angore nimium consternatus, deficiente spiritu retrorsum cecidit, & collum fregit: *Cumque ille nominaret Arcam DEI, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.* O casum miserabilem, & planè lugendum! Vir tam grandævus, qui per quadraginta annos Israëli præfuit, tam miserando pereat exitio?

Mendoza in 1Reg. 4. 10. Resp. Mendoza appositè, & doctè ad nostrum conceptum: *Non moritur*, inquit, *in sella sedens, sed cadens: ut, qui filios probè non instituit; magisterii cathedrâ indignus censeretur. Non cadit in faciem, sed in tergum: ut, qui filiorum scelera, ut par erat, non advertit, quò ipso rueret, ignoraret. Cervices fregit ex ruina, caputque illisit, qui filiorum cervices indomitas non subegit, & proprium capitis officium in administranda familia non curavit.* Væ vobis parentibus, si cum Heli in cura & educatione filiorum vestrorum eritis negligentes. Audite Apostolum, *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

1Tim. 5. 8.

9. Venerat aliquando ad pretiosissimum Salvatorem nostrum pater quidam, adducens filium Dæmoniacum, quem Satan horrendum in modum solebat cruciare, & nunc in aquas, nunc in ignem mittere: *Magister*, inquiebat tristis, *attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum, qui, ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit &c.* Ad quem benignus Dominus: *Quantum temporis est, ex quo ei accidit?* Respondet pater: *Ab infantia.* Pientissime JEsu! ad quid interrogas de temporis spatio, quo Diabolus in hunc puerum introivit? Numquid ipse perfectissimè omnia noveras, quo temporis momento hoc malum illi accidit?

Marc. 9. 16.

Verum enim verò aliud hîc latet mysterium: Christus enim per hanc interrogationem, & patris responsum: *Ab infantia*, ipsum patrem indigitavit, & redarguit, quòd ex propria culpa, negligentia, & conniventia illius, hoc pessimum malum filio acciderit, quia curam sufficientem in educatione illius non adhibuit, & fortasse in ira cum aliquando Diabolo devovit (prout multorum incuriorum parentum mos est) hinc puer tam dura & dira, licèt ex se innocens, sed nocens propter peccatum parentis, à Dæmone sustinere debuit, donec tandem à pientissimo Domino, etiam ab hoc malo fuerit liberatus. Oportet hîc audire S. Chrysologum: *Requirit*, inquit, *passionis tempus Author temporis, non ut nesciens, sed ut sciens nescientibus prodat. Denique interrogationi tali tempus aperit, ætatem pandit, revolvit infantiam, ut tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem.* Auditis hoc parentes?

S. Chrysol. serm. 51.

Du-

Ducebatur vita noſtra ad mortem, & Chriſtus *bajulans ſibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum*; in via occurrebant ei plures piæ mulieres, Chriſto tam miſerandum in modum affectu condolentes, & amarè flentes: *Converſus autem ad eas JEſus, dixit: Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* - - Siſte hic gradum anime mi, & unà mecum mente attentiore perpende, quare patientiſſimus Redemptor noſter prædictis mulieribus fletum prohibuerit? & nunquid juſtiſſimam cauſam habebant innocentem ejus mortem deplorandi? Et quis eſt homo, qui non fleret Chriſtum JEſum ſi videret in tanto ſupplicio? Sed noluit mitiſſimus Dominus ejusmodi fœminarum fletum & ejulatum: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros?* & quare hoc? Joan. 19. 17. Luc. 23. 28.

Reſp. S. Anſelmus: Licet prædictæ mulieres & filiæ Sion fuerint piæ, & in Chriſtum miſericordes, filios tamen habebant immorigeros & petulantes, qui cum cæteris Judæorum pueris lutum & ſaxa in Chriſtum patientem, & Crucem ferentem projiciebant; unde ſtetit in via illa doloroſa in media platea Chriſtus, memoratis mulieribus, licèt aliàs piis ac devotis, inſinuans, ut potiùs ſuper ſe ipſas, & ſuper filios ſuos tam malè educatos flerent. Flete, flete & vos parentes negligentes, flete ſuper Chriſti Paſſionem, & hoc quidem bonum eſt ac meritorium, ſed magis ſuper vos ipſos, & ſuper filios veſtros. S. Anſel. de Paſſ. Dom.

10. De reliquo diſcant parentes Chriſtiani à Tobia ſeniore, quomodo ſe gerere debeant erga filios, & filii diſcant à juniore Tobia, qualiter viciſſim & ipſi obligentur parentibus. De ſeniore Tobia dicitur: *Filium ab infantia DEum timere docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Et quid honeſtius ac pulchrius? Hîc verificatum eſt illud: *Generatio rectorum benedicetur.* Diſcant, inquam, & juniores à juniore Tobia obedire ad nutum parentibus, eos permagni æſtimare, diligere, venerari, & pro omni poſſibili modo præſertim in ſenectute illis ſuccurrere, prout ille parentibus ſuis fecit; hinc in omni eventu ipſe, & poſteri ejus fuerunt proſperati, DEO & hominibus grati: *Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in ſancta converſatione permanſit, ita ut accepti eſſent tam DEO, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Tob. 1. 10. Pſ. 111. 2. Tob. 14. 17.

Diſcant ulteriùs parentes & filii ab Abraham & Iſaac, à DEO benedictis: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli: daboque poſteris tuis univerſas Regiones has.* Ab Iſaac, qui filium ſuum Jacob obedientem benedictione ſua, & divitiis cumulavit: *Frumento, & vino, & oleo ſtabilivi eum.* A parentibus Suſannæ: *Cùm eſſent juſti, erudierunt filiam ſuam ſecundùm legem Moyſis &c.* Unde rectè Suſanna contra peſſimos tentatores triumphum ſuum debet optimæ educationi. A Mathathia filios ſuos in Lege DEI & Moyſis ſalubriter inſtruente, & contra impios, cùm jam morti appropinquaret, magno cum zelo animante: *Nunc ergo, ô filii, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento* Gen. 28. 4. Gen. 27. 37. Dan 13. 3. 1 Mach. 2. 50.

Patrum vestrorum &c. Qui cùm cogeretur à Rege Antiocho idolis immolare, & à Lege DEI discedere: Multis de populo Israël consentientibus, ipse generosè cum filiis restitit: *Etsi omnes gentes Regi Antiocho obediunt- - - Ego & filii mei obediemus legi Patrum nostrorum.* A fortissimo Samsone non fugiente ad occursum ferocissimi leonis, sed in medium irruente periculum, qui *& dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu sua.* Et quare hoc? Resp. Samsonem hoc ex amore suorum feciſſe parentum, pone in via per vineam se sequentium, qui, fugiente hoc filio suo, cruente hujus bestiæ ferociam non evasissent, sed ab ea sine dubio fuissent discerpti & devorati. Et ut in reditu lassas parentum suorum reficeret vires, dulce mel in faucibus hujus occisi leonis inventum, ipsis communicavit, quo eos in Regione illa calidâ mirum in modum refocillavit. Discant ex his dictis parentes, & filii, qualiter se gerere debeant, ut salvi fiant &c.

1 Mach. 2. 19.

Jud. 14. 6.

CONSIDERATIO LV.

In quo consistat vera, ac solida hominis Christiani Recreatio?

Pro Festo Dedicationis.

Excepit illum gaudens. Luc. 19. 6.

1.

PUlcherrima est illa quæstio, in quo consistat vera ac solida hominis Christiani recreatio? Homines sumus, proinde in imbecillitate nostra levamen quærimus, ut vires post labores colligamus. Cœlos quidem indefessa rotat vertigo, & sol cum luna & astris stare nesciunt, non tamen mortalis homo, unde Poëta:

Quod caret alterna requie, durabile non est;
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

Ager licèt fertilis, si nunquam quiescit, citò exhauritur. Bovem opus frangit, ut sub jugo corruat. Equo & camelo sui ponderis mensura est:

Arcus

Arcus nimiùm intensus rumpitur. Ita subintrat Angelicus: *Sapientes decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.* Verbo: *Nequid nimis.* Sed oportet, ut homo fessus suam subinde quærat & habeat recreationem. S. Th. Aq. 2. 2. q 168. 2. 4.

Verumenim vero non immeritò hîc quæres, anime mi, in quo tandem vera illa ac solida Christiani hominis, consistat recreatio ac gaudium? Abraham, ubi revelatum illi fuit, ex semine suo Christum suo tempore nasciturum: *Exultavit*, ait ipsa Veritas Christus, *ut videret diem meum &c.* Quod verbum *exultavit* ingentem denotat lætitiam, quæ se intùs ampliùs capere non potest, sed erumpit foras. David, ubi eandem percepit revelationem, dum Arcam Domini tanto cum jubilo in urbem suam introduxerit, præ insolito gaudio *saltavit totis viribus ante Dominum.* Bartimæus ille cæcus, ubi Christi vocem audierat, ut ad se veniret, *projecto vestimento suo exiliens venit ad eum.* Claudus ille ad portam templi speciosam Hierosolymis sedens, postquam à S. Petro Ap. sanatus est: *Exiliens stetit, & ambulabat.* Et hodie Zachæus Publicanorum Princeps, ubi de longè in Sycomoro JEsum vidit adventantem, & ab eo postea intellexit: *Quia hodie in domo tua oportet me manere*, exultavit præ gaudio: *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Unde, obsecro, tam insolitum gaudium in animo Zachæi: *Excepit illum gaudens?* Joan. 8. 56. 2 Reg. 6. 14. Marc. 10. 50. Act. 3. 8. Luc. 19. 6.

Resp. Euthymius: *Gaudens, quòd non solùm JEsum vidisset, ut optaverat, sed quòd etiam ab ipso vocatus fuisset, quodque ipsum suscepisset, nunquam speraverat.* Addit Cornelius, quòd videns illum Christus in Sycomoro, animum illius per internam gratiam & inspirationem benignè illustraverit, ut cognosceret hunc JEsum verum esse mundi Salvatorem, qui peccata pœnitentibus remitteret, eisque conferret salutem; unde fide plenus & spe, atque in animo contritus ad Christi pedes se abiecit, & peccata sua publicè confessus est; ideo ab ore veritatis audire meruit: *Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.* Collige ex hoc, anime mi, in quo vera recreatio, & solidum hominis Christiani consistat gaudium, nimirum in bona & secura conscientia; & quia Zachæus pondus peccatorum suorum, quod hactenus illius gravabat conscientiam, citò deposuit, non solùm gaudens Christum excepit, sed & relictis omnibus hunc Dominum suum secutus est, factus assecla S. Petri Ap. & ab eo ordinatus Cæsareæ Palæstinæ Episcopus. Plura hodie occurrunt de vera non ventris, sed mentis recreatione dilucidanda. Euthym. hic Luc. 19. 9. S. Clem. l. 1. Recogn.

2. Sæpiùs pretiosissimus orbis Servator Christus à bonis mentibus, vel ad prandium, vel ad cœnam fuit invitatus. Matthæus, qui & Levi, *fecit ei convivium magnum in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.* Simon Pharisæus, priùs leprosus, sed à Christo sanatus, ut gratum erga benefactorem suum demonstraret animum, *rogavit illum, ut manducaret cum illo; & ingressus domum Pharisæi, discubuit.* Luc. 5. 29. Luc. 7. 36.

Mar-

Martha & Magdalena cum fratre suo Lazaro iteratò mitissimum Dominum
Luc. 10. 38. ad castellum suum amicissimè invitârunt, ut dignaretur cum ipsis prandere, & cænari: *En mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam*, quasi hospitem & peregrinum, qui ut DEUS omnium erat Dominus. Alius Pharisæus & Princeps illorum, cujus nomen non asseritur, quia non ex de-
Luc. 14. 1. votione, sed malitiosè, prout refert Lyranus & alii, Christum invitaverat *Sabbato manducare panem*; nihilominus benignus Dominus illius voluit esse conviva, ut prodesset præsentibus, & omnes lucrifaceret, unde & hydropicum in illius ædibus sanavit. Hodie verò universorum Dominus se ipsum apud Zachæum invitavit ad convivium: *Quia hodie in domo tua oportet me*
Luc. 19. 5. *manere.* Et quare hoc, mi Domine?
Corn. hic

Resp Cornelius, qui ex mera liberalitate, & charitate, Zachæum & omnes domesticos ejus voluit salvare, ideo in ejus domo placuit manere, ut occasionem haberet commodiorem, eos ad fidem & pœnitentiam, mundique & opum contemptum adhortandi, & plenè convertendi ad DEUM. Hinc Zachæus bonis omnibus, quibus priùs erat addictus, unâ die se abdicavit, dimidium relinquens pauperibus, & alterum dimidium addicens restitutioni, ipse verò consilium Evangelicæ paupertatis amplexus, paupe-
V. Beda hic rem Christum pauper imposterum sequi decrevit: *Ecce*, inquit V. Beda, *camelus depositâ sarcinâ per foramen acûs transit, id est, relicto divitiarum amore, benedictionem Dominicæ susceptionis accipit.* O quàm benè tunc erat Zachæo in animo, ubi primos bonæ conscientiæ fructus post peractam pœnitentiam
Prov. 15. 15. cœpit degustare! & hoc est summum gaudium, summa consolatio, & hominis Christiani perfecta consolatio: *Secura mens quasi juge convivium.* Habesne & tu, optime Lector! talem securam mentem? Spero, secùs illam quæras oportet aliàs. Sed pergo ulteriùs.

3. Prodigus ille, ubi anno uno omnes suas facultates epulando, potando, ludendo, scortando consumpsit, tandem egere cæpit; & quia ingens
Luc. 15. 15. fames illam torquebat Regionem, ad convivium porcorum ablegatus est. Hæc vexatio apperuit illi intellectum, & insana fames tandem illum docuit sapere; unde in se reversus statuit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, & coram te &c.* Et ecce, ubi Pater illum de longè vidit vestibus laceratum, famelicum, totum squalidum, plorantem, & vix ossibus hærentem, misericordiâ motus cecidit super collum ejus, & osculatus est eum; ipse verò in genua provolutus, multis cum lachrymis culpam suam pœnitens confessus est, unde non duntaxat veniam à dulcissimo Patre suo impetrare meruit, sed & abjectis sordidissimis centonibus, veste pretiosa & talari indutus, ad splendidum convivium admissus est. O! quis dicet, quo animi eum gaudio, & quali cum appetitu tunc ille fuerit cœnatus. Et quod in singularem me rapit admirationem, illud est, quòd

Pater

Pater in illo convivio musicos quoque constituerit, qui suavi symphoniâ illius mulcerent & excitarent animum: *Cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam, & chorum.* Et quare hoc? Nunquid sine musica & choro suam poterat levare famem, & egregiè in Domino epulari & jucundari? Luc. 15. 25. *In ipsa prodigi conversione*, ait Le Blanc, *fit musica, & chorea.* Sed, obsecro, ad quid hoc? Musica & chorea?

Respondent Sacri interpretes, qnòd per concentum illum musicum, & suavitatem symphoniæ, ac citharæ sonum, rectè conscientia bona, secura & cum DEO concordans possit subaudiri, talis enim conscientia per salutarem pœnitentiam bene purgata, & nullius gravis delicti sibi conscia est suavissima musica delectans DEUM & hominem; & quia filius ille prodigus (typus peccatoris) verè de peccatis suis pœnituit, à pientissimo Patre ad lautissimum convivium (SS. Eucharistiæ typum) admissus est. O! quali cum gaudio & animi consolatione! O! Christiani, si secuti sumus errantem, sequamur & pœnitentem: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*, ad vestras enim lachrymas ridebunt & gaudebunt Angeli in cœlo, & adhuc suaviorem concentum musicum facient: *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis DEI super uno peccatore pœnitentiam agente.* Vide ex his, anime mi, pro reflexione mentis, in quo consistat vera hominis Christiani recreatio & consolatio. Le Blanc in Ps. 114. 7. Ps. 33. 9. Luc. 15. 10

3. Columba illa Noëmi in mundanis fluctibus & cœno terreno locum non inveniens, ubi pedem suum securè defigeret: *Cùm non invenisset, ubi requiesceret pes ejus*, id est affectus: *reversa est ad eum in Arcam.* Hoc est, ait le Blanc, ad bonam conscientiam, in qua est Noë, id est, *requies*, non enim est tutior requies, nisi in bona, & cum bona conscientia. Gen. 8. 9. Le Blanc in Ps. 114. 7.

Joseph Patriarcha veteris Testamenti scyphum argenteum habuit, in quo naturali augurio poterat præsagire, divinare, & indagare de aliorum moribus; hunc enim pleno vino hospitibus propinando facili modo, & naturali sagacitate (quia in vino veritas) arcana humanorum cordium poterat explorare, ac præsertim fratrum suorum: *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Supra quod Petrus Cellensis: *Conscientia bona*, ait, *est scyphus Joseph, in quo augurari, & inebriari solet animus.* Ex quo potâsse gloriabatur divina illa Sponsa, dum dixit: *Introduxit me in cellam vinariam &c.* Gen. 44. 5. Pet. Cell. l. de consc. Cant. 2. 4.

4. Cùm magnificentissimum illud templum à sapientissimo Rege Salomone Hierosolymis ædificaretur, nullus malleatorum & ferratorum strepidus auditus est, quia lapides jam priùs dolati ac perfecti erant: proinde tantùm calce ad eos inter se conglutinandos opus erat: *Malleus & securis, & omne ferrementum, non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Hugo à S. Victore per hoc templum Salomonis conscientiam bonam ac securam intelligit: 3 Reg. 7. 6. Hug. à S. Vict. l 3. de anima c. 14.

1 Cor. 3. 16. *Conscientia bona*, inquit, *est templum Salomonis*, & Apostolus, *Nescitis, quia templum DEI estis, & spiritus DEI habitat in vobis?* In hoc mystico templo non
S. Aug. ser. 10. ad frat. auditur strepidus malleorum, & securium sæcularium curarum, quia habitatio DEI est: *Conscientia bona*, ait S. Augustinus, *est thalamus DEI, & palatium, habitaculum Sancti Spiritûs; hæc est thronus Salomonis.* Et post pauca intercalata exclamans, subdit: *O conscientia sancta! in terra adhuc es, & in cœlis habitas!*

Venerunt sub medium noctis silentium ad cœli portam denæ Virgines prudentes quinque, & fatuæ similiter quinque per vocem Angelicam à somno excitatæ, & ad nuptias Sponsi cœlestis invitatæ. Primæ sine mora ad æterna admissæ sunt gaudia, reliquæ verò ignominiosè fuerunt repulsæ,
Matth. 25. 11. & exclusæ: *Nescio vos.* Et quid peccârunt istæ miserellæ? Fatuæ erant; sed quid hoc importat? Nunquid fatua & stulta mundi elegit DEUS, ut fortia quæque confundat? Verùm alia hîc subest ratio: *Prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*, quod econtrariò non fecerunt fatuæ, sed earum lampades ob defectum olei erant extinctæ. Per quod oleum & lampadem ardentem, subsidio cujus dictæ prudentes virgines intrârunt ad gloriam S. Au-
S. Aug. ser. 22. de Verb. Dei. gustinus bonam ac securam subaudit conscientiam: *Sapientes illæ virgines sumpserunt secum oleum in vasis suis, id est: Conscientia illis Testimonium perhibebat.* Vide hîc, & considera securæ mentis gaudia, quod solum est solidum in vita & morte solatium. Audiatur hîc in veritatis Testimonium S. Doctor Mellifluus: *Nihil*, inquit, *est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscien-*
S. Bern. l. de Conscient. *tia: premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cùm corpus morietur: secura, cùm anima coram DEO præsentabitur, secura, cùm utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur.* O quale gaudium!

5. Salomon, Sapientum omnium Magister & Princeps, inter alia observat, quàm insigne sit DEI donum, si quis virorum prudentem sibi potuit
Prov. 19. 14. desponsare uxorem: *Domus*, inquit, *& divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens.* Talis erat Sara à DEO data Abrahamo, Rebecca Isaaco, & Rachel Jacobo; à tali enim uxore dependet fides, pax, salus, & prædestinatio viri, filiorum, & totius familiæ salus. Dicitur autem in proverbio, & non sine causa, mulierem prudentem optimum habere, & suggerere posse viro suo consilium, si subitò illud proferat, & manifestet; ideo talis vir, si diversa eminent pericula, illud subministratum uxoris suæ consilium prudenter sequi potest, præcipuè si ab illa æstimetur, & diligatur.

Sic Michol uxor Regia Davidi marito suo optimum dedit consilium, dum Saul, ob victoriam à Philistæis reportatam invidiæ livore agitatus, eum
1 Reg. 19. 11. quærebat interficere, suasit Davidi Michol: *Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris.* David, uxoris suæ secutus consilium, & per fenestram ab illa depositus, manus insidiantium feliciter evasit.

Antonius de Rampelogis, Theologus & Doctor clarissimus, per dictam fidelem uxorem conscientiam nostram intelligit; sæpiùs enim multis involvimur periculis, tentationibus, & insidiis Diaboli, carnis, & mundi, oportet igitur, ut salubre consilium semper habeamus in promptu; proinde ad hanc prudentissimam uxorem nostram, hoc est, ad conscientiam nostram, & quidem bonam recurramus, hæc enim nobis in omni tentatione opportunum & utilissimum suggeret consilium: *Nihil*, ait Divus Gregorius, *poterit obesse, si sola conscientia defendat.* S. Gregor. M. hom. 9. in Ez.

6. Miror, quare Joseph olim in Ægypto carceri mancipatus tam læto animo omnia adversa potuerit sustinere. Vide & considera ex altera parte pincernam & pistorem captivos, quàm ingenti timore & angore fuerint perculsi, semper formidantes imminentem & intentatam mortis sententiam? unde Joseph aliquando ad eos: *Cur tristior est hodie solitô facies vestra?* Gen. 40. 7.

Resp. Scriptura: Quia ambo peccarunt Domino suo Pharaoni, imò ipsi DEO, erant enim Regii Ministri, unus præfectus pincernarum, & alter pistorum; ne ergo peccatum illorum (quia magis loculis & poculis suis providebant, quàm aulæ Regiæ) ob pravum exemplum maneret impunitum, à judice tenti, incarcerati & examinati sunt, quotidie ob malam conscientiam decretoriam ad Crucem exspectantes sententiam, Joseph autem non indigebat consolatione, quia optimam & innocentem habebat conscientiam, ideo in nullo formidabat periculo; unde rectè Poëta: *Conscia mens recti rerum discrimina ridet.* Et hæc est prima Dedicationis nostræ festivitas, possidere conscientiam bonam, sinceram & rectam; Hinc interrogatus aliquando Bias Philosophus: Quidnam in hac mortali vita omni vacaret metu, respondit: *Bona conscientia.* Ecce, anime mi, stude & omni vi labora, ut talem possis habere conscientiam, & res salva erit: *Justorum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Sap. 3. 1.

Talis conscientia est fuge convivium potentissimi Regis Assueri: *Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis &c.* Est dulce manna consolationis, quod benignus DEUS etiam in hac vita dare solet diligentibus se: *Dabo manna absconditum.* Est mel suavissimum: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Est Regnum DEI juxta illud: *Ecce enim Regnum DEI intra vos est.* Est *reclinatorium aureum*, in quo se reclinat, & quiescit Christus. Est terra promissionis perpetuo lacte & melle manans: *Educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram, quæ fluit lacte & melle.* Est torrens voluptatis, quo DEUS dilectos suos etiam in hac vita subinde solet potare: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Est hortus deliciarum, gaudium Angelorum, & portus navigationis nostræ, per mare hoc magnum & spatiosum hujus mundi periculis plenum securè nos transferens ad cœlestem patriam: unde rectè Mellifluus: *Futuræ beatitudinis*, inquit, *non est utilius remedium, non certius testimonium, quàm bona conscientia; mundus enim volubili-* Esth. 1. 7. Apoc. 2. 17. Jud. 14. 14. Luc. 17. 21. Cant. 5. 10. Exod. 3. 8. Ps. 35. 9. S. Bern. l. de consc. c. 4.

tate circumroretur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescit conscientia.

S. Aug. ser. 27 de Verb. Dom. O! gaudium supra omne gaudium, quia impiis non est pax, neque sincera mentis recreatio, quia major est mentis, quam illa ventris. Ita S. Antistes Hipponensis.

7. Assumpserunt aliquando Apostoli Christum Dominum suum in altum mare, ut cum eo in aliam trajicerent Regionem; & ecce subito motus magnus est factus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: *Ipse verò dormiebat.* S. Marcus observat, quòd mitissimus Dominus in puppi in medio maris æstu suaviter super aliquod cervical indormierit: *Et erat ipse in puppi super cervical dormiens.* Et quale, obsecro, cervical habuit universorum Dominus, qui de se ipso ait: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet?* ubi ergo in hac tam immani irati pelagi tempestate caput suum reclinavit? *Super cervical,* inquit S. Marcus. Sed quale cervical hoc erat?

Matth. 8. 24. S. Marc. 4. 38. Matth. 8. 20.

Respondent Sacri interpretes, Christum in puppi tunc dormientem caput suum inclinâsse super lignum transversum, ex quo puppis roboratur & solidatur, adeoque dormiisse velut in Crucis typo, tanquam in centro suo; ideo venit in hunc mundum, ut pro salute omnium in Crucis ligno moreretur, ut sic unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Sunt & alii, qui adstruunt, cervical Christi tunc fuisse rudentem, seu funem nauticum conglobatum, in quo dulciter dormitabat, qui custodit Israël, cujus tamen divinitas semper vigilabat pro nobis. Quidquid sit hac de re: *Ipse verò dormiebat.*

Euthymius & Theoph. hîc.

Causam mysticam assignat Cornelius, quòd per cervical illud optimè designetur *conscientia bona, in hac enim fidelis in quavis adversitate securus quiescit,* & suaviter cubat, etiam inter ipsos medios persecutionum fluctus: *Quid securius,* subintrat hîc iterum S. Bernardus, *bona conscientia damna rerum non metuit, nec verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipsa morte magis erigitur, quàm deprimitur.* S. Tiburtium M. consule, qui, ut habent ejus acta, intrepidus ad Torquatum Tyrannum inter tormenta dixit: *Applica equu'eos, suspende Christianos, damna, percute, incende, universa denique supplicia adhibe, decerne, quidquid libet, omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia.* O conscientia bona, quanta in te sunt gaudia!

Corn. in Matth 8. 24 S. Bern. de Consid.

Quàm benè igitur Sapiens: *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Si cum Tobia affligatur cæcitate: *Non contristabit.* Si cum Jobo variis afficiatur cruciatibus: *Non contristabit.* Si cum Daniele mittatur in lucum leonum: *Non contristabit.* Si cum Susanna oneretur calumniis: *Non contristabit.* Si cum Davide persecutionum agitetur fluctibus: *Non contristabit.* Si cum tribus pueris Babylonicis mittatur in fornacem ignis ardentis: *Non contristabit.* Si cum Machabæis torqueatur, dilanietur, & membratim scindatur: *Non contristabit.* Si cum cæteris sanctis Martyribus cuncta pro justitia perferre debeat suppliciorum genera: *Non contristabit.* Si denique omnia Diaboli

Prov. 12. 21. Tob. 2. 11. Dan. 6. 16. Dan. 13. 22. 2 Reg. 17. 13. Dan. 3. 21. 2 Mach. 7. 1.

boli tormenta super eum veniant: *Non contristabit*, quia mens sapientis nullius mali sibi conscii semper apud DEum est, quam mentem inhabitat ipse DEus, hinc semper sibi similis, imperturbabilis est: *Vis*, ait S. Isidorus, *nunquam esse tristis? benè vive. Secura mens tristitiam leniter sustinet:* & Hugo Cardinalis: *Conscientia bona, inquit, semper est in gaudio, & æterni convivii jam præsentit odorem.* S. Isid. l. 3. de summo Bono. Hug. Card. in Prov. 15. 15.

8. Nunc cognosco, qualis fuerit ille thesaurus Evangelicus, de quo Veritas Christus: *Simile est Regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius valet, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum*, Ager ille est corpus nostrum, à DEO quondam in agro Damasceno ex luto formatum, in quo agro absconditus est thesaurus incomparabilis, ac longè pretiosissimus, de quo Apostolus: *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus*; hoc est, in corpore luteo, fragili, & caduco, thesaurus autem iste non alius est, ait S. Bernhardinus, quàm conscientia munda, quæ quidem per multas insidias & pericula abscondita est; appretiatio autem tanti thesauri infertur, cùm dicitur: quia omnia sua vendidit & emit agrum illum, qui à comparatione conscientiæ bonæ cuncta transitoria pro nihilo sunt habenda; *quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, an mæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem, pro anima sua?* Matth. 13. 44. 2 Cor. 4. 7. S. Bern. to. 2. s. 52. a. 2. Matth. 16. 26.

Mulier illa Evangelica, quæ drachmam unam perdidit, in domo sua diligentissimè eam quæsivit, & nullum non angulum scopis emundavit, donec tandem drachmam illam amissam summo cum gaudio invenerit; unde convocans amicas & vicinas, eas ad participationem hujus insoliti sui gaudii invitavit: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Ubi cum Origine, & B. Alberto M. observandum, quòd mulier ista drachmam suam perditam non extra domum, sed intra domum suam quæsierit, & invenerit: *Hæc domus*, ait B. Albertus M. *est domus conscientiæ interioris, quam totam oportet evertere, in compunctione & confessione*, cum Zachæo ex animo de peccatis dolendo, malè parta restituendo, pauperibus largas eleemosynas distribuendo, occasiones malorum vitando &c. &c. Atque sic recuperabis bonam conscientiam, & invenies drachmam, hoc est, animam tuam imagine DEI insignitam. O quanto cum gaudio! Luc. 15. 9. B. Albert. hîc.

9. David in omni ferè tribulatione & persecutione olim cantare solebat: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et qualem lætitiam dices? an regiam & opiparam mensam? an auri argentique copiam? an potentiæ magnitudinem? Minimè gentium, quia hæc juxta mentem S. Chrysostomi non sunt lætitiæ cordis, sed vera ac sincera cordis lætitia est conscientia bona ac recta, & de hac tunc temporis intervallo gloriabatur Vates ille Jessæus. *Exultavit cor meum in Domino*; dicebat quondam Anna ob natum Samuelem exultans, & hymnum DEO concinens, quia bonam habebat conscientiam. Esther, licet esset 127. provinciarum Domina, nunquam tamen in alio lætata est, nisi Ps. 4. 7. S. Chrysost. hîc. 1 Reg. 2. 1.

Esth. 14. 16. in DEO salutari suo: *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ - - & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata est, nisi in*
Hab. 4. 18. *te Domine DEUS.* En! vim conscientiæ bonæ, *Ego autem*, dicebat quondam Habacuc Propheta, *in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo*; non gaudebo in opibus, non in dignatibus, non in voluptatibus, non in vana hujus mundi gloria, non in esca & potu, non in commoditatibus hujus sæculi, sed *exultabo in DEO JESU meo*, & in bona conscientia mea, *in pace in id ipsum dormiam, & requiescam.* Ecce! homo pacatæ conscientiæ, etiam inter
Ps. 4. 9. hujus mundi ruinas erectus est! *Impavidum ferient ruinæ.*

Imponamus huic Considerationi finem & coronidem. De Pharaone recenset Scriptura, quòd ciniphes & culices mirum in modum eum exagitaverint, à quibus neque in mensa, neque in horto, neque in lecto ullam re-
Exod. 8. 17. quiem habuit: *Omnis pulvis terræ versus est in ciniphes per totam terram Ægypti*;
Ps. 104. 31. David in Psalmis: *Dixit, & venit cœnomia: & ciniphes in omnibus finibus eorum.* O! DEUS bone, custodi nos à pessimis istis malæ conscientiæ aculeis. Nabuchodonosor Rex inter tot Regales delicias & imperia nec quidem de nocte tranquilla requiem capessere poterat: *Cogitationes meæ in stratu meo,*
Dan. 4. 2. *& visiones capitis mei conturbant me.* Ratio est, quia malam habebat conscien-
Isa. 48. 22. tiam. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Urias, quocumque ibat, secum in
2 Reg. 11. 14. sinu mortis suæ gestabat litteras: *Et scripsit David Epistolam ad Joab, misitque per manum Uriæ, scribens in Epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, ut percussus intereat.* Væ nobis, si ad judicium aliquando nobis erit eundum, si similes Uriæ litteræ (hoc est, mala conscientia) contra nos testabuntur. Si sciviſſet Urias, sine dubio litteras illas vel emendasset, vel abjeciſſet, aut Vulcano consecrâſſet. Qualis sit tua conscientia, scis, & cognoscis, anime mi, nunc ergo mature cum pœnitente Zachæo eam emenda, & dignos fac fructus pœnitentiæ, ut cum Ezechia Rege
4 Reg. 20. 3. moribundo aliquando in tuæ mortis articulo possis dicere: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto,*
2 Cor. 1. 12. *& quod placitum est coram te, fecerim.* O! te felicem, si simili gaudes conscientiâ, quæ immarcescibilem tibi pariet coronam & æternam gloriam: *Gloria*, inquit Apostolus, *nostra hæc est, Testimonium conscientiæ nostræ.* Fac hoc, & vives.

CON-

CONSIDERATIO ULTIMA.

De Sacrificio Missæ, & dignitate Sacerdotis eam offerentis.

In Primitiis Reverendissimi, ac Perillustris D. D. Joannis Marquardi Liberi Baronis de Layden, Domini in Affingen, Bergen &c. Anno Christi 1716. die 4. Octobris.

Hoc facite in meam Commemorationem. Luc. 19. 6.

I.

RECTÈ Doctor Angelicus: Licèt DEUS sit omnipotens, tria tamen majora facere non potest; Videlicet majus lumen gloriæ, majorem unionem quàm hypostaticam, & majorem Matrem: *Hæc tria*, inquit, *habent quandam bonitatem infinitam ex Bono infinito, quod est DEUS.* Et pergit idem Angelicus: Licet DEUS sit etiam sapientissimus, plùs tamen dare nescivit, neque potuit, quàm quòd se ipsum traderet in SS. Sacramento: unde & Concilium Tridentinum: *Salvator noster Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.*

D. Th. p. 1. q. 25. a. 6. ad 4.

Sess. 13. c. 2.

Observa, *vò effudit*, dum nobis SS. Corpus suum, beatissimam animam, infinitam Divinitatem, & universa merita liberalissimè in hoc incruento Missæ Sacrificio quotidie communicat. Proinde rectè Eminentissimus Cardinalis de Bona concludit, quòd quidem in Lege veteri DEO supremo rerum omnium Domino plurima fuerint oblata sacrificia, in nova autem lege Evangelica unicum solummodo ei offertur, quod omnia legalia longissimo intervallo, imò infinities superat, hoc est SS. Missæ Sacrificium.

Card. Bona in Tract. de Sac. Missæ.

Offertur autem soli DEO, tanquam primo principio, & fini ultimo nostro, in protestationem immensæ illius excellentiæ, dominii & Majestatis infinitæ, atque in recognitionem summæ nostræ erga eum servitutis, & subjectionis, unde appellatur Sacrificium honorarium, & Eucharisticum, nihil enim

enim pretiosius Divinæ Majestati poterit ab Ecclesia pro tot acceptis beneficiis offerri; quod prævidens in spiritu Vates Regius exclamavit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Et mox subjungit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Supra quod Le Blanc: *Calix salutaris est calix Eucharisticus; est enim calix nobis datus à Salvatore, in quo ipse Salvator continetur & salus.* Est pari modo & propitiatorium; hinc rursus Tridentinum: *Sacrificium istud verè propitiatorium est, hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Denique & omnium bonorum impetratorium est, tum pro vivis, tum pro defunctis nondum ad plenum purgatis, per modum suffragii illis applicatum. Et quid pretiosius?

Ps. 115. 3.

Le Blanc. hîc.

Sess. 22. c. 2.

Ex quibus hactenus enarratis facile intelligitis, animæ Christianæ, quanta sit dignitas, gratia & effectus hujus incruenti & sacrosanctæ Missæ Sacrificii. Et quid dico? Ecce stat hodierna luce in conspectu omnium nostrûm Sacerdos quidam recens initiatus, Reverendissimus ac Perillustris D. D. Joannes Marquardus Liber Baro de Layden &c. procinctus primâ vice ad sacrificandum DEO immortali Hostiam laudis &c. Ego licèt indiguus plura de hoc summo Mysterio adjuvante benigno Nomine disseram. Aderit DEus, ut congruenter loquar, & vos me percipiatis.

2. Quod sol est inter omnes planetas ac stellas, hoc est SS. Eucharistiæ Sacramentum, & Missæ Sacrificium ejusque participatio inter omnia hominis Christiani pia ac bona opera. Vidit quondam Isaias Prophetarum Princeps cœlum apertum, & in eo Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, atque Seraphinos Trisagion cantantes. Et ecce, dum Propheta in exstasi & stupore in hac visione erat absorptus: *Volavit*, inquit ipse, *ad me unus de Seraphim, & in manu calculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Plura hîc concurrunt considerandæ & dilucidandæ. Et quid calculus ille ignitus, quem Angelus forcipe aureâ de Altari tulerat? Cur non manibus? Nunquid adussisset eas? Minime gentium, quia Angelus erat. Cur forcipe aureâ dictum calculum de Altari sustulit?

Isa. 6. 6.

Cornel. in hunc loc.

Resp. Cornelius in hunc Scripturæ locum, calculum illum ignitum fuisse Carbunculum, gemmam omnium pretiosissimam, & quod plùs est, Sacratissimæ Eucharistiæ typum, quem Angelus non ausus est attractare manibus, quia figuram sustinebat sacratissimi Altaris Sacramenti, sed forcipe aureâ, ob peculiarem reverentiam, & venerationem hujus divinissimi mysterii, *Sancta enim sanctè sunt tractanda.* Et tetigit labia ejus. Quare hic carbo, subintrat hîc iterum dictus Cornelius, hoc est, SS. Eucharistia verè dispositos ab omni peccato purgat, roborat, & inflammat, *ut tanquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Ita Os Aureum quoque, & S. Basilius &c.

S. Chrysost. hom. 61. ad popul.

O! Sa-

O! Sacerdotes DEI, & vos omnes, qui præsentes estis, videte, considerate ex hoc figurante figuratum: Angelus ille Seraphinus non ausus est carbunculum illum (SS. Eucharistiæ typum) manibus, sed aureâ tantùm attingere forcipe. Et ecce, plùs datum est Sacerdotibus, & hodie perillustri Neomystæ nostro, qui loco forcipis aureæ quatuor digitis Canonicis primâ vice prehendit illum, *qui tribus digitis appendit molem terræ*, Obstupescite cœli, *quia DEUS potestatem talem dedit hominibus.* Isa. 40. 12. Matth. 9. 8.

3. Progredior ulteriùs. Olim in Levitico præcepit DEUS, quatenus Israëlitæ tempore messis primitias spicarum DEO in signum grati animi offerrent, quas in unum manipulum alligatas Sacerdos elevabat in altum; interim populus stabat, preces in cœlum fundens, & DEO Conservatori suo debitas pro novo subministrato frumento grates persolvens: *Cum messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis.* Lev. 23. 10.

Hodie video hanc figuram perfectè adimpletam; quid enim aliud per dictum spicarum manipulum præsignatum est, quàm divinum illud frumenti granum, quod teste S. Augustino, est ipse Christus, & hic crucifixus, Eucharisticus: *Ipse*, inquit, *Dominus JEsus erat granum morificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum.* Et ecce, hodie hoc divinum frumenti granum & manipulum spicarum, velut primitias suas, DEO Patri omnipotenti humiliter, & devotissimo animo offert, consecrat & elevat Reverendissimus & Perillustris Neomysta. O! quanto cum solatio omnium nostrûm, ac præsertim Illustrissimorum, & Perillustrium amicorum, ac subditorum in hac insigni Ecclesia, ab Avo ejus à fundamentis erectâ, præsentium? Olim stabat populus cum Sacerdote elevante spicarum manipulum totus devotus, & in laudem DEI effusus, suas simul cum Sacerdote conjungens preces & vota; ita & nos faciamus hodie dilectissimi; agite: *Sursum corda*, ut hoc SS. divinissimum Sacrificium, & quidem primum, acceptabile fiat apud DEUM Patrem omnipotentem: *qui elevabit fasciculum coram Domino, ac acceptabile sit pro vobis.* S. Aug tr. 11. in Joh.

4. Percurramus ulteriùs Scripturam, ut eò meliùs ex figurante figuratum, & ex umbra agnoscamus veritatem. In libro Exodi præscribit DEUS Sacrificium agni, tam manè, quàm vesperè singulis diebus divinæ Majestati immolandi; & hoc erat in lege illa veteri perenne Sacrificium communibus populi expensis offerendum: *Hoc est quod facies in Altari: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter: unum agnum manè & alterum vespere.* Ceremoniæ, quæ in offerendo hoc agno legali adhibebantur, sunt raræ, ac singulari dignæ consideratione. Imprimis lavabatur hic agnus in piscina probatica, exinde viridi coronatus serto portabatur ad templum, ubi in Altari holocaustorum, tanquam victima pacifica, à Sacerdote jugulatus pro peccatis populi immolabatur, & excoriatus, ac veru ligneo affixus assatus est, sanguis autem illius Exod. 29. 38.

Hebr. 9. 22. 1Cor. 10. 11. partim super Altare, partim supra populum aspergebatur; ad quod alludit Apostolus in Epistola ad Hebræos: *Et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram.

Jer. 11. 19. Observate, charissimi per agnum illum immaculatum & incontaminatum Christus præfiguratus est, tum crucifixus, tum Evcharisticus, ille enim, *quasi agnus mansuetus portatus est ad victimam*, priùs in torrente Cedron ablutus, serto spinoso redimitus, per flagella excoriatus, ac tandem veru ligneo, h. e. Cruci affixus, & in igne charitatis assatus est, cujus sacratissimo sanguine non duntaxat Ara Crucis, sed & populus universus aspersus fuit, hinc sine sanguinis illius effusione non fit remissio. Sed attendite ulteriùs: juge hoc Sacrificium, ait Cornelius, significabat quoque juge sacrificium Christi in Evchariştia, quod omnibus diebus offertur, & offeretur usque ad finem mundi. Cum agno illo legali offerebatur etiam *similа & vinum.* Videte hîc, atque perpendite, animæ Christianæ, quàm bene correspondeat figuratum cum figurante, quia Christus non solùm pro nostra, omniumque salute voluit tanquam agnus occidi, sed etiam in ipso hoc cruento Sacrificio reliquit nobis SS. Sacramentum corporis & sanguinis sui sub specie panis & vini, quo mirandum in modum animæ nostræ aluntur, reficiuntur, & confirmantur. O Christiani! vel ex hoc agnoscite dignitatem hujus SS. & incruenti primi Sacrificii, & disponite vos ad dignos tanti Mysterii percipiendos fructus, *quia in hoc divino Sacrificio*, ait Sancta Synodus, *incruentè immolatur, qui in Arca Crucis semel seipsum cruente obtulit.* Et quid dignius?

Corn. hîc.

Trident. Sess. 13. c. 5.

Gen. 22. 16. 5. Abraham Patriarcha immolavit DEO filium & arietem, filium in affectu, & arietem in effectu; & propter hoc Sacrificium benedictus est à Domino; *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli &c.* Ecce, pulcherrimum typum cruenti & incruenti Sacrificii, per agnum enim illum masculum DEO immolatum, quid aliud præsignatum est, quàm cruentum Crucis Sacrificium, & per Isaac incruentum Sacrificium, quod quotidie in Ecclesia DEI ab ortu solis usque ad occasum ejus solet offerri? & si tantopere benedictus est Abraham à DEO propter illud Sacrificium, quid, obsecro, gratiarum nos miselli sperare possumus in hoc primo & incruento Missæ Sacrificio, ubi non aries, non Isaac, sed ipse DEI Filius æterno Patri per manus Sacerdotis pro salute nostra, tum animæ, tum corporis, humiliter ac devotissimè offertur? *O homo, si scires donum DEI!* O si scires!

Joan. 4. 10.

Gen. 8. 21. Benedictus est à DEO Noëmus, ubi finito diluvio Altare novum Domino ædificavit, & in eo diversa holocausta Domino DEO suo immolavit: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* En! mirandum Sacrificii Noë effectum, per quod DEUS generi humano placatus promisit, deinceps non ampliùs fore diluvium.

O!

O! Christiani, evigilate, & exsurgite in spem magnam, quicunque grandibus pressi estis malis, atque ingentibus sauciati & infecti criminibus. Accedite sine omni tergiversatione ad hanc expiatricem & placabilem Arcam. Et, si DEO adeò placuit Sacrificium Noëmi de mundis animalibus oblatum, quantò magìs divinæ Majestati placebit hoc diviniſſimum Sacrificium, quod prorsùs idem est cum Sacrificio Crucis, non tantùm in præsentando, sed etiam in essendo, solâ offerendi ratione diversâ, quòd illud in Calvario monte cruento modo sit peractum, hoc verò incruento modo hodie à Rev. D. Neomysta peragatur. Non ferret planè DEUS tot immania hominum scelera, nisi per hanc sacratissimam ac divinam Hostiam, & Filii Sanguinem quotidie placaretur: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen: quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Isa. 1. 9. O! quoties populus Christianus ob innumera sua demerita factus fuisset præda inferni, nisi Dominus reliquisset nobis semen frumenti Electorum, per quod, mediante hoc diviniſſimo Sacrificio, illum placaremus!

6. Jacob, in patriam suam redux, ubi de longè vidit fratrem suum Esau adventantem, iratum & vindictam spirantem, cogitabat apud seipsum: *Placabo illum muneribus.* Dixit, fecit, & placatus est frater ejus muneribus. Imminet & nobis, charissimi, ob tot admissa delicta Justitia divina, & quomodo eam placabimus? Respondeo cum Jacob: *Placabo illam muneribus*, hoc est, SS. Altaris Sacrificio; & siquidem nos indigni sumus, ut exaudiamur, quia sæpiùs graviter in DEUM nostrum peccavimus, at tamen ille dignus est, qui dedit animam suam pro ovibus suis, ut propter reverentiam illius à Patre exaudiamur; unde Vates Regius orabat: *Respice in faciem Christi tui.* Hîc oportet audire Suarezium: *Quando Sacerdos*, inquit, *offert hoc Sacrificium; Pater æternus intuens donum illud, non sistit in Sacerdote, sed in illo respicit personam Filii sui, quem repræsentat, & ideo acceptat illam purissimam oblationem, ut summè gratam, & acceptabilem sibi.* Gen 32. 20. Ps. 83. 10. Suar. disp. 79. sect. 91.

David Rex, ubi vidit Jerosolymam Regiam suam civitatem brevi temporis intervallo in cæmeterium ob sævientem pestem & percutientem Angelum esse redigendam, ingemiscens, & condolens populi misertus statuit, ut quantocyus DEO T. O. M. solemne offerretur Sacrificium, in quem finem Aram publicam in area Areunæ erexit: *Et ædificavit ibi David Altare Domino, & obtulit holocausta pacifica.* 2 Reg. 24. 25. Et quid sequitur? *Et propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.* Si hoc olim in umbra, quid nunc in luce & veritate? Nunquid *dignus est Agnus*, quem in venerabili Altari præsentem credimus, & adoramus, *accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*; Væ mundo immundo! si hoc nobis deesset Sacrificium. Apoc. 5. 12.

7. Si Israëlitæ tunc temporis intervallo adhuc in Ægypto sub Pharaonis jugo pressi, non domos & familias suas sanguine Agni aspersissent, mor-

tem primogenitorum non evasissent, pertransibat enim sub intempestæ noctis silentio Angelus percutiens Ægyptios, qui videns sanguinem Agni in superExod. 12 22. liminari, & in utroque poste Hebræorum, citò transcendit ostium domûs, & nullum ei nocumentum intulit: *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine &c.*

Felix illa familia, felix domus, quæ quotidie, si fieri potest, SS. Missæ Sacrificio interest, ubi Agnus divinus de novo mysticè immolatur, & sanguis illius pretiosissimus pro salute nostra omnipotenti DEO offertur; hîc non poterit nocere percutiens Angelus, quia talis familia sanguine Christi signata & munita est. Hinc meritò gratulor Perillustri familiæ Liberorum Baronum de Layden, pro cujus incremento & conservatione hodie primâ vice incruen-
S. Greg. M. 4. dial c. 58. tum immaculati Agni Sacrificium offert Reverendissimus Neomysta; planè non poterit hîc nocere Angelus percutiens, sed pertransibit &c. *Hæc victimâ,*
Bed. l. 4. hist. suæ gent. c. 22. ait S. Gregorius M. *singulariter ab æterno interitu salvat*; Et venerabilis Beda: *Sacrificium hoc salutare ad redemptionem valet animæ & corporis sempiternam.* Et quid plura requiritis? sed nondum hîc se sistit oratio mea. Majora vobis monstrabo: attendite, & maturo judicio considerate.

8. Venerunt ad Christum Dominum recens in antro Bethlemico natum Salvatorem mundi ab Oriente tres Magi, seu Reges, stellâ extraordinariâ du-
Matth. 2. 11. ce, ut hunc universorum Dominum non tam humiliter adorarent, quàm & munera devotissimo animo illi offerrent: *Et procidentes adoraverunt eum.* Observate hîc unà mecum, animæ Christianæ, ingentem horum trium submissionem, dum non tantùm in signum homagii demississimi divino Infanti obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham, sed & in terra prostrati, ac Regiis depositis diadematîs, admissi sunt ad pedum manuumque Creatoris & Redemptoris sui oscula, quorum uni divinissimus Infans manu blandiente caput tetigit, in quo loco adhuc in hodiernum usque diem capilli non periêrunt. Prout refert Petra sancta de Mirac. c. 12.

Venit ex altera parte & Simon justus, ac vir timoratus, à multo tempore avidus videre Salvatorem mundi & Filium DEI incarnatum. Et ecce, dum SS. Deipara dulcissimum suum natum æterno Patri offert in templo in victi-
Luc. 2. 28. mam pacificam pro peccatis totius mundi expiandis, adest in tempore à Spiritu S. monitus S. Simeon seniculus, qui sine mora *accepit eum in ulnas suas, & benedixit DEum, &c.* Et quare in ulnas suas? Nullus ex his tribus Regibus ausus est, divinum hunc Infantulum pectori suo adstringere, sed contenti erant, pedes ejus devotissimo osculo venerari; & ille sine mora eum pectori suo adstringit in templum deportat, illumque Patri æterno offert in Sacrificium matutinum, postea in virili ætate in Ara Crucis offerendum in Vespertinum. O! Simeon, quid agis? qualis hic ausus?

Lyran. hîc. Resp. Lyranus & alii, quòd Magi quidem illi fuerint Reges, sed non Sacerdotes, Simeon autem erat Sacerdos DEI Altissimi; quod ergo Regibus negatum, Sacerdoti concessum est; illi prostrati in terram adoraverunt Ver-

bum

bum incarnatum, sed ipse brachiis amplexatus divinum Puerum adstrinxit pectori suo, in Ara præparata eum offerens æterno Patri in gratissimam hostiam, ò quantò amoris affectu & solatio! quis dicet? En? pulcherrimum typum, ad Sacerdotes enim pertinet JEsus, qui quotidie in SS. Sacrificio in eorum vult commorari pectore; ô mira circa nos divinæ Bonitatis & Majestatis dignatio!

Et ecce, hodie novum Simeonem in Perillustri nostro Neomysta, multis enim adhinc annis se præparavit, atque præmissis Exercitiis spiritualibus (quæ Sacerdoti summè sunt necessaria) se disposuit, ad dignè recipiendum Mundi Salvatorem. Et ecce, hodierna luce advenit fortunatus ille dies, in quo tot votorum factus compos, accipit primâ vice amantissimum JEsum suum in ulnas suas, ac ferventissimo affectu suo adstringit pectori; & quod plus est: ipse pretiosissimus Redemptor in illius vult commorari corde, & mansionem apud eum etiam imposterum facere. O magnum pietatis Sacramentum! oportet ergo, Sacerdos & Neomysta Reverendissime, ut tanto amori reciproco correspondeamus amore.

9. Veniunt hîc mihi in mentem duo gladii illi, quos Christus Dominus in ultima cœna, ubi divinissimum hoc Sacrificium instituit: *Hoc facite in meam commemorationem*, voluit ad latus mensæ esse præsentes: *Ecce duo gladii hîc.* Et quare hoc? Respondent nonnullii Interpretum, quòd per duos istos gladios & Ecclesiastica & sæcularis debeat subaudiri potestas ad defendendum hoc divinissimum Mysterium. Quidquid sit hac de re; Petrus, quia illi vel præsagiebat animus, vel quia jam ex parte à Domino audierat, noctem illam non fore securam, unum ex illis abstulit, &, cùm Malchus primus in monte Olivario in JEsum mitteret manus, *exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus.* Et quid sequitur? audite invectivam à Christo; *Converte gladium in locum suum.* Et quare hoc, mi Domine? Nunquid dignus erat pessimus ille servus, ut illi Petrus non aures tantùm, sed & caput amputaret? Et ita quidem est; sed noluit mitissimus Dominus, ut tale quid servo illi nequam accideret; ratio est, quam assignant Evangelistæ: quia *Servus erat Pontificis*, noluit enim Dominus inhonorare Pontificem & Sacerdotem, qui immolabat DEO victimas, & panem propositionis in aurea mensa offerebat; ignominia enim servo facta redundat in Dominum. Unde rectè Apostolus: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè, qui laborant in verbo & doctrina*; ratio est, quia tales Sacerdotes legatione Christi funguntur: *pro Christo ergo legatione fungimur:* legatis autem ab omni gente præstatur honor propter Principem, cujus gerunt characterem; ergo multò magis legatis Christi; qui sunt Sacerdotes, debitus propter Christum impendendus est honor: *In tota anima*, ait Eccl. *time DEum Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica.*

Luc. 12. 19. Luc. 22. 38.

Matth. 26. 5.

1 Tim. 5. 17.

2 Cor. 5. 20.

Eccl. 5. 31.

10. Stupendum reputabatur prodigium, quando Moyses de nubibus

Exod. 16. cœli fecit in desertum descendere dulce Manna: *Quòd cùm vidissent filii Israël, dixerunt ad invicem? Manhu? quod significat: quid est hoc? ignorabant enim, quid esset; quibus ait Moyses; Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.*

Verùm longè majus est miraculum, quòd Sacerdos DEI ritè consecratus faciat de cœlo descendere ipsum panem vivum, qui est Christus DEUS noster. Quando, subintrat hîc S. Vincentius Ferrerius, Beatissima Virgo ad Angelum dixit *Ecce, Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; in ultimo verbo cœlum fuit apertum, & Filius DEI descendit in uterum. B. Virgo dixit octo verba Sacerdos quinque, & quolibet die aperit cœlum. O summa dignitas! O stupendum miraculum.

S. Vincent. Ferr. ser. 1. in Fest. Corp. Chr.

Cæterùm miratur orbis universus, quod ad vocem Josue sine mora sol cursum suum stiterit: *Sol contra Gabaon nemovearis.* Nolite mirari ampliùs, animæ Christianæ, longè enim majus miraculum est, quòd ipse sol justitiæ, qui est Christus DEUS noster, ad vocem hominis, Sacerdotis promptissimè obediat, & in SS. Missæ Sacrificio in altari se sistat: *Obediente DEO voci hominis.*

Jos. 10. 12.

Luc. 2. 51. De Christo tum adhuc adolescentulo recenset S. Lucas: *Erat subditus illis*, videlicet SS. & virgineæ Matri suæ, & Patri nutritio. Sed observa: tunc Christus adhuc erat in carne mortali & passibili; verùm nunc sedet ad dexteram Patris, immortalis, in summa gloria & Majestate, atque constitutus Judex vivorum & mortuorum. Et nihilominus ille talis ac tantus, & universorum Dominus, quotidie ad quinque verba Sacerdotis promptè obedit, descenditque de cœlo in manus illius, imò & cor ejus? quis hæc crederet, nisi Veritas Domini revelasset?

Et quis Regum, obsecro, unquam suis Ministris talem delegavit potestatem, ut possent absolvere omnia læsæ Majestatis delicta? hanc tamen dedit Christus Sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* O abyssum Bonitatis divinæ! Juvat hîc audire Theophylactum, ad ista veritatis verba attento animo se reflectentem: *Vide*, inquit, *Sacerdotum dignitatem, quòd divina sit; DEI enim est, remittere peccata: sic igitur illi honorandi sunt ut DEUS, nam quamvis indigni sint, quid hoc, divinorum donorum Ministri sunt, & gratia operatur per eos.*

Jo. 20. 23. Theophyl. in c. 20. Jo.

11. Sed quò major est Sacerdotis dignitas, eò major requiritur & vitæ sanctitas. Olim præcepit DEUS, ut Aaron Sacerdos tunicâ hyacinthinâ indueretur: *Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam.* Et quare hoc? Resp. Hugo Cardinalis, quod per hanc cæruleam seu violacem togam vita Sacerdotis fuerit præsignata, quæ tota debet esse cœlestis; proinde hæc toga monebat Sacerdotem, ut conspecto hoc colore mentem ad cœlestia sublevaret.

Exod. 28. 33. Hugo Card. in Ps. 131.

Manna voluit DEus, ut in aureo ac puriſſimo vase in memoriam facti beneficii asservaretur: *Sume vas unum, & mitte ibi Manna, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras.* Cujus meminit etiam S. Paulus, asserens, hoc vas fuisse aureum: *Urna aurea habens manna.*

Exod. 16. 33.

na. S. Doctor Angelicus hoc adaptat Sacerdotibus, qui hoc cœleste & divinum Manna quotidie intra se recipiunt; proinde cor eorum debet esse aureum & purissimum: *Decet*, inquit, *cor quasi aurum esse purissimum, per magnam munditiam, quod capere debet cœlestem panem.* Hebr. 9. 4. S. Th. Aqu. Op. 58. 15.

De reliquo quærit B. Albertus M. quare populus Sacerdotem missam celebrantem diverso modo resalutet? Ipse salutat populum: *Dominus vobiscum* & populus, seu Minister locò populi respondet: *Et cum spiritu tuo.* Cur non dicit, ait citatus Doctor: *Dominus sit tecum?* Audite quæstionis resolutionem: Quia Sacerdos, inquit, stans ante Altare debet esse in spiritu, stans enim ad Aram, nihil debet esse, nisi spiritus, & nihil sentire de corpore, & sollicitudine sæculi. O DEus bone; utinam tales essent omnes Sacerdotes! sed timeo, ne adhùc verificetur illud S. Hieronymi effatum: *Sacerdotes multi, Sacerdotes pauci*; audite Verbum Domini: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* B. Alb M. tr. de Missa c. 2. Lev. 11. 44.

12. Sed jam tempus est; ut finem huic nostræ imponamus Considerationi, ubi mihi occurrit Mulier illa Syrophœnissa, quæ ad Christum venit humiliter pro sanitate filiæ suæ supplicans, quatenus eam à Dæmonio, à quo pessimè tractabatur, benignè liberaret. S. Marcus observat, eam intrâsse domum; & ad pedes JEsu demisse procidisse, ad quam pretiosissimus Salvator: *Non est bonum, sumere panem filiorum; & mittere canibus.* At illa: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de Mensa Dominorum suorum.* Et quænam hæc mensa Domini, quia mox subjungebat Christus: *Propter hunc sermonem vade: exiit Dæmonium à filia tua?* Marc. 7. 27. Matth 15. 27

Resp. Mansius: Mulierem illam non sine mysterio Salvatori nostro dixisse: *Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*; hæc enim mensa Altare est, in quo consecratur Panis vivus & Evcharisticus; nos sumus hodie in solemnibus Primitiis Reverendissimi & perillustris Neomistæ quasi catelli circumstantes, imò circumjacentes, & colligentes micas decidentes, hoc est, multa beneficia tum pro vivis, tum pro defunctis. Denique imitemur Jacobum cum Angelo luctantem, à quo petiit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Ita hodie omnes præsentes clamamus ad te, Neomysta Reverendissime! *Non dimittemus te, nisi benedixeris nobis, &c. &c.* Mans. To. 3. tract. 48. disc. 9. Gen. 32. 26.

PRO

PRO FINE OPERIS.
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

TRia olim videbantur antiquis impossibilia, prout Auctor est Macrobius l. 5. c. 3. Primò fulmen subtrahere Jovi; Secundò clavam Herculi; Tertiò Homero versum. Ausim & ego addere quartum: Menda & errores Typographiæ; Argi hîc requiruntur oculi, præsertim dum sub prælo sudat, & acceleratur opus, & Auctor longè abest. Proinde non mirare, si etiam in hoc meo præsenti opusculo in absentia mea nonnulli in typo irrepserunt errores, quos benevolentia & prudentia tua, optime Lector, benignè corrigas rogo. In quem finem me denuò tuo favori impensè commendo. Vive DEO,
Tibi & Proximo.

IN-

INDEX COPIOSIOR,
SEU
SYNOPSIS

Omnium Figurarum, Conceptuum, & rerum memorabilium ſuper Feſtivale *Currûs Iſraël, & Aurigæ ejus*, qui in prima editione ob plures alios Auctoris labores formari non poterat, nunc in gratiam benevoli Lectoris, illum impensè deſiderantis, in hac ſeptima editione additus.

INDEX FESTIVALIS.

Secundùm Ordinem Feſtorum.

In Feſto Circumciſionis Domini. Conſideratione 1.
De SS. Nomine JESU.

QUomodo, & quâ virtute S. Petrus Apoſt. ab utero matris claudum ſanavit? Num. 1.
Pharao cur Joſepho, & Pater Filio prodigo annulum donârunt? n. 1.
Offertur pro xenio omnibus annulus memorialis, in quo ſcriptum SS. Nomen JEſus. n. 1.
Quomodo, & cur Lucifer cum ſequacibus Angelis in orcum fuit deturbatus? n. 2.
o b, quo ſcuto contra omnia adverſantia uſus eſt? n. 3.
Cur olim omnes primogeniti quinque ſiclis redempti? n. 3.
Cur Dæmon ad citharam à Davide percuſſam, à Saule receſſit? n. 4.
Cur S. Paulus tantopere SS. Nomen JEſu veneratus eſt? n. 5.
Cur JEſus & hic crucifixus, moriens caput inclinavit? n. 6.
Cur impii Judæi SS. Nomen JEſu crucifixi voluerunt eradere? n. 6.
Cur Pilatus ſcribere, & non ore pronuntiare SS. Nomen JEſu potuit? n. 7.
Cur Sol tempore Joſue in medio ſuo curſu ſtetit immobilis? n. 8.
Quomodo, & in cujus virtute Judith Holofernem ſuperavit? n. 8.
Quomodo David puer inermis immanem gigantem proſtravit? n. 9.
Viator Jerichuntinus ſaucius quâ virtute ſanatus? n. 9.
Teſſera militum quàm cautè obſervanda, cum applicatione. n. 9.

In Feſto Epiphaniæ Domini. Conſideratione 2.

Cum SS. Pribus Regibus Chriſto voluntas bona offerenda.

Figuræ de Sole ſtante, de columna nubis & ignis eunte, de animalibus Ezechielis, de Rege Ninive, de Abimelech, de Arca Dei præeunte, de tribus SS. Regibus &c. Sequamur & nos. n. 1.
Tres Magi, per anagramma: *Magiſter*, & quomodo? n. 2.
Orietur ſtella ex Jacob &c. Quam agnoverunt tres Magi, & quomodo? n. 2.
Saba Regina ad Salomonem veniens, typus Trium SS. Regum. n. 3.
Cur dicta Saba, viſa Salomonis magnificentia, non ampliùs habebat ſpiritum? n. 3.
Cur tres Reges Iſraëlitarum, David, Ezechias, & Joſias, in Scriptura laudentur? n. 4.
Cur tres generoſi milites ſitienti Davidi aquam attulerunt? n. 4.
Cur tres centuriones in novo teſtamento laudantur? n. 4.
Plus tamen laudandi, & commendandi ſunt Tres SS. Reges. n. 5.
Jacob cur noluit, ut filii coram Pro-Rege Ægypti vacui apparerent? n. 6.
Plus Tres SS. Magi, quorum dona explicantur. n. 6.
Cur olim Deus duas tubas argenteas à Moyſe fieri voluit? n. 7.
Cur Deo bona voluntas SS. Trium Regum & Viduæ ita placuit? n. 7.
Cur ſacrificium Abrahæ tantopere Deo acceptum? n. 8.
Cur Petrus dixerit: *Reliquimus omnia*, qui tamen nihil habuit? n. 8.
Cur Paterfamilias operariis ultimò venientibus eandem mercedem dedit? n. 9.
Quomodo cor ardens 2. Diſcipulorum in Emaus, & 3. Magorum? n. 10.
Cur Aſſuerus Rex nocte quâdam non poterat capere ſomnum? n. 10.
Enarrantur reliqua, quæ SS. Tribus Regibus acciderunt. n. 10.

In Feſto S. Sebaſtiani M. Conſideratione 3.

De vita, virtutibus, & patrocinio S. Sebaſtiani M.

Cur vita hominis continua militia ſuper terram? n. 1.
Unde amicus bonus quærendus juxta exemplum Tobiæ, Jonathæ, Jeremiæ, Jerichuntini &c. Talis eſt S. Sebaſtianus. n. 1.
Noë & Daniel laudantur à nobilitate, item S. Sebaſtianus. n. 1.
Cur cœlum manna non intra caſtra grandinavit? n. 3.
Comparatur S. Sebaſtianus cum centurione Capharnaita & Cornelio. n. 3.
Laudatur charitas Tobiæ ſenioris &c. Talis erat S. Sebaſtiani. n. 4.
Job vacillantes confirmans, typus S. Sebaſtiani. n. 5.

Abdias Prophetas occultans, & enutriens, figura S. Sebaſtiani. n. 5.
S. Sebaſtianus à Chriſto confortatur, & ab Angelis candido amictu induitur. n. 5.
Juxta exemplum Abrahæ, Sailæ, Davidis, Jonathæ, S. Sebaſtianus ad Martyrium ſe parat, & animat. n. 6.
Elias ſedens ſubter unam Juniperum, typus S. Sebaſtiani M. n. 7.
Judas Machabæus pulcherrima figura S. Sebaſtiani M. n. 8.
Jephte in ducem electus, typus S. Sebaſtiani. n. 9.
Item David, Loth, Moyſes, Aaron &c. n. 10.
Ergo honora Medicum propter neceſſitatem &c. ut Eliphaz. n. 10.

In Feſto Converſionis S. Pauli. Conſideratione 4.

Cum S. Paulo Ap. in ſpirationi Divinæ citò obtemperandum.

Deus mirabiliter hominem ad ſe vocare ſolet, quod patet in Davide, Manaſſe, filio prodigo, Apoſtolis, & Iſraëlitis. n. 1.
Item in Abraham, Jacob, Moyſe, Samuele, ſed præſertim in S. Paulo. n. 1.
Nautæ cur ad ventum favorabilem tam ſollicitè attendunt? n. 2.
Saba Regina cur tam citò ad Regem Salomonem venit? n. 2.
Jacob quomodo Eſau fratri ſuo præripuit benedictionem? n. 2.
Ninivitæ cur tam citò à Deo in gratiam recepti? n. 2.
Amaſa cur à Joab interfectus? n. 3.
Cur Jonas à ceto devoratus, & non junior Tobias? n. 4.
Evnuchus Æthiops cur tam citò voluit baptizari? n. 5.
Cur ſolus ille ſanatus, qui prior in piſcinam deſcendit? n. 6.
S. Paulus vocatus à Chriſto, nullam moram interpoſuit. n. 7.
Item S. Matthæus Ap. Magdalena, Prodigus, Bartymæus &c. n. 7.
Cur populus electus adeò à Deo caſtigatus eſt? n. 8.
Cur Daniel à leonibus ſervatus, & alius Propheta Jaddo ab eis occiſus? n. 9.
Nunc tempus nundinarum eſt, & quomodo? n. 10.
Cur mendicus ille ligatis manibus ac pedibus, in tenebras miſſus? n. 10.

In Feſto Purificationis B. V. Conſideratione 5.

Cur, & quomodo B. Virgo Filium ſuum Patri in templo præſentârit?

Cur olim omne primogenitum Deo debuerit offerri? n. 1.
Quomodo B. Virgo Unigenitum ſuum Patri in templo obtulerit? n. 1.
Cur eadem B. Virgo quinque ſiclis Filiolum ſuum debuerit redimere? n. 1.
Judith typus Sacratiſſimæ Virginis. n. 2.

Cur S. Josephus non agnum, sed par turturum obtulerit? n. 2.
Columba Noëmica pulcherrimus typus B. Virginis. n. 3.
Virga Aaronis insignis Figura B. Virginis. n. 3.
Cur olim manipulus spicarum Deo debuerit offerri? n. 4.
Abigail Davidem placans, typus SS. Deiparæ. n. 4.
Esau quomodo per Rachelem & Joseph filium placatus? n. 5.
Cur sacrificium Noë adeò Deo placuerit? n. 5.
Moyses infans expositus, typus Christi. n. 6.
Samuel puer ab Anna matre Deo oblatus, typus Christi. n. 6.
Cur propitiatorium & Arca in templum illatum? n. 6.
Quis fuerit Simeon ille justus, qui Christum in ulnas susceptt? n. 7.
Cur David puer à Samuele in Regem inunctus? n. 8.
Quomodo Simeon Matri & puero JEsu benedixerit? n. 8.

In Festo S. Matthiæ Apost. Consideratione 6.

De electione, vita & glorioſa morte S. Matthiæ Ap.

Quomodo aquila pullos suos probare soleat? n. 1.
Sic probat Deus suos, & si non placuerint: reprobat. n. 1.
Figuræ de Esau & Jacob, de Vasthi Regina & Esther, de Heli & Samuele, de Pharisæo & Publicano, de Juda, & Matthia. n. 1.
Quomodo opera Dei magnificata? n. 2.
Cur unicus lapillus ingentem Nabuchodonosoris statuam dejecerit? n. 2.
Cur S. Matthias, & non justus Joseph Barsabas in Apostolum electus? n. 3.
Cur Christus parvulum in medio Apostolorum statuit? n. 3.
Laus S. Matthiæ Ap. à primæva ætate. n. 3.
Cur Christus voluit, ut Apostoli essent prudentes sicut serpentes &c.? n. 4.
Cur S. Matthias licèt humillimus, munus Apostolicum non detrectavit? n. 5.
Duo funiculi Davidis cur applicentur S. Matthiæ & Judæ? n. 5.
Cur homo post Angelorum lapsum à Deo creatus est? n. 6.
S. Matthias quomodo impleverit ruinam Judæ &c. n. 6.
Zelus Mathathiæ, & Zelus S. Matthiæ Apostoli expenditur? n. 6.
Cur S. Matthias Apostolus Amethysto in Scriptura comparetur? n. 7.
Cur ultimum articulum in symbolo Apostolico composuit? n. 7.
Cur à Christo jam in cœlo regnante in Apostolum electus? n. 7.
Martyrium S. Matthiæ Apostoli in propria patria. n. 8.
Præmium, & dignitas S. Matthiæ Apostoli. n. 8.

In Festo S. Josephi. Consideratione 7.

De dignitate, prærogativa, & patrocinio S. Josephi.

Quatuor Josephi in S. Scriptura commendantur. n. 1.

Aaron

Aaron cum virga ſua germinante, typus S. Joſephi. n. 2.
David cur timuit Arcam Dei in domum ſuam introducere? n. 3.
S. Joſephus cur timuit accipere Mariam conjugem ſuam? n. 3.
Jolaba inſignis typus S. Joſephi. n. 4.
Item Joſue Soli imperans. n. 5.
Item Cherubinus paradiſum cuſtodiens. n. 5.
Cur duo q herub aurei in Arca ſe invicem reſpiciebant? n. 5.
Scala Jacob, & Dominus innixus ſcalæ quid portendant? n. 6.
Cur S. Joſeph in generatione Chriſti ultimò ponitur? n. 6.
Quis major, S. Joſephus, vel S. Joannes Baptiſta? n. 6.
Cur duo filii Zebedæi dextram & ſiniſtram Chriſti non impetrârunt? n. 7.
Daniel tertius in Regno prædicatus, typus S. Joſephi. n. 7.
Mardochæus ſuper omnes exaltatus, figura S. Joſephi. n. 8.
Cur Raphaëli Archangelo à Tobia dimidia pars bonorum oblata? n. 9.
Salomon cur thronum matri ſuæ juxta thronum ſuum parari juſſit? n. 9.
S. Joſephus quàm potens ſit nunc in cælo? n. 10.
Joſeph Pro-Rex inſignis typus S. Joſephi n. 10.
Ite ad Joſeph omnes ſtatus hominum. n. 11.

In Feſto Annuntiationis B. V. Conſideratione 8.

De Verbo in puriſſimo Virginis Mariæ utero incarnato.

Jonas in mare miſſus, pulcherrima figura Filii Dei &c. n. 1.
Figuræ plures hodie in Verbo incarnato adimpletæ. n. 1.
Aſſuerus Rex Eſtherem eligit, & Pater æternus Mariam. Cur? n. 2.
Eliezer dignam Iſaaco ſponſam eligens, typus Gabrielis &c. n. 2.
Quomodo, & in qua ſpecie Archangelus ad B. Virginem venerit? n. 2.
Cur Angelus B. Virginem non proprio nomine ſalutavit? ibid.
Summa beneficia Deus orantibus exhibet, ut patet in pluribus. n. 3.
Cur Angelus in aurora B. Virginem ſalutaverit? n. 4.
Quomodo Verbum Divinum fuerit incarnatum? n. 4.
Adam primus & ſecundus paradiſum ſibi eligunt, & qualem? n. 5.
Salomoni tria videbantur difficilia, & quænam iſta? n. 5.
Cur unicus lapillus ſuperbam Nabuchodonoſoris ſtatuam dejecit? n. 6.
Cur Rebecca Jacobo filio ophinas veſtes dederit ad impetrandam benedictionem? n. 6.
Cur B. Virgo in Incarnatione Verbi facta ſcala cœli? n. 7.
Cur Jacob ſub Auroram Angelum ſecum luctantem ſuperavit? n. 7.
Cur Dominus in medio rubi, & non in nube, throno &c. Moyſi apparuit? n. 8.

Quis ille homo nobilis, qui abiit in Regionem longinquam? n. 8.
Cur Gedeon petiit, ut ros in vellus descenderet expansum? n. 9.
Hodie verificatæ plures figuræ, & vaticinia &c. n 10.

In Festo Parasceves. Consideratione 9.

De septem verbis Domini, à Christo moriente in Cruce prolatis; quæ prudenti Lectori pro septem annis possunt inservire. De primo verbo: *Pater, dimitte illis.*

Quomodo, & cur David per citharam suam à Saule Dæmonem ejecit? n. 1.
Septem verba sunt 7. Tubæ, 7. Sigilla, 7. Candelabra, 7. Aristæ, 7. Cineres Samsonis, &c. n. 1.
Sol oriens, & moriens, omnibusque benefaciens, quomodo Christus? n. 2.
Cur Christus in primo verbo non dixit: *Deus meus, sed Pater?* n. 2.
David pro salute populi in hostiam se offerens, figura Christi. n. 3.
Pater, dimitte illis, exponitur cum moralitate. n. 3.
Figuræ de Noë, Elia, Elisæo, Zacharia, Abel, &c. Non sic Christus. n. 4.
Cur altare olim erectum de lapidibus, quos ferrum non tetigit? n. 5.
David cur Sauli in spelunca deprehenso pepercit? n. 5.

De Secundo Verbo:

Hodie mecum eris in paradiso. Consideratione 10.

Judicia Dei abyssus multa, quod apparet in duobus latronibus. n. 1.
Joseph vinctus, inter pincernam & pistorem medius, typus Christi. n. 1.
Noë expansis manibus columbam salvans, typus Christi. n. 2.
Uva cur à duobus viris in vecte portata? n. 3. & quid?
Causæ plures assignantur de conversione Dismæ latronis. n. 4.
David de ore leonis & ursi eruens oviculas, typus Christi. n. 5.
Assuerus suæ Esther, & Herodes suæ filiæ dimidium Regni offerunt, plus Christus in cruce latroni. n. 5.
Hæmorrhoissa cur retrò & furtivè ad Christum accessit? n. 6.
Cur ad lignum Elisæi in aquam missum, ferrum natavit? n. 6.
Cur Salomon vitam Abiathar donavit? Plus Christus &c. n. 6.

De Tertio Verbo:

Mulier, ecce Filius tuus--- Ecce Mater tua. Consideratione 11.

Cur B. Virgo debuit esse præsens, dum Filius immolabatur in cruce? n. 1.
Ecce, Mater tua, ad omnes pertinet Christianos. n. 1.
Cur Abraham per triduum ire debuit in montem Moria? n. 2.

Gla-

Gladius Simeonis in corde B. V. erat perpetuus. n. 2.
Cur Deus Nomen Sarai convertit in Saram? n. 3.
Cur Chriſtus in Cruce Matrem ſuam mulierem vocavit? n. 3.
Aſſignantur plures rationes, cur SS. Deipara mulier appellata? n. 4.
Dolor B. Virginis ſtantis ſub cruce fuit planè immenſus. n. 5.
Eva, quantùm doluit, ubi filium Abel occiſum vidit. n. 5.
Dolor Jacobi Patriarchæ ob veſtimentum Joſephi laceratum. n. 6.
Item Matris illius, coram judicio Salomonis ſtantis. n. 6.
Cur Chriſtus primùm in morte ſua nobis SS. Matrem ſuam legavit? n. 6.

De Quarto Verbo:

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Conſideratione 12.

Quàm horrenda vox: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? n. 1.
Job ulcere peſſimo percuſſus, quomodo typus Chriſti? n. 1.
Viator Jerichuntinus incidens in latrones, figura Chriſti. n. 1.
Samaritanus imitandus oleum & vinum in Vulnera Chriſti infundens. n. 2.
Cur Chriſto in horto Angelus confortans apparuit, & non in cruce. n. 3, 4.
Figuræ plures de Daniele, Joſepho, Suſanna, Paulo, Paralytico. n. 4.
Chriſtus in Cruce confortatus à latrone pœnitente. n. 4.
Aſſignantur plures rationes, cur Chriſtus dixerit: *Deus meus &c.* n. 5.
S. Petrus Martyr quomodo à Chriſto Crucifixo conſolatus? n. 6.

De Quinto Verbo.

Sitio. Conſideratione 13.

Cervus telo ſaucius, & ad fontem anhelans, typus Chriſti ſitientis. n. 1.
Samſon poſt cruentum prælium ſitiens, typus Chriſti. n. 2.
De ſiti Agar, Ismaëlis, & Eliæ, quibus Angeli ſuccurrebant, &c. n. 3.
Angeli poſt jejunium miniſtrabant Chriſto; cur non etiam in Cruce? n. 3.
Populus ſitiens in deſerto ex petra percuſſa potatur; cur non etiam Chriſtus? n. 4.
Cur B. Virgo Filio in Cruce ſitienti non attulit aquam? n. 4.
Davidi ſitienti tres milites afferunt aquam; cur non etiam Chriſto? n. 5.
Sitis Rudolphi I. Rom. Imp. in bello explicatur. n. 5.
Item ſitis militum in cruenta pugna Höchſtadiana occiſorum. n. 6.
Sitis divitis Epulonis in inferno cum moralitate. n. 6.

De Sexto Verbo:

Conſummatum eſt. Conſideratione 14.

Tria ſunt verba in Sacra Scriptura, quæ ſatis capi, & explicari non poſſunt: 1. *Verbum caro factum eſt.* 2. *Crucifixerunt eum.* 3. *Conſummatum eſt.* n. 1.

Chriſtus præfiguratus per Abelem, Iſaac, agnum manſuetum &c. n. 2.

Item per Moyſem, Sponſum ſanguinum, & Samuelem. n. 3.

Item per Jacob, Eliam, & Amaſam. n. 4.

Item per Michæam, Davidem, Arietem Abrahæ, ſerpentem Moyſis. n. 5.

Chriſtus Deus & homo cœpit ædificare, & potuit conſummare. n. 6.

Cur Chriſtus non de Cruce deſcendit ad poſtulationem Judæorum? n. 6.

Perſeverantia nobis neceſſaria eſt juxta exemplum Chananææ, Magdalenæ, boni paſtoris, mulieris drachmam quærentis. n. 7.

Fructus perſeverantiæ Chriſti in Cruce. n. 7.

De Septimo Verbo:

Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Conſiderat. 15.

Ultima verba cana ſunt, prout videre eſt in Jacob, in Davide, Mathathia, Tobia ſeniore, & in parentibus. n. 1.

Job perfectiſſimus typus Chriſti patientis. n. 2.

Cur David animam ſuam in manus Domini commendavit? n. 3.

Cur moriens JEſus ſimilibus verbis uſus? n. 3.

Dæmon etiam in morte Chriſti crucifixi ſtabat in inſidiis. n. 3.

Doctrina moralis, quomodo anima noſtra quotidie Deo reſignanda? n. 3.

Gedeon clangens tubis &c. inſignis typus Chriſti. n. 4.

Item, Samſon plures interficiens in morte, quam in vita. n. 4.

Chriſtus cur in cruce in primo & in ultimo verbo dixerit: *Pater*? n. 5.

Cur Chriſtus non in ſinum Abrahæ animam ſuam commendaverit? n. 6.

Cur Chriſtus inclinato capite tradiderit ſpiritum? n. 6.

In Feſto S. Georgii M. Conſideratione 16.

De vita, & fortiſſimo certamine S. Georgii Martyris.

Quæſtio movetur, in quo conſiſtat vera hominis fortitudo? n. 1.

Fortis David, Eleazar, Jesbaam, Semma, Abiſai, Banaias, Jonathan, & alii, ſed fortior S. Georgius Martyr. n. 1.

Jacob forte certamen habuit cum Eſau & Angelo &c. Plùs S. Georgius. n. 2.

Aod fuit ambidexter; ita & S. Georgius M. n. 2.

Joſeph

Joseph Arimathæus non consensit consilio impiorum; sic S. Georgius n. 3.
Cur David in tam periculosum certamen se immiscuit cum Golia? n. 3.
Quomodo Gedeon Spiritum Domini induit? plùs S. Georgius M. n. 4.
Tres pueri Babylonici cur in fornacem ardentem missi? n. 5.
Cur Nabuchodonosor conversus, & non Diocletianus? n. 5.
S. Paulus Apost. â Charitate Dei non potuit separari, ita & S. Georgius. n. 6.
S. Georgius M. quomodo transierit per ignem & aquam? n. 6.
Emblemata de S. Georgio Martyre. n. 6.

In Festo S. Philippi Apost. Consideratione 17.

De vita & glorioso agone hujus S. Apostoli.

Noluit Deus, ut formidolosus ad bellum procederet. n. 1.
Gedeon milites suos lustrans, timidos rejecit. Ita & Christus. n. 1.
Cur Christus scribam & legis Doctorem à sui sequela rejecit? n. 2.
Quis fuerit discipulus ille, qui primùm patrem suum voluit sepelire? n. 2.
Jonadab à Jehu in currum elevatus, typus S. Philippi Apost. n. 3.
David & Jonathas intimi familiares, quomodo figura Christi & S. Philippi? n. 3.
Cur Christus dixerit: Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos? n. 4.
S. Philippus Apost. quomodo Pastor, & ovis occisionis? n. 4.
Banaias miles David fortissimus percutiens leonem, typus S. Philippi. n. 5.
Cur Christus non descendit de Cruce, neque S. Philippus? n. 5.
Mardochæus exaltatus, typus S. Philippi. n. 5.

In Festo S. Jacobi Apost. Minoris. Consideratione 18.

De sanctissima vita, & morte S. Jacobi Apost. Minoris.

Gedeon ad pugnam inermes eligens milites, typus Christi. n. 1.
Cur S. Joannes Christum viderit pedes habentem similes aurichalco? n. 1.
De Prosapia S. Jacobi Apost. Minoris. n. 2.
S. Jacobus Minor contubernalis Christi à juventute. n. 2.
Judas Iscariotes cur militibus dederit signum in captura Christi? n. 2.
Jacob Patriarcha serviens pro Rachel typus S. Jacobi Min. n. 3.
Item in pascendis gregibus, & in visione scalæ cœlestis. n. 3.
Cur populus certatim voluerit tangere fimbriam Christi & S. Jacobi? n. 4.

Cur S. Stephanus Proto-Martyr Judæos durè, & S. Jacobus leniter tractavit? n. 5.
Cur S. Jacobus Min. in tot perſecutionibus non fuit captus? n. 6.
Admirabilis ſanctitas S. Jacobi Minoris. n. 6.
Confeſſio S. Petri Ap. & S. Jacobi Min. in Jeruſalem de Chriſto. n. 6.
Glorioſa mors S. Jacobi Minoris. n. 6.

In Feſto Inventionis S. Crucis. Conſideratione. 19.

In Cruce ſalus, vita & reſurrectio noſtra.

Omnes creaturæ exhibent nobis Crucem, ut memoriam jugem habeamus de Chriſto JEſu crucifixo. n. 1.
Umbra prima SS. Crucis Dominicæ, arbor vitæ eſt, & cur? n. 2. & in Dedicat.
Arca, & oliva miſericordiæ eſt SS. Crux & cur? n. 3.
Cur Jacob gloriatur, quòd in baculo ſuo tranſierit Jordanem? n 4.
Cur Jacob idola aurea ſubter terebinthum infoderit? n. 5.
Jacob cur filiis Joſeph cancellatis manibus ante mortem ſuam benedixerit? n. 6.
Cur tanta prodigia per virgam Moſaicam parata? n. 7.
Cur aquæ amariſſimæ de Marath per lignum indulcoratæ? n. 8.
Columna nubis & ignis quomodo typus SS. Crucis? n. 8.
Serpens æneus cur in deſerto exaltatus in palo? n. 8
Cur Samſon moriens duas columnas ad obterendum Philiſtheos adhibuerit? n. 9.
Cur David in arca Aureuna ſuper altare victimas Deo obtulit? n. 9.
Cur indigens vidua in Sarephta duo ligna collegit? n. 10.
Cur, & quomodo tres pueri Babylonici in igne conſervati immunes? n. 10.

In Feſto S. Viti Mart. Conſideratione 20.

De bona educatione S. Viti, ejusque glorioſo Martyrio.

Cur Chriſtus Dominus ſe viti comparaverit? n. 1.
S. Vitus Martyr quomodo vitis ab ineunte ætate? n. 1.
Cur mane ſemen ſeminandum? n. 2.
Figuræ de Samuele, Davide, Daniele, Tobia, Joſeph &c. n. 2.
S. Vitus admodùm puer, quæ mira patravit? n. 3.
Eleazarus à puero optimæ converſationis, typus S. Viti. n. 3.
Item caſtiſſimus Joſeph: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* n. 3.
Tobias junior à S. Raphaële ductus, typus S. Viti Mart. n. 4.
Elias à corvo paſtus, typus S. Viti ab aquila enutriti. n. 4.

Sidrach, Miſach & Abdenago quomodo typus S. Viti Mart.? n. 5.
Daniel leonibus objectus, typus S. Viti Mart. n. 5.
Reliquiæ S. Viti M. & Sanguis in hodiernum diem miraculoſæ. n. 5.

In feſto S. Joannis Baptiſtæ. Conſideratione 41.

De vita, moribus, & morte Præcurſoris Domini.

Mira nativitas multorum SS. Puerorum. n. 1.
Cur amici certabant de nomine S. Præcurſori Domini imponendo? n. 1.
Cur David ex totis viribus coram arca fœderis ſaltavit? n. 2.
Cur S. Joannes Baptiſta exultavit in utero matris ſuæ? n. 2.
Cur Dæmon ad ſonitum citharæ Davidicæ à Saule receſſit? n. 3.
Joannes idem eſt, quàm gratia, quod per ſimilitudinem explicatur. n. 3.
Phares & Zaram pulcherrima figura Chriſti & S. Joannis Bapt. n. 4.
S. Joannes quomodo Phosphorus teſtimonium perhibens de lumine? n. 4.
Figuræ de S. Joanne, Noëmus, Iſaac, Samuel &c. n. 5.
Quænam, illa mulier in Apocalypſi, cui draco inſidiabatur? n. 6.
Cur S. Joannes Baptiſta in communi ſtrage Innocentium non fuit occiſus? n. 6.
S. Joannes Bapt. omnes virtutes Sanctorum collectivè habuit. n. 6.
Saba Regina quomodo in ænigmatibus Salomonem tentaverit? n. 7.
Chriſtus quomodo flos campi, & ſimul S. Joannes Baptiſta? n. 7.
Jeremias & S. Joseph innocentes incarcarati, typus S. Baptiſtæ. n. 8.
Balthaſar in convivio temulentus præſignabat Herodem. n. 8.
Cur caput S. Joannis Baptiſtæ in diſco argenteo allatum? n. 8.
Cur Joannes dixerit: *Illum oportet creſcere, me autem minui*? n. 8.

In Feſto S. Petri Apoſt. Conſideratione 22.

De prærogativa, vita & morte glorioſa S. Petri Ap.

Eccleſia Dei eſt illa mulier amicta ſole; Eſt domus, quam ſibi Deus ædificavit: Eſt navicula, theſaurus abſconditus, ſagena, ovile, &c. & S. Petrus Apoſt. ſummus Paſtor &c. n. 1.
Mirabilis vocatio S. Petri ad Apoſtolatum. n. 2.
Aaron ad ſummum pontificatum evectus, typus S. Petri Apoſt. n. 2.
Cur Chriſtus non Angelis, ſed S. Petro claves Regni cœlorum tradidit? n. 3.
Cur S. Petrus à Chriſto increpatus, & ſatanas vocatus? n. 3.
Cur Chriſtus permiſit, ut Petrus in fluctibus maris penè mergeretur? n. 4.
Cur Petrus in monte Olivario ſolus à Chriſto reprehenſus. n. 4.

Cur Christus permisit tam miserandum Petri lapsum? n. 5.
Moyses ex petra aquam produxit, Christus ex Petro. n. 5.
Cur ex aqua crassa ignis accensus est magnus? n. 5.
Struthio pullis suis intra ovorum sinum reclusis, vitam impertitur. n. 5.
Moysi Deus quomodo gloriam suam ostenderit? n. 6.
Cur Christus resurgens primò S. Petro apparuit? n. 6.
Amor S. Petri erga Redemptorem & Magistrum suum. n. 6.
Moysi grave onus impositum, sed majus S. Petro Apost. n. 7.
Cur S. Petrus primum miraculum in claudo mendico fecerit? n. 8.
Josue & Gedeon insignis typus S. Petri Apost. n. 8.
Cur ignis cœlestis in subversione Sodomæ tamdiu exspectavit, donec Loth egressus fuerit? n. 9.
Cur umbra S. Petri tot infirmos sanitati restituit? n. 9.
Mardochæus Regio equo impositus, figura S. Petri n. 10.
Martyrum & glorioſa mors S. Petri Apost. n. 10.

In Festo Visitationis B. V. Consideratione 23.

De Matre misericordiæ B. Elisabetham visitante.

Cur B. Virgo cum tanta festinatione abierit in montana? n. 1.
Per Arcam fœderis domus Obededom mirè benedicitur. n. 1.
B. Virgo pulchrè cum Arca Dei comparatur. n. 1.
Anna Elcanæ exultans præ gaudio. typus B. Virginis. n. 2.
Judith quare benedicta præ omnibus mulieribus? figura SS. Deiparæ. n. 2.
Achior & Nabath cur Tobiæ congratulati sint? n. 3.
Congratulatio ad invicem B. Virginis & S Elisabethæ. n. 3.
Cur David in siti aquam ex cisterna Bethlehem petierit? n. 4.
Cur David per citharam suam infestum Dæmonem à Saule ejecit? n. 4.
Quomodo B. Virgo facta sit navis institoris? n. 5.
Cur venter B. Virginis cum acervo tritici comparatur? n. 5.
B. Virgo cur terra, de qua formatus est secundus Adam? n. 5.
Cur Thronus Salomonis ex candidissimo ebore & auro mundissimo? n. 6.
Quomodo Maria columna nubis & ignis? n. 6.
Virga aurea Assueri Regis quomodo typis B. Virginis? n. 6.
Arcus in nubibus cœli Noëmo monstratus præsignavit Mariam. n. 6.
Funiculus coccineus salvans domum Rahab, typus Mariæ. n. 6.

In Festo S. Udalrici Episc. Consideratione 24.

De vita, & virtutibus S. Udalrici Episc. & Patroni Augustani.

Cur Elcana in Scriptura dicitur *Vir unus?* n. 1.

S. Udal-

S. Udalricus Ep. vir unus in utraque Fortuna. n. 1.
Nobilitas S. Udalrici, & ſancta ejus educatio. n. 2.
Tobias & Abraham, inſignis typus S. Udalrici Ep. n. 2.
Lucerna ſuper candelabrum poſita, quomodo S. Udalricus? n. 3.
Urbs Hieroſolyma ſalvata propter David: ſic Auguſta Vind. propter Udalricum. n. 4.
Moyſes victor habens virgam Dei in manu ſua: typus S. Udalrici cum Cruce. n. 5.
Balthaſari apparet manus divina, ſed felicior S. Udalricus. n. 6.
In rationali Aaron, Urim & Tummim: ita quoque in S. Udalrico. n. 7.
Cur Moyſes tanto ere æſtimaverit oſſa Joſephi? n. 8.
Eliſæus viduæ pauperculæ oleo ſuccurrens, typus S. Udalrici n. 8.
Elias mortuum reſuſcitat: ita & S. Udalricus. n. 8.
S. Petrus Ep. ſiccis pedibus maris undas calcat, ita & S. Udalricus. n. 8.

In Feſto S. Mariæ Magdalenæ. Conſideratione 25.

De S. Magdalenæ mirabili converſione, & pœnitentia.

S. Gregorius M. cur fleverit ſcribens de Magdalenæ pœnitentia? n. 1.
Cur ſanctæ quædam mulieres ante tabernaculi fores appenderint ſpecula? n. 1.
Duplex in cœlum via eſt, prima innocentiæ, ſecunda pœnitentiæ. n. 2.
Mulier ſedens ſuper beſtiam coccineam, typus Magdalenæ. n. 2.
Magdalena non abſimilis Hæmorhoiſſæ n. 2.
Mulier quærens drachmam perditam, typus M. Magdalenæ. n 3.
Magdalena cur mare vitreum ſimili criſtallo? n. 3.
Joſeph plorans ſuper fratres ſuos, perfectiſſimus typus Chriſti Domini. n. 4.
Magdalena ſe convertens & pœnitens, deſcribitur. n. 4.
Cur Deus Adamo, Evæ, Davidi, Ezechiæ, Jonæ &c. peccantibus remiſerit culpam, & non pœnam? Sed Magdalenæ utrumque remiſit? n. 5.
Columbæ ſeductæ, & revertenti, cur comparetur Magdalena? n. 6.
Per mulierem Sunamitidem præſignata B. M. Magdalena? n. 6.
Quomodo B. M. Magdalena pœnitens ſcabellum Chriſti? n. 7.
Cur B. M. Magdalena in converſione ſua nec verbulum ad Chriſtum dixerit? n. 8.
Figuræ de Muliere Chananæa, filio prodigo, Davide, Jacobo &c. n. 8.
Tria loquuntur ad Deum, Sanguis, cor, & lacrymæ, quod patet in Abel, Anna Samuelis matre, Davide, Agar, Eſau, Ezechia, & Magdalena &c. n. 8.
Quid hoc: *Erit vita tua quaſi pendens ante te?* n. 9.

Hanc vitam quotidie ante se pendentem habuit B. Magdalena. n. 9.
S. Magdalena quomodo columba in foraminibus petræ? n. 9.

In festo S. Jacobi Ap. Maj. Consideratione 26.

De vita, prædicatione, & Martyrio S. Jacobi Ap. Maj.

Cur Joseph soli Benjamino calicem in saccum misit? n. 1.
Ita Christus fecit S. Jacobo Ap. Majori, amico dilecto suo. n. 1.
S. Jacobus Maj. quomodo stella in Compostella? n. 2.
David tres sibi selegit amicos, ita & Christus Dominus &c. n. 3.
Jacob Patriarcha matris Rebeccæ filius; ita & S. Jacobus Ap. n. 4.
Cur Christus dixerit Salomæ: *Nescitis, quid petatis?* n. 4.
Zelus Moysis, Phinees, Jehu, & Eliæ, & S. Jacobi Ap. Maj. n. 5.
Isaac quomodo filium Jacob per attactum probaverit? n. 6.
S. Petrus cur dubitaverit ad gentes ire, & non S. Jacobus? n. 6.
S. Jacobus Maj. comparatur cum militibus Gedeonis? n. 7.
S. Jacobus Major quomodo baculo suo transierit Jordanem? n. 7.
Cur S. Jacobus Major tam citò anhelavit ad Martyrii coronam? n. 8.
Cur Christus proditorem suum tantâ dignatus est charitate? n. 8.
Ita & S. Jacob Maj. Josiam accusatorem suum &c. n. 8.
Aminadab primus post Moysen mare rubrum transiens, typus S. Jacobi. n. 9.
Samson mortuus plures interficiens, quàm vivus, typus S. Jacobi Apost. n. 10.
S. Jacobus Maj. quomodo à B. Virgine fuerit consolatus? n. 10.
Elisæi corpus mortuum prophetavit: ita etiamnum corpus S. Jacobi. n. 10.

In Festo S. Annæ. Consideratione 27.

De S. Anna, Matre B. V. Mariæ dignissima.

Laudatur Sara, Judith, Esther, Salome &c. sed majori laude digna S. Anna. n. 1.
Tres in scriptura commendantur Annæ &c. sed B. Anna supergressa omnes. n. 2.
S. Annam consolatur Gabriel Archangelus de futura prole. n. 2.
S. Jeremias, S. Joannes Bapt. S. Josephus &c. cur in utero sanctificati? n. 3.
Arca benedicens domui Obededom, typus B. V. Mariæ &c. n. 4.
Cur Jacob dimissionem petiit ab Angelo, ubi aurora ascendit? n. 4.
Anna Elcanæ offerens filium triennem in templo, typus S. Annæ. n. 5.

Abra-

Abraham & Sara, quomodo typus SS. Joachim & Annæ? n. 5.
Cur homini sensato filia tradenda in matrimonium? n. 6.
Quid in hoc fecit S. Anna? n. 6.
Quomodo ex fructu cognoscatur arbor? n. 6.
Cur Jacob Filio suo Joseph tunicam polymitam fieri curavit? n. 7.
S. Anna variis à Deo exercebatur tribulationibus. n. 7.
Cur David ante arcam fœderis saltavit? n. 8.
Cur Ezechias flevit, ubi audivit: *Dispone domui tuæ*? n. 8.
Radix Jesse cur S. Anna dicatur? n. 8.
S. Anna cur ager à Deo benedictus & fortilissimus? n. 8.
Cur vinea à Deo electa? n. 9.
Cur purissima maris concha? n. 9.
Cur paradysus, in quo plantatum est lignum vitæ? n. 9.
Cur terra sancta, ex qua prodiit rubus ardens & incombustus? n. 9.

In Festo SS. 5. Martyrum Biberbacensium. Consideratione 28.

SS. Martyres spectaculum facti sunt mundo, Angelis & hominibus.

Cur omnis vita nostra humana comœdiæ comparetur? n. 1.
Tunica Josephi fœdè lacerata, & in sanguine intincta, quid portendat? n. 2.
Cur genæ Sponsæ fragmini mali punici assimilentur? n. 2.
Cur Martyrium calici salutari & inebrianti comparetur? n. 2.
Bestia habens capita septem, & cornua decem, quid sit? n. 3.
Alexandri Farnesii Belli Ducis fortitudo & animus. n. 4.
Cur SS. Martyres inter tot supplicia tam fortes extiterint? n. 4.
Commendantur à fortitudine tres milites Davidis. n. 5.
Item quinque SS. Martyres Biberbacenses. n. 5.
Cur Moyses ossa S. Josephi Patriarchæ tanti æstimaverit? n. 5.
Cur tot Angeli convenerunt ad ulcerosum corpus Lazari defuncti? n. 5.
Quomodo S. Paulus primos Christianos ad constantiam adhortatus sit? n. 6.
Describuntur Catacumbæ Romanæ, in quibus erant SS. Martyres. n. 6.
Salomon fortissimis stipatus militibus, typus Christi. n. 7.
Quid turba illa stans ante thronum Dei cum palmis? &c. n. 7.
Cur Sponsus dilectus hinnulo cervorum assimiletur? n. 8.
Cur ovi ad occisionem ductæ? n. 8.
Elephas quare per ostensionem uvæ animetur ad prælium? n. 9.
Quomodo mors Sanctorum pretiosa in conspectu Domini? n. 9.
Triumphus Davidis & SS. Martyrum, quàm glorioſus? n. 10.
Quid sibi voluit ferculum, quod sibi fecit Salomon? n. 10.

In Festo Portiunculæ. Consideratione 29.

De thesauro indulgentiarum ex Christi meritis &c.

Jacob mittit filios suos in Ægyptum ad emendum frumentum. n. 1.
In coronatione Caroli VI. Imp. quæ digna erant spectanda. n. 1.
De thesauro indulgentiarum in vera Ecclesia Dei. n. 2.
Thesaurus in agro absconditus sunt indulgentiæ plenariæ. n. 3.
Cur S. Franciscus à Christo non aliud, quàm indulgentias postularit? n. 3.
Indulgentiæ omnes à Christi meritis suam trahunt originem. n. 3.
Piscina probatica saluberrima ægrotis, typus pœnitentiæ, &c. n. 4.
Filius prodigus quomodo indulgentias plenarias sit lucratus? n. 4.
Similitudo de homine malefico ad mortem ducto &c. n. 5.
Figura de Davide pœnitente, & interno apostemate laborante. n. 5.
Cur olim propitiatorium, seu locus placationis à Deo parabatur? n. 6.
Cur Christus filiæ Archisynagogi à mortuis resuscitatæ dedit manducare? n. 6.
David sitiens in castris, typus Christi salutem nostram sitientis. n. 7.
Eliezer lassus & defatigatus ad fontem sedens, typus Christi. n. 7.
Hodie verificatur illud: *Quia hic peccatores recipit* n. 8.
Figuræ plures: De fonte Zachariæ, de servo nequam in gratiam recepto, de Joscpho fratres recipiente, de Samaritano & Jerichuntino de Photina muliere Samaritana, de gaudio Angelorum, de bono Pastore, de drachma inventa, de paralytico sanato. n. 8.

In Festo S. Afræ M. Consideratione 30.

Amor JEsu S. Afræ Martyri dulces reddit flammas.

Pulcherrima parabola Christi de duobus filiis, à patre in vineam missis, n. 1.
Cur peccatores conversi præcedent in Regno Dei? inter quos S. Afra, &c. n. 1.
Tenebræ erant super faciem abyssi, quod S. Afræ applicatur. n. 2.
De viso linteo à S. Petro Ap. quod S. Narcisso applicatur. n. 3.
Quomodo in paradiso Protoparentibus nostris aperti sint oculi? n. 4.
Figuræ plures de efficacia lachrymarum. n. 5.
Rahab Jerichuntina insignis typus S. Afræ. n. 6.
Quomodo per naviculam Christi fluctibus agitatam, Ecclesia designetur? n. 7.
Agon & Martyrium glorioſum S. Afræ M. n. 7.
Fortis Debbora, fortis Jaël, fortis Thebæa mulier, fortis Judith, fortis mulier Abelæ &c. sed fortior S. Afra M. n. 8.

Quid

Quid ille ignis perpetuus in altari ardens? n. 9.
S. Asra comparatur aquilæ, ex igne in cœlum volans. n. 9.
Aggratulatio Auctoris ad hanc divam Patronam nostram. n. 9.

In Festo S. Laurentii M. Consideratione 31.

De S. Laurentii M. vita, generoso agone, ac triumpho.

Quidnam fortissimum, an vinum? an Rex? an mulier? an veritas? & deciditur: qui se ipsum vincit, ut S. Laurentius M. n. 1.
Generatio rectorum benedicetur, quod S. Laurentio M. applicatur. n. 2.
Tobias perfectissimus typus S. Laurentii. n. 2.
De duobus titionibus fumigantibus, Decio & Valeriano. n. 3.
Crudelissimum Martyrium & excarnificatio S. Laurentii M. n. 3.
Cur Jeremias Propheta ad domum figuli à Deo missus est? n. 4.
S. Laurentius M. dignissimum vas electionis. n. 4.
Tres pueri Babylonici insignis typus S. Lauretii M. n. 4.
Item Elias Prophetarum zelosissimus in suo sacrificio. n. 5.
Cur S. Petrus in atrio Caiphæ ad ignem non calefactus? n. 5.
Quomodo Leo à Samsone occisus, typus Tyrannorum? n. 6.
Cur SS. Apostoli Christo post resurrectionem favum mellis & piscem obtulerint? n. 6.
S. Laurentius quomodo in Martyrio in vulneribus Christi? n. 6.
Cur Job, sicut Phœnix, petierit in lectulo suo mori? n. 7.
Cur Elias Propheta curtum igneum non formidavit? n. 8.
Glorioſus transitus S. Laurentii M. in cœlum. n. 8.

In Festo Assumptionis B. V. M. Consideratione 32.

De Matre misericordiæ in cœlum à Deo assumpta.

Jacob cupiens videre filium suum Joseph, typus B. Virginis. n. 1.
David quanto cum Jubilo arcam Dei in civitatem suam introduxerit? n. 2.
Salomon Rex occurrens matri suæ, typus Christi Domini n. 2.
Cur B. Virgo innixa super dilectum filium suum in cœlum introierit. n. 2.
Cur SS. Deipara primò hodie audiit: *Veni, benedicta Patris mei &c.* n. 3.
De exaltatione Esther, Judith, & Bethsabee, plus B. Virgo &c. n. 4.
De splendido ingressu in Jerusalem Sabæ Reginæ n. 5.
De occursu SS. Patrum, Adam, Noë, Abraham, Jacob, Moysis, Gedeonis. n. 5.

De occurſu Prophetarum, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Davidis &c. n. 6.
De Aſſuero Rege Eſther Reginam coronante. n. 7.
B. Virgo cur coronâ ex duodecim ſtellis à Deo uno & trino coronata? n. 7.
Enarrantur duodecim virtutes B. V. Mariæ à nobis imitandæ. n. 7.
Cur B. Virgo adſtans ad thronum Filii, & non ſedens dicatur? n. 8.
Cur Aſſuerus Rex mediam regni ſui partem Reginæ Eſther obtulerit? n. 8.
Fons aſcendens de terra, typus SS. Deiparæ exaltatæ. n. 9.
Virga Moyſis tantorum prodigiorum operatrix, typus B. Virginis. n. 9.
Figuræ de Thecuitide, Abigail, Bethſabee, Rebecca, Sara &c. n. 10.

In Feſto S. Bartholomæi Apoſt. Conſideratione 33.

De vita, & glorioſo agone S. Bartholomæi Apoſt.

Plures figuræ, cur numerus duodecimus ſit felix numerus? n. 1.
Cur Chriſtus in electione Apoſtolorum hunc numerum elegerit? n. 1.
Nabuchodonoſor conſilium init, quomodo omnem terram ſuo ſubjugaret imperio, ita Chriſtus in electione Apoſtolorum fecit. n. 2.
Cur Chriſtus priùs erat pernoctans in oratione Dei? n. 2.
S. Bartholomæus Ap. quomodo orationi deditus? n. 2.
Tobias per favum fugans dæmonem, typus S. Bartholomæi. n. 2.
Joſue & Gedeon inſignes erant figuræ S. Bartholomæi. n. 3.
Daniel contemnens Regis munera, typus S. Bartholomæi. n. 4.
Cur Jacob aurea idola Labani ſub terebintho infodit? n. 4.
Joſeph relinquens pallium ſuum, typus S. Bartholomæi n. 5.
Job cur veſtimenta ſua ſciderit? n. 5.
Jonathas cur exſpoliaverit ſe tunicâ? n. 5.
Cur olim victimis & holocauſtis pellis fuerit detracta? n. 6.
Quomodo S. Bartholomæus Ap. fuerit decorticatus? n. 6.
De tunica Joſepho detractâ, & in ſanguine intinctâ. n. 7.
De ultima concione Chriſti in cruce, & S. Bartholomæi. n. 7.
Quomodo diſpoſuit Chriſtus S. Bartholomæo regnum? n. 8.
Quid Jacob Patriarcham animaverit ad omnes perferendos labores? n. 8.
Job cur in omni tribulatione optimè confortatus? n. 8.
Ità & S. Bartholomæus in mediis tormentorum fluctibus. n. 8.
Elias aſcendens in cœlum, pallium Eliſæo reliquit; ſic S. Barthol. Apoſt. n. 8.
Pellis relicta S. Bartholomæi Apoſt. dividitur &c. n. 8.

In

In Feſto SS. Angelorum Cuſtodum. Conſideratione 34.

Angelos cuſtodes dedit nobis Deus contra omnes inimicos.

Cur mundus à tot millionibus Dæmonum infeſtetur? n. 1.
Figura de Dæmoniaco ab integra legione Dæmonum preſſo n. 1.
Conſolantur nos SS. Angeli Cuſtodes, ad noſtram ſalutem ordinati. n. 1.
Cur Angeli boni & mali in circuitu ambulent? n. 2.
Cur cuilibet hominum Angelus Cuſtos à Deo deputatus? n. 2.
Cur Cherubinus ante portam paradiſi conſtitutus? n. 2.
Jacobo Patriarcha dormiente, Angeli pro eo vigilabant. n. 3.
Cur Deus ad arcam Noëmicam non Angelo conſignavit claves? n. 3.
Cur Angeli tam diu tardârunt, donec Sodomam ſubverterent? n. 4.
Cur illi ipſi Angeli Lothum vi ab incendio extraxerunt? n. 4.
Cur, & quomodo Daniel à lacu leonum liberatus? n. 5.
Judith inermis mulier quomodo ab Angelo defenſa & cuſtodita? n. 5.
Elias quomodo in deſerto deſertus, confortatus fuerit ab Angelo? n. 5.
Quomodo Agar, Jacob, Tobias, Iſraëlitæ, Moyſes, Lazarus &c.? n. 6.

In Feſto Nativitatis B. V. M. Conſideratione 35.

De gaudio totius univerſi ob Nativitatem B. V. Mariæ.

Ad hanc B. Virginis nativitatem ſuſpirabant omnes mundi ætates, Adam Noë, Abraham, Moyſes, Aaron, David, Iſaias &c. n. 1.
Pro hac nativitate decertabant omnes menſes, ſed prærogativam obtinuit ſolus September, & quare hoc? n. 2.
Nubecula parva aſcendens de mari, pulcherrimus typus B. V. Natæ, n. 3.
Judith rediens de caſtris, occiſo Holoferne, typus B. V. n. 3.
Cur manna Iſraëlitis ſolùm in aurora cecidit? n. 3.
Salomon cur tam pretioſum thronum ſibi & Matri comparavit? n. 4.
Cur Lotho dictum eſt: *In monte ſalvum te fac*? n. 4.
Cur claudus ille ad portam ſpecioſam ſanatus? n. 4.
Cur Moyſes in tranſitu maris rubri virgam elevavit? n. 5.
Cur pincerna ſedens cum Joſeph in carcere ſalvatus? n. 5.
Cur Seraphim ignitum calculum forcipe aureâ ad Iſaiam tulit? n. 5.
Cur Eliſæus mulierem pauperculam per oleum ditavit? n. 6.
In hujus B. V. Nativitate gaudeant univerſi, & cur? n. 6.
Fruſtra ſperavit Aman in interceſſione Eſtheris Reginæ &c. n. 7.
Fruſtra ſperavit Adonias in patrocinio Bethſabeæ. n. 7.

Fruſtra ſperavit Siſara Dux belli in protectione Jahel &c. n. 8.
Cur luminare majus diei, & luminare minus nocti præſit? n. 8.
Agglomerantur plures figuræ de urna aurea, de columba Noëmi, &c. n. 9.

In Feſto Exaltationis SS. Crucis. Conſideratione 36.

De propitio JEſu, in Cruce pro noſtra ſalute exaltato.

Sol ad ſe trahit vapores terræ, Magnes ferrum, Succinum paleas, hamus ineſcatus piſcem, ramus viridis ovem, & Chriſtus Crucifixus peccatores. n. 1.
Tria ſunt animacula, quæ orbi imperant: Agnus, Cygnus, & apis. n. 2.
Bella cœlum inter & terram enarrantur. n. 2.
Horum pacificator eſt Chriſtus JEſus, & hic crucifixus. n. 2.
Cur Adam poſt admiſſum delictum ad arborem confugerit? n. 3.
Noë rectè ante diluvium unicum ſuum perfugium in arca quæſivit. n. 3.
Noë extenſis manibus columbam revertentem amplectens, typus Chriſti. n. 3.
Dominus ſcalæ Jacob innixus, eſt Chriſtus Crucifixus. n. 4.
Agar afflicta ſub arbore, quærit, & invenit remedium. n. 5.
Idem David tempore peſtis per ſacrificium oblatum. n. 5.
Item mulier in Sarephta colligens duo ligna. n. 6.
Item Elias in perſecutione Jezabel ſub junipero. n. 7.
De duobns Bohemiæ Principibus apertis & clauſis manibus dormientibus. n. 8.
Chriſtus cur apertas in Cruce manus habeat? n. 8.
Amor Jonathæ Principis erga Davidem. Plùs Chriſtus. n. 8.

In Feſto S. Matthæi Apoſt. & Evang. Conſideratione 37.

De mirabili vocatione S. Matthæi Apoſt. & Evangeliſtæ.

Struthio per viſum ova ſua excludens, typus Chriſti. n. 1.
Figuræ de Petro, Zachæo, turba, lunatico, Matthæo &c. n. 1.
Eliſæus quàm mirabiliter in agro ab Elia vocatus, typus S. Matthæi. n. 2.
Vocatio S. Petri & Andreæ Ap. ſed mirabilior S. Matthæi. n. 3.
Bartimæus cæcus cur adeò ad Chriſtum clamaverit? n. 4.
Cur Chriſtus Samaritanam ſedens ad fontem exſpectavit? n. 4.
Cur Chriſtus pertranſiens telonium, Matthæum vocaverit? n. 4.
Cur adoleſcens à Chriſto ad ſequelam vocatus, triſtis diſceſſerit? n. 5.
Figuræ de armigero Jonathæ, Ethai, Siba &c. n. 6.

Cur

Cur Jeremias Propheta ad officinam figuli miſſus eſt? n. 7.
Matthæus Ap. & Evang. priùs vas ignominiæ, nunc gloriæ. n. 7.
Abraham variè à Deo probatus; plùs S. Matthæus. n. 8.
Cur Judith nihil pretioſi de ſpoliis Holofernis voluerit retinere? n. 8.
S. Matthæus omnia pretioſa obtulit in anathema oblivionis. n. 8.
S. Matthæus comparatur cum Daniele & Moyſe. n. 9.
Zacharias Propheta inſignis typus S. Matthæi in morte. n. 10.

In Feſto SS. Michaelis. Conſideratione 38.

De Protectione, & patrocinio S. Michaëlis Archangeli.

Solent Monarchæ duplicis generis habere Miniſtros; ita Deus. n. 1.
Inter quos præeminet S. Archangelus Miachël &c. n. 1.
Quis fuerit ille Angelus, qui Hebræos in Palæſtinam duxit? n. 2.
Quis Pharaonem in mari rubro ſubmerſit? n. 2.
Quis Heliodorum flagellatum ê templo eliminavit? n. 3.
Quis exercitum Sennacherib Aſſyrii profligavit? n. 3.
Quis gladium Abrahami tenuit, ne puerum feriret? n. 4.
Quis primas veſtes Proto-parentibus fecit? n. 5.
Quis ille vir, qui Joſue conſolatus eſt? n. 6.
Quis tres Pueros in ardenti fornace ſervavit immunes? n. 6.
Plurimæ figuræ de S. Michaële ex veteri & novo Teſtamento. n. 7.

In Feſto S. Franciſci Seraph. Conſideratione 39.

S. Franciſcus cur tantopere agnum & alaudam æſtimârit?

Multa poſſumus dicere ab animalibus terræ, & volucribus cœli. n. 1.
Præſertim à S. Franciſco Seraph. ab agno, & alauda. n. 1.
Cur olim duo agni quotidie Deo debuerint offerri? n. 2.
S. Franciſcus cur agnum ad lanienam ductum liberavit? n. 2.
Cur S. Franciſcus in ſtabulo natus? n. 3.
Agnus ſurgens à ſomno genua flectit, typus S. Franciſci. n. 3.
Agnus gratus ſuo benefactori, typus S. Franciſci n. 4.
Agnus agnoſcens matrem inter mille oves, rurſus typus hujus Sancti P. n. 5.
Agnus manſuetus, & patiens, typus S. Franciſci Seraph. n. 5.
Agnus humilis, & ruminans herbas, novus typus S. P. Franciſci. n. 6.
Agnus pacificus non habet redargutionem, ita & S. Franciſcus. n. 6.
Hiſtoria memorabilis de S. P. Franciſco, & lupo. n. 6.
Agnus abſynthio paſtus, S. Franciſcum exhibet. n. 7.
Agnus Cruce ſignatur, ne perdatur, ita & S. Franc. n. 7.
Agnus ſequens ducem, figura S. P. Franc. n. 7.

Agnus quinque vulnera gerens, typus S. P. Franc. n. 8.
S. Franciſcus Seraphicus quomodo SS. 5. Vulnera à Chriſto receperit? n. 8.
Alauda avis, typus S. Franciſci in pluribus. n. 9.

In Feſto SS. Simonis & Judæ. Conſideratione 40.

De vita, & glorioſo Martyrio SS. Simonis & Judæ Apoſt.

Mathathias cur filium Simonem & Judam cæteris fratribus propoſuerit? n. 1.
Ortus, & familia SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ. n. 1.
Fratrum gratia rara, ut patet in Abel & Cain, in Iſaac & Iſmael, in Jacob & Eſau, in Joſeph & fratribus, in Davide & fratribus &c. n. 2.
Cur Salome Mater pro filiis ſuis dextram & ſiniſtram petierit? n. 2.
SS. Simon & Judas fratres ſemper concordes, ut Jonathas & David, Abraham & Loth, Joſue & Caleb &c. n. 3.
Joſeph circumiens Ægyptum tempore famis, typus S. Simonis Apoſt. n. 4.
Eliezer, Iſaaco quærens ſponſam, typus S. Judæ Thadæi Apoſt. n. 4.
Cur S. Petro Apoſt. in linteo quadrupedia & ſerpentes fuerint monſtrata? n. 5.
Hæc figura applicatur etiam SS. Apoſtolis, Simoni & Judæ. n. 5.
Multa ſigna patrârunt Moyſes & Aaron: ita & SS. Simon & Judas. n. 6.
Paulus & Barnabas cur Dii in humana ſpecie æſtimati? n. 7.
Ita & SS. Apoſtoli Simon & Judas, & cur? n. 7.
Cur Chriſtus mandaverit Diſcipulis, ut pacem annuntiarent? n. 8.
Quid in hoc fecerunt SS. Apoſtoli, Simon & Judas? n. 9.
Quales piſcatores fuerint SS. Simon & Judas? n. 9.
SS. Simon & Judas, duæ tubæ argenteæ, duæ Olivæ &c. n. 9.
Item duæ columnæ in templo Salomonis. n. 10.
Diaconum à ſumma infamia liberant. n. 10.
Cur domus Dei de lapidibus dolatis ædificata? n. 10.
Iſaias ſectus, ſeu ſerratus, typus S. Simonis &c. n. 10.

In Feſto Omnium Sanctorum. Conſideratione 41.

De deſiderio ad cœleſtem & æternam patriam.

Tobias in tenebris ſedens, typus noſter. n. 1.
David Rex, cur nullis terrenis divitiis potuerit ſaturati? n. 1.
Jonas lætatus ſuper hedera ſua, typus mortalium. n. 2.
Deus quomodo merces noſtra magna nimis? n. 2.
Joſeph cur tot adverſa tam fortiter, & manſuetè tulerit? n. 3.

Jacob quomodo inter tot curas & adverſitates beatus ? n. 4.
David adoleſcens, cur tam generosè cum Golia pugnavit? n. 4.
Job, quare inter tot calamitates non fractus ? n. 5.
Cur Angelus nomen Jacob in Iſraël mutaverit? n. 6.
Quare cœleſtis civitas Jeruſalem in quadro poſita ? n. 6.
Quomodo Chriſtus diſcipulis ſuis, & nobis regnum ſuum diſpoſuerit ? n. 6.
Machabæi, cur tam generoſo animo ſuſtinuerint ſupplicia ? n. 7.
S. Paulus quomodo ſe ipſum in adverſis animaverit ? n. 7.
Quomodo Mater Machabæorum filios ſuos adhortata ſit ? n. 7.
Quare S. Stephanus impavidus ſemper inter hoſtes ſteterit ? n. 7.
Quomodo Angelus Chriſtum in agonia fuerit adhortatus ? n. 8.
Cur Chriſtus diſcipulis in monte Thabor prohibuit, ne aliquid dicerent ? n. 8.
Cur Iſaiæ Prophetæ ignito calculo os ſigillatum ? n. 8.
Cur David dixerit : omnis homo mendax ? n. 8.
Cur Paulus dixerit : Non licet homini loqui? n. 8.
Cur Regina Saba viſo Salomone non ampliùs habuerit ſpiritum ? n. 9.
Cur tantus jubilus in populo, ubi Regem Salomonem viderunt coronatum n. 9.
Plures ſequuntur figuræ de futura cœleſti gloria. n. 9.

In Feſto Animarum. Conſideratione 42.

De *animabus in igne purgante adhuc luentibus.*

Sailæ filiæ Jephte, cur ſingulis annis anniverſarius celebratus ? n. 1.
Amicos tres, Jobum patientem deplorantes imitentur Chriſtiani. n. 1.
Cur Cherubinus cum gladio ignito ante paradiſum collocatus ? n. 2.
Jonas cur tam impatiens æſtus ſolis ? n. 2.
Pœna damni gravior, quàm ſenſûs in purgatorio. n. 3.
Figura de Abſolone à facie patris remoto. n. 3.
Item de Iſraëlitis in captivitate Babylonica retentis. n. 3.
Et de Davide faciem Dei deſiderante videre. n. 3.
Cur diviti epuloni in inferno unica aquæ ſtilla denegata ? n. 4.
Quomodo animæ purgantes ſtolas ſuas lavent in ſanguine Agni ? n. 4.
Cur SS. Hoſtia in Miſſa in tres dividatur partes ? n. 4.
An meliùs ſit, orare pro mortuis, an pro vivis ? n. 5.
Job, Lazarus, Joſeph, paralyticus, claudus ad portam, typus animarum, n. 5.
Votum Jonæ in ventre piſcis explicatur. n. 6.

Daniel

Daniel in lacu leonum ab Habacuc pastus, typus animæ purgantis. n. 6.
Farina in ollam mortis missa, figura SS. Evchariſtiæ. n. 7.
Opera misericordiæ laudantur à Davide, Raphaële Archangelo &c.
Gratitudo Davidis, Josue, Abdemelech. &c. n. 8.
Cur Christus de sepulchro Lazaro inquisierit? n. 9.
Quare Christus 30. argenteis in mortem vendi voluerit? n. 9.

In Festo S. Martini. Consideratione 43.

De vita, & gloriosa morte S. Martini Episc. Turon.

S. Martinus Episc. cur lucernæ comparetur? n. 1.
Quale consilium S. Joannes Baptista militibus dederit? n. 2.
Quomodo S. Martinus se gesserit, tamquam miles? n. 2.
Cur David prodigium factus sit multis? n. 3.
S. Martinus quomodo tres animæ hostes debellaverit? n. 3.
Jonathas exspolians se tunicâ, typus S. Martini n. 3.
Idem David deponens arma Regia ante pugnam cum Golia. n. 4.
Loth in monte salvum se faciens. typus S. Martini. n. 4.
Item Elias fugiens Jezabelem. n. 4.
Elias aram Baal idoli destruens, figura S. Martini n. 5.
Item, Abel offerens sacrificium Deo. n. .
Cur thronum Davidis tot stipabant leones? n. .
Christus tres mortuos suscitavit. Ita & S. Martinus n. 6.
Beatus obitus S. Martini Episc. n. 6.

In Festo Præsentationis B. V. Consideratione 44.

Cultus constans B. V. Mariæ signum prædestinationis nostræ.

Enumerantur signa plura prædestinationis nostræ. n. 1.
B. Virgo est illud signum, quod Isaiæ, & Achaz monstratum est. n. 2.
B. Virgo est illa mulier amicta sole: est scala Jacob, civitas munita, Arca gratiosa, Ruth gratiam in oculis Booz inveniens. n. 2.
Cur Abiathar à Rege Salomone servatus, & Adonias occisus? n. 3.
Cur quinque fatuæ virgines à cœlesti Sponso reprobatæ? n. 4.
Cur mulier & veritas fortissimum in orbe declaretur? n. 5.
Fortis Judith, fortior Maria conterens caput diaboli. n. 5.
Cur Christus moriens caput ad dextram partem inclinaverit? n. 5.
Figuræ plures profani amoris: amemus nos Mariam. n. 6.
Maria cur dicatur murus se interponens pro domo Israël? n. 6.

Cur dicatur ſepes, cingens vineam, hoc eſt, Eccleſiam? n. 6.
Cur Barac voluerit, ut Debbora ſecum ad prælium deſcenderet? n. 6.

In Feſto S. Catharinæ V. & M. Conſideratione 45.

De vita, glorioſo agone, & triumpho S. Catharinæ V. & M.

Laudent alii Juditham, Eſtherem, Abigail &c. nos Catharinam. n. 1.
Cur olim ſpecula munda ante tabernaculi fores appenſa? n. 2.
Mirabilis converſio S. Catharinæ ad Chriſtum. n. 2.
Cur columba rediit ad arcam Noëmicam, & non corvus? n. 3.
Zelus Mathathiæ, Esdræ Sacerdotis, & S. Pauli Ap. n. 4.
Zelus ingens S. Catharinæ de propaganda fide. n. 4.
Holofernes captus in oculis, typus Maximini Imp. n. 5.
Judith faciens confuſionem in domo Nabuchodonoſoris, typus Catharinæ. n. 6.
Elias à corvo paſcitur, S. Catharina à columba. n. 6.
Martyrium S. Catharinæ V. & glorioſa victoria. n. 6.
Aggratulatio ad S. Catharinam nunc in cœlo regnantem. n. 6.

In Feſto S. Andreæ Apoſt. Conſideratione 46.

De vita S. Andreæ Ap. & ejus in cruce triumpho.

Mundus novus quomodo à Chriſtophoro Columbo ope crucis inventus? n. 1.
Columna nubis & ignis monſtrans Iſraëlitis viam, typus SS. Crucis? n. 1.
Cur in templi Solymæi fundamento lapides pretioſi collocati? n. 2.
S. Andreas diſcipulus S. Joannis Baptiſtæ, quomodo ad Chriſtum vocatus? n. 2.
Cur Scriba in lege peritus à Chriſto fuerit rejectus? n. 2.
Simon Cyrenenſis coactus portavit crucem, non ſic S. Andreas. n. 3.
Eliſæus nolens ſeparari ab Elia, typus S. Andreæ. n. 3.
Vocatio Moyſis, Jeremiæ, Ezechielis, Jonæ, ſed promptior S. Andreas. n. 4.
Servus Evangelicus invitans ad nuptias, typus S. Andreæ. n. 5.
Crux cathedra Chriſti, & S. Andreæ Apoſtoli. n. 5.
Cur dæmon adeò timuit citharam Davidis? n. 6.
Miracula nonnulla, quæ patravit S. Andreas. n. 6.
Jehu elevans in currum ſuum Jonadab, typus Chriſti & Andreæ. n. 7.
Cur olim quotidie agnus Deo immolatus? Hoc fecit & S. Andreas. n. 7.

Jeremias cæsus, & in carcerem missus, typus S. Andreæ. n. 8.
Moyses expansis, in modum crucis, brachiis orans, typus S. Andreæ. n. 8.
Cur Christus non descendit de cruce? neque Andreas? n. 9.

In Festo S. Nicolai Ep. Consideratione 47.

De vita exemplari, & prodigiis S. Nicolai Episc. Myrensis.

Cur olim Sacerdos summus in veste poderis aurea portaverit tintinnabula? n. 1.
Stante columnâ nubis & ignis, stabat & omnis populus. Cur? n. 1.
Cur à Jacob virgæ decorticatæ ovibus in canali propositæ? n. 1.
Samuel in nativitate, figura S. Nicolai Episc. n. 2.
S. Præcursor Domini ab utero vocatus; ita & S. Nicolaus. n. 2.
Jeremias jugum portavit ab adolescentia; ita & S. Nicolaus. n. 3.
Cum Job ab infantia crevit miseratio; ita & cum S. Nicolao. n. 3.
Booz misericors erga Ruth pauperculam, typus S. Nicolai. n. 4.
Christus cur sæpiùs in desertum locum abierit? & cur S. Nicolaus? n. 6.
David sedulò pascens oves, typus S. Nicolai. n. 7.
Zelator Elias in destruendo Baal, typus S. Nicolai. n. 7.
Item Joseph Patriarchæ filius. n. 8.
Habacuc Propheta raptus ab Angelo, typus S. Nicolai n. 9.
Joseph frumenta subministrans egentibus, S. Nicolaum adumbravit. n. 10.
Abraham non rogatus pauperibus subveniens, figura S. Nicolai. n. 10.
S. Paulus Apost. ab adstantibus alapâ percussus, S. Nicolao ansam dedit, simile quid cum Ario impio in Concilio faciendi. n. 11.
S. Petrus Apost. ingentia patravit prodigia; item S. Nicolaus. n. 12.
De felicissimo obitu S. Nicolai Episcopi. n. 13.
Adhortatio ad Christianos S. Nicolaum sequendi. n. 13.

In Festo B. V. sine macula conceptæ. Consideratione 48.

De B. Virgine sine omni macula originali, & actuali.

An paradisus in communi diluvio fuerit intactus conservatus? n. 1.
B. Virgo cur à SS. Patribus paradiso assimiletur? n. 1.
Cur Eva ex costa Adami in paradiso formata? n. 2.
Cur Job maledixerit diei, in qua natus, & nocti, in qua conceptus est? n. 2.
Abimelech cur fragmine molæ ab una muliere confractus? n. 3.
Arbor Danielis, quid mysticè designaverit? n. 4.
Cur Moyses introeuntibus in tabernaculum præfixerit speculum? n. 5.

Cur

Cur draco steterit ante mulierem, ut filium ejus devoraret? n. 5.
Cur Salomon fundamentum templi super pretiosos lapides exstruxerit. n. 6.
Cur B. Virgo à Sapiente navis institoris comparetur? n. 6.
Cur filii Regis à tributo juxta Verbum veritatis immunes? n. 7.
Malum punicum cur in vectigalibus nullum solvat tributum? n. 7.
Cur B. Virgo viti, & Christus botro assimiletur? n. 8.
Cur serpentes ab umbra fraxini quantociùs fugiant? n. 8.
B. Virgo cur cerva gratissima, & Christus hinnulus cervorum? n. 8.
Quomodo B. Virgo ab æterno fuerit ordinata? n. 9.
Cur B. Virgo pretiosæ margaritæ comparetur? n. 9.
Quomodo Christus abscissus de terra viventium? n. 10.
Eliezer, quale judicium de Rebecca Virgine formaverit? n. 10.
Figuræ plures agglomerantur de B. V. Immaculata. n. 10.

In Festo Exspectationis Partûs B. V. Consideratione 49.

De Exspectatione Partus SS. Virginis Mariæ.

Quomodo hospitium Jesu, Maria & Josepho parandum? n. 1.
B. Elisabetha quomodo exceperit B. V. cognatam suam prægnantem? n. 1.
Plura Emblemata de B. Virgine prægnante, & Verbo gravidâ. n. 2.
Cur Evangelistæ tam parci fuerint in describendis laudibus B. V. n. 3.
Cur Adam recens formatus in paradisum translatus? n. 3.
Quomodo Deus ante sæcula salutem in medio terræ sit operatus? n. 4.
Cur B. Virgo cum pretioso ferculo Salomonis comparetur? n. 5.
Cur viderit S. Joannes Agnum tanquam occisum in medio throni? n. 6.
Quid duæ illæ mulieres pro vivo infante litigantes? n. 6.
Philippa Angliæ Regina partui proxima omnia à Rege impetrat. n. 6.

In Festo S. Thomæ Apost. Consideratione 50.

De vita, prodigiis, & glorioso Martyrio S. Thomæ Apost.

Plures fuerunt Thomæ sanctitate illustres, inter quos præeminet S. Thomas Apost. n. 1.
Ethai sequens Davidem, typus S. Thomæ Apost. n. 2.
S. Thomas quomodo de via salutis æternæ inquisierit? n. 2.
Columba à milvis agitata, typus S. Thomæ Apost. n. 3.
Filius prodigus ad frugem revertens, quomodo S. Thomas? n. 4.
Gaudium pastoris ob inventam ovem perditam. n. 4.
Petra dura, ex qua Moyses eduxit aquas, erat incredulus Thomas. n. 5.

Paralyticus ad piscinam à Christo sanatus, typus S. Thomæ Ap. n. 6.
Quomodo S. Thomas Apost. de & in fontibus Salvatoris de novo vivificatus? n. 8.
Quomodo aqua crassa à sole resulgente accensa? n. 9.
Prodigia, quæ à S. Thoma Apost. sunt perpetrata. n. 9.

In Festo Nativitatis Christi. Consideratione 51.

De Christo Domino à B. Virgine in mundum nato.

Cur Christus appelletur secundus Adam? n. 1.
Cur humanitas Christi comparetur cum arca Noëmica? n. 2.
Cur Christus natus comparetur cum Manna de cœlo cadente? n. 2.
Quare uterus B. V. Mariæ assimiletur acervo tritici? n. 2.
Quare B. Virgo porta orientalis soli patens Principi? n. 2.
Cur Abraham exultavit, ubi hunc diem prævidit? n. 3.
Quid per scalam Jacob, & Dominum innixum scalæ intelligatur? n. 3.
Quid per rubum ardentem, & incombustum? n. 3.
Cur Ezechias Rex tam amarè flevit, dum illi mors insinuata est? n. 4.
Cur Moyses radiantem vultum velo obduxit? n. 5.
Quomodo pacificus ingressus Samuelis, & Christi in Bethlehem? n. 5.
Qualis iste lapis, qui statuam Nabuchodonosoris contrivit? n. 6.
Cur Moyses non faciem, sed posteriora Dei viderit? n. 6.
Quidnam sibi voluerit propitiatorium inter duos Cherubinos? n. 6.
Cur Christus dilectus, quemadmodum filius unicornium? n. 7.
Quomodo Elisæus puerum, & filium Sunamitidis suscitavit? n. 7.
Quid ille paralyticus designavit, hominem non habens? n. 8.
Quid viator Jerichuntinus à latronibus sauciatus? n. 9.
Cur Christus natus juxta fontem? n. 9.
Cur juxta portam Bethlehemicam? n. 9.
Cur secùs viam, quæ ducit in urbem David? n. 9.
Cur non in ipsa urbe, sed in publico campo? n. 9.
Cur in solstitio hyemali, ubi dies brevissimus? n. 9.
Cur de media nocte Princeps pacis venit? n. 9.
Arca Dei habitans in papillionibus, quid insinuet? n. 9.
Quomodo cum Davide ad sacrificium solemne eundum? n. 9.

In Festo S. Stephani Proto-martyris. Consideratione 52.

S. Stephanus plenus gratiâ fortiter pro cœlo pugnat.

Aminadab primus post Moysen mare rubrum intrans, typus S. Stephani. n. 1.

Naboth propter vineam ab Achab lapidatus: typus S. Stephani. n. 2.
Jacob super lapides indormiens, figura de S. Stephano. n. 2.
Joab in expugnatione Sion primus in arcem penetrans, typus S. Stephani. n. 3.
S. Stephanus cur cum adamante comparetur? n. 3.
Quomodo S. Stephanus lapidem Philosophicum habuerit? n. 4.
Analogia inter Christum Crucifixum, & S. Stephanum lapidatum. n. 4.
Elephas murem formidans, est nostrum symbolum. n. 5.
Moyses & Aaron inter lapides ad Deum fugientes, typus S. Stephani. n. 5.
Jacob serviens pro Rachel, & lapidem amovens, typus S. Stephani. n. 6.
Abel justus à fratre occisus, figura S. Proto-martyris. n. 7.
Joab Davidem Regem suum ad pugnam invitans, typus S. Stephani. n. 7.
Noë cur in tecto arcæ fenestram collocaverit? typus S. Stephani. n. 8.
Sol, & luna stantes ad pugnam Josue, quid adumbraverint? n. 8.

In Festo S. Joannis Evangelistæ. Consideratione 53.

De vita S. Joannis Ap. & Ev. dilecti Christi Discipuli.

Visio Ezechielis de quatuor animalibus, & S. Joannis Evangel. explicatur. n. 1.
Bonum est viro, portare jugum Domini ab adolescentia. Figuræ plures. n. 2.
Davidis filius Salomon cur amabilis Domino fuerit vocatus? n. 3.
Benjamin â patre tenerè dilectus, typus S. Joannis Evang. n. 3.
Amor Jonathæ & Davidis: Christi & S. Joannis Evang. n. 4.
Cur S. Joannns Ev. dilectus, quemadmodum filius unicornium? n. 4.
Explanatur parabola, quam Davidi Nathan de ove proposuit n. 5.
Samson in sinu Dalilæ quiescans, omnia perdidit: non sic S. Joannes Evangelista. n. 5.
Quis ille fluvius egrediens de loco voluptatis? n. 5.
Jacob Dominum innixum scalæ videns, typus S. Joann. Evangelistæ. n. 5.
Adamo dormienti multa secreta revelata; sic & S. Joann Evangelistæ. n. 5.
Amicus omni tempore diligit: sic Joseph, Judas Machabæus, & S. Joannes Evangelista. n. 6.

Quisnam fuerit ille adoleſcens, qui ſindone amictus, Chriſtum ſecutus eſt? n. 6.
Amici veri, amici Job, Chuſai, & Ethai, ſed quàm maxime S. Joan. Evangeliſta. n. 7.
Jacob moriens, cur Joſepho dederit partem unam extra fratres ejus? n. 7.
Chriſtus cur moriens SS. Matrem ſuam S. Joanni Evangeliſtæ commendaverit? n. 8.
Cur Salomonis thronum duo aurei ſtipabant leones? n. 9.
Cur domus Obededom benedicta propter arcam? n. 9.
Cur Angelus apparens S. Joanni, noluerit ab eo adorari? n. 10.
Pueri in fornace Babylonica illæſi, typus S. Joannis Evangeliſtæ. n. 10.
De glorioſo obitu S. Joannis Evangeliſtæ. n. 10.

In Feſto SS. Innocentium. Conſideratione 54.

De SS. Innocentibus M. M. & de cura parentum erga filios.

Pharao occidens & ſubmergens pueros, typus Herodis. n. 1.
Moyſes in ſcirpea fiſcella in Nilo expoſitus, typus Chriſti. n. 1.
Cur tot innocentes infantes occiſi? n. 1.
Cur Dina tam turpiter in Sichem lapſa eſt? n. 2.
Job cur in ruina filiorum veſtimenta ſua ſciderit? n. 3.
Virga Moyſis in colubrum verſa, quid ſignificet? n. 4.
Quare Heli Sacerdos tam durè à Deo punitus ſit? n. 4.
Cur David Amnon filium ſuum peccantem non caſtigarit n. 5.
Cur pueri immorigeri in Bethel ab urſis dilacerati? n. 6.
Cur olim filii parentibus inobedientes, lapidibus obruti? n. 7.
Cur etiam parvuli in Sodoma igne cœleſti puniti? n. 7.
Achaz quomodo filios ſuos luſtraverit in igne? n. 8.
Heli cur non in faciem, ſed in tergum cadens exſpiravit? n. 8.
De patre filium Dæmoniacum ad Chriſtum adducente. n. 9.
Cur Chriſtus bajulans Crucem, mulieribus fletum interdixerit? n. 9.
Diſcant parentes & filii à Tobia ſeniore, & juniore. n. 10.
Item ab Abraham, & Iſaac, à Mathathia, & Samſone. n. 10.

In Feſto Dedicationis. Conſideratione 55.

In quo conſiſtat vera, & ſolida hominis Chriſtiani recreatio?

Homo in imbecillitate ſua indiget ſubinde levamine. 1. n. & cur?
Cur adeò gaviſus ſit Abraham, David, Bartymæus, Claudus, Zachæus? n. 1.

Solidum hominis gaudium consistit in bona conscientia. n. 1.
Cur Christus se ipsum invitavit ad Zachæum? n. 2.
Cur pater ille musicos constituit, dum filium suum prodigum convivio excepit? n. 3.
Columba revertens in arcam, symbolum conscientiæ bonæ? n. 3.
Scyphus Joseph, quomodo typus securæ conscientiæ? n. 3.
Cur in templo Salomonis nullus malleus auditus est? n. 4.
Cur quinque virgines fatuæ à cœlestibus nuptiis exclusæ? n. 4.
Cur à Domino propriè detur uxor prudens? n. 5.
Talis erat Sara, Rebecca, Rachel, Michol &c. n. 5.
Cur Joseph in carcere hilaris, pincerna verò & pistor tristes? n. 6.
Conscientia bona est convivium Assueri, dulce manna, Regia Dei, reclinatorium aureum, terra promissionis, torrens voluptatis &c. n. 6.
Cur Christus in mediis fluctibus in navicula dormierit? n. 6.
Non contristabit justum, quidquid ei acciderit. Figuræ plures. n. 7.
Qualis ille ager, in quo thesaurus absconditus eruendus? n. 8.
Qualis illa drachma, tanta cum cura quæsita? n. 8.
David cur dixerit: *Dedisti lætitiam in corde meo*? n. 9.
Anna cur dixerit: *Exultavit cor meum in Domino*? n. 9.
Esther quomodò solùm in Domino lætata sit? n. 9.
Habacuc cur dixerit: *In Domino gaudebo &c.* n. 9.
Cur Pharaonem Regem inter alias pœnas exagitaverint sciniphes? n. 9.
Cur Nabuchodonosor inter omnes regales delicias perturbatus? n. 9.
Uriæ litteræ in sinu portatæ, quid sibi velint? n. 9.
Ezechias Rex ab omnibus imitandus, & cur? n. 9.

Consideratio ultima.

De Sacrificio Missæ, & dignitate Sacerdotis eam offerentis.

Cur Deus, licèt omnipotens, tria majora facere non possit? n. 1.
Cur, & quomodo Deo sacrificium Missæ sit offerendum? n 1.
Quid ille calculus ignitus, quo Seraphim labia Isaiæ tetigit? n. 2.
Cur olim primitiæ spicarum Deo debuerint offeri? n. 3.
Quomodo Christus granum mortificandum, & multiplicandum? n. 3.
Cur olim pro sacrificio agnus manè & vespere fuerit immolatus? n. 4.
Abraham sacrificavit filium affectu, & arietem effectu Cur? n. 5.
Cur sacrificium à Noëmo Deo oblatum, adeò gratum? n. 5.
Jacob placans fratrem iratum muneribus, quid nobis insinuet? n. 6.
David quomodo tempore pestis Deum placaverit? n. 6.

Sanguis agni in ſuperliminari aſperſus, quid nobis indicat? n. 7.
Cur tres SS. Magi procedentes Chriſtum recèns natum adoraverint? n. 8.
Cur Simeon juſtus ſine mora puerum Jeſum in ulnas ſuſceperit? n. 8.
Cur duo gladii in ultima cœna Chriſti fuerint præſentes? n. 9.
Manna de cœlo cadens, ingens prodigium. Cur? n. 10.
Sol ad vocem Joſue in curſu conſiſtens, quid nobis indicet? n. 10.
Cur Chriſtus non tantum ſubditus parentibus, ſed etiam ſacerdoti? n. 10.
Qualis poteſtas Sacerdotis remittentis locò Dei peccata hominibus? n. 10.
Cur olim Sacerdotes Dei debuerint portare tunicam hyacinthinam? n. 11.
Cur Manna in aureo puriſſimo vale incluſum? n. 11.
Cur Sacerdos in Miſſa dicere ſoleat: *Dominus vobiscum? &c.* n. 11.
Cur mulier Syrophœniſſa à Chriſtianis imitanda? n. 12.
Cur Jacob imitandus, benedictionem ab Angelo poſtulans? n. 12.

FINIS.